
Digitized by Google



2 N.1 2. 1. 131

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM
CONTINUATI

A

P. F. CAJETANO MICHELESIO ASCULANO

Ejusdem Ordinis Scriptore, & Pro-Chronologo Generali.

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM
Ab anno MDLXIV. usque ad annum MDLXXIV.

CONTINUATI

A

P. F. CAJETANO MICHELESIO ASCULANO

Minorum Observantium Sacrae Theologiae Lectore Jubilato,
Ordinis Scriptore, & Pro-Chronologo Generali

JUSSU

R.MI P. BONAVENTURAE A PLACENTIA

Familiae Cismontanae Observantium, et Reformatorum
Commissarii Generalis, Visitatoris, et Reformatoris
Apostolici.

TOMUS XX.



ROMAE In Typographio Paleariniano MDCCXCIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO

D. N. D.

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. BONAVENTURA A PLACENTIA
Commissarius Generalis

FELICITATEM.

GESTARUM *in Ordine Minoritico rerum historiam a Luca* Waddingo *inchoatam, ultra tria saecula feliciter perductam, a silentio denique excitam, typisque novissime elaboratam Augustis-*

stissimo Nomini Tuo, Beatissime Pater, *nuncupare mearum partium duxi, Majorum exempla ſequutus, quibus religio fuit, Summos Pontifices Seraphicis Annalibus Maecenates adhibere, tamquam eos, quorum fide, clientela, et beneficentia Ordo potissimum nititur, judicesque, et defensores praeclariorum facinorum, ad quae in Ecclesia Dei peragenda sedulo animum applicuerunt. Quod autem officii causa caeteri fortasse praestiterunt, debiti loco mihi cessit; siquidem obversantur adhuc menti meae, et perpetuo infixa haerebunt maxima beneficia, quae Cismontanae familiae administratione mihi concredita, Tua ultro auxit in me liberalitas. Quare etsi Te conspicerem gravissimis Christianae Reipublicae negotiis, curisque distentum in tanta scelerum, et impietatis inundatione, qua Europa premitur, et concutitur universa; tamen ne mihi deessem, et benignitate, ac clementia illa Tua, qua pauperes Minores complecteris, motus, excelso Pontificiae Majestatis solio hanc grati animi mei, meorumque significationem sistere non sum veritus. Dicam etiam audacter, non sine dulci quodam animi sensu me id praestitisse; quo nimirum magis semper compertum sit*, Pium Sextum *qua in magnis, qua in minimis, Principis vere Maximi nomen merito obtinere. Quod si nulla alia ratio suasisset, ut Opus hoc Tibi inscriberem, rerum mehercule circumstan-*

tiae

Digitized by Google

tiae me, ut id facerem, impulissent: Potiora, inquam, atque illustriora facta, quae in eo narrantur, quaeque si cum occurrentium vicissitudinum eventu tristissimo conferantur, saeculum dicamus oportet reviviscere sextum supra decimum. Ecclesiastica nos monumenta docent, quantum ea tempestate eversa fuerint in Galliis omnia, Hugonottorum undequaque furentium licentia, qui ferro, flammisque, ac turbulentis concionibus Orthodoxam Religionem vel opprimere penitus, et delere, vel in turpissimam adigere servitutem moliebantur. Horrendum auditu! Lacrymabile visu! Diruta illic Templa, et Altaria, profanata Sacra, religiosa quaeque contempta, Sacerdotes Dei strictis securibus ad necem percussi, auctusque in dies numerus innocentium Victimarum. Eodem plane furoris impetu apud Batavos actum esse, nemo unus in historia versatus ignorat. Quid in tanta immanitate? Felix illud Ordini Seraphico evenit, quod plurimi ejus Alumni colla carnificum furori cesserint, ne corda cederent impietati, sibique gaudet, ex iis nonnullos Martyrum albo adscitos publico, pioque jam cultu in Ecclesia coli, atque honorari. Quin plura commemorem, iniquam hanc rerum conversionem dolenter conspicis, Beatissime Pater, *hisce temporibus redeuntem: Quum, si recentes Gallias ad veteres aequiparemus, saeculum XVI. in XVIII. plane retro-*

trogradum videatur, non sine vehementi animi Tui, omniumque fidelium moerore, qui Jesu Christi vestem nefariis manibus dilaceratam, scissamque tristantur. Verum eriguntur animo statim ac in memoriam redigunt, Petri Cathedram tunc temporis S. Pium Quintum tenuisse, cujus nomen praesaga quadam futurorum mente, nec sine Numinis ductu, integris adhuc rebus, providentissime assumpsisti, ut scilicet eisdem denuo ingruentibus malis, viventem in Te illius imaginem intueremur, ejusque eximias pastoralis animi dotes, solertiam in providendo, in tolerando fortitudinem, in vindicandis Ecclesiae juribus, divinoque cultu propagando aequabilem constantiam, atque magnanimitatem admiraremur, et ne nomen quidem ipsum foret nobis desiderandum. Divinum sane consilium, ut ille malorum initiis obstiterit, Tu vero incrementis. Illi cum hoste tum primum nascente colluctatio ineunda fuit, Tibi cum adulto potentissimo, et audacissimo, propudiosae libertati nato, in vitiis nutrito, incredulitati addicto, et in criminibus omnibus exercitato. Hinc quo majus onus Apostolicis humeris impositum sustines, eo Te maxima laude dignum existimamus, quod in summa rerum perturbatione, temporumque difficultate spectabile illud Sanctitatis exemplar, quod ante oculos Tibi proposuisti, sis assequutus cumulatissime. Utique Galliis

pro-

proſpexit Summus Deceſſor ille Tuus, nihilque non egit, ut Civium, qui mutuis vulneribus in se ruebant, exitio occurreret, ac saluti consuleret. Quae tamen praeteritarum rerum cum hodiernis comparatio? Furebat aevo illo infelici truculenta haereſis, incendebat aedes Sanctorum, diripiebat templa, Sacerdotes ad eorum limina, et aras mactabat, interque caedes, sanguinem, et terrores, belluae ritu ubique versabatur. Certa nihilominus superſtitione tenebantur insanientes hominum catervae; ritus quosdam sibi, ut ut sacrilegos, adsciverant, suos habebant duces; quos sequerentur, suos, quos adhiberent, sacrorum miniſtros. Neque eo audaciae processerant, ut omnes Provincias, et Regna, totumque, qua late patet, terrarum ambitum invadere, corrumpere, et lethifero impietatis contagio vellent contaminare. Non eo crudelitatis ventum erat, ut Regio Sanguine manus cruentarent, et de immani scelere laetabundi, quasi de triumpho exultarent. Modo autem fatali quadam vertigine conciti deteſtabiles eorum Nepotes, quo se proripuerint, quos transgreſſi sint limites, in quod errorum barathrum, et ruinas inciderint, teſtantur bonorum omnium luctus, Europae totius sollicitudo, arma, exercitus, pugnae incredibiles, et innumerabiles, magnorumque Regum mutua in communem causam terra, marique conſpiratio, ac de-

mum e solis Galliarum finibus sibi metuens Religio, quae in Te, tamquam in Parentem optimum, oculos conjicit, et nisi in sinu Tuo se tutam non arbitratur. Et Tu quidem, Beatissime Pater, *illi ab altis Vaticani sedibus manus extendis, eamque bono esse animo, et fausta omnia sperare jubes. Nec mirum, quum S. Pii V. Successor, virtutumque, ac laudis aemulus, sanctissimis legibus constitutis, confortatis fidelibus, precibusque ad Deum rite fusis, qui spiritu oris sui impios conterit, in caussam semel susceptam incumbas, cunctisque manifestius Te lapidem visibilem angularem Ecclesiae ostendas, in quem Inferni machinamenta, et nimborum jactati vortices frustra illiduntur. Erepta e manibus perduellium haereticorum vexilla solemni pompa a S. Pontifice in sacram Lateranensem Basilicam illata legimus. Quod si et Aulam Regiam Vaticanam barbarorum spoliis, et trophaeis magnifice ornavit, major profecto erit triumphus, quem ages, postquam teterrimam Hydram catenis religatam Tibi submittent Foederatorum Principum copiae, et arma in Dei hostes ultioni toto ferme terrarum orbe conquisita, et collecta. Te auspice, et apud Deum pro fidelium incolumitate, et tranquillitate deprecatore, in mediis etiam flammis, et periculis nihil non faustum, fortunatumque spes nostra sibi statuere arbitratur.*

In

In hoc Annalium Volumine, quod beatissmis pedibus provolutus Sanctitati Tuae *lubens consecro, quisquis, collatis invicem temporibus, geminos* Pios Pontifices Maximos *in extremo discrimine divinitus Ecclesiae concessos deprehendet, utrumque magnum, immortalem utrumque, quia, si sempiterna forent hominum imperia, imperare semper meruerunt; utrumque adversus fidei hostes insuperabile propugnaculum, Religionis columen, Orbi miraculum; quorum proinde nomina, ut vocis similitudine, ita gestorum affinitate conjunctissima, hominum, quotquot erunt, memoria aeneis monumentis perenniori vigeant, et celebrentur.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALIUM SERAPHICORUM
STUDIOSIS.

Ecclesiastica hiſtoria tamquam arbor latiſſima, et foecundissima, plantata super rivos aquarum, plurimis exsurgit ramis, fructibusque uberrime ditatur, in quibus res gestae singulorum Ordinum religiosorum ad Orthodoxae Reipublicae utilitatem, et amplificationem, summique bonorum omnium largitoris Dei gloriam merito numerantur. Illos namque eo consilio institutos novimus, ut virtutum splendore luceant in saeculi tenebris, doctrinaeque pabulo esurientes alant, ac reficiant in arido, sterilique exilii hujus deserto, quo alacrius, atque expeditius ad Patriam pergant, et promissae felicitatis portum denique teneant. Eorum porro bene, fortunateque susceptos labores, dum exeruntur, nemo unus est, qui non magnopere admiretur, et laudet. Sed generationibus pereuntibus, novisque in dies renascentibus, paullatim in obscuritatem incidunt, et oblivioni tandem omnino mandantur. Partim enim homines ea, quæ coram sunt, sensusque percellunt, animo advertere solent, nec in anteacta se distrahunt, quae sua interesse non putant; partim vero experientia fieri videmus, ut quo magis terrenae res in senium vergunt, eo fiant deteriores. Siquidem si praeteritas aetates cum nostra conferamus, nullam facile reperiemus foecundiorem ingeniis vanitate, ac superbia elatis, quae quum religiosis Ordinibus inexpiabile bellum indixerint, in eos passim clamitant, et bacchantur, ut nimirum, si datum illis sit de nobis triumphum agere, totum quoque Templi aedificium, quod non minima ex parte humeris nostris incumbit, minori conatu concutiant.

In hoc impiorum hominum molimine, et exundanti in nos tempestate optimum factu duxit Reverendissimus P. Bonaventura de Placentia, simul atque supremam inivit administrationem Familiae Cismontanae Observantium, et Reformatorum, Annalibus Franciscanis sedulo consulere, eorumque continuationem promovere, non quod speraret propterea Adversarios

no-

Digitized by Google

nostros ad cor redituros; sed ne illorum insolentiae, et procacitati perpetuo succumbere videremur, egregiisque Majorum nostrorum exemplis ad virtutem magis excitati saeculum nequam mendacii, atque imposturae felicius revinceremus.

At etiam voluit sapientissimus Praesul bonorum omnium votis obsequi, qui satis diu interruptam Ordinis hiſtoriam ardentius requirebant, et tot annorum silentium ferre amplius non poterant, idque ad exitum adducere, quod ex supremis Ordinis Moderatoribus solertissime, totisque viribus tentasse scimus Josephum Mariam de Fonseca Eborensem summum virum, literarum, & literatorum hominum Patronum splendidissimum, quem ad maximos honoris gradus, Sedemque Epiſcopalem Portucalensem praeclare facta, et cumulatissima merita extulerunt. Compertum enim est, post Lucam Waddingum, et Franciscum Haroldum Waddingi successorem, unum Josephum Mariam ab Ancona repertum fuisse, qui sub inclyti Maecenatis auspiciis perficeret tomum XIX. Annalium, praeter Joannem de Luca Venetum, cui eorumdem tomum XVIII. adscribunt. (Vide Acta SS. ad diem 15. Maji pag. 550.) Quum itaque de Annalibus lucubrandis, edendisque serio cogitaret, causamque sciscitaretur, cur ii tamdiu conticuissent, comperit ab A. R. P. Augustino a Neapoli Provinciæ Terræ Laboris Alumno, & Ordinis Chronologo Generali, se triginta prope annis nihil in lucem emittere potuisse ob rerum agendarum multitudinem, quum uno, eodemque tempore tum Annalibus, tum Chronologiae Seraphicae Historico-Legali, tum Rubricis Missalis Romano-Seraphici operam navare deberet, ac praeterea Commissario Generali Curiæ adesset ab Epistolis, aliisque gravissimis curis necessario detineretur, quae cooptatum postremo inter Diffinitores Generales magis premerent, et vix respirare paterentur. Hinc virum ab ingenti negotiorum mole aliquantulum sublevare prudentissime decrevit. Constanti igitur animo, consilio, et sapiensia sic egit, eoque rem adduxit, ut, habita consultatione cum SS. D. PIO VI. PONT. OPT. MAX., qui deliberationi suæ non solum annuit, verum etiam benignissime favit, hortatusque est, ut incoepta perficeret, Chronologo Generali Chronologiam, & Rubricas lucubrandas relinqueret, quas jamdudum promissas jure quodam suo Minoritae omnes repetebant, et Pro-Chronologum designaverit, qui Historiographi partes exsequeretur, resque gestas Trium Ordinum juxta Lucæ Waddingi methodum, ac stylum literis mandaret.

Unus itaque vir, unus dies, unum, ut ita dicam, temporis punctum diuturni silentii optatum finem attulit, novamque, et necessariam rerum dispositionem bonum illud continuo est consequutum, ut duplex opus, unum Chronologiae, quod, ut audio, jam est sub prelo, alterum hocce XX. Annalium duabus

per-

personis separatim commissum, cum omnium gratulatione brevi absolveretur, et publici juris fieret. Qua in re Ordinis sui, ut est, amantissimum se oſtendere non potuit, nisi palam magis, magisque faceret, se non tantum literas in pretio habere, in quibus eum praestantissimum testantur edita monumenta, quin etiam easdem fortiter tueri, earumque incremento diligentissime prospicere, ut nempe non minus pietatis, & religionis, cujus luculenta specimina exhibet in amplissimo, quem obtinet, Magistratu, quam scientiarum, bonarumque artium cultorem eximium clarius noscerent universi.

Provinciam Annalium scribendorum, datis ad me literis publicis anno MDCCXCII. XXV. Junii, mihi demandavit non tamquam ſelecto ex omnibus, sed tamquam loci opportunitate sibi propiori, cujus si non ingenio, voluntati saltem, et sedulitati non diffideret. Quemadmodum vero eo majores ipsi grates debeo, quo me ignotum in lucem, adspectumque hominum produxit, sibique immortali beneficio devinxit, quod in aliquem ex tot doctissimis viris, qui Franciscano Sodalitio decori sunt, atque ornamento, potiori jure conferre potuisset; sic ingenue fateor, me non satis libenter in hanc palaestram descendisse, tum quia ſcientiarum studiis ferme ab ineunte adolescentia deditus in ea repente detrudebar, quorum eram imperitissimus, tum quia cogitanti mihi, accurateque rem perpendenti tamquam mare aliquod interminatum sub initium objiciebatur, cui transnando vires meae nequaquam sufficerent. Accedebat consideratio codicum, membranarum, monumentorum, totiusque historicae supellectilis, quae deerat, nesciebamque, undenam eruenda foret, ordinisque, et methodi, quam sequerer, et addiscere nequirem, nisi in perlustrandis Annalibus diutius immorarer; quae res non exiguo labore constitit ipsi Chronologo Generali doctrina, et eruditione insigni, quocum ego nullo modo sim comparandus.

Vide Capitulum Generale Valentiae celebratum anno 1768. pag. 59. *Sessio X. Vespertina ec. Matriti MDCCLVIII. Ex Typographia Joachim deIbarra.*

Dum anxius ita cogitarem, et quid agerem non reperirem, torquebar sane animo, et vehementer metuebam, ne impositum onus laterum meorum firmitatem superaret. Spem tamen inopinam, ac veluti lucem ancipiti praetulit Chronologi liberalitas, ad quem accessi MSS. petiturus, si quae forte penes se haberet; vix enim me loqui passus, aequo animo, cautione prius subscripta, nonnulla mihi tradidit, quae ipse a Chronologis Provinciarum Ordinis in antecessum acceperat, quaeque officii jure custodiebat in Museo, partim vetustissima, partim recentioris aetatis, authentica omnia, Auctorum nominibus distincta, et Ministrorum Provincialium cera obsignata, prout supremi Ordinis Moderatores Ministris ipsis ea colligenda, et disponenda imperaverant.

Vide literas Encyclicas Josephi Mariae de Vedano Commiss. Gen. Cismontanorum ad Provinciam S. Mariae Hungariae. anno 1766. die 4. Novembris.

Etsi vero MSS., de quibus dico, (alia enim ad me non sunt

dela-

delata) et libelli quidam impressi, quos toti collectioni permixtos inveni, operis magnitudini non responderent, utpote pauca, et annorum epocham ut plurimum excedentia; nihilominus prima exercitatio, ut fieri solet, alteram produxit. Enim vero quum in peregrinas margaritas insperato me incidisse crediderim, novis, et melioribus ditari cupidus bibliothecas Urbis pervestigavi, institi apud amicos, ut si quid nossent, mihi vellent indicare, scripsi per provincias ad eos, quos ad me aliquid missuros suspicabar, omniaque sigillatim odoratus eo tandem deveni, ut in Archivo Aracaelitano, quod A. R. P. Jesualdus a Roma Lector Jubilatus, quem habui in studiis Theologicis praeceptorem, vir doctus, atque honestus ultro mihi, libenterque reseravit, et jam a Chronologis exhaustum inepte putabam, quamplurima antiquitatum volumina repererim, miratusque opes tamdiu inutiles, easdem auro, et gemmis studiosius collegerim. Expectationem tamen meam vicit Archivum alterum S. Isidori tot, tantisque MSS. omnis generis divitiis undique refertum, Lucae Waddingi Annalium parentis cura, ut nesciam, qui fieri possit, ut vir Minorita paullo ingeniosior ipsum semel ingressus pedem inde referat, quin, caeteris studiis abjectis, scribendae historiae incitatissimo desiderio rapiatur. Desiderabam literas Pontificum, quarum exemplaria frustra alibi conquisita depromi curavi ab Archivo Vaticano. Verum impensis faciendis impar supplex adivi Eminentissimum Principem Romualdum S. R. E. Cardinalem Braschium de Honestis Seraphici Ordinis Protectorem, quo favente, Bernardinus de Mariscottis Pro-Secretarius Brevium vir literis, et nobilitate excellens perbenigne, et humanitet in cameris suis Quirinalibus commoditatem mihi transcribendi fecit quidquid vellem. Quibus ego liberalissimis, et munificentissimis viris perpetua beneficii memoria me fateor obstrictum, quandoquidem referre gratias nunquam potero.

Dicet aliquis, nihil oportuisse, ut in tanto lumine philosophiae, artiumque, et scientiarum omnis generis opulentia Minoriticis Annalibus concinnandis manus admoveretur, historiae videlicet Fratrum, Virginum Deo sacrarum, Provinciarum, Conventuum, Capitulorum &c., quae vix lectorem repetiat. At ego, ut sincere dicam, nunquam magis homines in tenebris versatos existimo, quam hac tempestate. Demptis enim sapientissimis viris, qui quidem prae insanientium multitudine apparent rari nantes in gurgite vasto, quis, quaeso, est, qui recogitet corde, qui se noscat, viamque suam teneat, qui non omni vento doctrinae circumferatur? Inopportunum est, argumentum hoc latius tractare. Ast quid moliuntur, quid agunt aliud ii, quibus nostra vilescunt, quam, posthabitis praeclaris codicibus, ex quibus in homines pleni verae, solidaeque sapien-

pientiae latices semper redundarunt, ultramontanas ineptias, libellosque exsecrabiles e Luciani potissimum plagiis, furtisque consarcinatos, nocturna, et diurna versare manu, illos veluti divinum qnoddam venerari, ignaris, atque innocentibus legendos obtrudere, quo venenum bibant impietatis, ac licentiae, magistrosque aemulati ponant in caelum os suum, et lingua transeant in terra, ut in Sanctos Dei obloquantur, eosque jaculis maledictorum confodiant, atque conficiant?

Optandum utique foret, ut haec vero minora invenirentur. Quisque tamen nullo negotio animadvertit, his artibus plerosque gloriam venari solere, et ingenii famam, atque has esse gratias, lepores, et oblectamenta quarumdam societatum, in quibus ad funalia, aleas, et pocula, morum hostes, nugarumque mercatores primas agunt, facundi sane, quum tamquam in spectaculis virtutem in jocum vertunt, Altaris ministrorum capitibus insultant, et iniquitatem in excelso loquuntur, in caeteris vero, quae attentionem, mentisque conatum requirunt, tametsi petulantissimi, omnino pueri, et elingues. Haec est hodierna illa philosophia, cui tantopere plaudunt, et acclamant homines cerebri vertigine agitati, quæ, ducibus Voltairii, aliorumque hujus furfuris servis pecudibus, in triviis jam passim, diversoriis, aulisque discitur, quae in antithesium acumine tota est, in vocabulorum novitate, et obscuritate, in scurrilibus demum fabulis, in voluptatibus, vitiisque turpissimis, quae Religionem, ejusque Sacerdotes, lapides pretiosos Templi Dominici, exagitat, et ad terram prosternere adlaborat, quodque graviter ingemiscendum est, impune saepius id facit.

Novi equidem, nostras partes esse recte agere, et humilitate, modestia, mansuetudine mundum vincere, stultorumque delirationes contemnere. Quis vero aeternum bellum patiatur, quod in nos urgent sycophantae, qui sibila, et irrisiones, quibus nos lacessunt? Et aspiciunt nos quidem oculis tristibus. Nae ignorant, quantum eorum nos pudeat, qui nec Centaurorum, et Cyclopum impetus veritate, et conscientia freti pertimescamus. Quid autem nobis solide objicitur? Nimirum una paupertas, et tunica, tamquam si virtus diris devovenda foret, nisi sericum, et byssum indueret. Age vero sinamus istos ineptire, qui sciant tantum, (licet enim aliquando magnifice loqui) nos inopes, contemptosque ex iis esse, qui terrarum orbem nominis sui fama impleverunt, qui remotissimas, et inhospitas regiones, ignota maria, insulas, montes, syrtesque peragrarunt, ut veritatis lucem in illas inferrent, qui barbararum gentium, et innumerabilium Apostoli fidem Catholicam magnis sudoribus ubique plantaverunt, sanguine rigarunt, et foecundarunt, quos nec difficultates, nec terrores, nec pericula unquam prohibuerunt, quominus in agro Domini strenue versarentur, ja-

ctumque verbi semen eorum opera in laetissimas, et optatissimas segetes erumperet. Ii nos sumus, quibus Christiana Respublica non exiguam debet novi hemisphaerii partem sibi, ac juribus suis vindicatam, qui adepras Ecclesiae amplissimas possessiones excolimus, aliasque addere parati sumus, qui quamvis infirmi, imbecilles, atque etiam dormientes, virtutis tamen, et Religionis speciem, dignitatemque plane sustinemus, quos Summi Pontifices toties laudibus cumularunt, Regesque, et Imperatores potentissimi appellarunt *Medullam Christianitatis, qui per bona exempla, et salubrem doctrinam totum mundum illustrant, pugiles, defensoresque nostrae Fidei, sine quibus Catholica Religio male foret.*

Annales Min. an. 1564. num. !. et an. 1565. num. LXXVII.

Ut brevi haec memorem cogit me temporum perversitas, que mihi etiam calcar admovit incoeptum semel opus cito absolvendi. At delicatiores Aristippi vel ipsam libri epigraphen sibilabunt; phrasibus enim melle respersis delectantur, invenusta non ferunt. Orationes amant rotundis periodis leniter fluentes, poesim dulcem, ac blandam ab Heliconis fonte deductam, dissertationes exquisitas de aureo Jasonis vellere, de Orphaei testudine, quae nemora, et saxa movebat, de Evandro Rege, et Aboriginibus, rebusque ejusdem generis maximi momenti. Hinc adduci non poterunt, ut nostra non fastidiant stylo exarata arida pumice non expolito, Sanctorumque gestis paullo horridioribus, qui saeculi voluptates, et carnem suam cum Christo Jesu crucifixerunt, aures accommodent suavissimis modulationibus assuetas. Hos ego deliciis suis libere perfrui sinam, dummodo non sint molesti. Doctrinam, quam sibi compararunt, in Academiis ostentent, ibique effuse celebrentur, quod pulchre scribant, pulchre loquántur, pulchre incendium Trojae, et pii Aeneae adventum in Lavina litora recantent. Nobis rudia haec, et incompta relinquant, qui poeticis volatibus parum apti humi serpimus tuti nimium, timidique procellae, nec fabulosis narrationibus animum libenter detinemus, sed Majoribus nostris viris gloriosis in generationibus suis laudis tributum, qualecumque illud est, impertimus.

Re sane vera non video, cur nos spernendi simus, quod illorum egregia facta recenseamus, resque complectamur terra, marique gestas, studia, labores, contentiones, quas ad Christianorum Reipublicae utilitatem exeruerunt, quum fas sit aliis, ea fuso calamo persequi, quae nec ad scribentes, nec ad legentes ullo modo pertinent, neque moribus praesidio sunt, neque pietatem fovent, neque vel levi, nisi desipio, hominibus pretio cedunt. Mos est quorumdam hoc tempore, in eo sedulam locare operam, ut in aperto ponant, quis statuae alicujus a terra erutae sculptor fuerit, aut obliteratae picturae artifex, quae-

Digitized by Google

quaenam literae desint exesae inscriptioni lapidariae, quid sibi velit disruptum hieroglyphicum, an Aegyptium idolum Apis potius, quam Serapis effigiem referat; tantaque diligentia omnia scrutentur, ut volumina prodeant elegantissime cusa. Non tam alieni sumus a cultioribus Musis, et amoeniori literatura, quibus nos olim studuisse profitemur, ut ingeniosas productiones improbemus. Attamen si res cum re conferatur, quaenam, amabo, dementia est, ut haec ad sidera summis laudibus attollantur, nostra autem ad terram misere deprimantur? Utilius ne est nosse, quomodo legendum sit vetus epitaphium, quam rebus sacris, monumentisque Religionis instructum esse? Exempla nos proponimus Sanctorum virorum ad intuendum, imitandumque accommodata, quibus non exantlatos tantum labores pro Ecclesiae Catholicae dilatatione, augmento, et defensione homines coram admirentur, quin etiam ad egregia facinora excitentur, eoque tendant, et ferantur, quo spes divina, et immortalis cunctos nos advocat. Sed de his satis. Arbitramur autem, neminem jure nobis succensere posse, nisi qui velit prius de seipso confiteri.

Ad me ut redeam, quamvis codicum supellectile abundarem, ingenium tamen deficiebat, quo illa faustis alitibus, et cum laude uterer. Non oratorum more, sed ex animi sententia loquor; nunquam enim personatum me gerere potui, aut ex arcano vivere, et impostura, etsi non paucos his technis aspiciam florentes, et beatos, meo quidem judicio miseratione, quam invidia digniores. Obruebat propemodum cogitationem rerum tractandarum copia, et varietas, meque labyrintho implicati videbam, cujus flexus, et anfractus mille forent, atque innumerae errore viae implerentur, a quibus, si semel intrarem, filo nusquam inveniendo opus foret, ut regrederer, et me ambagibus expedirem. Haerebam incertus in limine. Sed vicit tenax animi propositum, vicit ardor mentis, vicit gloriae stimulus, quo non abnuo, me fuisse incitatum, vicerunt hominum bene de Ordine meritorum hortatus, qui me ad opus invitabant, alliciebant, impellebant, ac praecipue Reverendissimi P. Bonaventurae de Placentia Commissarii Generalis, et A. R. P. Caelestini ab Asculo Procuratoris Generalis Minorum Reformatorum conterranei mei, qui me gratia, favore, opibus omnibus, ac rebus juverunt, quosque nunquam nominaverim, nisi cum jucundissimo animi sensu, et gratissima beneficiorum recordatione. Obversabatur quotidie menti meae Seraphica Religio, verebarque, ne, si a labore parumper cessarem, non in somnis tantum, verum et in vigilia ejus imaginem intuerer in me turbatam, et iracundam, quae me his vocibus increparet: Quid? Tune ille es, qui acta filiorum meorum scribenda suscepisti? Siccine Matri tuae deservis? Quid

 otio

otio torpes, aut insipienter occuparis? Atqui ego in te spem omnem meam collocaveram, certoque mihi pollicebar, historiae tamdiu expectatae opusculum aliquod denique me visuram, quod longo post tempore Alumnis meis legendum porrigerem. Id, inquam, vehementer desideraverunt oculi mei. En improvida decipior, tuque arcanae eruditionis specie mihi illusisti.

Hae quidem voces me exanimassent, ac propemodum enecassent, quas interdum ob praeconceptam formidinem dormiens audire mihi visus sum. Quare curis omnibus sepositis, erexi animum, nervos intendi, meque in Annalium argumenta conjeci, in quibus quidquid est probandum, totum Dei munus est, qui mihi speciatim adfuit, lumenque dedit, et vires refecit, quo homo ignotus, nullo numero, sine exercitatione, sine doctrina, socio, et librario destitutus, et ad aliorum commoditatem studiis vacare coactus, innata insuper timiditate mea quodammodo dejectus, nullo unquam tempore perturbarer, diesque, ac noctes meditando, et scribendo alacri animo transigerem. Quidquid vero improbandum est, id uni mihi acceptum est referendum. Novi enim me, neque aliquid mihi arrogo, praeter mediocre ingenium nemini noxium, et voluntatem, qua jussis optimi Praesulis obtemperavi. Cui quidem ego, quemadmodum et Reverendissimo P. Ministro Generali Joachimo Compañy Parenti, ac Maecenari meo praestantissimo, totique Ordini Seraphico iterum, atque iterum spondeo, me, quamdiu vivam, nulli alteri rei operam navaturum, nisi Annalibus scribendis, quorum hic est tomus XX., alterum vero tomum XXI. fere jam absolvi, nec unquam apud Majores Ordinis actutum, ut praemium postulem; praemium namque laborum meorum amplissimum, et cumulatissimum judico, quod idoneus habitus sim ad calamum sumendum, remque historicam Minoriticam post quinquaginta Solis revolutiones a taciturnitate excitandam.

AP-

APPROBATIO

A. R. P. Fr. Joſephi Alberola, Sacræ Theologiæ Lectoris Almæ Obſervantis S. P. N. Franciſci Valentinæ Provinciæ Ex-Secretarii, Romanæ Curiæ jam Commiſſarii Generalis, & pro toto Statu Pontificio Procuratoris Generalis Terræ Sanctæ.

IN magnam raptus fui admirationem, cum a Rm̃o P. N. Fr. Bonaventura a Placentia hujus Ciſmontanæ Familiæ S. P. N. Franciſci Commiſſario Generali, Viſitatore, ac Reformatore Apoſtolico impoſitum mihi fuiſſet onus, ut de Annalium Ord. Min. tomo vigeſimo, a R. P. Cajetano Micheleſio Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato ſcripto, meum ferrem judicium. Sciebam enim, vix elapſum fuiſſe annum, quo Cl. Auctor tanto operi primam impoſuit manum; ſed in dubium vertere non poteram, tam parvi temporis anguſtia librum eſſe perfectum. Sed quid? Omnibus Aracæli Patribus notum eſt, navum, ingenioſumque Micheleſium maximam vitæ partem agere in eruendis e pulvere, & ſitu chartis, veteribusque monumentis, nunc in Vaticani, & Quirinalis tabulariis perluſtrandis, nunc in S. Iſidori Urbis Archivo generali Ordinis percurrendo, nunc denique in Bibliothecis Barberina, Chiſiana, & Caſanatenſi rimandis: & tandem nulli parcentem labori noctes, dieſque inſomnes ducere, ut Annales Minorum antiquum reciperent curſum, & pulchra Waddingi amœnitate pollerent. In toto Operis decurſu apta utitur critica, quam Cl. Joannes Mabillon in ſuo de *Studiis Monaſticis* aureo tractatu vocat lumen perquam utile, unde nedum Auctoris mens valde illuſtratur, verum & illa opportune utentium. In omnibus argumentis nullam fert ſententiam, niſi convincentibus urgeatur rationibus; & ſi nulla earum efficax comperiatur, ſuspendit judicium, ſimplici utitur conjectura, unicuique, quod ſuum eſt, tribuens ſine ulla perſonarum acceptione. Cæterum hoc Opus ob materias, & geſta Sanctorum, Beatorum, ac illuſtriorum Minoritici Ordinis Virorum, quæ continet, eſt eruditionis prodigium, floribus undequaque conſperſum. Nam, niſi mea me fallat opinio, ſtyli nitor, modeſtia, pietas, rationum pondus, efficacia, & eruditio Hiſtoriographum ita valde commendant, ut Religio Seraphica plaudere poſſit, ſibique congratulari, Cl. Annalium Parentem Lucam Waddingum in doctiſſimo Micheleſio ſurrexiſſe; immenſaſque pro tanto beneficio debeat gratias referre Reverendiſſimo P. Bonaventuræ a Placentia, qui talem Annaliſtam inſtituit, nobiſque donavit. Ille etenim eadem, qua pollet, auctoritate, zelo, & literarum amore, aliquem eximiæ ſpei adoleſcentem Religioſum in partem operis vocare poſſet, qui Cl. Micheleſio aliquod præſtaret auxilium, ut Annales Minorum minus laborioſe continuare valeret.

Quamplurima in hoc tomo inveniuntur a Viro Franciſcano lectu, ſcituque dignissima. In primis enim Sacri Concilii Tridentini acceptatio a Capitulo Generali Vallisoletano: totus S. Pii V. Pontificatus: privilegia, gratiæ, Indulgentiæ, conceſſiones, quibus iſte Sanctiſſimus Pontifex Ordinem noſtrum cumulavit: victoria contra Turcas prope Inſulas Echinadas a Domino Joanne de Auſtria reportata: ejuſdem prædictio Valentiæ facta a B. Nicolao Factor: grates in hoc Aracælitauo Conventu pro tam inſigni victoria Deo peractæ: erectio Provinciarum S. Crucis Hiſpaniolæ, duodecim Apoſtolorum de Perù, S. Franciſci

ciſci de Quito, S. Antonii Portugalliæ, SS. Trinitatis in Regno Chilenſi: multarum Cuſtodiarum fundatio, Conventuum, Aſceteriorum: innumeraque alia ad univerſum Ordinem, ſed præcipue ad Ultramontanam Familiam ſpectantia videntur, leguntur, mirantur. In tanta rerum varietate, ac eruditionum copia nihil penitus invenire potui, quod Catholicæ Fidei, boniſque moribus plane conſentaneum non ſit; ideoque quam citius evulgandum cenſeo.

Datum Romæ apud Aracæli die IV. Octobris MDCCXIV.

Fr. Joſephus Alberola.

APPROBATIO.

TOmum XX. *Annalium Ordinis Minorum* jamdiu expectatum, nunc brevi temporis ſpatio ab Admodum Reverendo Patre Cajetano Micheleſio compoſitum, omni diligentia, ſummaque animi voluptate, juſſu Reverendiſſimi Patris Bonaventuræ a Placentia ejuſdem Ordinis Ciſmontanæ Familiæ Commiſſarii Generalis, perlegi. Atque in eo non ſolum nihil cenſura dignum inveni; verum & præſtantiſſimi, doctiſſimique Auctoris plurimam eruditionem, ac ſolidam criticen, tum ejus maximam diligentiam in perquirendis, ac perſpicax judicium in ſeligendis monumentis ad hanc nobiliſſimam Eccleſiaſticæ hiſtoriæ partem conſcribendam neceſſariis, tum denique in rebus tam variis diſponendis dilucidum ordinem, narrandiſque elocutionis venuſtatem, & gravitatem ſum admiratus. Dignum propterea cenſeo, ut typis mandetur.

Datum Romæ ex Aracæli die XVI. Octobris MDCCXCIV.

Fr. Gaudentius Patrignani S. T. Lector Jub., & in Collegio Urbano de Prop. Fide Philoſophiæ, & Matheſeos Profeſſor.

FACULTAS ORDINIS.

FR. BONAVENTURA

A PLACENTIA

Lector Emeritus, in Univerſitate Caeſenæ Phyſices Experimentalis, juriſque Pontificii publicus profeſſor, & Doctor, S. Officii ejuſdem Civitatis Conſultor, totiuſque Ciſmontanæ Familiæ S. P. N. Franciſci Commisſarius Generalis, Viſitator, ac Reformator Apoſtolicus, in Domino Servus.

CUM Opus compoſitum a R. P. Cajetano Micheleſio Aſculano Lectore Jubilato, Ordinis Scriptore, & Pro-Cronologo Generali, cujus titulus eſt: *Annales Minorum, ſeu Trium Ordinum &c.* ab anno MDLXIV. usque ad annum MDLXXIV. continuati tomus XX., a duobus Theologis, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud typis mandare poſſit.

Datum Romæ ex Aracæli die XX. Octobris MDCCXCIV.

Fr. Bonaventura a Placentia
Commiſſarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mand. Rmi in Chr. Patris
Fr. Aloyſius Maria de Carpo
Secretarius Generalis.

APPROBATIO.

OBſequendo mandatis Reverendiſſimi Patris S. Palatii Apoſtolici Magiſtri ſedulo examinavi opus ab A. R. P. Cajetano Micheleſio Minorum Obſervantium Lectore Jubilato exaratum, in quo hiſtoriam Annalium Trium Ordinum a Cl. P. Waddingo incœptam proſequitur ab anno MDXIV. uſque ad annum MDLXXIV. & non ſolum nihil in eodem inveni, quod fidei, boniſque moribus opponatur, quin etiam ad religionem, pietatemque fovendam arbitror fore perutilem: Quare typis mandari poſſe cenſerem.

Datum Romæ e Conventu SS. Cosmæ, & Damiani die XIX. Octobris MDCCXCIV.

Fr. Ludovicus Brocchi Tertii Ordinis S. Franciſci S. T. D. Exprovincialis, Examinator Generalis, nec non S. Congregationis Indicis Conſultor.

I M P R I M A T U R,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. X. Paſſeri Archiep. Lariſſen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

OPus cui titulus: *Annales Minorum*, ſeu Trium Ordinum a S. Franciſco inſtitutorum ab anno MDLXIV. uſque ad annum MDLXXIV. continuati a Fr. Cajetano Micheleſio Aſculano Ordinis Minorum, mandante Rmo Patre Sac. Palatii Apo. Magiſtro, perlegi, nihilque in eo offendi, quod aut a ſana morum doctrina, aut a fidei Catholicæ Regulis diſcordet, quinimo aptiſſimum illud reperi ad pietatem in omne hominum genus gignendam, excitandam, atque fovendam; unde dignum judico, ut typis mandetur, & publicetur.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam die XXII. Octobris MDCCXCIV.

Fr. Benedictus Pinarrubia Theologus Caſanatenſis, & S. Congregationis Indicis Conſultor.

I M P R I M A T U R.

Fr. Th. Vincentius Pani Ord. P. Sacri Palatii Apostolici Magister.

ANNALES
MINORUM

Anno Christi 1565.	Pii IV. anno 6.	Maximiliani II. anno 2.	Religionis Minorum anno 358.

ARGUMENTUM.

Bellum Turcarum contra Equites Melitenſes excitatur, & abſolvitur. Florent Minoritæ doctrina, & ſanctitate inſignes. Narrantur geſta nonnulla S. Paſchalis Baylon, & Beatorum Nicolai Factor, & Salvatoris ab Horta. Celebrantur Comitia Generalia Fatrum Obſervantium, Conventualium, & Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci. Turcæ irrumpunt in Hungariam. Numerantur Cœnobia exciſa poſt cladem Mohatſianam. Hugonotti, & Genſii tumultus edunt in Gallia, & Belgio, ubi ſicuti & in aliis locis Fratres Minores pro fidei confeſſione neci dantur. Fundantur Conventus, & Monaſteria. Deſcribuntur acta plurium virorum, & mulierum ſanctitate illuſtrium Ordinis Seraphici. Duo Minoritæ obtinent Infulas Epiſcopales. Moritur Summus Pontifex Pius IV. Ejus benefacta in Ordinem noſtrum.

I. Quam ſecuritatem, & tranquillitatem Hungari, Illyrici, & finitimarum regionum populi annis ſuperioribus recuperarunt, pactis induciis inter Ferdinandum I. Germanorum Imperatorem, & Solymanum Turcarum Tyrannum, qui dimiſſo exercitu Byzantium ſe receperat, eamdem immaniſſimus Chriſtiani nominis hoſtis abſtulit iterum tum iis gentibus, tum Italiæ inſtructo terribili prorſus, et nuſquam antea viſo militum, & triremium apparatu, cunctiſque Chriſtifidelibus inimicæ claſſis, quæ Helleſponti fauces tranſierat, & mare mediterraneum jam tenebat, curſum, atque exitum non ſine maxima trepidatione expectantibus. Claſſi præerant *Muſtapha Baſſa*, & *Pioly Baſſa* natione Hungarus, & a Chriſtianis tranſfuga, eorumque viribus ex Africa ſuas conjunxerat *Dragutius Rais* ea tempeſtate notiſſimus cædibus, & rapinis, quas piraticam artem exercens navigantibus, & circa mediterranei oras maritimis oppidis quotidie inferebat. Petierunt tandem hoſtes Melitam, in quam inteſtino, acerboque odio ardebant, propter Equitum S. Joannis Hieroſolymitani ex nupera Caroli V. conceſſione Inſulam tenen-

tium virtutem, & in naumachiis ſtrenuam operam, qui, quum commercium, communemque libertatem Chriſtianorum tuerentur adverſus moleſtiſſimos Barbarorum impetus, & graſſationes; hinc aſſiduis, magniſque cladibus Turcas, præcipue Africanos merito afficiebant. Quum bellicos motus in ſe unum converſos multo ante prævideret ſupremus Equitum Magiſter Joannes Valletta immortalis nominis Princeps, nihil prætermiſit ad Inſulam muniendam, arces reparandas, auxilia a ſociis petenda, ut ſe, ſuoſque ab Europæ totius Provinciis accerſitos ad obſidionis diuturnitatem diligentiſſime compararet.

Jacobus Boſius Hiſt. lib. 26. pag. 565. & ſeq.

II. Aderat his diebus Melitæ redux a captivitate Tripolitana Robertus ab Ebulo Sacræ Capuccinorum familiæ alumnus, qui, quum foret verbi Dei ferventiſſimus Præco, advocata concione, Equites, populumque Melitenſem ad ſupremi Numinis opem in ſummo rerum diſcrimine implorandam hortatus eſt, publicaſque preces indixit, & fidelium venerationi per quadraginta Horas expoſuit SS. Euchariſtiæ Sacramentum æmulus confratris ſui Obſervantium Minoritarum quondam ſectatoris Joſephi Fernenſis, qui ſolemnes hujuſmodi ſupplicationes paullo ante primum inſtituerat. Nec minus pro Melitæ incolumitate laborabat Ivo Meſſanenſis ejuſdem Capuccinorum Ordinis non aſperis tantum ciliciis, quæ nudæ carni admovebat, cruentiſque flagellationibus, & orationis ſublimitate, ſed & votis, lacrymiſque Deo fuſis, donec S. Michael Archangelus, quem peculiarem Patronum ſibi apud Deum delegerat, viſibili ſpecie, & fulgentibus armis undique cinctus illi ſe obtulit adſpiciendum, brevique Melita hoſtes exceſſuros prædixit his verbis: *Ivo, æquo animo eſto. Melita poſt aliquot obſidionis menſes a Barbarorum furore liberabitur.*

Arembergius in vita Franciſci a Soriano pag. 565.

Idem pag. 225. Flor. Seraph.

III. Ut ante Inſulam Barbari ſteterunt, continuo portum, adjectaſque moles omni machinationum genere coneutere aggreſſi ſunt, ſpe freti, eamdem fortunam brevi tempore Melitam habituram, quam proxime præteritis annis habuit Rhodus, idque eo facilius, quo integris adhuc, & florentibus Equitum rebus Rhodus munitior, & ad reſiſtendum accommodatior. Eorum tamen vis in arcem S. Helmi in ipſis portus faucibus potiſſimum ſe effudit, eaque expugnata, ad arcem alteram S. Michaelis advolarunt, parumque abfuit, quin hoſtibus irrumpentibus ſtatim ceciderit. Auxiliis obſeſſos juvarunt potentiores ex univerſa Italia Principes: in primis Pius IV. Pontifex maximus, qui nummaria miſit ſubſidia, & militares copias, duce Proſpero Columna, & Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus, cujus juſſu Garcia Toletanus attulit commeatus ſeptuaginta navibus onerariis, & triremibus, portum Melitenſem in ipſo hoſtium cum gravi jactura impedire conantium conſpectu auſus ingredi, ab eodemque exire incolumis, ut in Siciliam remearet, quam pro Rege moderabatur. Pugnatum nocte, diuque eſt ad prædictam arcem S Michaelis, & ad portum, ac ſuburbia, reſtauratiſque in prælis Turcarum naves non paucæ vel flammis combuſtæ ſunt, vel alliſæ ſcopulis, & merſæ naufragio, vireſque ita fractæ, ut viginti eorum millia ceciderint, in quibus Pirata *Dragutius*, quum ex adverſo vix quatuor Chriſtianorum millia cæſa numerentur. His affecti malis, & pejora etiam metuentes, obſidione ſoluta, abſceſſerunt, non capta quidem Inſula, ſed arcibus concuſſis, ſoloque, & mœnibus, ut in rebus bellicis contingere ſolet, paſſim vaſtatis.

IV. Victoriam Melitenſem ſpiritu Dei actus prænuntiare viſus eſt Sal-

Salvator ab Horta, cujus quod reliquum eſt vitæ deinceps conſcripturi erimus. Matrona nobilis, quæ, ut habetur in analectis Dimæ Serpii, & Domenechii, valde metuebat, ne filius ſuus Guilielmus Serbellonus eo in bello foret extinctus, virum Dei rogavit, ut pro illius anima Deum precaretur. Cui Salvator: vade, inquit, & cœnam appara, filiumque tuum hac nocte expecta. Abiit illa, & nihil dubitans, quin vera foret prædictio, cunctis eam narravit obviis, qui licet fidem illi adhibendam non cenſerent, inſtruxit tamen accurate cœnam, famulosque miſit ad mænia Civitatis, ut proſpicerent, ſi quam forte navim advenientem detegerent; quum ecce ſub horam Completorii unam viderunt eminus venientem proſperrimo curſu, quæ ſimul ac in portum appulit, dominum ſuum in ea cognoverunt, & matri de filii adventu fauſta nuntiarunt. Acta SS. ad diem 18. martii cap. 72. num. 122.

V. Spe hoſtium fruſtrata, ſervatoque Italiæ totius adversus barbaros propugnaculo, in id Summus Pontifex incumbebat, ut decreta a Synodo Tridentina recenter edita ubique gentium rata penes Catholicos haberentur, perpetuæque forent morum & fidei regulæ. Jam illa adoptarunt potiores Germaniæ populi, Hiſpani inſuper, Luſitani, Siculi, Itali omnes, ac Veneti, quibus interea Pontifex liberalem ſe exhibuit largitus in Urbe ampliſſimum Palatium S. Marci a Paulo II. exſtructum, & a Paulo III. auctum cum ingreſſu patente ad cœnobium S. Mariæ de Aracæli ope pontis deambulatorii fornicibus tecti, longeque producti per interpoſitos ædium parietes, quo tamquam domeſtica commoditate uti ſolent Veneti Oratores apud Sanctam Sedem, ut aſcendant ad conciones, & ſolemniora ſacra, quæ Minoritæ Obſervantes in Templo perſolvunt. Ab illis viciſſim Pontifex accepit Palatium Patritiæ Gentis Grittiæ prope ædes S. Franciſci de Vinea pro Nuntii Apoſtolici reſidentia in urbe Venetiarum. Etſi hæreticorum colluvies Poloniæ Regnum infeciſſet, & impedimento foret, ne Synodus reciperetur, dolos tamen, quibus nefarii fidebant, turbaſque & contentiones, quas idcirco excitaverant, facili negotio vicerunt dexteritas, & eloquentia Franciſci Commendoni, & Stanislai Hoſii Epiſcopi Varmienſis, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, pietaſque, & religio Sigismundi Regis, quum interim, teſte Bzovio, Dominicani, & Minoritæ, præſtanteſque Academiæ Cracovienſis Theologi ſtrenuam operam navarent in frangendis hæreticorum auſis, ut poſtea Anna Regis ſoror, datis literis ad Pium V. Pontificem Maximum, faſſa eſt affirmans, Poloniæ Regnum, & in illo res Religionis mirum in modum refloruiſſe Vincentii Portici Apoſtolicæ Sedis Internuntii, & Religioſorum hominum laboribus, atque induſtria. Bzovius ad ann. 1571.

VI. Reliqui erant Galli, qui licet circa fidei dogmata ab Orthodoxis haud diſſentire viderentur, politicis tamen quibuſdam rationibus detinebantur, ne Synodum publica auctoritate firmatam communis juris facerent. Præter illa, quæ adverſus decreta duarum ultimarum ſeſſionum Ferrierius Caroli IX. Regis Galliarum apud Venetos Orator in anteceſſum notaverat, opponebant primo prohibitionem a Synodo factam conferendi in commendam beneficia Eccleſiaſtica; præterea timorem provocandi hæreticos Hugonottos jam a Synodo anathemate perculſos. Quæ etſi Pontifici ſummopere diſplicerent, nihilominus animo non frangebatur; ſed reformationem Cleri ſæcularis, & regularis fortiter ſuſcipiens Epiſcopos Romæ commorantes ad proprias diœceſes remiſit; revocavit quævis privilegia Regularibus conceſſa in iis, quæ Concilio Tri-

Tridentino adverſantur: *In Principis Apoſtolorum Sede* XIII. Kal. Martii; legem tulit in ſimoniacos, & hujuſmodi alias, ut ad normam conſtitutionum Synodi diſciplina eccleſiaſtica reſtitueretur. Quibus in rebus non parum Chriſti Vicarium juvabant Religioſi Ordines, iique maxime, quibus Eccleſia tamquam novis fulcris, & propugnaculis circumſeptam ſe adſpiciebat, videlicet Ordines Theatinorum, & Societatis Jeſu, & Congregatio Oratorii S. Philippi Nerii, qui circa hæc tempora ortum habuere.

VII. Eo quoque ſpectabant inſignes conatus plurium Franciſcanorum evangelicum agrum jugiter excolentium, fructuſque optatiſſimos in horreum dominicum inferentium. Hos inter memoria digni nobis affulgent Ambroſius de Raguſio Archiepiſcopus Antibarenſis, Raſciæ Primas, & totius Serviæ, & Bulgariæ Viſitator Apoſtolicus, qui alia inter præclare geſta Joannem Jugovikium Cyprovatii oppidi Parochum, qui publice uxorem duxerat, ad ſaniorem mentem hoc anno reduxit, & Eccleſiæ reconciliavit, pœnis ipſi, populoque ſalutaribus inflictis ob Sacramenta indebite adminiſtrata, & ſuſcepta. Ejus nomen quamvis in ſuperioribus annalibus non reperiam, de illo tamen loquuntur duo authentica mss. Provinciæ S. Franciſci Raguſii, alterum die duodecima Auguſti anno *1766.*, alterum vero die quintadecima Septembris anno 1774. appoſitis Provinciæ Sigillis, & Miniſtrorum ſubſcriptionibus, in quorum uno ſupremum diem obiiſſe dicitur Raguſii anno 1575. Franciſcus Horantius, ſeu Horantes ſummus Theologus, cujus *Loci Catholici, & Liber de Juſtificatione præcipue adverſus hæreticum Joannem Calvinum* ad Carolum Hiſpaniarum Principem prodierunt elapſo anno Venetiis apud Jordanum Zilettum; hoc autem anno Pariſiis typis Jacobi Macæi. Opus hoc vere aureum, & ſingulare, quod Flaminii de Latera doctiſſimi, atque eruditiſſimi viri notis illuſtratum, & concinniori methodo diſpoſitum prælo iterum brevi committetur, Auctor ſcribendum ſuſcepit Tridenti, dum œcumenico Concilio intereſſet, ut ex mandato Patrum errores Calvini refelleret, quos in libro Chriſtianarum Inſtitutionum abſurde congeſſerat; eodemque tempore Horantio tam gravis obvenit infirmitas, ut morti proximus videretur, quemadmodum in epiſtola dedicatoria Deo referens gratias ipſe fatetur. Alia inſuper ſcripſit, de quibus poſthac dabitur dicendi opportunitas. Cornelius Muſſus Ordinis Minorum Conventualium Epiſcopus Bituntinus non Theologus tantum, & Orator magni nominis, ſed pietate, & religione etiam clarus multorum eruditione & doctrina præſtantium voluminum auctor. Materiam de Juſtificatione in Concilio Tridentino accurate adeo determinavit, & definivit, ac Catholicum dogma tutatus eſt, ut nemo non diceret, *Spiritum Sanctum mirabili modo in eo fuiſſe operatum*, prout ex Michaele de Iſſelt refert Willottus in Athenis orthodoxorum; & ex iſto Waddingus in libro de Scriptoribus Ordinis. Prædicavit in celebrioribus Italiæ civitatibus tanta eloquentia, ut turmatim populi ad eum audiendum concurrerent, laudibuſque extollerent, quos inter Gaſpar Contarenus, & Petrus Bembus ambo Cardinales, unus Philoſophiæ, alter linguarum ſplendor, aſſerere ſolebant, *Cornelium illum magnum nec Philoſophum videri, nec Oratorem, ſed Angelum mundo omnia dictione perſuadentem.*

Monumenta Provinciæ Raguſinæ.

VIII. His accenſendi ſunt Joannes Nas, ſeu Naſus, & Franciſcus Morales. Ille anno 1534. natus in oppido Eltmann non longe a Bamber-

berga, & ex Apoſtolico, atque Ænipontano Aulico concionatore renunciatus Epiſcopus Bellinenſis, & Suffraganeus Brixinenſis in Germania, hoc anno nondum Epiſcopus in lucem emiſit quinque orthodoxas conciones hoc titulo: *In Eccleſia volo quinque verba meo ſenſu loqui, ut alios inſtruam* 1. Corinth. 14. Prima concio eſt de morte temporali, et æterna. Secunda de animæ, & corporis morbis. Tertia de divinis, & humanis remediis. Quarta de duplici diverſo modo ſepeliendi funera. Poſtrema quid præcipue a Deo petendum, ut ſanus in valetudine conſervetur, ægrotus reſtituatur, & Regnum cæli impleatur. Alter ex Provincia Conceptionis in Regno Quiti Peruani Imperii divinum verbum barbaris annuntiabat, & contra attritos fronte, duroque corde ut adamantem, & ſilicem oſtendens faciem ſuam, converſionis animarum tanto zelo æſtuabat, ut inter prædicandum ex oculis quaſi flammas ignis emitteret. Totum Quiti Regnum peragravit; unde *Apoſtoli* nomen, quod perpetua traditione adhuc viget, obtinuit. Cuſtos renuntiatus Provinciam nudis pedibus viſitavit. Collegium Divo Andreæ Apoſtolo dicatum in cœnobio S. Pauli a fundamentis erexit, cujus fabricam deinde Marchio de Canete Pro-Rex in Imperio Peruano notabiliter auxit & ornavit. In eo autem Franciscus optimis moribus, & regulis Rhetoricæ, & Grammaticæ Indos inſtruebat, inductiſque mechanicis artibus, ferraria præſertim, & ſutrina, tantam Reipublicæ utilitatem Seminarium intulit, ut ſchola uuiverſalis Regni appellari merito potuerit.

Monumenta Provinciæ.

Monumenta Provinciæ Conceptionis in veteri Caſtella.

IX. De his tamen, cæteriſque, qui in Eccleſia Dei hoc tempore floruerunt, quoniam operoſum, & inopportunum foret ſingulos perſequi, plenior recurret ſermo. At vero Paſchalis Baylon miris præparatus virtutibus, quas poſtremus annalium Continuator Joſeph Maria ab Ancona fuſe recenſet ex Godefrido Henſchenio, & Daniele Papebrochio, religioſam profeſſionem hoc anno ſolemniter emiſit die ſecunda Februarii in feſto Purificationis B. Mariæ Virginis, ut Frater Laicus, quamvis literas noſſet, nec omni eruditione eſſet deſtitutus, in conventu Virginis Lauretanæ alias *del Orito* Montis Fortis in Regno Valentiæ, ut pene omnes Scriptores autumant, etſi in altero S. Joſeph Illicæ ejuſdem Regni Discalceatorum minoriticum habitum ſumpſerit, Cuſtode Provinciæ Alphonſo de Llerena, & Guardiano conventus Joanne de Cordonilia. Hoc in ſtatu, inquit Joannes Ximenes in ejus biographia, quam prælaudati Scriptores inſerunt in actis Sanctorum, expeditus ſæculi curis animam, ſenſuſque omnes tam interiores, quam exteriores in finem a ſe intentum defixit non ſolum diſcens exercitia, & cæremonias Ordinis, ſed & delitioſis concupitæ Rachelis amplexibus inhærens totum cordis ſinum pandebat Deo ad ſummæ perfectionis apicem vocanti, ſeque ad tenendam in poſterum perſeverantiam corroboranti, adeo ut qui cum illo familiarius vixere, uno ore, & communi voce teſtati ſint, perfectiorem in omni virtutum genere religioſum numquam a ſe viſum in Ordine noſtro Franciſcauo. Alii amplius affirmabant, neque alibi uſpiam, aut umquam ſibi cognitum fuiſſe Sanctum ad gradum ſanctimoniæ talis progreſſum, quippe qui non modo numquam viderunt a Paſchale peccatum aliquod non dico mortale, ſed nec veniale committi, verum neque verbum otioſum eum proloqui, neque in riſum effundi notaverant. Numquam ille cernebatur ab opere vacuus, niſi quum oraret. De nemine umquam audiebatur murmurare, aut queri de quoquam. Numquam iratus, turbatusve inveniebatur, vel incompoſitus, aut ad aliena diſtra-

Vita B. Andreæ Hibernon cap. 9. pag. 17. Romæ 1791.

tractus; ſed omnis ejus vita, opera, & verba ſanctitatem ſpirabant; unde communis inter Fratres jam tum perſuaſio invaluerat, fore, ut Dominus, eo mortuo, multa per ipſius interceſſionem miracula faceret.

X. Addit deinde Ximenes ea, quæ ipsemet vidit. Expertus sum, ait, tam humilem, obedientem, mortificatum, caſtum, miſericordem, ſollicitum, devotum, auſterum, viva fide plenum, in oratione perſeverantem, omni denique virtutum genere ſic cumulatum, ut diſcernere nequeam, ecqua in ea maxime excelluerit. Nunc enim in ejus paupertate conſidero extremæ perfectionis actus; alias coram oculis mentis meæ offertur charitas inſtar ſolis refulgens, & aliarum virtutum veluti ſtellarum fulgorem refringens. Si me ad ejus humilitatem converto, ad ejus, quod nusquam eſt, fundum nequeo pertingere. Si pœnitentiæ rigorem conſidero, eo provectum intueor, ut nulla humanæ prudentiæ regula videam limitari; ſed omnem prorſus modum excedere, adeo ut citius aliquis culpandum de exceſſu, quam laude dignum poſſet cenſere. Cui enim non videbitur nimium, ſi unus idemque pane ſolo, & aqua victitet, ſetaceo veſtiatur cilicio, gravi ex ferro catena ſupra nudum cingatur, pro lecto terram, aut contabulationes, pro pulvinari truncum habeat, ibique nou ſe extendat, ſed veluti nimis delicatum id foret, ſomnum tantummodo capiat ſedens, aut contractus non ſine aliquo cruciatu, absque alio cæteris in rebus neceſſario ſolatio? Quomodo vivere poterat homo in ſe uſque ad hujusmodi exceſſum ſeverus, ſi per diem oculos non claudebat in ſomnum; ſed etiam æſtate ipſa, cæteris meridiani ſomni tantillum captantibus, ipſe ſub ferventiſſimo ſole laborabat in horto, idque nudo capite; ſi neque poſt mediam noctem dormiebat orationi inſiſtens uſque mane; neque ante illam ſe dabat ſopori, niſi ſub horam nonam, & decimam; deinde primus ad matutinas in choro? Qua demum ratione fieri potuit, ut corpus ex carne, et ſanguine compoſitum, ſicuti meum, pedibus conſiſteret duarum dumtaxat, triumve horarum pœnoſa requie ſubſtentatum? Tuum, & a te acceptum hoc robur erat, Deus, quo ſupra naturæ ordinem inſtructus ſolus ipſe infirmus, ac debilis, adeoque parce ſubſtentatus ſubibat onera, quanta nec duo ſani, valenteſque Religioſi fuiſſent auſi ſuſtinere; idque ita, ut nihil præterea de ſuis exercitiis ſpiritualibus remitteret.

XI. Vacabat in choro orationi, auroramque præſtolabatur, cujus ſigno Campana edito, deſcendebat a choro in Eccleſiam, & magna cum devotione viſitabat altaria pro lucrandis ſtationum Indulgentiis per Bullam ſanctæ Cruciatæ oblatis. Tunc, reſerata Eccleſia, excitabat Fratres uniuſcujusque oſtium ter pulſans, & dicens: *Laudetur dulciſſimum Nomen boni Jeſu: ad Primam, Fratres, ut Deum laudetis, & benedictam ejus Matrem.* Mox miniſtrabat primo Miſſæ ſacrificio, neque uno contentus miniſtrabat aliis, quotquot poterat, aut ſingulorum partem aliquam veluti furtim audiebat a porta, quo vocatus fuerat, ad Eccleſiam recurrens. Numquam vero miniſterium in hoc ſuum negabat alicui, quin ſaltem in principio aſſiſteret, donec revocaretur. Præparabat deinde Refectorium, & panem ponebat in cophino. Hoc autem facto conjiciebat ſe in genua ante Imaginem iſtic poſitam, junctiſque, & elevatis uſque ad faciem manibus, orabat per tempus, quo ſymbolum Apoſtolicum bis recitaretur. Tum vero aſſurgens ſubmiſſa voce incipiebat cantillare aliquas ſtrophas in laudem Deiparæ, interimque magna cum ala-

alacritate, nec tamen abſque circumſpectione pari dividebat panem per cujuslibet locum, ſecundum laborum cujuslibet menſuram, dignitatem perſonæ, aut neceſſitatem, meliorem partem apponens Prælatis, Prædicatoribus, atque Infirmis.

XII. Quodam mane occurrens mihi (idem eſt Ximenes, qui loquitur) ad *De profundis* in Conventu Villæ Regalis, ubi tunc concionabar per quadrageſimam, manu apprehenſum induxit in Refectorium dicens: *Veni huc. Plusquam aliquis ex nobis debes Domino; voluit enim, ut unum ſolum panem, qui optimus hic eſt, comedas Tu*. Et mappulam rationi meæ appoſitam ſublevans detexit panem candidiſſimum, quem maximo cum guſtu comedi, aliud nihil tunc conſiderans; poſtea vero advertens animum dubitavi, undenam habuiſſet eum panem, cui iſta in regione numquam videram eatenus, nec poſtea vidi ſimilem, doluique, quod nihil ex eo reſervaſſem.

XIII. At vero, quia ſe reputabat omnium indigniſſimum, ſibi etiam reſervabat panem magis nigrum, & durum, minutioraque fruſta. Similiter & mantile magis tritum, calicemque & cultum viliorem, ac ſemiruptum ſeligebat ſibi, nec non ex fructibus minus maturos, aut ſemiputridos, uvarumque rejectamenta, & raphanorum reliquias pridie in oſſarium vas conjectas, & ſterquilinio deſtinatas. Novitios præterea inſtruens de modo parandi Refectorium docebat, in numero ſemper aliquod Myſterium ſibi præfigere, ut ſi prunorum verbi cauſa modica quantitas adeſſet, tria ſingulis in honorem SS. Trinitatis, ſin aliquando major, quinque in memoriam quinque vulnerum Domini, aut ſeptem pro totidem Spiritus Sancti donis impetrandis apponerent.

XIV. Tempus, quod ei forte ſupererat, impendebat legendis libris ſanctis, aut ſcribendis ſententiis ſuæ devotioni aptioribus, quas legendo notarat, aut reſarciendis veſtibus ſuis, aut veteribus ſandaliis Fratrum, quæ reparata ipſis reddebat. Poſt prandium iterum recurrebat ad curandam ollam, quam erat pauperibus diſtributurus ad januam. Et hos primum faciebat genua flectere, conſuetaque præibat oratione; rurſumque, abſoluto eorum prandio, genuflexus cum eisdem agebat Deo gratias. Atque in hoc charitatis opere tam erat abſolutus, ut neſciret, ſe ab aliis Religioſis obſervari. Quum autem Guardianus ſuus aliquando ei diceret: *Cave Frater, ne eleemosynas des quibusdam pueris, qui fiducia earum a te accipiendarum otioſi vagantur, nec volunt laborare*; respondit: *eleemosynam, Frater, do propter Deum. Quid ſcio, an is, cui negarem, non ſit ipſe Chriſtus?* Quantumcumque tamen profuſus in hoc genere, diſcretus etiam erat, meliora ſervans pauperibus ſtudioſis, veluti dignius occupatis, ac infirmis, & ſenibus, tamquam magis egentibus. In his quodam die fuit centenarius unus, cui reſervans appoſitam ſibi in Refectorio portionem carnis clam ſepoſitam ad hoc, aluit ipſum quamdiu vixit, tanta cum reverentia eidem miniſtrans, quanta Patri potuiſſet, vehementerque exultans, quod id inobſervatum crederet.

XV. Dum Paſchalis tam ſanctum vitæ inſtitutum, cujus analyſim deinceps daturi ſumus, ſibi proponebat, alterum Seraphici Ordinis ornamentum nobis intuendum ſe præbet, in virtutum exercitio jam veteranus Petrus Nicolaus Factor, quem in numero Beatorum ſolemni pompa relatum ætate noſtra nos ipſi vidimus a Sanctiſſimo, & in ordinem noſtrum beneficentiſſimo Principe PIO VI. PONTIFICE MAXIMO, quem Deus diu incolumem ſervet ad Eccleſiæ orthodoxæ ſæculi erro-

Valentin. Beatific. Servi Dei Petri Nicolai &c. ſum. num. 54. pag. 252.

errore, & neſariorum hominum ſcelere, & ſurore tantopere vexatæ proſperitatem, gloriam, & augumentum. In libro poſitionis ſuper dubio, an conſtet de virtutibus Ven. Servi Dei Petri Nicolai Factoris impreſſo Romæ anno 1692. extat de ipſo celebre ejusdem Paſchalis Baylon teſtimonium his verbis: „ Quum eſſem in oppido Matriti cum Patre Fratre Nicolao, & ambo aſpiceremus quamdam Imaginem glorioſi S. Franciſci, referentes inter nos, quod Dominus noſter aperiebat ſua ſecreta parvulis, dixit mihi Frater Nicolaus quamdam conſiderationem, quam Dominus noſter mihi conceſſerat a multis annis, quando a feneſtra meæ cellæ videbam ſtellam quamdam, & magnitudinem ſuæ infinitatis. Et quamquam non recorder, ſi hoc fuerit habitante me in conventu de Jumilla, vel in conventu de Almanſa; tamen pro certo ſcio, me non revelaſſe quidquam perſonæ alicui; verum etiam ſtatim ac dictus Pater Nicolaus narravit mihi illam conſiderationem, nihil intellexi. Sed poſtea redigens in memoriam tam quod nulli eam communicaverim, tam quod mihi habitanti ſoli in mea cella oblata fuiſſet, intellexi quid ille dixiſſet „.

XVI. Tirocinium vitæ Servi Dei deſcribit ſuperior Annaliſta paucis verbis, quæ rem totam quidem complectuntur, ſed valde ſtrictis, & jejunis, nonnullasque circumſtantias reticentibus non prætereundas; nihil enim in chronicis umquam nimium putandum eſt, quæ vel minimo, levique vocabulo, quod ad rem pertinere fortaſſe non videtur, interdum nituntur. Itaque narrationem rurſus fere ab integro exordiri operæ pretium exiſtimamus ex præfato libro ſingula accurate colligentes, quæ res ipſa poſtulabit. Vincentius Factor Petri Nicolai Pater oriundus a Civitate Siracuſana in Regno Siciliæ conjugem habuit Urſulam Stagna ab oppido Albaidæ in Hiſpania, & ex illa quinque Filios genuit, duas fœminas, & tres maſculos, inter quos Petrum Nicolaum. Vir fuit quo Sartoris profeſſione obſcurior, eo pietate illuſtrior, & maxime devotus S. Nicolai, cujus feſtum quotannis ſolemniter celebrari faciebat propriis ſumptibus cum Miſſa, & oratione panegyrica, eodemque die duodecim pauperibus, & uni Sacerdoti pauperi in Domo ſua prandium parabat, ipſisque inſerviebat in menſa, & ſingulis ſubinde diſtribuebat duo *Regalia* pro eleemosyna. Natalem diem adspexit Petrus Nicolaus in feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli menſe Junio anno 1520. Valentiæ in Parœcia S. Martini juxta S. Teclam prope quemdam furnum, qui illic eſt in capite viæ publicæ de *los Ribellas*, & ſacro baptiſmi lavacro ablutus eſt in eodem fonte S. Stephani, quo S. Vincentius Ferrerius, Parentibus ſuis id procurantibus, nomenque accepit Petri. Alterum Nicolai nomen ſuperadditum ei fuit a Patre ob ſingularem devotionem, qua S. Nicolaum proſequebatur, quum, ut ipſe dicebat, ejus patrocinio liberatus fuerit *ab Oceano maximi laboris, in quo reperiebatur*.

XVII. Vix editus in lucem puer ſponte veluti ſua virtutis ſemitam arripuit. Quatuor, vel quinque annos natus, nemine cogente, jejunabat ſingulis diebus Lunæ, Mercurii, & Sabbati, ipſique vim facere oportebat, ut jentaculum ſumeret; ſed die Sabbati ad id prorſus adduci non poterat, majorique diligentia quam aliis ab eſca abſtinebat. Pueriles, & innocuos ludos abhorrens ſimul ac a ſchola domum redibat, cubiculo incluſus orationi totum ſe dabat, aut altariola ſtruebat, convocatosque alios pueros ad pietatis opera verbis, atque exemplo incendebat. In Parentes eo obſequio ferebatur, ut ipſi illum veluti Jacob

Joſe

Joſephum plus cæteris filiis diligerent, ejusque optimam indolem, & mores egregios ad imitationem fratribus proponerent; atque in eo tamquam in ſanctæ adoleſcentiæ ſpeculo patres filiolos paſſim virtutem intueri juberent.

XVIII. Degebant juxta ejus domum duæ Vetulæ Deum timentes, ſed valde pauperes. Miſericordia motus puer manicam tunicæ, quæ illis temporibus aliquantulum lata erat ad cubitum, pane implebat, quem furſum aſcendens per feneſtram cubiculo earum proximam eis porrigebat, irriſusque ab aliis pueris, quod famem ipse pateretur, ut alienos nutriret, respondit: *Tacete; ſunt enim pauperes Jeſu Chriſti Domini noſtri*. Egenis omnibus, quoſcumque inveniebat, ſi non rebus, animo ſaltem ſubvenire cupiebat, quibus propterea ſervabat jentaculum, aut merendam a matre acceptam, ſed præcipue ad mulierem quamdam vetulam, quæ cum binis egentiſſimis filiabus habitabat prope ædes ludi literarii, ea deferebat. Noſocomium S. Lazari quotidie viſitabat, ut infirmis, & leproſis præſto eſſet, quorum manus frequenter oſculabatur, ſudorem, ulcera, & ſaniem delatis ſecum ad hunc finem quibusdam pannis, ſeu linteis abſtergebat, & conſocios pueros, ut idem facerent, hortabatur. Quum aliquando ſcholam peteret, hominem conſpexit juxta Eccleſiam S. Martini, ubi a prætereuntibus eleemoſynam conquirebat, lepra oppletum, atque ita tabidum, & enervatum, ut ſpecies tantummodo, & ſimulacrum humanæ ſpeciei videretur; ſtatimque ad illum accedens, & in genua provolutus, tamquam ſi Chriſtum Dominum in eo videret, oſculatus eſt manus ejus, & pedes, & enixe rogavit, ut ſibi benedictionem impertiret, quam & accepit. Requiſitus deinde ab uno puerorum, qui ſecum aderant, quomodo ſine ſtomacho conſiſtere potuiſſet coram homine adeo fætido, ac plane horrendo, illumque tangere? *obſequium*, inquit, *non præſtiti pauperi, ſed Jeſu Chriſto Domino noſtro*. Altera vice in feſto S. Antonii Abbatis pergenti ſibi ad Eccleſiam, ut Indulgentiam lucraretur, mulier leproſa ante januam Noſocomii S. Lazari ſe obtulit ulceribus ſcatens præſertim in manibus, quibus vix baculum, quo nitebatur, poterat ſuſtinere, eodemque modo genuflexus, & oſcula ejus manibus infigens benedictionem ab ea poſtulavit, & obtinuit. Mulieri alteri, quæ in terram ceciderat, poſtquam accurrens ſurſum illam erexit, jentaculum, quod ferebat, dedit manducandum. Socius autem ei dixit: *quid manducabis tu hodie?* At ille: *magis mihi proderit jentaculum, quod comedet hæc, quam ſi ego illud comediſſem*.

XIX. Non adhuc Petrus Nicolaus duo luſtra expleverat, quum iſta faceret. Ætatem quatuordecim, vel quindecim annorum aſſequutum, jamque latinæ linguæ peritia, arithmetica, cæterisque humanioribus diſciplinis ſatis exultum pater ad mercaturam addiſcendam allicere deſtinavit, ſummam ſe illi daturum pollicitus centum quinquaginta nummorum aureorum, ut negotiationem inchoaret cum Michaele Hieronymo Perello experto, & locuplete mercatore civitatis Valentiæ, & progreſſu temporis nuptias iniret. Cui ille: *argentum*, inquit, *Pater*, *erogare poteris ad ſorores meas nubendas*. *Mea*, *quod intereſt*, *quaſo*, *ne mei ſollicitus ſis*; *anima enim mea jam Jeſu Chriſto devota eſt*. Admiratus quidem fuit Vincentius filii reſponſum, ſed quum vir foret admodum prudens, ſpectatæque probitatis, nihil ultra ei dixit. Loquens autem Petrus Nicolaus ea de re cum amico, & familiari: *Pater meus*, inquit, *vellet me in ſæculo detinere pecuniarum oblatione; ſed ipſe cogito Religionem ingredi, ne-*

que ex hoc propoſito me retrahent omnes totius mundi theſauri. Ex eo autem tempore fœminarum colloquia, & adſpectus diligentius vitavit, cæpitque frequentius ſacramenta recipere, ſacris concionibus, & eccleſiaſticis cæremoniis adeſſe, ad infirmorum ædes aſſiſtere, & in Religioſorum cœnobiis moras ducere; maxime vero in conventu S. Mariæ de Jeſu Fratrum Minorum Obſervantium prope Valentiam, quibuscum converſatus eorum Ordini nomen dandi majori deſiderio arſit; antea enim tum Patri ſuo, tum Petro Rodriguez, cum quo in eadem domo paterna fere ab incunabulis fuerat educatus, dicere conſueverat, *ſe ſponſam habere Religionem S. Franciſci, quam neutiquam relicturus eſſet, etiamſi mundus totus ſibi proponeretur lucrandus*.

XX. Juvenis annorum ſexdecim petiit humiliter a Guardiano prædicti conventus ad habitum admitti. Id tamen ſtatim non obtinuit; quamvis enim Guardiauus præclaram ejus indolem, & pietatem compertam haberet, voluit nihilominus experiri prius, atque attente obſervare, an Dei ſpiritu, vel potius juvenili vanitate poſtulatio niteretur. Hinc pluribus in medium adductis difficultatibus, ipſique ante oculos propoſitis regularis vitæ laboribus, & rigoroſiſſima Ordinis diſciplina, quem foret ingreſſurus, eum non ſolum ſuadere, ut ab incepto deſiſteret, verum etiam terrere conatus eſt multis diebus. Sed in ſententia perſiſtentem, & omnia pro Chriſto alacriter ſe laturum affirmantem Guardianus poſt exploratam modis omnibus ejus vocationem, Ordini tandem adſcripſit die vigeſimo Novembris anno 1537. ſumma cum ſui, Fratrumque omnium lætitia, qui adoleſcentis ingenium, moresque noſcebant ad virtutis, & ſanctitatis normam a teneris annis compoſitos.

XXI. Rei certior factus pater adeo doluit, ut deliquium pateretur; materque, & ſorores ingenti queſtu domum impleverunt. Senſibus Pater reſtitutus ad conventum S. Mariæ de Jeſu properavit, viſoque filio Seraphicas veſtes præter ſui expectationem induto, inopinatam metamorphoſim admiratus lacrymas non tenuit, & inter ſingultus, ac fletus eum modis omnibus ſollicitavit, ut domum rediret, adhibitis precibus, blanditiis, & liberalioribus pecuniarum promiſſis. Adoleſcentis tamen animus nequidquam tentatus „ ſe namque ajebat, nullam argenti ratio„ nem habere, velle ſe uni Deo famulatum præſtare, & glorioſæ ejus „ Virgini Matri ſub habitu Franciſcano, ſæcularibus negotiis ſe nun„ tium omnino remiſiſſe, quoad viveret, de quo Parentes, ſi ſaperent, „ tenerentur meritas ſupremo Numini gratiarum actiones referre, quod „ in ſervorum ſuorum numerum ſe ipſum cooptare dignatus foret „. His, aliisque rationibus modeſte, & reverenter, ſed cum dignitate propoſitis dimiſſus Pater. At novus alumnus in Seraphici Inſtituti palæſtra ſe cum fiducia, & alacritate exercebat, cumulatiſque in dies virtutibus augebatur, in recitatione divini officii ſedulus, ac devotiſſimus, auſterus in jejuniis, a nutu Prælatorum pendens, inceſſu compoſito, ore moderato, morum exemplar factus vel ipſis provectioribus, quibus aliquid ſemper ab illo addiſcendum ſupererat.

XXII. Inſequente anno dominica prima Adventus die S. Andreæ Apoſtolo ſacra Minoriticam Regulam ſolemniter profeſſus eſt, quo ſollicitior, & ſtudioſior vota, quæ voverat, Deo reddendi in id curam omnem convertit, animique vires intendit, ut Seraphici Patriarchæ filius non tantum eſſe videretur, ſed foret reipſa exteriorem corticem, & perſonam dedignatus. Narrat Petrus Sitial, qui in eodem conventu

S. Ma-

S. Mariæ de Jeſu duobus ante annis habitum ſuſceperat, ſe numquam in eo vidiſſe rem mali exempli, ſed omnes valde admirabiles; quumque ingrederetur ejus cellulam, inveniebat ſanguine tinctos parietes, & pavimentum ex ferreis catenis, quibus ſe percutiebat. Niſi infirmitate laboraret, ſolitus erat humi decumbere, nudiſque plantis incedere. Geſtabat unicam, & ſimplicem tunicam, & ſæpiſſime jejunabat, multiſque vicibus in pane & aqua. Aſſiſtebat ad chorum magna cum devotione, & lacrymarum, ſuſpiriorumque emiſſione dicens: *Deus meus, & omnia*; nec orationem intermittebat, in qua frequentiſſimas, viſibileſque ecſtaſes & raptus ſubibat cum abundantia divinarum revelationum. Hæc præfatus Sitial, qui duo etiam miracula recenſet ſibi ſigno crucis ab illo facta duabus vicibus, quum dyſſuria, ſeu calculorum morbo laboraret, & in extremo vitæ periculo verſaretur.

XXIII. Theologicæ facultatis ſtudiis rite abſolutis in conventibus S. Franciſci Chelvæ, & S. Mariæ Pini Olivæ ad Sacerdotium evectus Angelica quadam puritate ad hoc fidei myſterium accedebat, & licet gravi aliquando infirmitate premeretur, antequam tremendo ſacrificio operam daret, jugi oratione, & contemplatione animum præparabat, ſacramentali confeſſione pluries ſe expiabat, tam ſæva rigiditate corpus cædebat, ut inde ſanguis copioſus efflueret, eodem ſemper præeunte exercitio celebraturus. Hinc plurima in Sancta Euchariſtia gaudia excepiſſe, & intra illud Sacroſanctæ Hoſtiæ breve ſpatium Puerum Jeſum multoties conſpexiſſe, & divina præſentia beatum ſe fuiſſe maximo pietatis, & fidei teſtimonio ipſemet conſtanter aſſeruit, non ſolum dum privatim cum amicis loqueretur, verum etiam dum publicas conciones haberet. Mirum proinde non eſt, ſi Barcinone in ſuggeſto ad elevationem SS. Sacramenti ipſe etiam coram univerſo populo in ecſtaſim elevatus ſtupenda corporis agilitate ſe verterit, & Valentiæ quum ſolemni die Sacramentum circumferretur, repente conclamaverit: *mirabilia Dei!* & ſtatim Angelorum circumfuſa cohors Euchariſtiæ cuſtodiam celeri volatu viſibiliter obſederit. Fiebant quotidie in anima ejus cumulatiſſimæ fidei acceſſiones, ac tales, ut ubere lacrymarum profuſione maderet, quum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti paſſionem meditaretur, & acerbiſſimos cruciatus mente revolveret. Fletus proinde, ac lacrymæ menſa erant, cujus ſuaviſſimis affectuum cibis ſaginabatur, quoties, ut aliquo modo dolores Chriſti æmularetur, carnes ſuas aſpere adeo percutiebat, ut ſæpe numero tamquam in cruento flumine flagella natarent, & ſale medicata vulnera ſævientem renovarent aſperitatem. Illa nimirum repetebat animo, quæ in paſſione Chriſti recolenda ſunt, ſcilicet dilectionem ejus reamando, amaritudinem compatiendo, fortitudinem adverſa patienter ſuſtinendo, & utilitatem ejus gratias agendo. Aliquando paſſionis meditationi inhærens multos poſtea dies præ ſenſus interni magnitudine ſolvere neſciebat eloquium, & penetrantium vulnerum cito nata veſtigia in manibus apparebant. Aliquando etiam viſus eſt in aerem rapi, & ſuper tenue illud elementum inſtar leviſſimæ plumæ diutius immorari.

S.Thomas opuſc. 18.

XXIV. Valentiæ ſacerdotio inſignitus, Chelvam petiit, ubi concionatoris munus exercuit, & ſucceſſive Guardianum egit. Quæ ibi geſſit narrantur in anteactis Annalibus una cum aliis pluribus, quæ nos propterea conſulto prætermittimus. Moleſtiſſimum eſt, in ejus egregie factis exſcribendis annorum rationem accuratam haberi non poſſe; nihil

hil enim, aut ferme nihil vel apud Benedictum Mazzaram, vel in duobus compendiis ejus vitæ, quorum utrumque prodiit Romæ uuum typis Angeli Bernabò anno 1668, alterum typis Salomoni anno 1786, vel denique in actis pro ejus beatificatione & canonizatione diſtinctum invenimus ad chronologicam rerum ſeriem quod attinet. Compertum tamen eſt, virum Dei poſt abſolutam Chelvenſis Cœnobii præfecturam', Vita Beati Servi Dei impreſſa Romæ anno 1668. pag. 12. Prælatis Ordinis jubentibus, ad conventum S. Bernardini de Bocairente ſe tranſtuliſſe, ibique ſacrum receſſum fundaſſe, & paucos menſes moram traxiſſe. Quantum vero opinamur, multo poſt annum 1567. Novitiorum curam gerebat in conventu S. Franciſci Valentiæ, qui eo anno noſtris acceſſit; enim vero, ut ex dicendis conſtabit, anno 1568. in comitiis Provincialibus Valentinis reuunciatus fuit Guardianus Cœnobii de Valle Jeſu tribus leucis a Civitate Valentiæ, quo in officio veroſimiliter perſeveravit ad annum uſque 1570. Annis poſtea 1572, & 1574 Confeſſarii munus ſucceſſive obivit in monaſteriis Monialium SS. Trinitatis Valentiæ, & Diſcalceatarum Matritenſium. Tranſivit deinde ad Recollectos, & Capuccinos, quibus accedunt publica alia munera, quæ explevit, præter recenſita. Quæ omnia ſane nec tam cito fieri potuerunt, nec ſi ante annum 1564. quo clauditur ultimus Annalium tomus, contigiſſent, diligentiam & eruditionem effugiſſent Joſephi Mariæ ab Ancona, qui non anteacta tantum, & præſentia, ſed futura etiam quæcumque invenit, veritus fortaſſe, ne ſucceſſorum ſuorum imperitia in medium relinquantur, avidiſſime proſequitur. Scio, hoc argumentum eſſe negativum. Eo tamen melius non reperio. Quare quum vir Dei anno 1583. ad ſuperos evolaverit, alia non ſupereſt temporis intercapedo, in quam rejici poſſit ejus in magiſtrum Novitiorum inſtitutio, quam prædictum tempus.

XXV. Ne rerum multitudine poſtea obruamur, præſtat viri Dei geſta hic in anteceſſum notare. In miniſterio ſibi commiſſo viginti duos novitios habebat, quibus in virtutis ſtudio exemplo præibat, ratus, verba adhibenda quidem eſſe, ſed fortius juvenum animos iis trahi, quæ oculos percellunt. Matutinis laudibus, & orationi mentali, publiciſque & privatis aliis devotionis actibus ſemper cum illis aderat, gregem ſuum coram ſe geſtiens videre, nec permittens, ut illorum quiſquam aut iuutilibus rebus ſtuderet umquam, aut otio indulgeret. Divini cultus, & regularis obſervantiæ rationem, ac theoriam eos edocebat, quo altaribus miniſtrare rite poſſent, munia Religionis peragere, & ad ſummum perfectionis apicem, Dei gratia opitulante, pertingere. Exinde ante illorum pedes genuflexus, & capite detecto præcipiebat, ut ſi mali aliquid in ipſo animadvertiſſent, ſibi illud exprobrarent, utque in pœnam ſuorum erratorum, quæ multa, & gravia eſſe dicebat, in faciem conſpuerent; quod juvenes aut præ reverentia ſacere detrectabant, aut ſi quandoque ejus voluntati mòrem gerere coacti eſſent, ingentem ex eo ipſe lætitiam capiebat, ac talem, ut ecſtaſi corriperetur, & ſenſibus fieret alienus.

XXVI. Animadvertit aliquando, unum Novitium non bene caput inclinare ad canticum *Gloria Patri*, illumque pluries benigne reprehendit; quum tamen nihil proficeret, altero die in æde Novitiatus, & capitulo culparum extenſum, ſupinumque humi ſe projecit, & dixit Novitio: „ Tu Fratercule, dum debitam Deo ſubmiſſionem denegas, „ irreligioſam certe a divino cultu averſionem ſateris, Mea fortaſſis

„ hæc

„ hæc culpa eſt, qui tibi imitandum non præbui humillimæ veneratio-
„ nis exemplum. Ego igitur pœnas luam. Sume iſtud Deiparæ Virgi-
„ nis Roſarium, & centum ſexaginta quinque vices *Gloria Patri &c.*
„ pronuntiabis, & os meum toties pedibus tuis conterens intelliges, quan-
„ tus honor divinæ illi Triadi debeatur „. Attonitus Tiro, quamvis ægre ferens, & reluctans, mandato obtemperavit. Erat autem illius pes non enudatus, ſed calceis apoſtolicis inſtructus, & licet os ſervi Dei parum premere ſtuderet, nihilominus, quum in uno pede tamdiu ſtare nequiret, neceſſe erat, ut alterum ſæpe confirmaret, & ſic illius ori vehementius incumberet, illumque invitus cruciaret. His de rebus poſtea Petrus Nicolaus cum Novitiis ſuis lubentiſſime loquebatur, qui præſentes facto adfuerunt, & narrabat, quomodo Novitius curam omnem in eo poſuiſſet, ut ſibi parceret; tum vero præſtantem, & laude dignum ſe exhibuiſſe, quum pedem fixiſſet, ſibique incommodum & dolorem fuiſſet cauſatus.

XXVII. Reverſus quodam die a choro ad cubiculum poſt completorium Novitiis juſſit, ut Dominicæ Paſſionis punctum aliquod pro arbitrio ſinguli contemplarentur ſeorſum. Elapſo aliquo temporis ſpatio, unumquemque interrogavit, quidnam meditatus fuiſſet; quumque Vincentius Boſch reſponderet, ſibi præſentem ſtatuiſſe Dominum Jeſum apprehenſum in horto a Judæis, & in domo Pontificis colapho percuſſum: *Tu velles*, inquit, *ut unusquisque horum Fratrum tibi daret unum colaphum*. Illique annuenti mandavit, ut a ſingulis colaphum exciperet, quo peracto, dixit: *Bonum eſſet, ſi etiam mihi alapas daretis amore Dei*; & genas eis præbuit, quas illi cum fletu cædebant. Imperavit eis rurſus, ut ſe ipſum flagris eo ordine percuterent, ut primus quidem quindecim ictus inferret in memoriam quindecim graduum Templi, quos Deipara Virgo adhuc parvula conſcenderat. Alter vero duodecim in honorem totidem Apoſtolorum. Atque ita pedetentim unuſquiſque præfixum plagarum numerum abſolveret, prout propoſitum Myſterium exigebat. Strenue vero ut rem agerent, rogabat, omnemque pietatem exuerent in verberandis humeris, & lacertis, quos abjecta tunica nudatos præbebat. Illata vero ſibi carnificina tantopere delectabatur, ut extra ſenſus raperetur, eumque, qui fortius percuſſiſſet, glorioſum Athletam, & Chriſti militem vocaret.

XXVIII. Nimia hæc alicui facile videri queunt. Sed nihil nimium huic Sancto arduam, & inuſitatam perfectionis ſemitam tenenti. Ante Novitiorum pedes procumbere ſolebat, & in ædium foribus, aliiſque locis ſe projicere, ut a tranſeuntibus conculcaretur. Culpas ante illos dicebat, quibus obnoxium ſe eſſe opinabatur, quum vel minima criminum ſuſpicione careret. Ex illis pariter cenſorem elegit, qui ſuam vitam ſedulo ſcrutaretur, & perveſtigaret, ac pro erratis, nulla habita officii, dignitatiſque ratione, ſibi pœnitentiam libere infligeret. Convocatis jubebat, ut in ſe, moreſque ſuos quidquid vellent ſine metu dicerent, ſeque opprobriis, & contumeliis inſectarentur, & proſcinderent. Quod adoleſcentes ægre quidem faciebant, quia illum veluti cariſſimum Parentem diligebant, & veluti ſanctum venerabantur; ſed faciebant tamen obedientiæ merito adacti. Reſonabant ejus auribus graviſſima verba, ſcommata in eum conjiciebantur, riſuque & cachinnis excipiebatur, ac ſi hominum omnium abjectiſſimus, & contemptiſſimus foret.

Ex-

Extremo etiam ſupplicio dignum vocari ſe audiebat. Deinde vero tamquam ſi ex animi ſententia in eum maledicta congeſta fuiſſent, in hæc verba prorumpebat: „ Domine Deus meus. Sit nomen tuum be„ nedictum in ſæcula, qui ex ore adoleſcentium tuorum veritatem pa„ tefacis, a quibus excipior ut meritus ſum; non autem a ſæcularibus, „ qui honorem mihi, & reverentiam præſtant, quia me non cogno„ ſcunt. Hi vero mecum ſunt, & mecum converſantur. Unde me com„ pertum habent, nec tamen dicunt omne id, quod vident in me. „ Deus propitius eſto tam magno peccatori „. Quæ verba poſtquam gemebundus, & cum emphaſi protulit, permanſit in ecſtaſi tribus horis.

XXIX. Sub hoc tempus Salvator ab Horta in Civitate Barcinonenſi morabatur, ubi ex ingenti hominum quotidie ad ipſum accedentium multitudine plurimi ſanati ſunt. Eulalia Palau, impoſita ſibi capiti ſancti manu ad illa verba: *Tibi dolet caput*, nullum amplius dolorem capitis ſenſit, quem a pluribus annis patiebatur. Puer a nativitate mutus, ſigno crucis a Salvatore ſuper eum facto, loquelam accepit, & alter eodem morbo laborans adolescens ſigno crucis pariter munitus poſt recitatum *Pater noſter*, lingua prorſus expedita deinceps eſt uſus. Antequam vero Salvator Barcinonem adventaret, quum Tarracona profectus Villam Francam *de Panadès* appuliſſet, mandavit duobus cæcis ad ſe venientibus, ut ad Deiparam Montis Serrati viſendam abirent; rogaturam ipſam pro eis Filium; conſiderent autem, nam ſe quoque ibidem mox affuturum. Interrogantibus quibuſdam, qui ex Regno Valentino illic aderant, an fieri poſſet, ut a nativitate cæci viſum reciperent, reſpondit: *Unum quidem eorum certum eſt recepturum; alius vero eam non habet fidem, qua beneficium mereatur*. Cæcis per viam inter ſe colloquentibus, horum alter dixit: *Si ipſe nos ſanare poterat, cur nos ad Montem Serratum illuminandos mittit? Quia voluit*, reponit alter, *ut cœli Regina id faciat. Hoc igitur agam, quum iſtuc advenero; confeſſus communionem, & Dei miſericordiam præſtolabor*. Ad quod primus: *Ipſe mihi præcepit*, inquit, *ut ad Virginem irem. Vado equidem; Non credo tamen futurum, ut vel tu, vel ego viſum recipiamus*. Tum fidelior iſte ſub ipſam communionem viſum recepit, & quæ dicta ſibi fuerant narrans cum omni populo, qui aderat, venienti Sancto proceſſit obviam. Occurit etiam qui ſanatus non fuerat, *Et ego*, inquit, *Pater, ut juſſiſti huc veni, & ſocio vidente cæcus remaneo*. Cui Sanctus: *Non mea id culpa factum eſt, Fili. Quod huc remiſi, ideo feci, quia Domina pluſquam ego poteſt apud Filium ſuum. Ipſa mater; ego dumtaxat ſervus illius ſum.*

XXX. Verum ea, quæ adventum viri Dei in hæc loca eodem hoc tempore præceſſerunt, uberius enarrare præſtat ex analectis Dimæ Serpii, & Domenechi, ne receptam in Annalibus noſtris conſuetudinem invertamus ſine ulla ratione; nihil namque aliud a nobis ſane poſtulatur, quam veritatis expoſitio, quæ tanto eſt præſtantior, quanto ab antiquioribus, & ſincerioribus fontibus deducitur. Itaque quum Salvator in cœnobio S. Mariæ de Horta (quod ei nomen perpetuo adhæſit deinceps, quamvis in oppido S. Columbæ, quod Farneſia appellatur, in diœceſi Gerundenſi diem natalem ſortitus eſſet) mirum in modum glorificaretur a Deo, venit eo Religioſæ viſitationis cauſa Miniſter Provincialis, minimeque ei placuit tanta infirmorum omnis generis circa monaſterium illud multitudo, quæ Fratribus quoque ibidem commorantibus pridem gravis accidebat; ideoque rogaverant Provincialem, ut hunc pro-

Acta SS. ad diem 18. Martii pag. 684. & ſeq. ex analectis Dimæ Serpii, & Domenechi.

promiſcui vulgi ſtrepitum una cum ipſo Beato a ſe amoliretur. Quin etiam eidem Miniſtro formido quædam inerat, ne forte non tam ſanctus eſſet humilis hic Frater, ut talia, tamque multiplicia per eum miracula Deus operari vellet. Ergo virtutem explorare ad Lydium patientiæ lapidem ſtatuit, eoque coram ſe in genua poſito dixit „ Credebam equidem, plena in pace recepturum me Conventum hunc eſſe, quem e contra perturbatiſſimum, inquietumque reperio, quia in eo vivit ſceleratus quidam, & inquietus, maximarumque turbarum cauſa. Te Te appello, Frater Salvator, & quæro, quo tandem conſilio hanc, quam tenes, vivendi exorſus es formam? Nonne te pudet, audire unumquemque dicentem: eamus ad Sanctum ab Horta? quum dicere præſtaret: eamus ad diabolum, qui Fratres apud Hortam conturbat? Vos autem, Patres, numquid animadvertitis qualem vobis omnibus infamiæ notam iu urit, quum ſolus præſumat miracula facere, quaſi non æque ac ipſi ſancti ſitis? Faxo equidem, Frater, ut nec nomen tuum audiatur amplius, & ceſſantibus iſtis tuis miraculis, ceſſet etiam concurſus populorum ex tota Hiſpania huc coufluentium; jubeoque nunc quidem diſciplinam tibi dari, deinceps vero non amplius Salvatorem, ſed Fratrem Alphonſum appellari te; atque his literis acceptis ſub mediam noctem hinc diſcedere, nemine vidente, atque ad monaſterium oppidi Reuſenſis abire „.

XXXI. Hæc ille multorum cum ſtomacho effatus literas tradidit, & nomen ipſi commutavit; qua ex cauſa in Chronicis Ordinis noſtri Frater Alphonſus nuncupatur, ut probatum eſt in Proceſſu formato coram Epiſcopis Barcinonenſi, Gerundenſi, & Dertuſano. Ipſe vero tam gravia improperia animo plane imperturbato audiens evidentiſſimam cunctis ſanctitatem ſuam fecit. Indeque digreſſus ad Eccleſiam ante Beatiſſimæ Virginis altare ſe in oratione proſtravit, ſervum ſe ipſi fidelem dicens, & conſecrans usque dum circa noctem mediam Frater Laicus venit ſocius itineris imperati futurus, & tempus eſſe monens diſcedendi, mox habuit obedientem; facta namque primum SS. Sacramento, tum Virgini Beatiſſimæ, Patrique Suffraganeo reverentia, exiverunt ambo a monaſterio, tranſiveruntque per medium infinitæ multitudinis agmen, quæ montem occupaverat, auroram expectans, circa quam illius benedictionem ſimul acciperet, & ſanitatem, quam ipſe quidem ſilentium tenens cunctis tacitus impertivit. Sed mane fruſtra expectatus, quum nusquam compareret, incredibile dictu eſt quibus animorum motibus excepta ea abſentia fuerit, variis ad ejus invocationem æque, ac ſi adeſſet, perſanatis, aliis de ſalute deſperantibus. Nec leve miraculum fuit, quod Provincialis, Fratresque Conventus poſt ejus diſceſſum penitus obliti fuerint ejus decreti, quo ſtatuerant, a Templo amovenda eſſe omnia miraculorum iuibi patratorum inſignia iſtic ab infirmis ſanatis relicta, Deo cavente, ne quod illi agebant, Beati Salvatoris memoria ad poſteros periclitari, & in oblivionem venire poſſet.

XXXII. Nudis pedibus ſuper aſpera montium gradiens tandem ad limpidum aquæ vivæ fontem pervenit, cujus amœnitas quum ſocium invitaſſet ad aliquam requiem ibidem captandam, ipſe tamquam nulla fatigatione affectus in partem se recepit, flexis ſuper ſaxa genibus, manibusque ad cælum tenſis facturus orationem; ubi continuo in ecſtaſim raptus eſt, usque dum eum de reſumendo itinere ſocius admonuit. Qui tantam in ipſo vultus hilaritatem admiratus: Næ tu, inquit, Alphonſe Fra-

ſe Frater, ſtolidus mihi, inſenſatusque videris, quem tam acris a Patre Provinciali reprehenſio non commovet. At ille: *Miſerum enim vero in modum actum fuiſſet mecum, ſi criminum meorum menſuram reprehenſionis ſuæ ſeveritate æquaſſet. Nunc multo leviorem, quam ipſa ſint, ſuſtinens pœnam, ut quid triſtabor? Neſcin, nec folium unum ex arbore decidere, quin Deo id volente fiat?* Juratus autem ſocius iſte affirmavit, toto eo itinere perpetuæ orationi fuiſſe intentum, & niſi ipſe interpellaſſet, nulla ex ejus ore prodiiſſe verba, quam ſuaviſſima *Jeſu*, & *Mariæ* nomina.

XXXIII. Ante noctem ſecundæ diei ad deſignatum ambo venere monaſterium, ubi Guardianus accepta, lectaque Provincialis epiſtola, Fratres omnes juſſit ad Capitulum convenire, in quorum medio quum genua flectere juſſiſſet Salvatorem, ita coram omnibus eſt proloquutus: „ Fratres mei, miſit huc Pater Provincialis Fratrem hunc inquietum, & Hortani Conventus per ſua miracula turbatorem; omnibusque modis imperat, ne alio deinceps ipſum, quam Alphonſi nomine compellemus, quo facilius eum requirentes latere poſſit. Te autem, inquit ad Beatum converſus, in eum abdam locum, ubi turbarum nihil movere poſſis in populo. Nunc autem ante omnia tibi præcipio, ne quemquam ſæcularium alloquaris „. Poſtero mane, antequam illuceſceret, conſurgens Guardianus Fratrem Alphonſum requiſivit, eumque in Templo reperit, ubi totam noctem orando tranſegerat. Inde vero abduxit in culinam, quam abducto occludens peſſulo: hic, inquit, manebis Fratribus cocturus cibos, et ſi velis, inter ollas, paterasque facturus miracula.

XXXIV. Lætus eo mandato Sanctus in culina remanſit. Interim albeſcente die omnis illius oppidi populus cœpit ad Monaſterium properare, in primisque infirmi magnis clamoribus deprecantes Deum, ut ſui miſereretur, Fratribus autem miſerabiliter ſupplicantes, ut ad ſe exire permitterent Dei famulum Horta adductum favore Numinis, ut ejus benedictione ſalvi fierent omnes. Erant hi veluti duo millia hominum. Itaque attoniti Fratres, neque intelligentes, qua ratione ad eorum notitiam hoſpitis novi perveniſſet adventus, accurrunt ad Guardianum, trepideque eidem nuntiant, quanta hominum multitudo inſediſſet Templum, effractis portis in conventum ſe minitans irrupturam, niſi ad ſe Frater Salvator produceretur. Indignatus ad hæc Guardianus ſubito in culinam properat, contumelioſisque cum eo verbis expoſtulat, quod non contentus excitatis Hortæ turbis, novas hic machinaretur, patefaciens populo adventum ſuum: Nunc demum apparere, cujus ille ſpiritus, & quam turbulenti foret, qui niſi eſſet ſceleratus, recenti mandato non eſſet auſus contraire tam cito. In genua ſe abjecit Salvator, nihil neque excuſans, neque deprecans, usque dum abiret Guardianus denuo firmiter obſerans oſtium. Verum fruſtra id fuit; crates enim ligneas perfringens vulgus portam monaſterii per vim aperuit, incurritque in cœnobium, quos arcere quum Fratres ultra non poſſent, accurrit Guardianus, eaque conditione ſe producturum quem petebant, affirmavit, ſi quiete omnes ſe in Eccleſiam reciperent.

XXXV. Illis igitur in Templum redeuntibus, rurſum ipse abiit ad culinam, & inde juſſit exire Salvatorem, ad cujus velut Angeli Cæleſtis præſentiam exultanti populo ipse Salvator hunc in modum loquutus eſt: „ Filioli, ut Deus veſtras orationes exaudiat, vosque a veſtris in„ firmitatibus liberet, de peccatis veſtris pœnitentiam agite, eamque

„ vera

„ vera cordis contritione obſignate cum firmo propoſito eadem in ſa„ cro confeſſionis tribunali rite manifeſtandi. Ego autem illius vice, & „ Dominæ noſtræ Sanctiſſimæ benedico vobis. In nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus Sancti „. Hæc effatus humeros eis obvertit, atque ut fuerat a Guardiano imperatum, rediit ad culinam. Ex attractis autem, aliiſque infirmis, qui tunc in Eccleſia erant, multi ſanati ſunt, ut patuit ex multitudine furcularum, ſcipionum, faſciarumque iſtic relictarum. Ad quarum conſpectum ſtomachabundus Guardianus: videtin, inquit, quibus immunditiis Templum hoc Frater iſte repleverit, & illud in ſtabulum beſtiarum convertit. Moxque ad Provincialem ſcripſit, quantum iſtic turbarum primo ſuo adventu excitaſſet homo iſte ad ſe Horta transmiſſus. Proxime autem ſexta feria Fratrem Salvatorem in Capitulum accerſivit, mandavitque, ut citra licentiam ſuam nulli ſæcularium loqueretur. Atque ita incognitus ibi remanſit Sanctus non exiguo temporis ſpatio, uſque dum Deo placuit, rurſus eum in publicam lucem producere hoc, qui ſequitur modo.

XXXVI. Erat in monaſterio Reuſii Religioſus quidam Joannes Serra nomine, qui ex Presbytero ad Laicorum ordinem ſe dimiſerat; tunc autem ita graviter infirmabatur, ut eadem nocte moriturum medici affirmarent. Remanſit apud eum conventus ipſius Eccleſiaſtes Ferdinandus Solèr extrema moribundo præſtiturus officia. Hic quum circa mediam noctem videret ægrum agere animam, abivit Beatum Salvatorem quæſiturus, eumque in Templi Choro orantem reperiens rogavit ſecum veniret, ut vellet ad extremum benedicere infirmo. Reſpondit Salvator, præcederet ille, ſe quoque mox adſuturum; & adſuit, formatoque ſuper eum Crucis ſignaculo, quæſivit ab eo quid mali pateretur. Ipſo autem nihil reſpondente, redivit ad chorum, ſeque aſpero flagello ibidem cæcidit, perque unam horam perduxit orationem, quæ dum fierent, æger liberatus eſt febri, & loqui incipiens dixit: Bene mihi eſt per Dei gratiam. Advigilabant morituro, ut credebatur, Fratres aliqui, qui, audita loquentis voce, properarunt Guardianum, cæteroſque accerſere futuros rei tam inexpectatæ teſtes. Hi autem animam agentis extremum delirium id eſſe rati ancipites hærebant. Quare arrepta, quæ lecto vicina erat, ſede, is, quem paullo ante vires omnes defecerant, dixit: Nolite dubitare, Fratres mei, quin vere ſanatus ſim per Dei gratiam, & orationem Fratris Salvatoris. Qui modico poſt tempore ſuperveniens dixit Infirmo: „ Frater Joannes, gratias Virgini Deiparæ „ age, quæ te reſtituit ſanitati. Deinde ſtude, meliorem in poſterum „ vitam ducere, quam duxiſti hactenus; propterea meritus es, ut eam „ tibi abrumpere nunc Deus vellet. Sed tu conceſſo pœnitentiæ tem„ pore utere, bonoque ſis animo „. Porro medicus mane adſuit, quæſivitque ex Portario, qua hora mortuus eſſet Frater Joannes. Mortuus? reſpondit ille, imo vero valet ſanus, & vegetus. Quod veriſſime dictum a Portario fuiſſe ſumma cum admiratione ſui coram ipſe cognovit ad cubiculum Joannis delatus.

XXXVII. Iiſdem diebus Puerulus quidam redactus erat ad finem vitæ in eodem oppido, & medicus ad Patrem afflictum dixit: Domine mi, parum omnino nunc inter filium tuum, & mortem diſtat, nec ullum ei juvando remedium ſupereſſe ſcio, niſi ut ad monaſterium Fratrum accedens tentes per aliquem ipſorum ingreſſum in hortum, ubi inventurus es Fratrem, olera, vel legumina carpentem in uſum coqui-

næ. Eum pro Filii tui ſanitate deprecare. Paruit homo, & Salvatorem reperiens ei dixit: Pater, magna me neceſſitas cogit ad te recurrere. Plura non eſt paſſus eum Salvator effari, ſed dixit: *vade, ſanus eſt Filiolus tuus, pro quo gratias Deiparæ debes*. Planeque ut dixerat, ſic vir ille reperit, domum reverſus, puerum ſuum non ſanum modo, ſed etiam lætum. Ex dictis miraculis vulgata ſanctitatis fama tantum brevi recurrentium ad Salvatorem turbam excivit, ut ejus iniri numerus nulla ratione poſſet. Ex ea autem multi ſanati ſunt ægri, leproſi, paralytici, prout ex proceſſibus liquet. Nominandus autem hic venit puerulus Paulus Serra vocatus, cui benedicens Sanctus, quum manum ſupra caput ejus teneret, dixit circumſtantibus: *Hic infans ex noſtris erit*. Et tunc quidem ad ea verba nemo tantopere advertit animum. Poſtea vero, quum ipse ætate pleniore Seraphici Ordinis habitum induiſſet, intellexere, prophetico ſpiritu dicta fuiſſe. Hæc præfatis in locis geſſit Salvator, quæ non alio tempore, quam hoc contigiſſe probat ſilentium ſuperioris Annaliſtæ, qui ad annum 1559. promittit, eadem ſe deinceps narraturum, nec narrat. Hoc etiam anno, eum in Sardiniam transfretaſſe auctor eſt Dima Serplus. Sed ne omnia in unum coacervemus, de hac re inferius loquemur.

XXXVIII. Non defuerunt hoc tempore Moniales Ordinis noſtri, quæ etiam ipsæ in Eccleſia Dei ſanctitate coruſcarent. In Regio monaſterio
Arturus die 18. Octobris. S. Claræ Tordeſillarum Provinciæ Conceptionis, ubi hoc anno oratione, atque ecſtaſibus inſignis, maximaque in veneratione habita apud Cives, & finitimos populos ſancto fine quievit Catharina Solis, ſeu So-
Wad. ad an. 1565. num. 2.. liſia; clarebat Ginebra a Fonſeca, ab aliis Junipera, & Ginebra appellata. Nobilibus orta natalibus Deo ſe ibi dicaverat a teneris annis, orationisque, & contemplationis ſtudio ita intendit, ut a matutinis laudibus numquam lectum repeteret, & in Eccleſia ad auroram usque perſiſteret. Clarebat quoque Maria a Queto, quæ Chriſti Domini paſſionem jugiter meditabatur dies noctesque, & uberes lacrymas effundebat propter eos, qui in perniciem animarum ſuarum tanto Dei beneficio abutuntur. Quum in has voces erumperet „ Quam magna fuit, Domine, miſericordia tua, qui ut ſalvos nos faceres, crudeliſſimam mortem oppetere non es dedignatus, & voluiſti, ut merita tua semper præſto
Arturus die 25. Junii. „ eſſent redemptis? Quam vero nos ingrati ſumus, qui quum ſalvi eſſe „ poſſimus tuis meritis, ſalvari renuimus „ hæc verba Divinitus ſibi facta audivit; menſa quidem parata eſt, & pecunia in promptu. Qui igitur colligere voluerit, colligat.

XXXIX. Invenio in Provincia S. Jacobi, & Cœnobio S. Mariæ de Capite Albæ, Miniſtro Provinciali Alphonſo Gutierres, puellam quamdam nomine Franciſcam, paratis ſibi a Patre ſuo divite Sartore sponſalibus, nuntio remiſſo ob caſtitatis votum, quod antea ſecreto emiſerat, aſſumpris Fratris ſui germani indumentis, domo aufugiſſe & peregre profectam ad Baſilicam S. Jacobi Compoſtellani inter Fratres Minores mentito ſexu cooptatam fuiſſe, & ſolemniter profeſſam in ſtatu Clericali. Coacta deinde ordines Eccleſiaſticos ſuſcipere, Antonio de Guzman Miniſtro Provinciali rem patefecit, unde ad moniales Monaſterii S. Claræ Beneventi translata fuit, & Soror Franciſca appellata. Poſt vitam autem ſanctiſſime traductam, ibidem ſanctiſſime deceſſit aut hoc anno, aut certe inſequenti. Eadem quoque habent Gonza-

ga.

Digitized by Google

ga, & Baretius libro quarto capite trigeſimo quinto. Non diffiteor, id quidem contingere potuiſſe; multa ſiquidem præter ſpem paſſim evenire miramur. Sed ſcrupulum aliquem faceſſit Hueberus, qui poſt narratum factum ad diem tertiam decimam Auguſti, rurſus ad diem quintam Decembris idem narrat eisdem verbis, & circumſtantiis, Antonio pariter Guzmano, qui anno 1559. obierat, memorato, niſi quod hic non exprimit nomen Franciſcæ, ſed loquitur de anonyma quadam. An puella bis ſexum mentita eſt? An menſe Auguſto Clericali militiæ ſe addixit in Ordine Fratrum Minorum, menſe vero Decembri ſignatur dies ejus obitus inter moniales? Si ita se res habet, cur primo dicitur Franciſca, ſecundo anonyma? Scio, Hueberum non admodum eſſe accuratum in rebus exſcribendis. Hinc an verum dicat, nec ne, incertus hæreo; neque enim Baretii auctoritate moveor, eodem vitio ut plurimum peccantis. Rectius Boverius ad annum 1567. conſimile factum ſemel recenſet agens de Provincia Marchiæ, ubi Puella quædam, quæ viginti duos annos virilem amictum detulerat, Amazonis vitæ demum pertæſa, nec conſiderans decurſu temporis dolum facile detegi poſſe barbæ defectu, Capuccinis ſe adſcripſit in Conventu Aeſii ſub magiſtro Novitiorum Hieronymo de Pedona, aſſumpto nomine Fratris Joannis. Quum pia fraus omnes lateret, Pontifex anathemate fæminas ſæculares percuſſit, quæ monaſteria ingrederentur, quo illa, etſi jam regularis foret, conterrita, ne locum deſereret, Deum enixe rogavit, ut ſibi præſto esſet, & paullo poſt inter Capuccinos ſuos feliciter obiit putatitius Frater Joannes immaturo morbo correptus.

XL. Explevit ſexennium Franciscus Zamorenſis totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis. Quare comitia Generalia, quæ in Capitulo Aquilano deſignata fuerant Burgis, rerum circumſtantiis mutatis, coacta ſunt Vallisoleti in Hispania, eisque Pontificis nomine præfuit Alexander Cribellius Nuntius Apoſtolicus in aula Regis Catholici Epiſcopus Gerundinenſis, & Cariatenſis hoc anno Cardinalitiam Purpuram aſſequutus, & deinde mortuo Clemente Moniliano Cardinali de Aracæli, titulum ejusdem Eccleſiæ adeptus, in qua anno 1574. tumulari voluit in eo ſepulchro, quod vivens ipse ſibi poſuit anno 1571.

XLI. In hoc Capitulo renunciatus fuit Miniſter Generalis Aloyſius Puteus de Burgonovo Provinciæ Bononienſis Cismontanæ Familiæ jam Commiſſarius Generalis, & Concilii Tridentini Theologus. Commiſſarius Generalis Familiæ Ultramontanæ Franciſcus Guzmanus Provinciæ S. Michaelis jam Ordinis Procurator Generalis. Procurator Generalis Ordinis Antonius de Monilia Provinciæ Bononienſis. Commiſſarius Generalis Curiæ Joannes de Aguilera Miniſter Provinciæ Carthaginenſis. Diffinitores Generales utriusque Familiæ Franciſcus Zamorenſis, qui ſupra, Antonius Inſulanus, & Angelus de Anverſa. Diffinitores Generales Familiæ Ultramontanæ Henricus Pepinus Miniſter Provinciæ Germaniæ Inferioris. Antonius Strolen Miniſter Provinciæ Coloniæ. Gabriel Taparellus Miniſter Provinciæ Conceptionis. Julianus David Miniſter Provinciæ Turoniæ. Joannes Navarrus Miniſter Provinciæ Bæticæ. Diffinitores Generales Familiæ Cismontanæ Antonius de Monilia qui ſupra, Pacificus de Nurſia Cuſtos Provinciæ S. Franciſci, Aurelius Griani Miniſter Provinciæ Brixiæ. Bonaventura de Clavaro Miniſter Provinciæ Genuæ. Joannes Advocatus de Novara Miniſter Provinciæ Mediolanenſis. Clemens a S. Petro in Calatina Miniſter Provinciæ S. Ni-

Michael Angelus a Neapoli Chron. tom. 1. pag. 320.

5 *Præcipitur ſub pœna privationis omnium actuum legitimorum, eo ipſo incurrenda, Generali Miniſtro, & dictis Provincialibus Miniſtris, ut nullum ſæcularium perſonarum inſtituant Confeſſarium, niſi annum trigeſimum expleverit, quum natu minores vix habeant eam prudentiam, gravitatem, devotionem, & ſufficientiam, quæ tantum decent officium.*

6. *Sub pœna privationis officiorum præcipitur omnibus Prælatis tam Generalibus, quam Provincialibus, ut nullo modo ad Monaſteria monialium audeant ire niſi pro ſpirituali profectu dictorum monaſteriorum accerſiti ab Abbatiſſa de conſilio diſcretarum; & pro exequendis dumtaxat muneribus per earum regulam, & mandatum Apoſtolicum illis demandatis. Feneſtræ autem, per quas colloquendum eſt, omnino ſint ſepta, & obductæ ferreis, aut æreis laminibus, quarum adeo ſint parva, & anguſta foramina, ut tantum vox audiri, nullus vero adſpectus haberi poſſit. Similiter & eisdem, & Confeſſariis earum ſub pœna anathematis, & maledictionis æternæ præcipitur, ut nullo modo, niſi in caſibus a Regula, vel Apoſtolica auctoritate eis conceſſis, ingrediantur monaſteria dictarum monialium. Et ſi contingat, aliquem ipſorum dicta monaſteria pro miniſtrandis Sacramentis, vel ex alia ſimili cauſa neceſſaria, & legitima ingredi, nullo modo ingrediantur, niſi cum uno antiquo, & probatiſſimo Patre, qui functus ſuo officio ſtatim ab ipſis monaſteriis exire teneatur.*

7. *Ordinatur, quod dicti Generales, & Provinciales Miniſtri nullo modo ſub pœna privationis officiorum ſuorum licentiam tribuant Fratribus ſuis accedendi ad Monaſteria monialium, ſive etiam Sororum Tertii Ordinis, & eas alloquendi, nec apud Confeſſarios ſuos comedendi, aut pernoctandi, niſi tam urgens eſſet cauſa, ut ſine detrimento earum non poſſet eis denegari.*

XLIV. Leges a ſuggeſtu publice recitatas Patres Capituli unanimi conſenſu adoptarunt, easque in Ordinis tabulas referri juſſerunt. Deinde ad peculiaria ſtatuta concinnanda devenerunt, quorum alia reſpiciunt Prælatorum Ordinis jurisdictionem, & præeminentiam, alia Provinciarum quarumdam, quæ latius patebant, diviſionem; reliqua vero monaſticam diſciplinam, morumque œconomiam.

XLV. 1. *Patres illi, qui fuerunt Vicarii Generales per biennium, cenſeantur Patres utriusque familiæ, & habeant votum in diffinitoriis, eadem ratione illis ſuffragante, qua ſuffragatur Miniſtris Generalibus ex ſtatuto Salmaticenſi.*

2. *Commiſſarius Generalis tamquam Miniſter Miniſtrorum Provincialium, & Ordinarius ſuæ familiæ in Comitiis Generalibus habeat votum activum, & paſſivum.*

3. *Statuta Generalia a Julio III. fel. Recor. approbata ab Ultramontana familia abſolute recipiantur. A Cismontana vero humiliter, & reverenter acceptentur, fidentes promiſſionibus Illuſtriſſimi Cardinalis Cribellii, quod ſua bonitate, & clementia a SS. Domino Noſtro præfatam Familiam alia a Barcinonenſibus ſtatuta a tempore immemorabili obſervatis non habituram procurabit.* „ Obiter hic noto, nihil aliud hac lege factum, niſi prædicta ſta-
„ tuta a contemptu eximere reſpectu familiæ Ultramontanæ (loquor
„ de Hiſpanis, Gallis, & ſimilibus ultra montes degentibus relate ad
„ nos), quæ eadem obſervare non teneretur. Ut enim, inquit Petrus
„ Marchant in Chronologia ſtatus Ordinis Minorum, Familia Ultramon-
„ tana tunc aliud non promiſit, quam ea tantum in reverentia ſe
„ habituram, dummodo Pontifex id, quod optabat, ſibi indulgeret. Fa-
„ ctum ex eo id eſt, quia Statuta Salmaticenſia, quæ incipiunt: *Per-*

qui-

dum, & Sacros Canones ad Ordinis dignitates, & officia obeunda in his, quæ ad reſidentiam, & regimen ſpectant, deinceps admittatur. „ Prohibue„ rat Paulus IV.: *Quum ex Apoſtolatus officio*, ne in ordine noſtro admittantur ad officia Prælaturæ illi, qui deſcendunt a Mauris, vel Judæis, idque confirmavit Pius IV. *Proviſionis noſtra* die 24. Aprilis anno 1559. Roderic. Bull. pag. 191.

11. *Quicumque ſigillum Ordinis, vel cujusvis conventus adulteraverit, falſaverit, vel aliqua notabili infamia laboraverit ob crimina, de quibus accuſatus apud Prælatum convictus fuerit, ad Ordinis dignitates, & officia, ultra pœnas, quas pro crimine paſſus fuerit, cenſeatur, & ſit inhabilis.*

12. *Servetur circa Apoſtatarum punitionem Generalis capituli Aquilani ſtatutum, & qui Apoſtaſiæ culpam intra duos menſes coram Prælato ſuo non agnoverit publice, voce activa, & paſſiva ad decennium privetur; & pro eodem tempore teneat locum inferiorem ad Sacerdotes, ſi Sacerdos fuerit, aut Laicos, ſi Laicus. Si vero fuerit Clericus, ultra pœnas dictas, non promoveatur ad Sacros Ordines.*

13. *Quantum ad receptionem Novitiorum, quia non cujusvis eſt Evangelicæ perfectionis culmen aſcendere, ordinamus, ne quis temere, ſed maturo examine, ſicut in Regula, & generalibus ſtatutis continetur, ad ordinem admittatur. Quod ut diligentius fiat, Miniſtri Provinciales per ſeipsos primum recipiendos examinent. Deinde Guardiano, & diſcretis loci, ubi recipi debent, iterum examinandos committant. Neque aliquis ad profeſſionem, niſi per Miniſtrum Provincialem, ſi commode haberi poſſit, ſin minus, de ejus licentia in ſcriptis recipiantur. Aliter facta receptio, vel profeſſio ſit nulla.*

14. *Quia vero in Regula continetur, ut Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur; ne ab hoc ſalutari præcepto, vel in dexteram ſuperſtitioſæ ſingularitatis, vel in ſiniſtram vanæ curioſitatis declinare contingat, ac proinde turbatio aliqua, vel etiam diſſolutio in Ordine oriatur; præcipimus, ut Fratres omnes taliter induantur exterius, quod uniformitas veſtium conformitatem indicet animorum, ita tamen, ut & panni vilitas ſtricte obſervetur, & ſaccorum monſtruoſæ repetiationis deformitas caveatur. Et qui in his vitioſi reperti fuerint, per Superiores graviter puniantur.*

15. *Præterea quia paupertas Evangelica hujus Sacri Ordinis præcipuum eſt inſigne, caveant Fratres, & præcipue majores, quorum exemplo alii ducuntur, ut nemini uſus rerum, & victus, & veſtitus communis conſuetudinis vel in ſe, vel in aliis ullam permittant ſuperfluitatem, ſed paucis, & humilibus omnes uniformiter ſint contenti, ſicut decet ſervos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores. Cæterum capellanias, quas vocant perpetuas, per conventiones præſertim, & inſtrumenta publica recipi in aliquo conventu omnimo prohibemus, conventionesque, & pacta reſcindi. Sed liceat Fratribus per modum eleemoſynæ dumtaxat miſſarum ſubſidia, quæ libere oblata fuerint, recipere.*

16. *Commiſſarii, ſeu Viſitatores Provinciarum juxta antiqua ordinis Statuta nonniſi urgente aliqua neceſſitate, vel ad poſtulationem alicujus Provinciæ mittantur, qui ſemper ſint viri prudentes, & ſeniorum judicio probati.*

17. *Quia Fratres, qui ſunt Clerici, juxta præceptum Regulæ facere debent officium divinum ſecundum Ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, omnes novitates, quæ hactenus irrepſerunt, profligare, & his, quæ poſſent in futurum contingere, obviare cupientes, ordinamus, & diſtricte præcipimus, ut unum in toto Ordine Calendarium habeatur ſecundum S. Romanæ Eccleſiæ ordinem, eo dumtaxat excepto, quod Feſta Sanctorum Ordinis noſtri fiant duplicia, &*

offi-

officium proprium B. Patris noſtri Franciſci non omittatur, nec ab hujus ſtatuti præſcripto inpoſterum ullatenus recedatur.

18. *Sacri Concilii Tridentini Canones ad noſtrum Ordinem ſpectantes nedum tranſcribantur in Tabula Capituli, verum diſtincte ſervari, ut tenemur, præcipitur.* „ Excerpta a Concilio Tridentino, & in eaſdem tabulas re-„ lata ſunt ſequentia. Capitulum 11. Seſſionis 14. *Quia Regulares*. Ca-„ pitulum 11. Seſſionis 23. *Minores Ordines*. Capitulum 12. *Nullus in* „ *poſterum*. Capitulum 23. *Diaconi, & Subdiaconi*. Capitulum 14. *Qui* „ *pie, & fideliter*. Capitulum 15. *Quamvis*. Capitulum 16. *Quum nul-*„ *lus*. Capitulum primum Seſſionis 25. *Quoniam non ignorat*. Capitulum „ 2. *Nemini igitur*. Capitulum 3. *Concedit S Synodus*. Capitulum 4. „ *Prohibet S. Synodus*. Capitulum 5. *Bonifacii Octavi*. Capitulum 6. *In* „ *Electione Superiorum*. Capitulum 7. *Abbatiſſa, & Prioriſſa*. Capitu-„ lum octavum. *Monaſteria omnia*. Capitulum 9. *Monaſteria Sanctimonia-*„ *lium*. Capitulum 10. *Attendant diligenter*. Capitulum 11. *In Monaſte-*„ *ſteriis, ſeu Domibus*. Capitulum 12. *Cenſuræ, & interdicta*. Capitu-„ lum 13. *Controverſias de præcedentia*. Capitulum 14. *Regularis non ſubdi-*„ *tus*. Capitulum 15. *In quacumque Religione*. Capitulum 16. *Nulla quo-*„ *que renunciatio*. Capitulum 17. *Libertati profeſſionis*. Capitulum 18. „ *Anathemati S. Synodus*. Capitulum 19. *Quicumque Regularis*. Capitu-„ lum 20. *Abbates, qui ſunt Ordinum capita*. Capitulum 22. *Hæc omnia* „ *ſingula ..... Hortatur S. Synodus*. Capitulum 4. Seſſionis 25. *Contingit* „ *ſæpe*...

Archiv. S. Iſidori arm. 2. num. 12.

19. *Quum Ordo Fratrum Minorum exiſtat in humilitate præcipua, & charitate fundatus, noverint Fratres omnes ubicumque terrarum diſperſi, Religioſos cujusvis Religionis humiliter, & humane tractare, tum maxime eos, qui de Societate fuerint Jeſu, quos diligere, & honorare debent, & eos ad actus literarios, & Feſtorum noſtrorum celebrationem, aliosque publicos actus, ad quos ſolent Religioſi convenire, cum charitate invitare, & ſuſcipere, nec noſtrorum quiſquam audeat eis publice, vel occulte detrahere.*

20. *Quoad Officium Divinum Provinciæ Hiſpanorum ſingulis Sabbatis Feſtum Conceptionis celebrare teneantur, & fiat Officium divinum proprium incipiendo a primis veſperis, & ſit verſus in utriſque veſperis: In Conceptione tua, Beata Maria, immaculata fuiſti.*

21. *Feſtum deſponſationis Beatæ Mariæ Virginis fiat octava die Martii. Poſthac fiat Feſtum S. Franciſci de Paula ſecunda Aprilis, & duplex minus; æquum enim eſt, ut Religionum Fundatores æquali honore veneremur. Item Feſta Converſionis S. Pauli, S. Joachim, & S. Mariæ Magdalenæ deinceps ſint majora duplicia.*

XLVII. Recenſito Necrologio, numerus Fratrum, qui deceſſerunt a Capitulo Aquilano uſque modo, repertus eſt 3803. Fuit Capitulum hoc Valliſoletanum quinquageſimum octavum Generale. Electionem vero Aloyſii Putei in Miniſtrum Generalem, Franciſci Guzmani in Commiſſarium Generalem Familiæ Ultramontanæ, omneſque alias electiones, & acta Capituli confirmavit Summus Pontifex: *Quum ſicut accepimus*, Die decimaquinta Novembris.

XLVIII. Inciderunt in eumdem annum Congregatio Generalis Minorum Conventualium, & Capitulum Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci. Hi poſtremi in Cœnobio S. Salvatoris Caſalis Butani diœceſis Cremonenſis ſibi præpoſuerunt Franciſcum de Morettis de Crema in locum Bartholomæi de Morettis, qui poſt annum obiit in officio. Minores Con-

Antonius de Sillis ſtuaia &c. pag. 37. Rodulph lib. 2.

Conventuales Antonium de Sapientibus Auguſtanum electum in Comitiis Generalibus Mediolanenſibus anno 1562., confirmarunt Florentiæ in Cœnobio S. Crucis, ubi hac occaſione Coſmus Mediceus dux Etruriæ magnis muneribus Conventualium Familiam cumulavit, teſte Rodulpho, qui etiam narrat, ſub idem tempus, vita functum fuiſſe Michaelem Angelum Bonarotam Pictorem, Sculptorem, & Poetam ſummi nominis ſepultum in æde Minoritica S. Crucis, cujus ſtructuram mirifice collaudare ſolebat. Acceptarunt tunc primum Minores Conventuales privilegium Concilii Tridentini, quo, Capuccinis, & Obſervantibus exceptis, permittitur omnibus utriusque ſexus Regularibus, ut bona immobilia poſſidere licite poſſint. Quumque Pontifex eorum reformationem vehementer optaret, atque urgeret, & propterea Magiſtro Generali injungeret, ut Fratres in Hiſpaniis, Gallia, aliiſque Regnis viſitaret, & reformaret, facultate inſuper ipſi tradita promovendi ad Magiſterium quindecim Fratres ſui Ordinis; hinc ut Pontificis votis annuerent, nonnullas ediderunt conſtitutiones, quæ religioſæ vitæ regulæ forent, a quibus nefas eſſet diſcedere. *Pianæ* dictæ ſunt a Pii IV. nomine, qui illas approbavit: *Sedis Apoſtolicæ*, Die 17. Septembris. Sic res omnis compoſita. Nihil vero ſunt aliud, niſi quædam Seraphicæ Regulæ explicationes, & interpretationes, quibus ſingulis Regulæ ipſius capitibus ſcholia peculiaria apponuntur, & ſancti Legislatoris mens, verborumque ſenſus declaratur. Video, earum auctores laxiori vivendi generi non faviſſe; ſi pauca enim excipias, quæ paupertatis articulum reſpiciunt, quæque aliquibus ſeveriori diſciplinæ addictis, & in rerum cortice plerumque hærentibus, vel in verborum ſignificatione plus æquo faſtidioſis non probantur, nihil profecto, mea ſententia, continent, quod ab ipſis Obſervantibus laudari non poſſit. Prope Sacrarium Eccleſiæ S. Crucis extat memoria hujus Congregationis lapide ſculpta, ut ſequitur.

Rodulph. lib. 2.

Conc. Trident. Seſs. 25. cap. 3.

Celeberrimus Franciſcani inſtituti Conventus, qui Florentiæ eo Anno, quo Franciſcus Medices Florentiæ & Senarum Princeps Joannæ Maximiliani Cæſaris Sorori nupſit, habitus eſt. Ubi ipſi Patres, inter quos Theologi prope CCCCC. fuere, & totidem in Gymnaſiis ad doctrinas capeſſendas conſtituti ſunt, multa probitatis, & eruditionis exempla edidere, beneficentia Coſmi Ducis, & Franciſci Principis ſuffulti. Antonius Sapicus Auguſten. Min. Con. Præfectus, poſteris teſtatum eſſe voluit MDLXV. IV. id. Junii ſub auſpiciis Pii IV. Pontif. Max. ac S. Caroli Borromæi, & Ludovici Simonettæ Cardinalium Protectorum in hac Sanctæ Crucis Eccleſia.

XLIX. Deſcriptionem Provinciarum, quæ ex memorato Capituli Valliſoletani decreto prodierunt in Indiis Occiduis, dabimus inſequenti tempore; quamvis enim, ut habemus ex Gonzaga, ſtatim Stephanus Aſſentius, & Franciscus Olea cum triginta aliis Fratribus ab Hispania eo ſe conferrent, ut decretum exequerentur; non exiſtimo tamen, rem illico confici potuiſſe tum propter enormem locorum ab Europa diſtantiam, & incommoda navigationis; tum propter difficultates negotii ipſius, quum ageretur de conſtituendis limitibus topographicis, & politicis apud populos lingua, vitæ inſtituto, & moribus invicem diverſos, quibus etſi non repugnantibus, imo vero conſentientibus non mediocrem alterationem ea mutatio inferre debebat. Adeo id verum eſt, ut anno 1568. decretum Capituli exequi cœperit Joannes a Campo poſtea Commiſſarius Generalis Limæ, & Cuſtodia SS. Trinitatis de Chile nonniſi anno 1572. Provinciæ nomen obtinuerit. Sed hoc anno in Comitiis Provincialibus habitis Ulyſſipone in Conventu S. Franciſci, Patrum vo-

tis obſecundante novo Generali Miniſtro, Cuſtodiæ titulum adepti ſunt Conventus Patrum Recollectorum in Portugallia, qui deinde conſtituerunt Provinciam S. Antonii Portugalliæ ab altera, quæ Algarbiorum vocatur, diſtinctam; & merito quidem; in iis enim domibus egregii viri ſemper floruerunt, aſſumpti ad ſuprema officia obeunda in Provincia Luſitaniæ, atque ita aucti numero, ut eos ſui juris eſſe permitti deberet. Primus Cuſtos extitit Antonius de S. Vincentio.

Chron. ord. pag. 61. in Catalogo.

L. Cuſtodiam S. Crucis Hiſpaniolæ, ſeu S. Dominici, erectam fuiſſe hoc anno in Provinciam, ex Gonzaga retulimus. Fatendum tamen eſt, ipſum monumento aliquo minus accurato deceptum. Nam præterquam quod in actis Capituli, ut patet, nihil tale reperitur, habemus ex regeſto Ordinis, Provinciam S. Joannis Baptiſtæ Diſcalceatorum Valentiæ erectam anno 1577., auctoritate Gregorii XIII. inter Provincias Ordinis obtinere locum quinquageſimum, Provinciam S. Gregorii de Nicaragua erectam anno 1575., & poſtea ut talem a Pontifice confirmatam, obtinere locum quinquageſimum primum. Hinc ſequitur, Provinciam S. Crucis, ſi erecta fuiſſet auctoritate & decreto Pii IV., ut ait Gonzaga, locum his anteriorem obtinere debuiſſe, & non quinquageſimum ſecundum, ut obtinet ſub titulo S. Crucis Caracarum. Utcumque tamen ſe res habeat, notum eſt, præfatam Inſulam primam omnium a Columbo inventam eſſe, & Hiſpaniæ ditionibus additam. Jacet in Oceano Septentrionali, & ſinu Mexicano inter Inſulas Cubæ, Jamaicæ, & Portus divitis. Vocabatur a conterraneis olim *Auty*, & *Quiſqueya*, & ſi Cubam excipias, Antillarum omnium maxima eſt. Habet in peridromo tercentum quinquaginta circiter leucas, ſexaginta in latitudine, & centum quinquaginta in longitudine. Medium Inſulæ ab Æquatore diſtat gradibus pene decem novem. Forma ejus oblonga; protenditur enim ab Oriente in Occidentem. Retulerunt nonnulli, aerem ibi valde eſſe temperatum, alii valde calidum, quod reſpectu variarum regionum verum eſſe poteſt; quamvis legam apud Ludovicum Gotofredum, nullo frigoris, aut caloris exceſſui regionem expoſitam, præterquam in ſummitatibus montium, ubi gelu intenſum viget, & apud Fridericum Buſching amœniſſimam prorſus eſſe. Agri frugibus, & paſcuis abundant, in quibus equi, boves, & armenta reliqua majori ex parte ab Hiſpanis illuc adſportata nutriuntur. Poſſidet auri, argentique ſodinas, ſicut & cupri, ſed deſertas. Commercio florebat ante detectionem Peruviæ. Aſſerit Morerus, habitantium numerum aſcendere ad duodecim tantum millia, Hiſpanis, Indiſque ſimul ſumptis, quod falſum oſtendit Fridericus Buſching mox laudatus; anno enim 1726. inito calculo, inventa ſunt pluſquam triginta millia *Alborum*, & centum millia *Nigrorum*, una cum cæteris, quos *Mulattos* appellant.

Gotofredus Archont. Coſmica pag. 358.

Buſching Geograph. tom. 31. de Antillis.

Morerus in dict. verbo Hiſpaniola.

LI. Non carebant antiqui hujus loci Habitatores cujuſdam ſupremi Motoris idea, admodum tamen rudi, & obſcura. Sylveſtrem vitam agentes nudi prope univerſi incedebant, venationi, & piſcationi potiſſimum dediti. Ad humanitatem, & commercium adducti Hiſpanorum opera primum fuerunt, qui civitates plurimas ædificarunt, inter quas Metropolim S. Dominici, non, ut ait Gotofredus, prope oſtium fluminis Ozamæ, ſed Haynæ, vel Iſabellæ, niſi loco utraque inſit denominatio.

LII. Ædes Minoriticas Provinciæ ſex tantum Gonzaga enumerat cum uno Monaſterio Clariſſarum in Civitate S. Dominici. Alias tamen ad illam ſpectantes invenio ignotæ ferme omnes fundationis. Sunt au-

tem

tem Conventus S. Franciſci in civitate S. Dominici conſtructus, ut refert Herrera, ſumptibus Chriſtophori Columbi anno 1502., & ad culmen perductus anno ſequenti a Nicolao de Ovando Commendatario Larenſi militiæ Alcantarenſis, in quo degunt quadraginta Religioſi. Adeſt in ea civitate alia Eccleſia Ordinis noſtri fundata a Franciſco de Ceraſolo, ſeu Cerezuela numquam ſatis digne commendanda ob architecturam, amplitudinem, magnificentiam, ornamenta aurea, argentea, pretioſaſque omnis generis ſuppellectiles. Exinde prodierunt Marcus a Nicia, & Petrus Melgarejus ſundatores Provinciæ Mexici, Franciſcus de Cruce ſundator conventus Limani, & ſex alii Fratres fundatores Conventus Truxilli *de las Honduras*, ſeu *de Hibueras*, utque cæteros taceam illuſtres viros, qui pro Chriſto ſanguinem profuderuut, Hernaldus Salcedo, & Didacus Botello a barbaris Caribis jaculis confoſſi. Ad Euro-Notum Inſulæ S. Dominici jacet Inſula Cubæ ab Oriente in Occidentem protenſa, longitudinis ducentum quadraginta leucarum, latitudinis quadraginta ſub ipſo Tropico Cancri, Antillis aliis fertilior, & temperatior. Eam detexit Chriſtophorus Columbus; Colonias tamen non accepit niſi anno 1511. illuc miſſas a Columbi Filio, ut ait Joſeph Torrubia, ut vero auctor eſt Buſching, a Joanne Velaſquez, quem alio in loco Jacobum appellat, referens, ipſum conſtruxiſſe civitates Havanæ, & S. Jacobi, quæ eſt totius Inſulæ Metropolis. Ante præfatum annum neſciebant Hiſpani, an Cuba Inſula foret, vel terræ firmæ portio. Hinc Nicolaus de Ovando deſtinavit Sebaſtianum de Ocambo, qui duobus navigiis regionem circumiret. Civitatis S. Jacobi fundamenta poſita ſunt anno 1512. ab Indis *Baracoa* appellatæ. Waddingus itaque corrigendus, qui in eadem Civitate cœnobium S. Jacobi conſtructum aſſerit anno 1505., quum nempe Civitas deſideraretur.

Herrera decade 1. lib. 5. cap. 12. pagina 142.

Villanova tom. 1. Sermon. in Epiſt. dedicat.

LIII. In regione Caracarum ad Auſtrum Novi Regni Granatenſis Americæ Meridionalis ad Oceanum Septentrionalem celebri ob productionem *Cacao* exurgunt Cœnobia Purificationis B. Mariæ Virginis oppidi Barqueſimeti, vel Baraquicimeto conſtructi anno 1552. a Joanne de Villegas ad ripam fluvii Boqueron viginti quinque leucis a Truxillo de Honduras, in quo vigent Novitiatus, & confraternitas Tertii Ordinis. Habet annuales redditus pro Miſſis, & piis operibus mille & nonaginta *petias*. S. Jacobi Legionenſis præcipuæ Civitatis ejus regionis aliquantulum a mari diſtantis, maximeque hodie florentis Anglorum, & Batavorum commercio. Habitant ibi quadraginta Fratres, & eſt domus Novitiatus, ac ſtudii Theologiæ, atque Artium. S. Bonaventuræ Civitatis Valentiæ fundatæ a Duce Villacinda quindecim leucis a civitate S. Jacobi Legionenſis. De hac æde nullum monumentum habemus.

LIV. Orientali parti Caracarum contermina eſt Provincia Venetiolæ detecta, & domita anno 1499. ab Alphonſo de Ojeda, & eo nomine appellata ob ſimilitudinem, quam præſefert cum paludibus Venetiarum. Continet duos Conventus, alterum S. Sebaſtiani Civitatis Maracaibo, ſeu Maracaya ſitæ ſub gradu nono latitudinis, longitudinis tercentum quinque in margine Orientali ampliſſimi lacus ejuſdem nominis, cujus longitudo eſt ducentum, & octo milliarium, latitudo vero maxima quinquaginta cum mari Septemtrionali communicationem habentis. Alterum S. Antonii Truxilli, non, ut ait Waddingus, Truxilli Hondurarum jam memorati, aut Comajaguæ S. Franciſco dicatus; ſed Truxilli Venetiolæ; duæ namque ſunt Civitates ejuſdem nominis, illa ſub gradu latitudinis decimo ſexto, longitudinis ducentum octoginta novem, celeberrimo portu

ditata ad oras maris Pacifici, ubi excipiuntur merces ab Hiſpania advenientes; hæc ſub gradu octavo latitudinis, longitudinis tercentum, & octo juxta obſervationes Joannis Baptiſtæ Nolin. Gonzaga ipſum reponit in Inſula, veluti ſi aut Truxillum, aut Venetiola inſula foret.

LV. Exurgit in Inſula S. Dominici Civitas de Coro ſub gradu undecimo latitudinis, longitudinis tercentum, & octo, cum duplici portu, altero ad Occidentem, altero ad Boream, fundata a Joanne de Ampues Regio miniſtro in regione fertiliſſima, torrentibus, fluviiſque irrigata, & climatis ſaluberrimi. Conventus Dominæ noſtræ de la Salceda, quem ſibi illa vindicat, veteres memoriæ interierunt olim in maxima urbis inundatione, quæ ædificia pene omnia disjecit, ut teſtatur Joſeph de Fuentes in Chronica ejuſdem Provinciæ.

Archiv. Gen. Ord. Plut. 5. num. 6. PetrusSimon not. 2. cap. 2 pag. 57.

LVI. Viginti ſeptem leucis a Civitate de Coro inter Civitatem Tocuyo, & lacum Maracaibi jacet civitas Carora in valle quadam amœniſſima, & frugibus abundanti cum Minoritico conventu S. Luciæ. Decem leucis a Barqueſimeto in Civitate Tocuyo fundata anno 1545. a Joanne de Carabajal ob rebellionem paullo poſt publico judicio necati exiſtit Conventus Dominæ Noſtræ Angelorum non in Inſula, ut ait Gonzaga, ſed in Civitate Tocuyo, quæ non eſt Inſula. Hujus loci incolæ olim erant bellicoſi, Cuibas dicti, pugnabant ſagittis venenatis, carneſque humanas comedebant, nudi penitus humi cubantes, & ſuperſtitioſi.

LVII. Nihil dicunt noſtri Annaliſtæ de Conventu S. Franciſci Inſulæ Margaritæ. In quodam Regio reſcripto, quod producit Pater Arzubiaga, de anno 1593. die quinta decima Julii invenio donata ipſi ornamentum quoddam, & campanam. Inſulam detexit Columbus anno 1498. a Margaritarum piſcatione, quæ uberrima eſt in illis locis, ſic appellatam; non ſolum enim in ipſa, ſed in oris circumpoſitis Pariæ, Maracapanæ, Portus Flechado, & Curianæ Margaritarum ingens obvenit multitudo. In Inſula S. Joannis Portus divitis ab Indis dicta Boriquen detecta a Columbo anno 1493. Civitatem ejuſdem nominis fundavit anno 1510. Joannes Poncius de Leon Eques Hiſpalenſis, & anno ſequenti Conventus extitit Regio mandato conſtructus a Fratribus viginti tribus, quos Rex Hiſpanus illuc miſit, amplificatus deinde a Didaco Aguilera Equite, & militum Præfecto. Eſt domus Novitiatus. In Inſula Trinitatis detecta a Columbo anno 1498. ſub novem circiter gradibus latitudinis, tercentum decem ſeptem longitudinis, lego apud Torrubiam, anno 1594. Conventum jam extitiſſe S. Antonio de Padua ſacrum fundatum a Fratre Dominico de S. Agatha, favente Antonio de Berrio Inſulæ Præſide, qui comitatus præfato Dominico, & Fratre Joanne de Peralta Civitati S. Joſephi de Orunna initium dedit, ejuſque auſpiciis eodem tempore poſitus eſt Conventus S. Franciſci Guayanæ.

Oviedo lib. 19. cap. 1.

LVIII. Extant quoque in Inſula Cubæ Conventus Bayami, & Conventus S. Salvatoris Havanæ, de quibus mentio fit in literis Bernardi de Salva Commiſſarii Generalis Indiarum anno 1609. Hos inter omnes Conventus Cumanæ fundatus a Fratre Joanne Garceto Apoſtolo in oris maritimis Pariæ *de las Perlas* circa annum 1516. primum locum ſortitur, ut Oviedo accurate oſtendit, etſi ultimum locum in Provincia obtineat, inſignis ob miſſiones ad rivum Orinocum, & Doradum. Habitavit in eo Franciſcus de Soto unus ex duodecim Indorum Apoſtolis, & Frater Dionyſius Laicus ab Indis crudeliſſime occiſus.

Joseph Torrubia lib. 1. cap. 15.

LIX. Occidentalium Indiarum primam Eccleſiam fundatam in Civitate Nativitatis Inſulæ S. Dominici Franciſcanorum opera, & zelo

Oviedo lib. 19. cap. 3.

nemo

nemo hactenus negavit, vel in quæſtionem adduxit, præter Patrem Alphonſum Remon in Hiſtoria generali Ordinis S. Mariæ de Mercede, ubi Franciſcanorum gloriam penitus evacuat, eam adſcribens Fratribus ſui Ordinis, qui, ait, ſoli tunc prædicaverunt, baptizaverunt, Sacramenta miniſtrarunt, ſi excipias Vincentium Valverde Ordinis Prædicatorum. Qua in re adeo certum eſt, nullam apud Patres Prædicatores Annaliſtam inviſſe gratiam, ut quamvis in dubium verti nequit, Vincentium Valverde unum fuiſſe ex primis Apoſtolis Indiarum, tamen Joannes Melendeſius ejuſdem Ordinis in Theſauro Indiarum Hiſpanice edito inquit: „ Primi Sacerdotes, & Miniſtri Apoſtolici, qui transfretarunt cum Columbo, fuerunt Religioſi Seraphici Patris S. Franciſci. Joannes Perez de Marchena Eccleſiam conſtruxit ex ramis, & ſtramine, ubi Miſſam dixit, aſſervavit SS. Sacramentum, & fuit prima omnium Eccleſiarum Indiarum „. Thomas Maria Mamachius ejuſdem pariter Ordinis literatorum hominum ſplendor, S. Palatii Apoſtolici Magiſter proxime defunctus, in libro originum, & antiquitatum Chriſtianarum „ Chriſtianiſmus, inquit, Americæ debetur Franciſcanis, qui iter ſuſceperunt anno 1492. ſocii Chriſtophori Columbi „.

Remon. tom. 1. lib. 12. cap. 6.

Melendes. lib. 1. cap. 1. pag 4.

LX. Neque ſolum in id conveniunt Sacri Ordinis Prædicatorum Scriptores, ſed & alii paſſim: Jacobus Maſenius Societatis Jeſu in hiſtoria, ſeu vita Caroli V. impreſſa Coloniæ Agrippinæ hæc habet: „ Ergo Luſitanum Regem, Anglum, Gallum, Hiſpanumque, deluſo ſæpius ob viri humilitatem, reique novitatem conatu, adiit (Columbus); dum apud Ferdinandum denique Caſtellæ ſeptennii pertinacia tres naves Regiis impenſis obtineret. Hic anno 1492. Franciſcanæ Familiæ Religioſis ſibi additis, ex Bætica per Atlanticum Oceanum Inſulas Canarias petiit, inde occaſum verſus Inſulas aliquot exoptato curſu tenuit „. Eadem habet Hieronymus Platus ejuſdem Societatis Jeſu, cujus verba inferius exſcribemus. Eadem Joannes Diez de la Calle in memoriali, & notitiis Sacris, & Regalibus Imperii Indiarum Occidentalium Regi Catholico exhibitis: „ Primus populus, ait, quem Columbus conſtituit, fuit in Civitate Nativitatis, & primus, qui ædificavit Eccleſiam, & Miſſam celebravit fuit Pater Frater Joannes Perez Ordinis S. Franciſci Guardianus Arrabidæ, qui Columbo favit apud Regem, ut in Indias mitteretur „. Eadem denique Herrera Regius Hiſtoricus, Daza, Waddingus, & Gonzaga cum aliis. Gonzagæ textus eſt hujuſmodi: „ Poſt elapſos aliquot dies ab Inſulæ iſtius (Hiſpaniolæ) expugnatione, nonnulli Fratres noſtri, & inter eos Joannes Piretius, qui Columbo, ne a tanta Provincia diſcederet, inſtantiſſime ſuaſit, ad has partes ſecunda navigatione trajecere, atque præſenti Provinciæ in hunc modum initium dedere. Is namque Joannes Piretius primo in iſtam Inſulam ingreſſus ſtraminaceum tuguriolum ſibi ædificari juſſit, inibique primum ſacrum fecit, atque demum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandum curavit. Atque hæc prima Occiduarum omnium Indiarum Eccleſia eſt „. Quo in loco notandum, non recte Gonzagæ verba intellexiſſe Patrem Cordubam Auctorem Chronicæ Seraphicæ Peruvianæ hærentem in illis expreſſionibus: *ſecunda navigatione trajecere*, & *Joannes Piretius primo in iſtam Inſulam ingreſſus*, quæ difficultatem aliquam ei faceſſunt, quum tamen apertum ſit, ſecundam navigationem nihil aliud ſignificare, niſi felicem, & proſperam.

Maſenius lib. 2. pag. 62.

Call. notit. Sacr. pag. 2.

Herrera dec. 1. lib 1. cap 8 Daza part. 4. lib. 3. cap. 3. Annales Min. ad annum 1593.

Gonz. in Prov. S. Crucis in proœm. pag. 498.

Corduba lib. 7. cap. 24. pag. 204.

LXI. Concedit Pater Remon, Columbum primo itinere ſecum duxiſſe aliquem Clericum, aut Religioſum; ſtatim ac enim Rodericus de Terrazas unus ex nautis terram detexit die undecima Octobris anno 1592.

actæ

actæ Deo ſunt grates, cantato hymno *Te Deum*. Quod etiam ex eo evincere nititur, quia credibile non eſt, centum viginti Chriſtifideles, qui naves conſcenderunt ad longiſſimum, & difficillimum iter ſuſcipiendum, Sacerdote caruiſſe, qui eorum exciperet confeſſiones, & a quo Miſſam audirent. Sed fatetur, ſe, maxima adhibita diligentia in legendis omnibus Hiſtoriographis, uno excepto Bernardo de Vargas, qui de his rebus ſcripſerunt, et codicibus mss. reperire non potuiſſe, an revera centum iſti viginti homines Sacerdotem ſecum duxerint, quo nomine vocatus fuerit, & utrum fuerit Religioſus, aut Clericus Sæcularis. Argumento hoc negativo, quod abunde refellunt Hiſtoriographi a nobis citati, Annaliſta ita fidit, ut aſſerere non dubitet, Joannem Perezium numquam vidiſſe Indias Novæ Hiſpaniæ, nec Peruviam, nec Inſulam S. Dominici, nec Cubam. Cur ita? An Remon præſens fuit expeditioni Columbi, quum adeo decretoriis verbis utatur? Quia, inquit primo, ſi conſtaret, eumdem Joannem auctorem fuiſſe, ut Columbus primo in Indias navigaſſet, Hiſpania deberet gloriam hanc Ordini Franciſcano. Oh pulchrum! quaſi deberi hanc gloriam Franciſcanis, aut Fratribus S. Mariæ de Mercede, aut quibuſcumque aliis Columbi ſociis, non idem ſit. Quid vero contigiſſet, ſi Fratres de Mercede tunc non extitiſſent? Nempe ne gloriam alii auferrent, Indiæ ignotæ jacerent. Inquit ſecundo, validiſſimis ſemper rationibus inſiſtens, eumdem Columbo auxilio fuiſſe tantum apud Regem Luſitanum, quum & ipſe foret Luſitanus. Qua in re ne locorum quidem topographiam accuratam tradit; oppidum namque *Marchena* ſitum eſt in Provincia Andaluſiæ, ſeu Vandalitiæ in Hiſpania, non in Portugallia. Hiſpanum itaque Joannem noſtrum ſciat Annaliſta fuiſſe Reginæ Iſabellæ a ſacris Confeſſionibus, amicitiam contraxiſſe cum Columbo non in Inſula Maderæ, ut ipſe pro arbitrio fingit, ſed in Conventu Arrabidæ, ubi Guardiani munere fungebatur, non Arrabidæ prope Ulyſſiponem, verum alterius oppidi D paſs. ab oppido Palos de Moguet, & Columbum præſentaſſe in Civitate Granatenſi Reginæ Iſabellæ, & negotium expeditionis in Indias confeciſſe. Non

Annales Min. an. 1492. num. 1.

dicam, hæc narrari a Waddingo; verum, quod maxime refert, a Ferdinando Columbo Chriſtophori filio Scriptore ſyncrono his verbis: „ Joannes Perezius Confeſſarius Reginæ Iſabellæ, & Guardianus Conventus Arrabidæ iniit familiaritatem cum Chriſtophoro Columbo, cum quo a dicto Conventu prope oppidum Palos profectus eſt ad Campum S. Fidei, ubi manebant Reges Catholici in loco Granatæ, ibique Frater Joannes ſic inſtitit apud ſuam Majeſtatem, ut nulla mora de expeditionis

Ferdinandus Columb. Hiſt. Patris ſui cap. 12.

pactis agi cœptum fuerit, & quamvis nonnullæ difficultates obvenerint, negotium tamen exitum habuit „. Hæc ita eveniſſe negat Annaliſta, ea fretus ratione, quia Hiſtorici omnes (ſunt ejus verba) conveniunt, Columbum a Joanne Perezio commendatum uni Regi Luſitano. Nullum tamen Hiſtoricorum citat, ut ſcilicet lectores moleſtia liberet eos conſulendi, ſeque onere id probandi, quod aſſerit. Gratum porro nobis feciſſet, ſi vel unius nomen indicaſſet. Neſcimus, quid homini faciendum ſit, qui lucem odit. Arbitramur interim, Ferdinandum Columbum omnibus aliis longe anteferendum, qui res narrat ad ſe, ac parentem ſuum pertinentes, quibus præſens interfuit, & quas oculis ſuis viderat, multoque magis Annaliſtæ ignotos, & tenebricoſos Hiſtoricos in medium producenti, qui an in mundo fuerint, ignoratur.

LXII. Agit Waddingus de quodam Bernardo Boillio Vicario Apoſtolico, qui anno 1493. die 25. Septembris Gadibus ſolvit in Indias cum Co-

Columbo, quemque Conſtantinus Cajetanus Abbas Benedictinus ſui Ordinis ſacit, & Abbatem Montis Serrati, Indiarumque primum Præfectum Miſſionis, Patriarcham, Apoſtolum, & Legatum a Latere. Hyperbolica multa a Conſtantino narrata Waddingus refellit; admittit tamen, Boillium Ordinis fuiſſe Benedictini. Aſt lego apud Raynaldum, miſſum ab Alexaudro VI. in Novum Orbem fuiſſe Bernardum Boil Ordinis Minorum, genere Catalanum, una cum duodecim Sacerdotibus, ut incultas illas regiones Evangelii ſemine jacto excoleret. Id referunt Hiſtorici, exstantque Pontificiæ literæ, quibus Apoſtolatus inter gentes Novi Orbis ampliſſimum munus illi impoſitum eſt: „ Dilecto Filio Bernardo Boil Fatri Ordi-„ nis Minorum Vicario dicti Ordinis in Hiſpaniarum Regnis ſalutem &c. „ *Tibi, qui Presbyter es*.. Sequitur tenor literarum. Datum Romæ apud „ S. Petrum an. 1493. VII. Kal. Julii Pontificatus Noſtri anno primo „. Joſeph Torrubia in Chronica Religionis S. Franciſci eumdem quoque Benedictinis adſcribit; verum prius oſtendendæ erant apocryphæ literæ Pontificiæ.

Annales Min. an. 1493. num. 4., & seq.

Raynaldus ad an. 1493. num. 14.

Torrubia lib. 1. cap. 12. pag. 46.

LXIII. Nominis S. Crucis originem Gonzaga deſumit a Cruce citrea, quam primi Chriſtifideles erexerunt prope Civitatem Conceptionis de Vega in elato jugo, a tranſeuntibus conſpicienda, quam fruſtra ſexcentum Indi diruere tentarunt, Virginis cujuſdam cæleſtis adſpectu territi. Idem referunt veteres Hiſtorici. Oviedo teſtis coævus, & oculatus narrat, Crucem in ſummitate montis ſurgentem æquaſſe altitudinem viginti palmorum, & miracula recenſet ab ea patrata. Herrera diligentiſſimus rerum Indicarum collector, & Philippi II. Hiſtoriographus multis verbis agit de conatu Indorum, ut Crucem convellerent, de formoſiſſima, & venerabili Matrona, quæ illam ſiniſtro brachio complectebatur, dextro fortiter defendebat, irruentium vires cohibens, atque reſtrænans, de ſuccreſcentibus ligni particulis loco illarum, quas Chriſtifideles devotione moti cædebant, ſecumque auferebant, de ceſſatione miraculi, quum nemo eſſet, qui ad ſumendas Reliquias non accurreret, translatione fragmentorum, quæ ſuperfuerant, partim ad Eccleſiam Collegiatam de Vega, partim ad Eccleſiam Fratrum Minorum, Indulgentiis a Pontifice conceſſis ad inſtautiam Philippi II., Chriſtifidelibus ea loca viſitantibus, miraculorum multitudine, in reddenda ægris ſanitate, ac præſertim tempore ingentis terræmotus, qui anuo 1564. Civitatem de Vega concuſſit; aliis enim ferme omnibus ruina oppreſſis, ſoli Crucis ſanctæ cuſtodes exitium, mortemque evaſerunt, intactis etiam iis partibus ædificiorum, in quibus ipſa ſervabatur. Hinc Provinciæ Sigillum, quod Imagines S. Dominici, & S. Franciſci Crucem in medio ſurgentem, & ſe mutuo amplexantium exhibet, his verbis circumſcribitur: *Ecce Crucem Domini Fugite partes adverſa*.

Gonzaga in Prov. S. Crucis Hispaniolæ part. 4. pag. 1297.

Oviedo lib. 3. cap. 4 pag. 151.

Herrera in Hiſtoria Indiarum decade 1. cap. 11. pag. 285.

LXIV. Obierat anno antecedente Ferdinandus I. Imperator, cujus morte bellum exarſit, quum in ejus Filium, & in Imperio ſucceſſorem Maximilianum II., qui iu Comitiis Francofordienſibus anno 1562. Rex Bohemiæ, & Romanorum ſnerat ſalutatus, propter Hungariæ Regnum excitaretur invidia, atque æmulatio Joannis Sigiſmundi Tranſylvaniæ Principis. Huic igitur Zacmarum occupanti, & Caſſoviam obſidione cingenti ſumma in hyeme Maximilianus occurrit. Rem tamen non cum Transylvano, ſed cum Turca ſibi eſſe cognovit, cujus opem Sigiſmundus imparem ſe Cæſareis copiis reputans, etiamſi ad Maximilianum pacis nuntium Stephanum Battorium ablegaſſet, clam imploraverat, jamque Barbarorum exercitus apud Temiſvarum caſtra poſuerat, quem tamen Carolus

Vigilius Greiderer in Germ. Francis. lib. 1. cap. 4. nu. 6.

lus Archidux Auſtriæ, commiſſo certamine, ad Savum amnem ingenti clade delevit. Sigismundo deinde Poloniæ Rege ſequeſtre de concordia agi cœptum eſt, licet Turca ſtudioſe rem in dies protraheret, ut ad acrius bellum inferendum ſe compararet. In his turbis circa hæc tempora Conventus noſter Krupenſis, quem in arce Croatiæ, orientali ripæ Fluvii Unnæ adjacente, Minores Vicariæ Boſnæ ante annum 1400. exceperunt cuſtodiæ Grebenienſi adſcriptum, Barbarorum expugnatione dirutus jacuit. In Catalogo Provinciæ Boſnæ ad annum 1506. ipſum non invenio, tunc enim ſpectabat ad Cuſtodiam Croato-Cettinenſem in Provincia Croatiæ. Multa quoque mala noſtris obveniſſent, niſi Cæſar diplomate Viennæ die prima Septembris ſubſcripto *Capitaneo* Fluminenſi, & Segnienſi injunxiſſet, ut Fratribus adeſſet, eoſque in privilegiis, & rebus a ſuis Anteceſſoribus conceſſis tuerentur, ac violatores illorum arcerent, & compeſcerent in Provincia Croatiæ Carniolæ.

Idem ibid. cap. 2.

LXV. Etſi non aliis Cœnobiis exitium illatum fuiſſe legam, dici tamen vix poteſt, quam res noſtras ſemper everterit Turcarum adventus in Hungariam, & loca propinquiora. Anno 1526. die vigeſima nona Auguſti in campo Mohats Oppidi Quinque Eccleſiis ad orientem Solem quatuor milliaribus Hungaricis diſſiti, Regem Ludovicum II. cum præcipuis Regni proceribus, utroque Strigonienſi, & Colocenſi Archipræſule, aliiſque Hungariæ Epiſcopis impari Chriſtianorum numero Solymani phalangibus occurrentem una cum flore nobilitatis occubuiſſe narrat Waddingus. Qui nec cauſam cladis aperit, nec Cœnobia hac occaſione deleta diſtincte recenſet.

LXVI. Cladis cauſam quidam rejiciunt in Paulum Tomoræum Archiepiſcopum Colocenſem Obſervantis Provinciæ S. Salvatoris in Hungaria alumnum, qui Regii exercitus Præfectus, quum miles fuiſſet ante ingreſſum Religionis, pugnandi cupiditate Regem validiores copias expectantem, congreſſumque cum prudentioribus ducibus remorari cupientem ad hoſtes invadendos compulit. Alii ſcribunt, ob ſpem ſucceſſionis in Regno Hungariæ Joannem de Zapolyia diſtuliſſe Ludovico ſuppetias ferre, quibus si tempeſtive accurriſſet, ſperandum erat, poſſe reſiſti. Ego crediderim, tum Pauli Tomoræi nimio ardori, tum Zapolyia cunctationi infandum exitum acceptum eſſe referendum. Sed & alia incidentia eumdem præpararunt. Ludovicus ſiquidem animadvertens, ex nova mutatione Religionis Germaniam peſſime undique vexari, lege lata in publicis comitiis ſanxerat, ne a quoquam perverſum Lutheranorum dogma in Hungaria reciperetur, utque eorum aſſeclæ, si qui forent, ignibus addicti cremarentur. Verum caveri non potuit, quin ſaltem libelli pernicioſæ hujus labis per claneularios hæreticos Pannoniam quoque pervaderent, quorum lectione multorum perturbati animi ad diſſidia & ſeditiones commoverentur. Dum ſic Regnum ſcinditur, Ludovicus a sociis Principibus, ac præſertim a Cæſare, & Germanis exquirit, neque tamen ea obtinet propter Religionis diſſentiones. Jubet etiam hominibus Regnicolis, ut arma ſumant adverſus truculentiſſimum hoſtem; ſed eos jam minus ſibi obſequentes experitur. Ipſe proinde primus cum prætoriano milite ad caſtra deſcendit, ſicque exemplo ſuo eosdem, licet non ea frequentia, quam neceſſitas publica poſtulabat, in campum prodire adigit. Hic tamen eos pervicaces, & refractarios reperit; nam neque caſtra ſua Regiis caſtris conjungere, neque alia auxilia afferre voluerunt. Quare compulſus cum hoſte congredi miſere interiit.

Petho ad an. 1526

Martinus Stent-Ivanyi diſſert. paralip. cap. 79.

Mino-

Minoritica Cœnobia tempore cladis Mohatsiana in Hungaria, finitimiſque regionibus vel diruta, vel deſerta.

LXVII. Cœnobium S. Nicolai de Aracha in Ducatu Syrmienſi Diœceſis Cſanadienſis, cui Regina Eliſabeth ejus Fundatrix ex teſtamento, quod aſſervatur Poſonii in monaſterio Clariſſarum, reliquit *quingentos florenos auri, unam capſulam de Atlas cum ſuis pertinentiis perlis ornatam, duas nuces argenteas in proceſſione ſuper velum geſtatas, & duas ampullas argenteas in ſuperiori noſtra Capella habitas*. Locus iſte olim celebris hodie ruderibus potiori parte conſepultus manet, & modernis accolis *Racha* dicitur ſitus ad confluentem Savi, & Drinæ bellici Ducis in his confiniis juriſdictioni ſubjectus. Eugenius Kosa part. 2. collectaneorum.

LXVIII. Cœnobium Bachienſe in Comitatu ejuſdem nominis Dominii, & Diœceſis Colocenſis. Deperditis monumentis aſſeri tuto nequit, an hoc idem, vel aliud in Civitate de Bach cœnobium modo incolant Fratres Obſervantes Provinciæ S. Joannis de Capiſtrano.

LXIX. Cœnobium de Ban-Monoſtra in Ducatu, & Diœceſi Syrmienſi prope Danubium inter Eſzekinum, & Belgradum. Hodie vix primævæ dignitatis veſtigia retinet, & a civibus ſchiſmaticis *Banoſtra* nuncupatur.

LXX. Cœnobium Ceps ſuperioris, & Ceps inferioris; arx enim Scepuſienſis, quæ Comitatui nomen imponit in Diœceſi Strigonienſi, duas Ordinis noſtri ædes complectebatur, unam in arce, alteram ad montis radicem. In tabulis Capitulorum Albenſis anno 1531, & Varadienſis anno 1533 earum nomina non apparent, nec etiam leguntur nomina Cœnobii Koſztanicenſis in extremo Croatiæ confinio Diœceſis Albæ Juliæ, Szigethani in Comitatu Simighienſi Diœceſis Veſpremienſis, & de Leuka in Comitatu Caſtri Ferrei Diœceſis Jaurinenſis.

LXXI. Cœnobium Cibinienſe in Cuſtodia Mariano-Tranſylvanica. Cibinienſes ſiquidem Cives contentionibus duorum Regum Ferdinandi, & Joannis in ſuum commodum, ſive perniciem maximam uſi, duo de vigeſimo Februarii die anno 1529. Collegium Canonicorum, Sacerdotes, Deique viros, & mulieres omnes Religioſas capitali edicto ex Urbe migrare juſſerunt. Ex ejectorum Sacerdotum numero unicus repertus eſt Matthæus, qui ad Lutherum tranſivit, ne beneficium, quod in Noſocomio obtinebat, amitteret. Lues hæc hæretica Cibinio per Hungariam ſerpens contagii inſtar totum Regnum undique infecerat, brevique vix aliquæ familiarum nobilium avita catholica Sacra cuſtodierunt. Inter profugos ſoli Fratres Minores, favente Joanne de Zapolyia, ad Civitatem Cibinienſem redierunt; licet paullo poſt iterum exultare juſſi fuerint. Samuel Timon in historia ad annum 1529. Rudolph. Brenshii in Miscell.

LXXII. Cœnobium de Jaſz-Bereny Diœceſis Agrienſis in Provincia Japygum, qui Philieſtri olim dicebantur, & Sæculo XV. fidem catholicam Fratrum Minorum opera ſuſceperunt, quum antea Idola colerent. Cœperat ipſis Religionis lumen multo ante affulgere Fratrum Minorum prædicatione, ut ex literis Clementis Papæ VI. ad Miniſtrum Provinciæ Hungariæ: *Quantum negotium*. Supplicante Matthia Rege Hungariæ, Sixtus IV. permiſit, ut Fratres reciperent Conventum in Urbe Bareno, nunc Jaſz-Bereny conſtructum, cujus item in prædicta tabula Capitulari Varadienſi nulla ſupereſt mentio, nec de ſequenti.

LXXIII. Cœnobium de Inſula Leporum prope Budam in Comitatu Pyliſienſi Diœceſis Strigonienſis. Quondam hæc Inſula ſatis vaſta, mo-

do admodum exigua extra Danubii aquas a regione Thermarum ſuperiorum emergit. Temporibus tam Belæ IV., quam Stephani ejus filii ædificiis gaudebat magnificis; viſebantur enim ibidem palatia nobilium quamplurima, tum maxime Regium, & Archiepiſcopale. Item monaſteria Religioſorum utriuſque ſexus, inter quæ Parthenon nobiliſſimum, & opulentiſſimum B. Mariæ Virginis, quod præfatus Bela fundaverat; Stephanus autem filius, & nepos Ladislaus ditarunt, & tandem Beata Margaretha Belæ Regis Filia S. Auguſtini Regulam ſub cura Patrum Dominicanorum profeſſa incoluit; unde etiam Inſula Beatæ Margarethæ audit. Quum Inſula floreret, Danubius partim muro, partim vallis, quin tamen exundantis interdum fluvii aquæ prohiberi poſſent, arcebatur, fuitque in ea pagus Divi Pauli cum Parœcia. Subacta vero a Turcis Buda, ob barbarorum negligentiam aggeres, maximæque terræ portionem Danubius ſuſtulit, ac proinde modo, congeſtis uligine, & arena, Minoriticum Cœnobium Regis Stephani exuviis inſigne nullum veteris majeſtatis ſignum oſtendit, immo vero ne quidem apparet.

Michael Bombardus in Topograph. mag. Regni Hung. pag. 25.

LXXIV. Cœnobium Jaurinenſe S. Eliſabeth Thuringiæ Dominæ, & Andreæ II. Regis filiæ. Extabat in ſuburbio Jaurini, olim Arrabona, memorandum hoſpitio S. Joannis de Capiſtrano, qui eo in loco conſilium inivit cum Proceribus Regni, ut Turcis jam Byzantio potitis, & Hungariæ minitantibus occurri poſſet. Anno 1533. rediit hoc Cœnobium ad noſtros.

LXXV. Cœnobium Kiſſ-Martonienſe in Urbe Regia ad S. Michaelem. Waddingus, qui ejus meminit ad annum 1414, cuſtodias deinde, & conventus Hungariæ recenſens de eo tacet. Quum vero ex traditione, & MSS. colligatur, ædem hanc centum, & amplius annos deſolatam fuiſſe, antequam Sæculo XVII. nova exurgeret, argumento eſt, poſt cladem Mohatſianam fuiſſe deſertam, fortaſſe dum Solymanus Viennam Auſtriæ primum obſeſſurus cum trecentis ſuorum millibus progrederetur. Qui tametſi, re infecta, rediret, nulla tamen amplius ſupereſſe videbatur fidelium pietas, quæ Religioſis, ut domum ſuam repeterent, patrocinaretur; mox namque Lutherani edicto Ferdinandi Cæſaris ab Auſtria ejecti in Pannoniæ conterminas Urbes, & pagos ſe receperunt, ipſamque Pannoniam intrarunt ita viribus, & numero fidentes, ut Religioſos exturbare conarentur, niſi Cæſaris auctoritas eorum inſolentiam, & pervicaciam refrænaſſet.

LXXVI. Cœnobium Liptovienſe S. Nicolai Diœceſis Strigonienſis, de quo præclarum extat Bonfinii teſtimonium. Magnifica ejus Eccleſia ſex columnis interius fulta etiam nunc viſitur integra, & amplitudine, ac decore ſuo Urbi cuivis populoſiſſimæ conveniret. Tempore Matthiæ Corvini Regis, aut Joannis ejus filii circa annum 1489. Conventui addita creditur; duplex namque Inſigne Corvinianum in ea reperitur, unum in columna exteriori, alterum interius ſub fornice coloribus expreſſum. Hanc domum derelictam ſtatim poſt annum 1526., irrumpentibus a Septentrione quaquaverſum hæreticis, occuparunt paullo poſt Patres Cherienſes e Conventibus Turcarum ditioni vicinioribus exules, ſed inde paucos poſt annos exceſſerunt, manſitque deſerta ultra integrum ſæculum.

LXXVII. Cœnobium Mariano-Pratenſe in Comitatu Moſſovienſi prope Niſiderium ad Lacum *Ferto*, veteribus *Peiſo*, ſeu *Pelſo* Diœceſis Jaurinenſis. Fuerat in loco moderni Cœnobii olim Eccleſia Aſſumptionis B. M.

B. M. Virginis aſſiduo peregrinorum concurſu celebris. Dum a Campo Mohats immanis Turca circum excurrens flamma, ferroque omnia vaſtaret, illam etiam una cum adjecto pago *Fraukirch* funditus evertit. Verum inter ipſas ruinas ægri valetudinem, oppreſſi ſalutem, perfugium miſeri invenerunt; & quod omnem ſuperat admirationem, ipſi quoque ab orthodoxa fide extorres Lutherani, dum catholicis permixti orarent, Dei in ſe beneficentiam expertos vetuſti codices teſtantur.

LXXVIII. Cœnobium Poſonienſe, de quo ſequentes extant Ferdinandi Literæ in Annalibus Ordinis nondum relatæ.

Nos Ferdinandus Dei Gratia Rex Hungariæ, & Bohemiæ Rex. Thomæ Epiſcopo Agrienſi ſupremo Cancellario prædicti Regni noſtri Hungarici Salutem, & gratiam &c.

QUum ex querela, & ſupplicatione honorabilis Patris Fratris Antonii S. Theologiæ Profeſſoris Ord. Min. S. Franciſci, atque piæ memoriæ cariſſimi noſtri Sororii, & affinis Ludovici ſimiliter Regis Hungariæ, & Bohemiæ ſpecialis Confeſſoris, & Prædicatoris gravi animo accepiſſemus, quomodo Judex, & Civitas Poſonienſis in prædicto Regno noſtro Hungariæ exiſtentes adumbrata, & colorata quadam cauſa Fratres ejuſdem Ordinis ad monaſterium loci, & civitatis ejuſdem admittere nollent; & quod hoc proximo Septembri celeri Turcarum adventu ex conſilio etiam ſupradictæ Civitatis, ne in obſidione, & defenſione egeſtate laborarent, ſolum tribus Fratribus ibi relictis, abiiſſent, quique plus oneri, quam ſuffragio dictæ Civitatis tunc fuiſſent; vellentque ex dicto monaſterio longe a Prædeceſſoribus noſtris, qui in expiationem peccatorum ſuorum & noſtrorum, ac Regni ſalutem illud conſtituerunt, pretioſiores ſuppellectiles eu gemmis, auro, & argento in cultum divinum non ab ipſis, ſed aliis bonis oblatas in eccleſiam ſæcularem Lutheranorum commutare. Quapropter, quum per Fratrum eorumdem ſalubrem doctrinam, & bona exempla totum mundum illuſtrent, & pugiles, defenſoreſque Fidei noſtræ, ſine quibus Reſpublica Chriſtianorum male foret, ſe præbeant; volumus, & ſerio noſtro mandato committimus vobis in hac cauſa ſpeciali noſtro mandatario, & ejus Ordinis peculiari Patrono,ut illos Fratres,vel alios quoslibet ejus Ordinis in dictum monaſterium Regio noſtro juſſu intrare permittatis, ſtare, morari, commutarique eos, & divina officia exercere, quouſque libuerit, nec non & ad alia quæcumque monaſteria illius Regni noſtri Hungariæ ubivis conſtituta ſine aliqua offenſa, & remora. Rebelles vero, & hujus noſtri mandati contumaces pœnis omnibus ad hoc juſtis, & ſufficientibus prohibendo. Denique condignam mulctam de eis ſumendo, quotieſcumque opus fuerit, & id Fratres dicti Ordinis poſtulaverint, vel neceſſe eſſet. Secus non facturi Præſent. perlectis exhibenti reſtitutis. Data fuerunt hæ protectionales anno MDXXIX. menſe Novembri poſt ſolutam obſeſſionem Urbis Viennæ.

LXXIX. Cœnobium Poſonienſe Monialium Clariſſarum. Statim ac triſtes de funeſtiſſima clade Poſonium nuntii advenerunt, Moniales metu perculſæ diffugerant pars Brunam; & Græcium, pars Pragam, mortuæque ſunt omnes, præter Angelam Eiſemverchin Abbatiſſam, quæ in ſumma rerum inopia Poſonium rediit. Senio, & morbis confecta Judicibus Civitatis, & duobus ex Collegio Canonicorum tradidit monaſterii literaria Inſtrumenta una cum æde, ejuſque juribus ea conditione, ut Xenodochium ex ea fieret; quod executioni mandatum eſt. Sed Ferdinandus I., amotis hoſpitalariis, saucios milites introduxit, qui ibi quin-

decim annos degerunt; nam quum anno 1541. Solymanus victorius inſolentior Budam occuparet, in ea communi calamitate Moniales a Veteri Buda, ſeu Sicambria, neſciæ quo ſe verterent, Poſonium fugerunt cum omnibus Monaſterii bonis (quorum tamen magna parte ſpoliatæ fuerunt a latronibus prope Strigonium) ac literariis Inſtrumentis, utque ibi pedem figerent, petierunt hujuſmodi Clariſſarum Cœnobium; votique compotes, etſi cives obſtitiſſent, benevolentia Ferdinandi Cæſaris, antiqua jura recuperarunt.

Urbanus Fridrich in Chron. Prov. S. Salvatoris.

LXXX. Cœnobium Szegedienſe in Comitatu Cſongradienſi Diœceſis Strigonienſis eodem ipſo anno cladis Mohatſianæ ſolo æquatum, excepta Eccleſia, apud quam, inſtantibus civibus, & non renuente Hederbekio arcis Szegediensis Turcico Præfecto, nonnullæ cellæ conſtructæ ſunt ab ipſis Turcis in ſolatium ſpirituale Chriſtianorum, quas anno 1533. Fratres incoluerunt.

LXXXI. Cœnobium S. Franciſci in Veteri Buda, ſeu Sicambria in Comitatu Philiſtenſi Diœceſis Strigonienſis. Urbe tota a barbaris direpta, Fratres Minores archivium Provinciæ inter arma, & excidia valde imminutum, & vitiatum cum pretioſioribus rebus Eccleſiæ, & Bibliothecæ Poſonium detulerunt, Budæ relicto Confeſſario, ejusque ſociis, qui Monialibus ſpiritualia obſequia præſtarent. Celeberrimum fuit Cœnobium ob Metropolim, & Aulæ Regiæ propinquitatem, & quia quaſi in Provinciæ umbilico conſiſtebat.

LXXXII. Cœnobium Strigonienſe S. Ladislai, de quo, licet de alio Cœnobio Strigonienſi B. Mariæ Virginis Auxiliatricis loquantur, non meminerunt Archiviorum MSS. Scimus tamen ab exteris integræ Fidei Hiſtoricis, Belam IV. ab exilio reducem Auxiliatrici ſuæ ædem potuiſſe in Urbe Regia Strigonienſi anno 1250., cui addixit Fratres Minores. Iidem, ait Ladislaus Turoczy, ad S. Ladislaum habitabant in Archiepiſcopali Civitate, Dominicani ad S. Martinum, ad S. Andream Auguſtiniani, Templarii ad radices arcis. Hodie in Regia Seraphici ſunt, iidem in Archiepiſcopali. His non abludit Topographia Magni Regni Hungariæ, in qua dicitur, quod Fratres Minores S. Franciſci in Regia civitate Mariani, & in flumentanea (ſic Strigonium nominatur) Ladislai Regis ſanctiſſimi Aſceteria habuerint.

Ladislaus Turoczy Compend. part. 129.

Topograph. lib. 3. cap. 9. §. 6.

LXXXIII. Cœnobium Oppidi Uylak in Ducatu, & Diœceſi Syrmienſi, quod hodie Hungaris *Szerem-Uylak*, Thracibus *Raſciis*, & Illyricis *Villok*, & *Illok* dicitur. Narrat auctor appendicis Synodi Pazmanianæ una cum Petro de Taresbesd, & Matthæo Kamantz, Nicolaum Ugrinum Syrmii ducem, & Magiſtrum Curiæ Regiæ, qui anno 1359. hunc Conventum conſtruxit, maledictionem orbitatis Filiorum poſteris ſuis imprecatum fuiſſe, ſi eorum opera Fratribus Minoribus auferretur, quod in Laurentio duce adimpletum aſſerit. In ejus direptione illud maxime lugubre accidit, quod S. Joannis de Capiſtrano ibidem tumulati Urna ita oculis, & memoria ablata eſt, ut ubi repoſita lateat indicari nequeat.

LXXXIV. Cœnobium Zagrabienſe in Croatia Comitatus, & Diœceſis ejusdem nominis. Dum poſt miſerrimam cladem alii Joaunem de Zapolia, alii Ferdinandum Regem acclamant, & coronant, inter animorum diſſentiones a Ferdinando miſſi milites potiori numero Hiſpani ad ſubigendum Capitulum Zagrabienſe, (mons enim Præcenſis, ſeu Superior civitas ipſi parebat) duce Nicolao Turriano, cum area, ſeu fundo Capi-

Monumenta Archiv. Prov. S. Ladislai Regis.

Capitulari conventum incendunt, qui proinde, dilapſis ad hoſtilem impetum Fratribus, etiam quoad ſolum amiſſus fuiſſet, niſi duo Religioſi in ejus ruderibus domum conſervaſſent, adſcitisque Fratribus, loci reſtaurationem, qua licuit, ſuſcepiſſent. (Ex lib. Hiſtoriarum Eccleſiæ Zagrabienſis pag. 116.)

LXXXV. Cœnobium de Zentha in Comitatu Bodrogienſi, locus exigui nominis, inſignis tamen victoria ab Eugenio Sabaudiæ Principe anno 1692. relata de Turcis, proſtratis in arena viginti eorum millibus, & decem millibus Tybiſco demerſis. Regio iſta anno 1526. immanem Solymani tyrannidem, & rabiem potiſſimum tulit, quum etiam perduelles filii patriæ damna paſſim augerent.

LXXXVI. Similem calamitatem ſubierunt ſubſequentibus annis, videlicet anno 1533. Cœnobium in Zvornich. Anno 1534. Kreſſevienſe, Viſſokienſe, Foinicenſe, Sutticenſe, & in Kogniez. Anno 1541. Budenſe S. Joannis Evangeliſtæ, & Caſſovienſe olim S. Nicolai Epiſcopi, modo B. Virginis in Cælum Aſſumptæ. Anno 1543. Albense, ſeu Albæ Regalis a Bonfinio laudatum, quod in eo Hungariæ Reges monumentis pulcherrimis tumulari conſueverint. Anno 1550. Lippenſe in Comitatu Temesvarienſi. Anno 1552. Agrienſe, de Berek Szatz, Debrecinenſe, de Gobonak, Teutsovienſe, de Lubbreg, Ormosdienſe, de Zemenye, de Zudlak; & Nitrienſe, quod non Turcæ populati ſunt, verum Zapolyiani, non Joannis, qui ſincerus adhuc perſeveraverat catholicus, ſed ejus degeneris filii Ariani, vel Anabaptiſtæ, vel nullius fidei, & Religionis abortivi Sigismundi aſſeclæ, qui plures Fratres neci dedere. Eccleſia egregie ædificata ſupereſt ſub titulo Aſſumptionis, juxta quam annis proxime præteritis Nazaræorum Societas originem sumpſit beneficio Epiſcopi anno 1765., ſed anno 1767. juſſu Regio per excelsum Conſilium Regium intimato, alumnos recipere prohibita eſt, ex quo arguebatur, eam brevi interituram, quod tamen non accidit. Anno 1556. Cœnobium de Szasz-Varoſs in Tranſylvania, & circa eumdem annum Capronczenſe, de Monſtar, de Gliubuski, & Veroczense, cujus Eccleſiam quum Turcæ majori ex parte disjicerent, horridam repente lucem exortam narrant, quæ non alio modo ſedari potuit, niſi Fratrum hortatione voto nuncupato ad S. Rochum, ex quo Barbari Fratribus indulserunt, ut ibi parvum quidem, ſed Deo, & S. Rocho Sacrum Templum conſtruerent. (Philippus ab Occhiejva Epitom. Vetuſt. Prov. Boſnæ pag. 19.)

LXXXVII. Agitabantur hoc tempore quæſtiones nonnullæ inter Fratres Minores in Provincia Flandriæ, de quibus non loqueremur, niſi Fleurius rem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inſerere dignum cenſuiſſet. Disputabant illi inter ſe de contritione, neceſſitate confitendi peccata, & Virginis Conceptione. Quærebant, an contritio ſatis eſſet ad obtinendam culparum veniam, ſi Fratri alicui Confeſſarii Ordinis ſui deeſſet copia. Quærebant, inquam, ut fieri ſolet in Ordinum Regularium academiis ad veritatem in aprico collocandam; non docebant. Quod ſi quis eorum affirmativæ ſententiæ adhæreret, eamque ad praxim reduceret, haud mirandum, in tanto Franciſcanorum populo unum, vel alterum doctrinæ ſingularitate ſibi placuiſſe. At Michaelem Bayum impugnabant myſterii Conceptionis adverſarium, etſi nonnulli Bayo conſentirent, quod eidem cauſæ acceptum eſt referendum. Dum ſcholaſticæ controverſiæ diſcutiuntur, discordiæ faces a Geſuiis, ideſt Nebulonibus, & ſcurris, in Belgio & Germania Inferiori accenſæ, licet primo Catholicorum Principum vigilantia compreſſæ, in apertum incendium eruperunt; promul- (Fleury Hiſt Eccl, lib. 169 num. 54.)

mulgatis namque Sacri Concilii Tridentini decretis, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis edicto, quo Margaritæ Parmenſi Belgii Præfecturam gerenti cura committebatur, ne Catholica Religio aliquid detrimenti caperet; Geuſii, Duce Guilielmo Principe Auraſio, tum Hiſpanis, tum Catholicæ Religioni infenſi, ac præcipue S. Inquiſitionis Officio, quod ſapientiſſime adverſus hæreticos impune exitialia dogmata venditantes erat inſtituendum, Hypris primum Templa Deo Sacra adoriuntur; mox Antuerpiam ferro, atque igne exſcindunt furore adeo conciti, ut Chriſti, & dexteri Latronis Imaginibus Cruce detractis, ſiniſtri Latronis, cujus humeris dæmon inſidebat, Imagini pepercerint; paremque impietatem, & crudelitatem exercent per Bataviam, Friſiam, & Hollandiam in Eccleſias, ſanctioresque res irruentes, ut eas vel contemptui expouerent, vel exitio darent.

LXXXVIII. Nihil actum non eſt, ut neſarii reprimerentur, indicta etiam & celebrata Synodo Provinciali Trajectenſi, cui, licet non conſecratus, interfuit Joannes Mahuſius primus Daventrienſis Epiſcopus Ordinis Minorum Obſervantium, & ſaluberrimis legibus conſtitutis. Nequidquam tamen, ne prodigiis quidem a ſcelere eos retrahentibus.
Raynaldus in Hiſt. Eccleſ. tom. 15. pag. 544. „ In Oppido, inquit Raynaldus, cui Boſchum Ducis nomen eſt, quum „ Hæretici Sacras diffringerent Imagines, atque ſtatuam ligneam Divi „ Antonii aſcia, & bipenni violaſſent, ut eam flammis ſuccenderent, „ repente ſacro igne correpti die poſtero magnis cruciati doloribus in- Bredenbac. coll. Sacr. lib. 3. cap. 27. „ felices animas eſſlarunt, de quo publica tunc acta fuerunt conſcripta „. Quæ res paucis mutatis narratur etiam a Tilmano Bredenbacio, ex publica traditione, ſcripturis in lucem editis, & teſtimoniis hominum fide digniſſimorum; dicitque, eo tempore, quo Guilielmus comes Frater Guilielmi Principis Auraſii perdidit monaſterium Franciſcanorum Boſcoducenſe, quemdam ignoti nominis hominem falſis doctrinis imbutum, quum in Eccleſia Fratrum Minorum ab Auraſia Familia olim, ut fertur, extructa ſacra evertiſſet, etiam S. Antonii ſtatuam percuſſiſſe, ad terram projeciſſe, ac pedibus calcaſſe, donec disjiceretur. Reperiebatur illic Catholica, & pia mulier, quæ homini dixit: *Quidnam tibi mali fecit S. Antonius, cujus ſtatuam tanto contemptu excipis?* Cui ille reſpondit: *Cur tu, mulier, me arguis S. Antonii cauſa? Si is aliqua pollet virtute, eam oſtendat.* Et ſtatim Blaſphemator ille correptus fuit igne ſacro S. Antonii, quo toto corpore, & viſceribus arſit, & miſere ſacrilegus periit.

LXXXIX. In Regno Scotiæ partim Calviniani, partim aliarum Hæreſum ſectatores Reginam Mariam, cujus viduitatem contemnebant, calumniis opprimere tentarunt; depulſis vero opera Regis Henrici, eis Eliſabethæ Angliæ Reginæ patrocinium non defuit. Ferunt, tunc primum ortum habuiſſe hæreſim Puritanorum, qui nihil ſibi cum Romano-Catholicis commune eſſe volunt; ideoque abjiciunt penitus nomina omnia, & officia Eccleſiaſtica, ne cæremoniis quidem ſacris uſi, quo alios Calvinianos ſuperſtitionis accuſant, etſi in Religione ab ipſis minime diſſentiant, imo eadem dogmata ſequantur. Hæreticorum autem furoris victimæ ceciderunt in Conventu Armachano in Hibernia Rogerius Mac-Congaill, Conatius Mac-varta, & Fergallus Wardæus præſtantes Seraphici Ordinis alumni a quodam Donaldo impiorum hominum anteſignano per publicas Civitatis vias, & fora raptati, fuſtibus percuſſi, ac demum in odium Catholicæ fidei crudeliſſime perempti.

XC.

XC. Ut malis, quibus Gallia premebatur, remedium afferretur, indicto Molinii congreſſu, cui interfuerunt Rex, Regina Mater Catharina, Principes Aulici, & Præſides Curiarum cum Cardinalibus Borbonio, Lotharingio, Guiſio, & Epiſcopis plurimis, Guiſiorum, & Colliniorum familiæ concordiam mutuo iniverunt, quo in Catholicos arma dempta Hugonottis videbantur, ſic dictis a quadam porta Civitatis Turonenſis, cui Hugonis Regis nomen erat impoſitum, prope quam illi obſcœna, & infanda ſacra peragebant; nec hodie eorum Nepotes honeſtius nomen ſortiuntur *Sanculottes* dicti, homines ſcilicet ſine femoralibus egentiſſimi, turpiſſimi, iidemque audaciſſimi, & totius humani generis fæx execranda. Pacta tamen Principum virorum reconciliatio neque verum, neque diuturnum exitum obtinuit; arma enim paullo poſt Hæretici reſumpſerunt, circumque excurrentes Brivæ in Aquitania Stephanum de Berda, & Antonium de Pulchro Viſu integerrimos Sacerdotes neci dederunt, eo quod eorum facta reprehenderent, & ſalutem extra Romanam Eccleſiam inveniri negarent; Accidit ſub idem tempus, ut Nicolaus a Lotharingia ferventiſſimus Verbi Dei concionator ad populum ſermonem haberet, quumque Dei ſpiritu æſtuans vitia liberius inſectaretur, deperditoſque Chriſtianorum mores exagitaret, & Hæreticis graviſſimum negotium faceſſeret, mox ut e Cathedra deſcendit ad Conventum Brivenſem abiturus, in inſidias eorum incidit, qui ipſi revinctis poſt tergum manibus, extenſoque ſuper nudam tabulam, & aperto gutture, & collo, linguam extraxerunt, eoque in tormento animam Deo reddidit.

Gonzaga in Prov. Aquitaniæ Con. 19.

Arturus die 19. Decembris.

XCI. In Delphinatu, & Charreriarum pago Diœceſis Viennenſis irruerunt in Conventum Minoriticum, ubi ſacra profanarunt, Fratribus inde metu diffugientibus. Mirabile vero eſt, Claudium Gerardum contemptis eorum injuriis, & opprobriis ſolum dejectæ, & deſtitutæ domus incolam permanſiſſe, & in Hæreticorum conſpectu Officium quotidie recitaſſe in Templo, virtutemque, & ſenectutem ipſius etiam ſatellites veneratos fuiſſe. Orationibus intentus ante reditum Fratrum deceſſit placide absque prævia infirmitate. In Diœceſi Bituricenſi bonis, & Eccleſiaſtica ſuppellectile expoliarunt Cœnobium Caſtri Rodulphi, quod Waddingus contigiſſe etiam affirmat anno 1560., adeo frequentia erant illorum temporum exitia.

Wad. ad an. 1559. num. 70.

Hueberus die 7. Maii.

XCII. Martyrium Petri de Molerio, & juvenis Subdiacoui Apamiis, ſeu Pamiers in Gallia ad annum 1563. rejicit ſuperior Annaliſta, & Arturum erraſſe affirmat, qui hoc anno id narrat contigiſſe, dictique rationem adducit, quia ex authenticis MSS., Provinciæ Aquitaniæ Recentioris Arturi error innoteſcit. Video interea, non Arturum tantum in ea eſſe ſententia, verum etiam Gonzagam, Waddingum, Baretium, & Dazam, quos omnes in authenticis MSS., quæ adhibuerunt, cæcutiſſe nemo ſibi facile perſuaſerit, maxime quum monumenta ipſe ſua non producat, prout Hiſtorico faciendum eſt, qui alii contradicit. Quidquid ſit, certum eſt, hoc anno menſe Auguſti univerſam fere Aquitaniam ſub Hugonottorum jugum miſſam fuiſſe. Daurenſem Civitatem ingreſſi in Cœnobio Minoritarum Gulielmum Reriachum Guardianum vinculis conſtringunt, & verberibus, probriſque vexatum rapiunt ad tabernam cauponariam, ubi eorum Præfectus manebat. A quo jam recumbente vir Dei interrogatur: num altaris Miſſa adjecto convivio potior ſit? mos enim illorum eſt, in crapula, & ebrietate de divinis oraculis tractare, & diſcepta-

Gonzaga in Prov. Aquitaniæ Recent. Con. 2.

ſceptare, vinoque ferventes inſulſas fabulas, & vana deliria afferre. His
igitur ventris mancipiis optimus Pater ſic reſpondit: „ Cibus ille, qui re-
„ ficiendo corpori exhibetur, corruptibilis eſt, & qui eum manducant,
„ iterum eſuriunt. Altaris autem cibus ſempiternus eſt, & incorrupti-
„ bilis, quem vera fide, ac pura conſcientia ſumentes non amplius eſu-
„ riunt „. At illi e contra ajunt: Quare ergo vos poſt Miſſam illam
diabolicam comeditis? Quibus is reſpondit: „ Miſſa non poteſt eſſe dia-
„ bolica, quum in ea realiter (ut Scholaſticas voces non refugiam),
„ corporaliter, & præſentialiter Dominus noſter Jeſus Chriſtus conti-
„ neatur. Vos ergo potius ex Diabolo eſtis, qui ſic bonum malum, ac
„ Deum Diabolum eſſe arbitramini „. Quibus dictis Filii Belial velut amen-
tes, atque ebrii, ac furiis agitati varia in ipſum jactantes convicia,
carnium oſſa, & crapulæ eorum reliquias, ſordeſque alias et oris, & na-
rium in venerandi Patris faciem conjiciunt; atque hinc pro receptis a
Deo beneficiis gratias minime agentes, repletis ventribus, ac vino ma-
dentes ſurgunt a menſa, ſervumque Dei interpellant: an velit Romanum
Pontificem, & fidem catholicam abnegare, aut in peſſima illa ſua do-
ctrina mori? Is vero reſpondet: „ Mea doctrina vera eſt, & ſi ipſi re-
„ nuntiaverim, damnabor. Nullam profecto Fidem novi præter Roma-
„ nam; & ideo non eſt, cur labefactari hac in re poſſe me arbitremi-
„ ni veſtris hiſce ſtudiis „. Poſt hæc tandem, & alia ſimilia extenſis
brachiis preces ad Deum fudit dicens: „ Tu Domine Sabaoth, qui ju-
„ dicas juſtum, & impium, quique noſtri renes, & corda, ſcis quid
„ cogitent hi adverſum te, & tuos. Quæſo, ut mihi non deſis in hac
„ vita, donec tranſeat hæc iniquitas „. Illum vero ſic divinam opem
implorantem Miniſtri Satanæ veſtimentis exuunt, utque conceptam ani-
mo conſtantiam remitteret, virgis, ſpinis, tribuliſque atrociter cædunt.
At vero quum ſe pœnarum gravitate nec tantillum a Catholicæ fidei
propoſito eum dimoviſſe cernerent, ſtudent interimere, unuſque eorum
gladio per umbilicum lethaliter transfigit; humique procumbentem, ac
dicentem: *Jeſu parce mihi, & illis*, impii Satellites (his ſcilicet verbis
in furorem majorem concitati) vibratis tormentorum globulis toto cor-
pore perfodiunt, inhumatumque corpus relinquunt. Sequenti vero die
egredientibus illis, ut in perpetrato facinore complacentes vulneratum
corpus contemplarentur, unus eorum pia jam præmortui Patris oratio-
ne commotus, qui licet conſenſu, non tamen opere ad virum Dei in-
terimendum ſeſe contulerat, *Sepeliatur*, inquit, *quia Frater noſter eſt*.
Fraterne noſter? ajunt cæteri; *mentiris Papiſta*. *Fraterne? ergo tuus*. Hinc
vero extra hortum ſepultus fuit. At ille hæreticus, qui pietate motus
ſepeliendum ſancti viri corpus curaverat, militari vita relicta, totum ſe
ad vitæ melioris inſtitutum, fidemque Catholicam convertit; hæcque
ita eveniſſe veraciter retulit qui veluti alter Saulus Protomartyris Ste-
phani oratione commotus ad S. Matris Eccleſiæ gremium reverſus eſt.
Parem quoque martyrii palmam adepti ſunt devotiſſimus Pater Stephanus
Regnacus, Jacobus Lambertus Novitiorum Magiſter ſub iiſdem impiis,
ſæviſque ſatellitibus. Mirum tamen non eſt, Hæreticos pauperibus Fra-
tribus non pepercisſe, ſi neque Summi Pontificis vita a nefariorum ho-
minum inſidiis tuta eſſe potuit, in quam Romæ conjurarunt Thaddæus
eques Pellizzonius, Benedictus Accoltus, & Proſper Pictorius vel inſa-
nia, vel phanaticis ſpectris, ut inquit Natalis Comes, agitati; Deo enim
rem gratam ſe facturos credentes, ſi Pontificem occiderent, Pœnitentiæ
Sacra-

Sacramento ſe ad illam præpararunt. At nefarios impetus Chriſti Vicarius evaſit, conjuratis ſponte conterritis, meritoque ſupplicio addictis.

XCIII. Conventum Suverinenſem, & Grypsowaldenſem in Provincia Saxoniæ S. Crucis anno 1550. periiſſe tradit Gonzaga. Non inutile hic erit adnotare, circa idem tempus deſideratos quoque alios fuiſſe, nempe Brandeburgenſem, Luſicenſem, Gottingenſem, quem ſub Pontificatu Pii II. Obſervantes a Conventualibus acceperunt cum annexo monaſterio Sororum Tertiæ Regulæ; & Mersbachenſem in ditione Magdeburgenſi a Lutheranis in Scholam converſum, quibus Eccleſia pro concionibus deſervit. Derelicti itidem ſunt Conventus Dantershemienſis, quem modo incolunt pauperes, Hallenſis ab Hæreticis direptus, eorumque Gymnaſio applicatus, recenti ætate incorporatus univerſitati, in cujus Eccleſia tumulatus quieſcit Juniperus German, qui Guardianatus officium ex obedientia ſuſcepturus a Svecis militibus in odium fidei occiſus eſt; Corbacenſis in Comitatu Waldekano a Comitibus ipſis de Waldek pro Obſervantibus extructus, ex quo Fratres, cogente fame, diſceſſerunt, Stadthaſenſis in Comitatu Schavenburgenſi & a Comitibus de Schavenburg Obſervantium Familiæ traditus, & Halberſtadienſis, cujus Eccleſiam Lutherani invaſerunt anno 1563., & octo altaribus deſtructis, laminis æneis, quibus Fundatoris ſepulchrum cum ejus effigie obtectum erat, direptis, aliisque Catholicorum monumentis deletis, reſervatoque ſacrilegis ritibus Eccleſiæ corpore, Fratribus chorum ad divina peragenda reliquerunt ad annum usque 1567., quo & ipſo choro eos exturbarunt. Monumenta Prov. Saxoniæ S. Crucis.

XCIV. Exceſſerant Minores a Conventu Civitatis Camicii, ſeu Kamitz in Luſatia ſuperiori ad ripam nigri Elyſtri intra limites Diœceſis Miſnenſis, poſtquam ab anno 1524. ad annum uſque 1538. Lutheranorum injuriis expoſiti in eo perdurarunt. Ex ibi relictis noti ſunt Matthæus Rudolph populo acceptus communiter *pudens monachus* dictus, qui præterito anno deceſſit, Ignatius ejus Succeſſor, & Frater Adamus, qui hoc anno ædem magiſtratui ceſſit Xenodochii expenſis ad dies vitæ ſuſtentatus.

XCV. Tres ædes hoc anno acquirunt Minoritæ Conventuales; videlicet Montis Fuſci in Provincia Seraphica, & Cuſtodia Peruſina, de qua, ut ait Sbaralea in additionibus MS ad Waddingum, neſcitur finis, niſi ſit ille *Mons Fuſcus*, quem Franchinus ponit in Diœceſi Beneventana, Montis aurei in Provincia Calabriæ, & Cuſtodia Cutronis conceſſam ſub Joanne Antonio Fachineto Epiſcopo Neocaſtrenſi ab Univerſitate loci, aſſignatis Fratrum cuilibet per decem annos decem aureis pro victu, & veſtitu; & Spinatiolæ, ſeu Spinæ aureæ datam cum aſſenſu Simonis Gattuliæ Epiſcopi Venuſini hac conditione, ut ibi commorarentur tres Fratres. Suſpicatur Waddingus ad annum 1392. aliquem errorem fortaſſe apud Rodulphum id narrantem latere in numero, aut ædem hoc tempore fuiſſe refectam. Alius eſt hic Conventus ab altero S. Franciſci, quem in eodem oppido Spinæ aureæ conſtructum aſſerit Gonzaga ſub Pontificatu Sixti IV. pro Minoribus Obſervantibus. Rodulphus part. 2. pag 255. 278. 279. Annales Min. an. 1392. num. 18.

XCVI. Accedunt Capuccinis Cœnobia Montis Ughi in Tuſcia, Baſſani Diœceſis Vicentinæ, Saxi Ferrati Diœceſis Nucerinæ, Portus Naonis Diœceſis Aquilejenſis, & Laudæ. Boverius, ſi tamen ipſi fides adhibenda ſit, de hoc ultimo, nam reliqua more ſuo præterit, narrat, nobilem Virum eo quod vendere recuſaſſet fundum, ubi erat ponendum, iterato graviſſimis doloribus correptum fuiſſe, donec facti pœnitens fundum Ca-

Capuccinis donavit; ejuſque filium donationi adeo obſiſtentem, ut in Parentem ſuum ſtricto gladio rueret, tot infirmitatibus obnoxium ſe reddidiſſe, ut nemo eo ſquallidior, & deformior adeſſet in Civitate. Tandem Fratrem illum, quem Vicarius Provincialis Fabricæ propoſuerat, quum non mediocriter ſanctæ paupertatis menſuram exceſſiſſet, impœnitentem ex hac vita migraſſe abſque Sacramentorum ſuſceptione, & invocatione *Jeſu, & Mariæ*, Fratribuſque illum ad bene moriendum hortantibus terque quaterque reſpondiſſe hæc verba: *Quantum me urit iſta calx!* Res ſanæ tragicæ ſunt iſtæ, meliuſque fuiſſet, ut tot expenſis Cœnobium minime conſtrueretur.

Boverius ad annum 1565.

XCVII. Oſornienſes Cives in Regno Chilenſi collato ære publico ædificarunt Conventum SS. Coſmæ, & Damiani, nullaque mora opus incœptum eſt, & ad complementum perductum. Joannes de Torralva, qui SS. Trinitatis de Chile Cuſtodiæ præerat, illis impenſius ſæpe poſtulantibus Minorum Obſervantium introductionem in eorum Oppidum morem gerens unum, vel alterum Fratrem illuc miſerat, qui ædificii conſtruendi curam ſuſciperet; metuebant ſiquidem, ne Fratres penes ſe habendi ſpe exciderent, quum alii Chriſtifideles illos paſſim iis in locis requirerent. Communibus ſumptibus Teclæ in Diœceſi Carthaginenſi conſtructum Cœnobium acceperunt Fratres Provinciæ S. Joannis Baptiſtæ, poſtquam ſpatio decem ſeptem annorum prope idem oppidum habitaverant juxta parvum Sacellum S. Mariæ Magdalenæ. Magnum infortunium ſubiit vetuſtiſſimus Obſervantis Provinciæ Argentinæ Conventus Rubeacenſis, cujus neque apud Gonzagam, neque apud Waddingum nlla ſit mentio, incendio repentino excitato, quo penitus arſit. Defectu mediorum pro reſtauratione facienda, locum Fratribus deſerentibus, manſit ſub adminiſtratione Epiſcopi Baſileenſis ad annum uſque 1590, quo tandem menſe Septembri ad ſollicitationem Joannis de Manderſtard Epiſcopi Argentoratenſis Fratres redierunt, & paullo poſt, mandante Valentino Friccio Commiſſario Generali alumno Provinciæ Argentinæ, ſeu Alemaniæ ſuperioris, illuc quaſi poſtliminio deſtinati fuere in Comitiis Provincialibus Monachii celebratis.

Gonzaga in Prov. SS Trinitatis de Chile con. 5.

Idem in Prov. S. Jo. Baptiſtæ con. 5.

Monumenta Prov. Argentinæ.

XCVIII. Conſtructum ſub hoc idem tempus Conventum Minorum Obſervantium Saviliani in regione Pedemontana, induſtria Fratris Clementis de Saviliano collectis piorum eleemoſynis per Diœceſim Taurinenſem, ad quam oppidum ſpectat, ſcribit Gonzaga. Ex Waddingo autem habemus, domus fundamenta poſita fuiſſe anno 1453. (melius anno 1454, ut compertum eſt ex Tabulariis ejuſdem oppidi, & Cœnobi Patrum Prædicatorum); hoc autem anno fabricam vel completam, vel refectam. At neutrum verum eſt; antiquioris enim conventus tanta erat magnitudo, & capacitas, ut anno 1533. die vigeſima quarta Decembris in Comitiis Generalibus ibidem habitis poſt defunctum Benedictum Geneſium electus fuerit in Vicarium Generalem Ordinis Leonardus de Publiciis Pedemontanus Ducis Sabaudiæ a confeſſionibus; a quo Sebaſtianus Gualterius Savilianus occaſionem accepit in ſupremis tabulis obſtringendi hæredes, ut quoties Fratribus neceſſaria deeſſent, & ibi Comitia Generalia, vel Provincialia celebranda forent, congruas eleemoſynas erogarent. Anno 1534. præſidiarii milites, quum bella paſſim, aut bellorum ſuſpiciones vigerent, inſigne iſtud Cœnobium everterunt. Hinc remotiorem ab oppido locum, Saviliani civibus faventibus, Fratres obtinuerunt, ubi novum S. Franciſco Sacrum excitarunt vel hoc anno, ut ait

Wad. ad anno 1453. num. 42.

Monumenta Prov. Genuæ.

ait Gonzaga, vel anno 1568, ut invenio in MSS. Archivii Aracælitani. Reviviſceutibus civilium bellorum incendiis anno 1640. everſis ſuburbiis, etiam hoc Cœnobium periit. Quare intra mœnia Obſervantes recepti die 25. Martii anno 1641. in domo empta Julii Cæſaris Comitis Vianzioni Religioſorum ſumptibus perſtiterunt, donec anno 1681. die 13. Julii ædis alterius fundamenta ſub eodem titulo S. Franciſci poſt novem annos poſuerunt.

XCIX. Aſſerunt iidem Scriptores, Eccleſiam Conventus S. Rochi Meldulæ in Etruriæ confinio ad Bedeſim amnem ſub Dominio utili Gentis Pamphiliæ decem milliaribus a Forolivio diſtantis, quæ hoc anno ſolemniter fuit conſecrata, conſtructam anno 1521. opera Leonelli Pii II. Alberti Filii, qui mortis cauſa Cœnobium Minoribus Obſervantibus, in quos *incredibili affectu* ferebatur, conſtruere non potuit. Non intelligo tamen, quare Leonellus Pius, qui vixit ad annum uſque 1561, *incredibili* illo ſuo *affectu* id, quod optabat, tamdiu diſtulerit; aliaque ex parte Archivium Conventus Meldulæ hanc præbet memoriam MSS. „ Anno 1462. die nona Martii hora ſextadecima D. Albertus Pius Bonæ Memoriæ poſuit primum lapidem in primo fundamento cum multis Æneis Imaginibus, quod fuit ad angulum viæ publicæ verſus S. Michaelem „. Præterea conſtat ex libro Rationum Noſocomii Meldulæ, Rodulphum Pium Cardinalem de Carpo anno 1558. a Rectoribus ejuſdem Noſocomii fundum impetraſſe pro Conventu extruendo. Flamin. de Parma Mem. Hist. Prov. Bononien. tom. 1. de Conv. Meldulæ.

C. Deducitur ex his, Leonellum Pium nihil feciſſe, & tantum Conventus, atque Eccleſiæ fabricam deſignaſſe, cui anno 1561, quo deceſſit, ex teſtamento reliquit paramenta aurea, albas, calices, & mille, julios Bononienſes uumeratæ pecuniæ pro fabrica, alioſque exigendos ex venditioue frumenti, & ab hæredibus Joannis Algardi Carpenſis, præter eleemoſynas conſuetas pro Fratrum alimentis. Mortuo Leonello Pio, Hippolyta de Rubeis ejus vidua liberalem ſe præſtitit erga eamdem Eccleſiam, ut dicemus ad annum 1583. Totius vero ædificii moles aucta eſt Religioſorum induſtria, quamvis ſtemma Gentilitium Familiæ Aldobrandinæ in proſpectu porticus exterioris, in veteri Tabernaculo Aræ maximæ, & in ſuperiori ornamento Organi aliud innuere videatur. In ea extant Confraternitas SS. Conceptionis, plures SS. Reliquiæ, & duæ Tabellæ ignoti Pictoris, quarum grandior repræſentat S. Thomam Apoſtolum, altera B. Mariam Virginem puerum Jeſum in brachiis tenentem. Lapis ille, de quo ſermo fit in poſtremo Annalium noſtrorum tomo ad annum 1562, ſitus in pavimento ante januam Eccleſiæ cum Epigraphe attritu pedum exæſa, indicat ſepulchrum DD. Piorum, utque eruitur ex MSS. Tabularii S. Angeli Cremonæ, hæc olim fuit „ *Domus Illuſtriſſimorum Piorum Familiæ* „.

CI. Memoria præfatæ Conſecrationis notatur in fine cujuſdam Pontificalis Romani Venetiis apud Juntas impreſſi, quod fuit olim Ægidii Falcotti a Cingulo Epiſcopi Brittorinenſis, & Reverendæ Canonicæ; modo autem reperitur penes Abbatem S. Mariæ de Urbano de juribus ejuſdem Abbatiæ Civitatis Brittorinenſis, ut patet ex tranſcriptione, quam præſefert, Andreæ Rogoloni Rectoris Eccleſiæ Parochialis SS. Coſmæ, & Damiani die vigeſima ſecunda Maji anno 1715.

Anno Domini MDLXV. II Septembris Illuſtriſſimus in Chriſto Pater, & DD. Auguſtinus Molignatus Vercellenſis Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Brittorinen. conſecravit Eccleſiam, & Altare S. Rochi de Meldula die, & mille-

milleſimo, ut ſupra, tempore Pontificatus SS. D. Noſtri Pii Pape IV., & in altare majori poſuit, ſeu condidit Reliquias SS. Martyrum Laurentii, Gervaſii, & Protaſii.

CII. Redierunt hoc anno Fratres Obſervantes ad Cœnobium Civitatis Namslavienſis in Diœceſi Uratislavienſi in Poloniæ finibus conſtructum in area, quam Minoritis donaverat Conradus dux Sileſiæ per decretum incipiens: *Noverint univerſi tenore præſentium &c.* Datum Namslaviæ in vigilia SS. Philippi, & Jacobi anno 1321. Succeſſerant in eo Obſervantes Conventualibus anno 1532., mandantibus Bohemiæ Rege, Civitatis magiſtratu, & Clemente VII. Summo Pontifice: *Romani Pontificis prudentia*, die vigeſima nona Novembris anno 1532. Sed anno 1536., graſſante in iis regionibus hæreſi Lutherana, extinctiſque ſenſim Fratribus alimentorum penuria, Conventus in Xenodochium pauperum abiit.

CIII. Publici Præfecti Fabricæ S. Mariæ de Campanea, vulgo Campagnola in Civitate Placentiæ, ædes initio parvas eidem Eccleſiæ adjacentes a Senatu Placentino Fratribus Obſervantibus S. Mariæ de Nazareth domo SS. Joannis, & Pauli, & S. Monicæ extorribus proviſionaliter conceſſas anno 1547, & anno inſequenti publico Inſtrumento attributas, hoc anno augere decreverunt, & in Cœnobii formam redigere, pacta pecunia cum artificibus; quod tamen poſt triennium executioni mandatum fuit. Ante hoc tempus tota Fratrum cura eo ſpectabat, ut Eccleſiam ampliorem redderent, Conventum moderante Ludovico de Cotignola, qui anno 1557. Chorum a fundamentis erexit non mediocris magnitudinis, & venuſtatis, fecitque, ut ſubſellia toreumate perficerentur a Julio de Rubeis cælatore clariſſimo, omneſque partes albario opere, auro, & picturis ornatæ eſſent, in quibus conſideratione dignæ ſunt illæ, quas expreſſerunt Julius & Antonius Campi, Placenti-
Flaminius de Parma memor. Hiſt. Prov. Bonon. in Conv. Placent. nus Piazzoni, & Lirinus, ſeu *Pordenone*. Hic pulcherrimis ornamentis decoravit majus Sacellum, ubi colitur miraculoſa Imago B. Mariæ Virginis, Sacellum S. Catharinæ, & Sacellum SS. Regum Infantem Jeſum adorantium. Ejuſdem Artificis etiam eſt tabula S. Auguſtini in Templo aſſervata. Anno 1561, die 19. Aprilis Templum abſolutum conſecravit Ægidius Falconi Suffraganeus pro Joanne Bernardino Scoto Cardinali, & Epiſcopo Placentino, qui Romæ aderat.

CIV. Eccleſia S. Mariæ de Conſolatione in oppido Caprarolæ extra portam Romanam in area, ſeu fundo Capitulo Lateranenſi donato a Nicolao Moſtobuoni, & Marco Groſſi ejuſdem Oppidi civibus, conſtructa anno 1526. ſumptibus Communitatis, & conceſſa Minoribus Obſervantibus Provinciæ Romanæ, ædificatis prope ipſam nonnullis cellulis, quas incolerent, Sacro oleo peruncta fuit.

Caſimirus Romanus in Conv. Caprarolæ. *Anno Domini MDLXV. die XV. menſis Julii Pontificatus SS. D. N. D. Pii PP. IV. Ego Nicolaus Peruſcus Patritius Romanus ejuſdem SS. D. Noſtri P. P. utriuſque Signaturæ Referendarius, Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ, & Ortanæ conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc in honorem Nativitatis B. Mariæ Virginis, cujus Feſtivitas celebratur in die Nativitatis ejuſdem, quæ eſt VIII. Septembris, & Reliquias B. B. Martyrum Blaſii, Cryſanthi, & Dariæ in eo incluſi, ſingulis Chriſtifidelibus ab hodie unum annum, & in die anniverſario Conſecrationis hujuſmodi ipſam viſitantibus quadraginta dies concedens de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta* „.

CV. Hæc Eccleſia altera ab ea, in qua hodiernis temporibus Fratres Obſervantes divina perſolvunt, habebat unum tantum Altare, & per-

Google

perpetua plenaria Indulgentia ditata fuit a Gregorio XIII. Summo Pontifice pro Chriſtifidelibus, qui a primis veſperis Feſti SS. Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis uſque ad occaſum Solis diei ſubſequentis illam pie viſitarent. Alteram dixi, quia hodierna multo amplior poſteriori ætate a fundamentis eſt conſtructa.

CVI. Cœnobii S. Donati Epiſcopi, & Martyris de Brugnate prope Urbem Comenſem Eccleſia Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci tradita Fratri Conrado Placentino anno 1435. a Jacobo Abbate Monaſterii S. Juliani extra muros Civitatis Ordinis S. Benedicti, indulgente Pio II. *Benignitas Sedis Apoſtolicæ*, qui conceſſionem approbavit, hoc pariter anno conſecrata fuit, ut prodit monumentum ſupra portam Eccleſiæ. Monumenta Provin. ix.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Joannes Antonius Vulpius Epiſcopus Comenſis hanc Eccleſiam conſecravit D. Donato anno MDLXV. die quarta menſis Maji; & viſitantibus eam anniverſaria die quadraginta dierum Indulgentiarum conceſſit„.

CVII. Pontificis indulto juſpatronatus accepit Cœnobii Conceptionis B. Mariæ Virginis poſiti in margine fluvii Iberi in Cantabria, & oppido Reynoſæ quidam ex filio Nepos Joannis de Rebolledo; hic enim pingues eleemoſynas contulerat ad illius conſtructionem, & perfectionem. Re tamen in deliberationem, & cauſam adducta, privilegio excidit per Judicis ſententiam. Gonzaga in Prov. Cantabriæ con. 12.

CVIII. In Eccleſia Omnium SS. Florentiæ magiſter Noferi Cortouenſis egregius ſculptor conflavit ex lapide ornamenta Organi pneumatici, cujus ſolarium ſtatuis ſaxeis ſuffultum erexit Baptiſta Dominici Laurentii dictus *il Cavaliere*, diſcipulus Bacci Bandinelli, cum hac Epihraphe in proſpectu. Joseph Richa tom. 4. pag. 270.

D. O. M.

Ut divinas laudes mortalium mens tranquilliori ſenſu hauriat, hoc inſtrumentum vocum cantibus reſpondens Joannes Maria Michaelis Angeli filius faciendum curavit MDLXV.

CIX. Sumptibus Alexandri Matthæi in Templo S. Mariæ de Aracæli erigitur Sacellum S. Matthæi Apoſtoli, ubi pius Fundator Sepulcrum gentilitium poſuit cum Inſcriptione: *Alexander Matthei Cyriaci filius ſepulchrum hoc ſibi, poſteriſque erexit anno MDLXV.* Ornatur Sacellum pulcherrimis picturis Hieronymi Mutiani, qui Altaris Tabulam effinxit, deletaſque temporum injuria picturas reſtauravit Bonaventura Giovanuelli de Monte Regali.

CX. Famoſiſſimam Tabulam Raphaelis de Urbino, qua exhibetur Beata Virgo cum Puero Jeſu, S. Joannes, S. Franciſcus, S. Hieronymus, Infans quidam in medio ſtans, & Giſmundus de Comitibus, qui opus a Raphaele impetraverat, ut in Templo Aracælitano collocaretur, invenio circa hoc tempus Fulgineum tranſlatam ad Eccleſiam Monialium S. Annæ cura Sororis Annæ de Comitibus, ut indicat memoria literis aureis ad Tabulæ ipſius calcem vernaculo ſermone exarata. Eam commendat Vaſarius in Biographia Pictorum. Hoc eodem anno Nicolaus Trombetta Pictor Piſaurenſis ornamentis decoravit in prædicto Templo Aracælitano Chori fornicem pretio centumſeptuaginta circiter nummorum aureorum ex pecunia Flaminiæ Morgagni, quæ aliorum aureorum præmium addidit, ſi opus communi expectationi reſponderet.

CXI. Eleonora Maſcarena Philippi II. Hiſpaniarum Regis, & Caroli ejus filii nutrix Monaſterium Matritenſe S. Mariæ Angelorum conſtrui curavit Monialibus Clariſſis anno antecedente, & redditibus ditavit,

vit, inductis in Eccleſiam pluribus pretioſis ornamentis, vaſis, & jocalibus aureis, atque argenteis. Jus patronatus loci tranſtulit ad Regem; utque nihil ædificio deſſet, Sacras Reliquias, quas a Maria Auſtriaca Imperatrice dono acceperat, in quibus duodecim capita Virginum Sociarum S. Urſulæ, & alterum S. Agnetis Virginis, & Martyris brachium, in Templo repoſuit. Introierunt in domum ſeptem Moniales ex Monaſterio Clariſſarum S. Mariæ Abulæ receptam hoc anno die 20. Januarii in Ordine a Patribus Provinciæ Caſtellæ in Provincialibus Comitiis Scalonæ celebratis ſub Alphonſo Ferrerio in Regno Hiſpaniarum Commiſſario.

Gonzaga in Prov. Caſtellæ Mon. 10.

CXII. Sorores Conceptioniſtæ oppidi Llerenæ, ſeu Erenæ, in Provincia S. Michaelis, quæ occupaverant Ædiculam Xenodochii S. Lazari ſeſquimilliari ab oppido, Fratribus inde recedentibus, ut novum Cœnobium in loco ſalubriori, & amœniori conſtructum expenſis Sancii de Pace incolerent, hoc anno intra oppidi mœnia tranſlatæ ſunt in novum Monaſterium SS. Conceptionis, cujus Eccleſia pertinet ad Xenodochium jure patronatus, locum relinquentes ſceleratorum hominum excurſionibus infeſtum.

Monumenta Provinciæ & Arch. S. Iſid. arm. 5 num. 142. p. 879.

CXIII. Moniales Tertii Ordinis Caſtriganterii in Provincia Turoniæ Pictavienſis in altera ripa fluminis Meduanæ acquiſieruut aliud Monaſterium S. Mariæ Bonæ Spei prope Xampeniacum in Diœceſi Pictavienſi a Ludovico Borbonio Principe Montis Penſerii fundatum, & dote auctum, in quod ex priori Monaſterio intrarunt hoc anno ſexdecim Religioſæ. Legitur apud Gonzagam nomen Pii V.; ſed quum Pius IV. adhuc in vivis eſſet, error certe incauto Amanuenſi tribuendus.

Idem in Prov Turoniæ Pictavien. Mon. 3. & 4.

CXIV. Moniales Tertii Ordinis, quæ Gandavi in Parœcia tunc S. Joannis Baptiſtæ, nunc S. Baronis degebant in Monaſterio modo ad Sorores Conceptioniſtas ſpectante, regimen ſubierunt Miniſtri Obſervantis Provinciæ Flandriæ a Diffinitorio acceptatæ die ſecunda Maji in Capitulo Provinciali Conventus S Franciſci ad Sambram.

Monumenta Provinciæ Flandriæ.

CXV. Viros plures in Ordine floruiſſe diximus; at multo plures ſancte deceſſerunt. In Conventu Coſſenſi S. Mariæ de Angelis in Regno Poloniæ obiit Paulus de Buk doctor utriuſque facultatis, & in vita religioſa exercitatus, antiquus ætate.

CXVI. In Conventu Badajoz Provinciæ S. Gabrielis Martinus de Nuebla Sacerdos *Barriga de caridad*, ideſt *venter charitatis* appellatus, quo nomine ſatis exprimitur, eum Divini amoris igne totum æſtuaſſe. A pueritia ad extremam uſque ſenectutem ejus vita *continuum jejunium* videbatur. Alios inter ægrotos, quos fuſis ad Deum precibus ſanitati reſtituit, Elvira Diaz de Lemos nobilis mulier oppidi Badajoz morbo incurabili laborans ad illum acceſſit, & poſt Miſſam ab eo celebratam, lectumque ipſi Evangelium, dum benedictionem acciperet, ad illa verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen*, ab omni incommodo ſe liberam ſenſit. Matutinis laudibus perſolutis in nocte Nativitatis Domini quievit, & amico ſuo ad Dei gloriam pergens apparuit.

Monumenta Provinciarum.

CXVII. In eadem Provincia, & Conventu Brocas, ſeu de Luce Broſſarum, Antonius de Alcantara, alias *Peccator*, ut præ humilitate vocari cupiebat, S. Petri Alcantarenſis conſanguineus. Ut contemptui haberetur, quum ſibi apud omnes venerationem conciliaſſet, luto faciem inficere ſolebat, de quo objurgatus a Guardiano, cui ſocius aderat in via, reſpondit: *Pater, hac mea culpa eſt. Sed fatuus eſſe deſidero*. Nudus, pannis tantum minoribus relictis, ſæpe Refectorium ingrediebatur, ubi coram

coram Fratribus humi ſtratus flagellis aſperrime ſe cædebat, comiteſque rogabat, ut ſe tunica exutum fune ad collum alligato traherent, & per fora raptarent. Lignorum faſciculos per nemora conquiſitos, & ſuper humeros geſtatos pauperibus, quoſcumque inveniebat, largiebatur, aut ſi pauperes non offenderet, ad Noſocomia deferebat. Gangræna affecti dum chirurgus Vives carnes purulentas ferro abſcinderet, intenſiſſimos inter cruciatus non in queſtus erumpebat, ſed in has lætitiæ voces: *Alleluja Alleluja*. Alias dicebat: *Benedicta Puritas Beatæ Mariæ Virginis. Nihil hoc eſt, Nullus mihi dolor infertur*. Regrediens ad Conventum Matris Dei de Alburqueque, a quo Alcantaram iverat, ægritudine oppreſſus in via, & aſello delatus ad Conventum de Luce Broſſarum Guardiano dixit: *Pater, huc veni, ut moriar juxta voluntatem Domini*. Quod ita paulo poſt evenit. Sepultus eſt in majori Sacello prope portam in cornu Evangelii ad pedes Aræ maximæ. Poſt ſex annos, non quatuor, ut ait Gonzaga, ejus corpus inventum eſt incorruptum, teſte Joanne Baptiſta Moles, qui rem accurate deſcribit.

Joannes Baptiſta Moles in ſuo memoriali.

CXVIII. Joannes de Cordovilla, quod eſt oppidum Civitatis Emeridæ in Bethuria, ſeu Extremadura, non procul a Conventu Lorianæ, poſtquam ex uxore, quam habuit in ſæculo, filium, & filiam genuiſſet, ea conſentiente, continentiam ſervavit. Pietate ductus ex oratione, quam in locis ſolitariis abditus, boris ab agrorum cultu, cui licet diligentiſſimus ſtudebat, ſuperſtitibus numquam intermiſit, uxore mortua, filiam religioſum ſtatum abnuentem honeſto nuptui tradidit, & una cum filio in Conventu Lorianæ Seraphicum habitum aſſumpſit. Cum maligno ſpiritu multas, terribileſque colluctationes habuit, qui horribilibus formis eum turbare conabatur, nunc felis, nunc ſuis, nunc ingentis ſpectri, & umbræ. Aliquando chori aditum ei introire volenti impediebat, aliquando illum colaphis percutiebat. In quacumque tribulatione hæc erant ejus verba: *Ita volo, quia Deus ita vult*. Fuit Guardianus in Conventu Dominæ Noſtræ de Laureto, & in Conventu Cadafalſi, ubi in extrema regionis ſiccitate uberem pluviam a Deo impetravit. Quodam die tranſeuntem vidit gregem ovium juxta aquæ rivum. Erat ibi mulier, quæ teneræ ætatis puellam in ſinu tenebat. Hæc autem puella Dei ſervum adſpiciens, & Paſtorem eum rata dixit: *Quaſo, da mihi unum ex his agnis*. Quo audito, Joannes in ecſtaſim incidit, manſitque in ea tribus horis, quibus tranſactis ad ſenſus reverſus neque oves, neque mulieres amplius conſpexit. In Cœnobio B. Virginis de Roſario a Guardiano petiit, & obtinuit, ut jumenti vices ipſe ſuppleret; atque ita non ſolum panem, & vinum, ſed ligna quoque ad comburendum, & alias ſarcinas humeris ſuis deferebat. Pauperum neceſſitatibus amantiſſime compatiebatur. Domus ejus nondum Religioſi pauperum hoſpitium erat, tantoque eis reverentia ſerviebat, quanta ſi Chriſtum ipſum in illis videret, eoſque ſenſus in Religione nutrivit, erga alios benignus, ſibi parciſſimus. Solo pane, & aqua, & herbis non coctis veſcebatur, & ſi quid coctum comederet, illud pulvere, & cinere aſpergebat.

Joannes de S. Maria part. 2. Chron. lib. v. cap. 96. & ſeq.

CXIX. Rerum divinarum contemplationi dies, noctesque ſtudebat extra ſenſus raptus miris ecſtaſibus. Martyrii deſiderio in Africam ire præſeferens a Commiſſario Generali Franciſco Guſmanio eundi licentiam poſtulavit, rejectuſque, & aſperrimis verbis objurgatus, altero die illum adivit, adeoque humilitate, & eloquio valuit, ut Commiſſarius in literis obedientialibus, quas ei tradidit, expreſſerit, *ſi id facere, ut*

Spi-

Spiritui Sancto, a quo Joannem eſſe motum agnoſcebat, non reſiſteret. Verum quum Evangelicæ prædicationi idoneum ſe non putaret (literas enim neſciebat), locum alicujus captivi ſuſcipere meditabatur, ut concaptivis fidelibus monita ſalutis dare, & infidelium converſioni aliquo modo ſtudere poſſet. Navi, quam couſcenderat, prope Algeriam accedente, vehementi febre correptus, poſitusque in oratione, & conſueta verba repetens: *Ita volo, quia Deus ita vult*, audivit vocem divinitus ſibi dicentem: *Voluntas Dei est, ut ad Gibraltar revertaris*. Difficillimus videbatur regreſſus; ſed Deus, qui mari, & ventis imperat, tempeſtatem concitavit, qua navis ad Calpem appulit, ubi ingraveſcente morbo Eccleſiæ Sacramentis munitus occubuit in Conventu S. Franciſci Provinciæ Bæticæ. Loquitur de hoc Dei Servo S. Tereſia a Jeſu in Libro Canticorum a Gratiano Carmelita Diſcalceato typis commiſſo, illis verbis: „ Quemdam ego cognovi, qui tam ardenti charitate a Deo moveba-
„ tur, ut iteratis lacrymis se pro captivo commutari optaverit. Hoc
„ mecum conſeruit, erat enim is Discalceatorum S. Petri de Alcantara,
„ & poſt plurimas inſtantias a suo Generali licentiam conſequutus eſt;
„ & quum jam ſolum quatuor leucis ab Algeria, quo ad ſui deſiderii
„ conſecutionem pergebat, diſtaret, reverſus eſt ad portum, & Deus
„ illum ſecum duxit, & manifeſtum, quod magnum præmium a Deo
„ conſequutus eſt „.

CXX. Franciſcus, ut Parenti adhæſit in Religionis, & virtutum ſemita, ſic ab illo in morte non eſt ſeparatus. Humanis, divinisque literis profecit, & pietate magis excelluit. Eleemoſynas conquirenti Canonicus quidam dixit: *En homines, qui proprias divitias relinquunt, ut alienas furentur*. Cui Franciſcus: *Cave Domine, ne hæc verba proferas a Deo maledicta, alioquin Deus te puniet*. Illum vero in ſententia perſiſtentem, & audaciorem ad ſingularem diſceptationem die poſtero Franciſcus provocavit, rationibus ſe illum perſuaſurum promittens. Die adveniente Canonicus elinguis, membrisque male mulctatus, dictorumque pœnitens repertus eſt. Deceſſit annum agens vigeſimum primum in ipſo juventutis flore innocentiæ laude commendatus.

CXXI. Quieſcit in Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli de Monte Arenarum Didacus Machado ex Regia Civitate, vulgo *Ciudal Real* a Minoribus Observantibus ad Recollectos translatus; magna enim anxietate a Deo petebat, ut ibi demum conſiſteret, ubi Regulam observare melius poſſet, quem ob finem integro anno in oratione perſtitit, vigiliis atque jejuniis. Vidit in viſione navim expanſis velis ad iter faciendum paratam, ad quam Fratres Minores undique confluebant, eorumque aliqui ſarciuis onuſti aut fluctibus mergebantur, aut ex ſcopulis, in quos inciderant, non evadebant; alii vero expediti, & ſimpliciori tunica cincti ad illam facile permeabant. Admonitus quid ſibi agendum foret, licentia a Prælatis obtenta, ad Provinciam S. Joſeph, cujus nomen eum non latebat, ſe conferens, quum perveniſſet ad oppidum Arenarum, intuitus illic duos Fratres illis ſimiles, quos incolumes navim ingredi viderat, comitem ſe ipſis adjunxit, & in præfato Conventu a Chriſtophoro Bravo, qui Provinciam moderabatur, exceptus ad Deiparæ Virginis feſta miro ſtudio corpus, mentemque præparabat, ut in more ab incunabulis habuit. Innocens, & ſimpliciſſimus nullum arbitrabatur ab aliis prolatum mendacium, aut verbum otioſum, aut inter homines, præcipue Clauſtrales ſimultates, vel inimicitias intereſſe poſſe. Tunica

Monumenta Prov. S. Joseph ex arch. S. Isidori.

vili,

vili, & multis peciis reſarcita utebatur, mortificationis, obedientiæ, & charitatis operibus deditus.

CXXII. In infirmitate, quam contraxerat, ad Noſocomium Montis Beltrani delatus commodioris curationis gratia, optavit, ut ſibi ceraſa darentur: quumque adſtantes responderent, ne folia quidem plantas produxiſſe; hyberna enim tempora vigebant: *Pergite*, inquit, *& perquirite in horto, an fortaſſe inveniantur*. Abierunt illi, ut ei gratum facerent, non autem ut quidquam ſe inventuros ſperarent; & ex arbore, quæ recentia germina jam emittebat, pulcherrima aliquot ceraſa collegerunt, quæ Didacus oſculatus omnipotentem Deum collaudavit. Vim extremi morbi ſævientis ſuſtinuit, cæleſtes conſolationes expertus, Deipara Angelorum choris ſtipata per quindecim dies tribus vicibus illi apparente, & vitæ finem prænunciante. Dum per hoc tempus, aliquis Fratrum ejus cubiculum intraret, dicebat: *O Frater, parcat tibi Deus, quia talem converſationem me perdere coegiſti*. Interdum ab adveniente quærebat: *Vidiſtine aliquem?* quo respondente, ſe neminem vidiſſe: *Eſtne poſſibile?* ajebat: *nonne vidiſti inimicum tecum gradientem? sed non eſt auſus introire; habeo enim hic defenſionem meam*. Interdum vertens ſe ad latus: *O Domina mea*, dicebat, *non me derelinquas, donec spiritum emittam, ne me ille perverſus in aliquo offendat*.

CXXIII. Mulier Noſocomii Præfecta, ne filiam infirmam in eo ſtatu amplius videret, Dei virum rogavit, ut pro illius morte preces Deo effunderet; cui Didacus: *Sine mulier, ut Deo ipſe prius propior fiam, nam poſt interitum meum filiam ſanam accipies*; quod eventus comprobavit. Alia nobilis mulier Montis Beltrani morti proxima miſit Didaco munuſcula petens, ut ſe prius vita ipſe non excederet, ſe enim optare, illi ſociam fore. Ille autem respondit: *Minimum temporis diſcrimen inter me, & ipſam intercedet. Ipſa tamen antea obibit*. Eodemque die ad tumulum ambo delati ſunt. Appropinquante tranſitus hora, cuidam, adſtantium dicenti: *Fortaſſe, Didace, non tam cito moriere; criſes namque in infirmitatibus contingunt*, respondit: *Vitam equidem commutabo priusquam hoc Roſarium B. Mariæ Virginis abſolvam*. Quod ita evenit, ut prædixit. Corpus ſuaviſſimum odorem emiſit, facie ſpecioſiore, & lætiore, blandum, ac tractabile, magnaque circa miraculo adſtitit luminum multitudo, quæ nemo alius adspexit præter devotam fæminam. Albæ columbæ ſupervolitarunt, & ſepulchro inſiderunt. Tumulatum in Eccleſia Montis Beltrani, Arenarum Conventus Guardianus, qui amicitiam ſecum exercuerat, ad Eccleſiam Arenarum, comitantibus Fratribus Ordinis Prædicatorum, transferri curavit.

CXXIV. Raguſii in Cœnobio S. Franciſci deceſſit Joannes a Gundula magnifico funere a Fratre ſuo Viro Patritio elatus. Ejus liber de a ſe ſuſcepta Terræ Sanctæ peregrinatione, ſuaque Bethlemitici Conventus Præfectura Italice conſcriptus a viris doctis in hoc genere lau *Monumenta prov. Raguſinæ.*
dari ſolet, dignusque duci, ut typis mandetur, ob ſtyli elegantiam, rerumque delectum. Extat in Bibliotheca Collegii Societatis Jeſu; hujus ſiquidem Collegii fundator Hieronymus de Gundula noſtro Joanni affinitate, & conſanguinitate erat conjunctus. Alcodiæ in Conventu Jeſu Provinciæ Majoricarum Joannes Creſpius ejusdem Conventus fundator, & auctor anno 1536., & anno 1584. Recollectis traditi. Quinquies Provinciam rexit miniſter. Eccleſiaſtes magni nominis, pacis amantiſſimus, & in arduis componendis negotiis apprime verſatus, quum in-

Digitized by Google

teſtina bella tota Inſula jam a duobus annis ſævirent, Imperatorem Carolum V. a Patriæ Senatu Legatus adiit, quod arbitror eveniſſe anno 1523., eo enim menſe Februarii Pro-Rex Majoricarum Michael a Turrea ſeditioſorum Civium armis a civitate expulſus, & a Fratribus Minoritis receptus pacis tractatus diſponebat. Ab Imperatore perhumaniter pluries auditus, ejus nomine tumultuantibus, & rebellibus civibus, totique Regno pacem, & veniam attulit. Eum Inquiſitoris officium contra hæreticos exercuiſſe exiſtimo, quum ejus nomen in Indice Inquiſitorum Majoricenſium anno 1538. notatum inveniam. Obiit octogenarius poſt iteratum Provinciæ Viſitatoris munus.

Antonius Olivez in Chron. prov. Majoricarum.

CXXV. Aregni in Inſula Corſicæ Ambroſius de Corbaria Laicus. Quidam militum dux, recurrente Dominicæ Paſſionis tempore, Eccleſiam Fratrum Minorum Aregni petiit, ut pænitentiæ Sacramento ſe expiaret binis militibus comitatus, quorum alter hortum ingreſſus olera colligere incœpit, qui ab Ambroſio mitiſſimis verbis admonitus iratus eum apprehenſum humi dejecit pugniſque & calcibus feriens. Optimus vero ſenex, qui nonageſimum ætatis annum attigerat, omnia perpeti maluit, quam ferocem Achillem voce ſaltem repulſare. Abeuntem, re præclare geſta, militem tot, tantique dolores corripuerunt, ut tellure ſtratus ejularet, brutoque ſimilis revolveretur. Hominis etſi perverſi miſertus Dux militum Ambroſium rogavit, ut illum a cruciatu liberaret, prout fecit ſigno Crucis ſuper illum facto; ſed ipſi mortem prædixit intra quindecim dies, eventu rem comprobante; quum enim cum alio milite rixaretur, duello miſere periit. Eodem ſigno Crucis Juvenem duodecim annorum a lethali morbo eripuit. Vitioſæ in Conventu ſolitudinis S. Joannis Baptiſtæ oculos vitæ clauſit Alphonsus ab Erena; licet enim Gonzaga ſignet annum 1575., ex Chronicis tamen accuratioribus Franciſci a Fuentes habemus, eum hoc anno deceſſiſſe. Militaverat juvenis in Flandria ſub vexillis Caroli V., quumque ſtrenui ducis famam adeptus ob fortitudinem, & bellandi peritiam ab Imperatore in pretio haberetur, mundanis rebus vale dicto, habitum Religionis ſumpſit in Italia inter Obſervantes Reformatos. In Hispaniam reverſus, & S. Petri Alcantarenſis ſocius in Provincia Diſcalceatorum S. Joſeph, etſi Laicus, fuit Guardianus, & Diffinitor. Eo uſus eſt S. Petrus Alcantarenſis ad fundationem Cœnobii S. Joſeph oppidi Illicæ in Regno Valentiæ Diœceſis Oriolanæ expetitam a Joanna de Portugallia Oppidi Marchioniſſa, Prælatumque, & Commiſſarium eum conſtituit, qui, ſex Cœnobiis poſitis, Cuſtodiam ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ, primus adminiſtravit, ſuoque exemplo, Seraphici Inſtituti ſectatores egregios reliquit. Senio confectus, deſiderio ſolitudinis, ut ſe ad mortis horam præpararet, in Provinciam ſuam S. Joſeph redivit, mortique proximus oculos in Crucifixum conjiciens ad illa verba: *In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum*: obdormivit.

Petrus ab Arce Roſtini in Chron. Corſicæ typis Dominici Ciuffetti Lucæ anno 1717.

Gonzaga in Prov. S.Joſeph. con. 5.

Monumenta Provinciæ S. Joseph.

CXXVI. Ex ſacra Capuccinorum familia deceſſit Meſſapiæ Jacobus Melphitanus Theologus, & Eccleſiaſtes eximius ex Minoribus Obſervantibus inter Capuccinos adſcriptus. Maceratæ in Piceuo Bernardinus de Monte Ulmi, alias *Anima Scoti* ob doctrinam, quam adhuc Minorita Conventualis ſibi comparaverat Piſis Theologicam Cathedram moderatus. Franciſco Politiano, qui in Ordine Minorum Conventualium reformationem inſtituerat, ſocium ſe adjunxit, territus formidabili illo judicio damnatorum Fratrum, quod continetur in libro Conformitatum

Bar-

Bartholomæi Piſani. Joannem de Fano, Ubertinum, alioſque ſequutus inter Capuccinos, egit Diffinitorem Generalem, ac non ſemel Vicarium Provincialem, tantoque arſit zelo, ut, teſte Boverio, Chriſtus Dominus eum admonuerit, *ne homines a ſinu Divinæ Miſericordiæ repelleret*. Claruit miraculis etiam in vita. In Provincia Seraphica Joannes de Leoniſſa initio Minorita Conventualis, poſtremo Capuccinus, qui Concionator multorum odia compreſſit, & pervicacioribus ſubitaneam mortem prædixit, quam oppetiverunt. Mediolani Joannes Faſſatus ex Ordine Prædicatorum Capuccinus in Provincia Mediolanenſi, quam ſanctiſſime rexit. Edidit *Quæſtiones aliquas in Regulam Fratrum Minorum*, *& Tractatum de Oratione, & Meditatione*. In Conventu Montis Granarii Maſſæus Tridentinus Laicus, qui ægrotos Crucis ſigno ſanitati reſtituit, & fluvium inter Fanum, & Senogalliam undarum vorticibus agitatum una cum Antonio Appianenſi miraculoſe transnavit.

Boverius ad hunc annum.

Biblioth. Franciſcana L. Jo.

CXXVII. Juvenis Clericus in Conventu Brixiæ raptus eſt Benedictus Vercellenſis, cujus gloriam Marcus Novitius adſpexit; oranti enim poſt matutinas horas, & ſpirituali ſopore correpto oſtenſa ſunt dormitorium, clauſtrum, hortus, & ſylva Cœnobii omnia Capuccinis plena; quo ille obſtupefactus ab eorum altero unde, & quorſum tanta Fratrum copia ibi collecta eſſet percunctatur. Audiit autem, eos a Cælo deſcendiſſe, ut Benedictum in Cælum comitarentur, aurea veſte donandum, quam coram ſe illorum unus explicuit. In eodem Conventu Bernardus de Mediolano ex Vicecomitum familia, in ſæculo Brixienſis Epiſcopus renuntiatus conſanguineorum opera; quam ille dignitatem fugit, ſecedens in ſolitudinem, & in ſylvis herbarum radicibus victitans, donec a Deo inſpiratus Capuccinis Laicis adſcriptus eſt. Ad ejus funus magna concurrit populi multitudo, aliis tunicam, aliis capillos abſcindentibus, aliis pedis unguem cum carne, a quo ſanguis manavit. Poſt quinquennium ejus oſſa ſuaviſſimum odorem ſpirantia oſculatus Honorius Brixianus Sacerdos a febri quartana convaluit.

CXXVIII. Tranſiens hoc anno S. Felix de Cantalicio per Provinciam S. Franciſci, ut inviſeret ſacra loca Aſſiſii, puellam tabe conſumptam, & vehementioris febris vi jactatam, ac funeri proximam, facto ſuper eam ſigno Crucis, Fulginei ſanavit. Habitavit ibidem in Cœnobio Ordinis ſui S. Franciſci de Monte, ad quem a veteri æde S. Joſeph a Civitate paullo remotiore non multo ante Capuccini ſe tranſtulerant, eumque Joannes Baptiſta Vitelli fundator Oratorii, & Societatis Boni Jeſu Fulginei, diſcipulus S. Philippi Nerii inde ſecum duxit ad Civitatem, nonnullos dies cum illo converſatus, conſerto invicem ſermone de Divinis rebus, quibus uterque unice perfruebatur.

Ludovicus Jacobilli in vitis SS. &c tom 2 die 18. Auguſti pag. 142.

CXXIX. Ad Sponſi cæleſtis nuptias evolavit in Monaſterio S. Claræ Villæcomitis Territorii Braccarenſis Eliſabeth a S. Ludovico, & in Monaſterio S. Franciſci Villænovæ Provinciæ S. Gabrielis Catharina de Vico. Poſterior vixit quadraginta annos ulceribus fœtidiſſimis in cruribus, & pedibus oppleta, quo fiebat, ut ne aliis ſtomachum faceret, cubiculo incluſa ipſa ſe curaret, lætitiæ hymnos in gratiarum actionem Deo decantans. Die Veneris optabat, ut ab altera duarum ſororum elevaretur a terra, ab altera fuſtibus cæderetur. Prædixit, ſe morituram die S. Marci, quod & contigit. Corpus extinctæ fragrantia Eccleſiam replevit, & Puellæ ſpeciem exhibuit, quamvis ſeptuaginta annos eſſet nata. In eodem Monaſterio Anna Baptiſta, quæ viginti

Monumenta Provinciæ S. Gabrielis.

annos Abbatiſſa ſoleas ferebat ex viminibus, chordiſque, more ruſticorum regionis, contextas, nec novam tunicam unquam ſumpſit, ſed laceras, & a Monialibus deſertas adhibebat. A maligno Spiritu graves tentationes paſſa eſt. Santareni in Monaſterio S. Claræ extra muros Territorii Ulyſſiponenſis Achatia a Paſſione, quæ quum ad tumulum deferretur, auditæ ſunt quaſi plurium concinentum voces, veluti ſi Purgatorii animæ mortuorum vigilias illi perſolverent. Kloſterburgi Juſtina, vel Catharina, cui diſtinctis vicibus S. Angelus Cuſtos Hoſtiam ab Altari ſumptam in os immiſit, & quum Sacerdos unam ex præparatis Hoſtiis deeſſe animadverteret, Juſtina ab Angelo admonita rem ei declaravit, rogans, ne quid ante obitum ſuum alicui diceret.

Momunenta Provinciæ ex Archiv. S. Isidori arm. 5 num. 46.

CXXX. Has ſequutæ ſunt in Monaſterio S. Antonii Aſſiſii Catharina de Bettona Monaſterii Reformatrix. In Monaſterio S. Catharinæ Bettonæ Bonifacia Gratiadonna Monaſterii pariter Reformatrix. In Monaſterio Montis Virginis Catanæ Agatha Flatomone prima Abbatiſſa, cujus orationibus Philippus II. Rex ſe commendavit. In Monaſterio S. Claræ de Caſtellon de Empuries Cecilia Calt de Corantelle orta parentibus Antonio Calt Equite, & Catharina filia Equitis de Oriols Civitatis Gerundenſis, quæ a Monaſterio S. Danielis Gerundæ una cum Hieronyma Michaela tranſivit ad præfatum S. Claræ Monaſterium, ubi Magiſtra Novitiarum renunciata eſt. In Monaſterio Conceptionis de Torrigos Provinciæ Caſtellæ Maria de S. Joanne Tertii Ordinis devotiſſima Paſſionis Domini, & SS. Euchariſtiæ, Spiritu prophetico donata. Infirmitatem toleravit patientiſſime triginta annos, & in mortis limine vidiſſe fertur Chriſtum Dominum, Deiparam Virginem, Sanctoſque plurimos a Cælo descendentes.

Jo. de Zayas in Provinc. Castellæ pag. 154.

CXXXI. Reliquiæ B Humilianæ de Cerchis, ſeu de Circulis, ab Altari ei ſacro, in quo jacebant in Eccleſia S. Crucis Florentiæ, translatæ ſunt ad Sacrarium thecis ligni inaurati incluſæ, quum Eccleſiæ Sacella ad meliorem formam hoc anno reduci deberent.

Joseph Richa to. 4. pag. 76.

CXXXII. Hoc anno Felix Perettus de Montealto, expleto Procuratoris Generalis officio, ſequutus eſt in Hiſpaniam Hugonem Boncompagnum illuc a Pontifice miſſum ad diſcutiendam causam Bartholomæi Mirandæ, & Carranzæ Archiepiſcopi Toletani. Superior Annaliſta miſſionem hanc rejecit in annum 1560. At teſtibus Ciacconio, Raynaldo, & Hiſtoricis omnibus, Hugo duobus ante menſibus in Cardinalium Collegium cooptatus (id autem accidit anno hoc die 12. Martii) in Hiſpaniam Legatus profectus eſt, ut prædictam causam cognoſceret, & de ea ſtatueret. Lego apud Guilielmum Burium: „ Notabile eſt, „ quod Mimus quidam ad menſam Philippi II. Hiſpaniarum Regis Di- „ vinum agere volens, atque contemplans inter alios accumbentes „ Hugonem Boncompagnum, Minoritam Perettum, atque Protonota- „ rium Sfondratum, ait Regi: *Majeſtas veſtra accumbit cum tribus Pa-* „ *pis*; & ſingulos demonſtravit ſecundum ordinem promotionis ad Pa- „ patum; nam Boncompagnus fuit Gregorius XIII., Perettus Sixtus V., „ Sfondratus Gregorius XIV. „. Hæc dici quidem potuerunt. Sed inter Hugonis Comites Sfondratum Ciacconius non recenſet: „ *Illuſtra-* „ *vit*, inquit, *legationem comitatu inſignium virorum, & præſertim Jo:* „ *Baptiſtæ Caſtaneæ, Felicis Peretti, Joannis Aldobrandini, & Stephani e* „ *familia Servorum B. Virginis, quorum duo ad Pontificatum* (Perettus „ nempe, & Caſtanea), *alii ad purpuram evecti fuerunt, quaſi tam illu-* „ *ſtris*

Annales Min. an. 1560. num. 34.

Ciacconius tom. 3. pag. 959 Raynaldus ad hunc an. pag. 562.

Burius in Rom. Pont. brevi notit. pag. 275.

Ciacconius ibid.

Idem tom. 4 pag. 78.

„ *ſtris virorum corona indicaret futuram Hugonis majeſtatem* „. Quod ſi Sfondtatus cæteris in legatione adhæſiſſet, non Protonotarius ſuiſſet nominandus, ſed Epiſcopus; jam enim ab anno 1560. præerat Eccleſiæ Cremonenſi; nec Ciacconius ejus nomen prætermiſiſſet, utpote viri præ aliis, quos memorat, præſtantiori dignitate fulgentis, ſi Caſtaneam excipias tum Hugoni comitem aſſignatum, tum Sedis Apoſtolicæ Nuntium in Hispania. Concordat cum Ciaeconio Joseph de Novaes, qui Pontifices a Mimo indicatos ſcribit Boncompagnum, Perettum, & Caſtaneam, ſcilicet Urbanum VII.

Idem ibid. pag. 201.

Novaes element. Histor. de Sum. Pontif. lib. 4. pag. 116.

CXXXIII. Iisdem in regionibus alios inter, quos memoravimus, florebat præcipue, ut dictum eſt, Petrus Nicolaus Factor, cujus non eſt omittendum prodigium hoc ipſo anno patratum. Hieronymus Ximenez pharmacopola Civitatis de Cincilla Diœceſis Conchenſis pugionis ictibus vulneratus in brachio, crure, & capite, dum Segobrigæ in ditione Valentina cum aliis rixaretur, Eccleſiæ Sacramenta ſusceperat acturus animam. Non procul inde, elapſo Quadrageſimæ dimidio, ſacras conciones habebat Sanctus, cui ad ſe arceſſito Hieronymus ſupplicavit, ut ſe Deo commendaret; moleſtum enim ſibi eſſe ætate tam juvenili, & tali ex causa mortem obire. Tunc Sanctus eum hortatus eſt ad commiſſorum pœnitentiam, veniamque dandam hoſtibus ſuis; & recitato ſuper illum Evangelio S. Marci, ad illa verba: *Super agros manus imponent, & bene habebunt*, caput ejus utraque manu prehendit, & inſufflavit in ſaciem ejus ad modum Crucis; eodemque temporis puncto vehemens ardot corripuit infirmum totis artubus, ſic ut comburi videretur, provolutusque inter brachia Petri Nicolai agitabatur, & ululabat, illum rogans, ut ſe non deſereret morientem. Cucurrerunt ad ſtrepitum domeſtici, quibus Vir Dei dixit, nihil metu, & trepidatione opus eſſe. Hinc abiit, & ſtatim cibum Hierouymus poſtulavit, adveniensque Chirurgus invenit ejus vulnera rubicunda, & ſine ullo pure; nec multo poſt, Dominica ſcilicet Palmarum die, petſecte ille convaluit.

Leonardus a Neapoli part. 4. tom. 2. lib. 8. cap. 36.

CXXXIV. In Hispaniarum ſimiliter Regno Angelus de Pas natus anno 1540. Perpiniani Diœceſis Elnenſis Joanne de Pas, & Anna Pincarda Dominis Terræ S. Martini, vocatusque in baptiſmate Joannes Carolus, in Provincia Cataloniæ nomen habere cœpit eximium; incredibili enim ingenio, & pietate præditus, ac Sæculi XVI. propemodum portentum, expleto ſtudiorum curriculo in Uuiverſitate Complutenſi, ſacrisque literis exculcus, juvenis adhuc XXV. annorum Verbi Dei prædicationi navabat operam, & in Oppido de Figueras tantam excitavit admirationem in adſtantibus, ut veluti Angelum cuncti eum ſuſciperent; aliique populi, ad quos viri nomen cito pervenerat, ipſum avidiſſime expeterent; eodemque hoc tempore ad Cœnobium rediens in feſto Aſſumptionis Deiparæ, poſt habitum ſermonem in quodam Oppido, & ingenti pluvia madeſactus, calceamentum, quod gerebat, chordis contextum abjecit; illo namque difficulter viam ſuam proſequi poterat, nec illud amplius reſumpſit, nudis plantis reliquo vitæ ſuæ tempore incedens.

Ibidem lib. 10. cap. 25.

CXXXV. Extincta Eremitarum Congregatione, qui ſub Hieronymo Lanza ſylveſtres montes in Sicilia incolebant, & Seraphicam regulam profitebantur ex indulto Julii III., B. Benedictus de S. Philadelpho hoc anno, vel circa finem anterioris, Ordini Minorum ſe addixit in Cœnobio Panormitano S. Mariæ de Jesu. Nonnulla habet Joannes Rodulphus

Digitized by Google

phus de Mendriſio doctiſſimus Theologus, & Eccleſiaſtes in ejus Biographia noviſſime typis edita, quæ animadverſione digna ducimus, etsi in cæteris viri labores plurimum commendemus. Scribit, mortuo Julio III., in Pontificem renuntiatum fuiſſe Pium IV., quod minus vere dictum eſt; hos enim inter duos medii interceſſerunt Marcellus II., & Paulus IV. Scribit, Pium IV., vix conscensa Petri Cathedra, præfatam Congregationem diſſolviſſe; quod non cohæret cum iis, quæ antea profert; dicit ſiquidem, Benedictum natum circa annum 1524. anno 1545. habuiſſe ætatis annum XXI., nec quemquam arbitror in dubium ea velle revocare, quæ habentur in Breviario Romano ad diem tertiam Aprilis: *Solitariam vitam . . . . . . ad quadrageſimum usque ætatis suæ annum in omnium virtutum, & asperitatum exercitatione ſervavit*. Hinc ſuppreſſio Societatis Eremitarum non contigit initio Pontificatus Pii IV., qui electus eſt anno 1559., ſed circa finem, hoc nempe anno, vel anteriori.

Vita B. Benedicti &c cap. 4. pag. 32.

Ibidem cap. 1. pag. 5.

Ibidem cap. 3. pag. 14.

CXXXVI. Tot Seraphici Ordinis ornamentis tenebras offundere conatus eſt degener, & nequam Petrus Cugnete, qui poſt apoſtaſiæ reatum de Eccleſia S. Mariæ de Empataviglia Diœceſis Melitenſis, doloſis artibus ſibi provideri curavit; cujus poſſeſſionem amiſit Pontificis Decreto: *Gratia devotionis*. Quarto Idus Martii. Interim ad Episcopatum Eccleſiarum Dunenſis, & Canerenſis vacantium per obitum Eugenii Episcopi promotus eſt Miletus Maritath Minorita, quem Rodulphus appellat Mileſium Magnæ: *Apoſtolatus Officium*. Quarto Idus Octobris. Et ad Episcopatum Eccleſiæ Samadrienſis vacantis per obitum Thomæ Episcopi Nicolaus Ugrinovich: *Apoſtolatus Officium*. Septimo Kal. Decembris.

Rodulphus lib. 2. pag. 215.

CXXXVII. Vitæ cursum, quem ex impiorum telis eripuit, clauſit Pontifex circa anni finem. Morienti adſtiterunt Carolus Cardinalis Bortomæus, & Philippus Nerius. Multa ejus beneficia in Ordinem noſtrum in ſuperioribus Annalibus recensentur. Hoc autem anno affecit Indulgentia Eccleſiam Monaſterii S. Claræ de Speranza Ulyſſiponenſis: *Unigeniti Dei*. Octavo Kal Aprilis. Exemit Fratres Obſervantes Conventus S. Pauli prope Bononiam a ſolvendis quibusdam datiis: *Sacræ Religionis*. Nono Kal. Novembris. Dedit literas, ut liberaretur a captivitate Frater Joannes de Rivomano: *Obſequium pium*. Septimo Kal. Julii. Item alias pro Cuſtodia Albaniæ circa Confeſſiones: *Religionis zelus*. Die 27. Septembris; & pro Monaſterio Corporis Chriſti, ſeu S. Claræ Neapolis: *Ex commiſſo nobis*. Sexto Nonas Julii, & *Ex commiſſo nobis*. Tertio Kal. Aprilis. Item pro Indulgentia Eccleſiæ extruendæ Cœnobii de Torresvedras: *Omnibus Fidelibus*. Die 13. Junii.

Petrus de Alva in indice Bull. Seraphici Verbo Pius IV. pag. 230

CXXXVIII. Morari conſuevit Pontifex in Palatio Aracælitano, ubi in parietibus cubiculi Reverendiſſimi Commiſſarii Generalis, & ſupra caminum legitur in lapide: *Pius IV. A. I.* In ſummitate Porticum extruxit, ex qua tota fere Urbs conſpicitur. Ædes picturis decorarunt Fridericus, & Matthæus Zuccari, quorum opus eſt aulæ corona, & Michael Angelus de Caravagio, qui expreſſit puerorum luſum coloribus, & imaginibus. Palatium conſtrui fecerat Paulus II. in horto, & mænibus Fratrum, cellis valetudinarii dejectis, & Palatio S. Marci conjungi medio ponte ad commodiorem transmigrationem. Ædificium Fratribus cubiculorum penuria laborantibus reſtituerat Paulus IV. At Pius IV. rursus ſibi vindicavit ob gratiſſimam aeris temperiem. Quomodo deinde Obſervantibus perpetuo ceſſerit, & a quibus, quo tempore, & jure fuerit occupatum, diſtincte referemus.

Selvaggi de tribus Peregrinis pagin. 406.

AR-

ARGUMENTUM.

Creatur Summus Pontifex S. Pius V. Reformantur in Hiſpania Minores Conventuales, & Moniales eorum curæ commiſſæ. Deſcribuntur Provinciæ Duodecim Apoſtolorum de Perù, *& S. Francifci de Quito erectæ in America Meridionali. Refellitur calumnia Ludovici Gotofredi. Viri eximii decedunt in Indiis Occidentalibus. In Gallia diruuntur Cœnobia ab Hæreticis, & Minoritæ occiduntur. Idem evenit in Germania, & Belgio. In Italia, & Hungaria Turcarum armis Minoritæ vexantur. Renuntiatur Vicarius Generalis Minorum Conventualium, & Epiſcopus Agathenſis Felix Perettus. Ferdinandus de Barrio fit Epiſcopus S. Jacobi de Nuevo extremo. Beatus Salvator ab Horta abit in Sardiniam. Ejus acta, & miracula. Obeunt Viri. Ædificantur domus. Capuccinorum Congregationem illuſtrat plurium beata mors. Novus Pontifex Minoribus privilegia largitur.*.

I. LÆtiſſimus, fortunatuſque toti Orbi Catholico illuxit annus MDLXVI. aſſumptione ad Summum Pontificatum Michaelis Ghislerii Sacri Ordinis Prædicatorum in oppido Boſchi Diœceſis Dertonenſis in Inſubribus nati, non, ut ait Ciacconius, anno 1505; ſed anteriori parentibus Paulo Ghislerio, & Dominica Angeria, gente olim Senatoria Civitatis Bononiæ, & opulentiſſima; tunc vero fortunæ bonis non admodum inſtructa ob civilium bellorum motus, qui Bononiam turbarunt. Die 7. Januarii ſupremum Eccleſiæ clavum tenuit, & Pius V. appellari voluit, id petente Cardinali Borromæo Pii IV. Sororis filio. Ejus Iconographiam exhibet Bzovius. „ Dum in Clauſtro, inquit, degebat, ſenſibus religioni compoſitis, oculiſque, quum in eo ſumma „ quædam tum animi, tum corporis conformatio mirabiliter eluceret, „ atque omnibus in rebus ſingularem quamdam modeſtiam, & gravitatem præſeferret, eam ſibi reverentiam apud omnes peperit, ut non „ amplius Michaelis, ſed S. Bernardini nomine paſſim appellaretur; quippe qui ipſum Sanctiſſimum Virum ut moribus, ita corporis gracilitate, & adſpectu venerando egregie referret. Atque hæc quidem „ opinio, famaque ſic percrebuit, ut hoc nomen, an illud ei proprium „ eſſet non pauci dubitarent „.

Lambertinus to. 1. de Serv. Dei beatif.

Bzovius ad an. 1566.

II. Timuit initio Populus Romanus, ne Princeps tot annos Inquiſitor, aſſuetus ſceleribus vindicandis, & impietatis ſeminibus a radice evellendis, in ſeveritatem propenderet, & Paulum IV., a quo Purpuram acceperat, imitaretur Orthodoxiæ vindicem, & quum de rebus fidei ageretur, iraſci ſolitum, promptumque ad noxios de medio tollendos. Concepto tamen metu excidit; humaniſſimum enim ſingulari exemplo ille ſe oſtendit. Egerat Bergomi Inquiſitorem ſub Julio III., cujus juſſu quæſtionem inſtituerat in Victorem Superantium, ſeu Soranzo Epiſcopum, qua in re, Nicolao de Ponte Urbis Præſide, moleſtias, & inſidias ſubiit, quibus excedere compulſus chartas, totamque actorum ſeriem reliquit apud non Arnobium, ut ſcribit Bzovius, ſed Aurelium Grianum de Urceis Novis Minoritam, quem fidelem, & integrum amicum expertus erat, & ad Epiſcopatum Litterenſem promovit, ut dicemus, maxime, quum opem, & equitatum illi Aurelius præbuerit, ut ſuæ vitæ fuga conſuleret. Quum itaque die 17. Januarii Pontificali diadema-

demate coronatus a Laterano in Vaticanum rediret, in medio conſertæ multitudinis ruſticum agnovit, a quo ſexdecim ante hac annis hoſpitio exceptus fuerat Bergomo Cremonam verſus deviis itineribus diffugiens, hominique omnia alia tunc cogitanti ad ſe accerſito: *Ego*, inquit, *Dominicanus Frater ille ſum, quem tu jamdudum hoſpitio ſuſcepiſti*; donatumque mille, & quingentis nummis aureis domum remiſit.

III. Nihil antiquius habuit Pontifex, quam Summum Sacerdotium a rebus ſacris auſpicari. Non vacat hic, neque opus eſt ſingula proſequi, quæ ſanxit circa Dei cultum, ritus religioſos, & Decretorum Concilii Tridentini obſervantiam. Noſcens Eccleſiaſticorum hominum moribus Chriſtianam Rempublicam inniti, delegavit Leonardum de Marinis Ordinis Prædicatorum, ad viſitandas plurimas Diœceſes, ut Clerici Sæculares, & Regulares ad legum normam reducerentur: *Licet injunctæ*. Die 26. Octob., non exceptis ipſis Monialibus, quibus tamen peculiari diplomate conſuluit: *Reguliarium perſonarum*. Eadem die; renovans Conſtitutionem Bonifacii VIII., & vetans, ne mulieres ſæculares ſepta

In ſexto cap. *de Periculo*. Monaſteriorum, aut loca quorumcumque Ordinum Regularium ingrederentur. Quam Ordinationem excepit alia: *Circa Paſtoralis*. Kal. Junii, per quam Clauſura, quæ indicitur Monialibus, afficit etiam Tertiarias. Subſtituit in locum, quem ipse antea obtinebat in cauſa Canonizationis S. Didaci, Joannem Antonium Capiſuccum Cardinalem S. Clementis.

IV. Bernardus de Freſneda, ſeu Fraxineto, Ordinis Minorum Obſervantium, Epiſcopus Conchenſis cogitavit hoc anno Minorum Conventualium, ſeu Clauſtralium reliquias in Hiſpania ſuperſtites extinguere. Hiſpano itaque Regi, apud quem plurimum gratia, & auctoritate valebat, quum ei a Confeſſionibus adfuiſſet, perſuaſit, ut negotium ſuſciperet, quod Rege inſtante confectum eſt a Pontifice: *Maxime cuperemus*. Die 2. Decembris. Rem hanc non inutiliter quidem tentavit olim Franciſcus Ximenius Antiſtes Toletanus, & S. R. E. Cardinalis ſub Hiſpaniarum Regibus Ferdinando, & Iſabella, ſed non omnimode abſolvit. Tunc ſane bona temporalia Conventualium partim reparandis, & componendis Cœnobiis omni ſuppellectile nudatis, & ruinæ proximis fuerunt applicata; partim Monialibus pauperibus, ut a quotidianæ mendicationis onere ſolutæ facilius clauſuræ legi ſe accommodarent; par-

De Gubernat. tom. 2. lib. 9. cap. 6. tim Collegiis publicis, Eccleſiis Cathedralibus, piiſque locis indigentibus; partim denique cum ſuis officiorum, & miſſarum oneribus benefactores, & univerſitates recuperarunt. Quamvis autem, his ſublatis difficultatibus, Conventualium ædes majori ex parte Obſervantibus traderentur; non omnia tamen perfici potuerunt ob locorum diſtantias, & exiguum Obſervantium numerum reſpectu Cœnobiorum, quæ occupari debebant.

V. Literæ Apoſtolicæ ad Epiſcopos, & Archiepiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos comprehendunt etiam Canonicos Regulares, S. Benedicti Ciſtercienſes, Fratres Prædicatores, Eremitanos S. Auguſtini, Carmelitas, & quoſvis Ordines, qui ad ſeveriorem diſciplinam revocari indigerent. Præcipiunt Eccleſiarum Prælatis, ut reducant domos Conventualitatis ad normam vivendi Obſervantiæ, & Conventuales Obſervantibus aggregati his ſolis pareant, venia tamen eis facta, ut ad alias Obſervantiæ Religiones tranſirent. Moniales quoque eis ſubjectas tranſtulit Pontifex ad Obſervantium curam. *Quum graviſſimis*. Die 12. Decemb.

VI. Sermonem facturus de Provinciis, quæ ex Decreto Capituli Valliſoletani prodierunt in Indiis Occiduis, præmittam brevem locorum deſcti-

deſcriptionem. Peruvia latiſſima continentis ora Americæ Meridionalis a gradu ſecundo latitudinis Borealis extenditur ad gradum vigeſimum ſeptimum latitudinis Meridionalis, nempe in longitudine a Borea ad Auſtrum gradus viginti ſeptem, in latitudine quibusdam in locis centum, in aliis centum quinquaginta. Hinc area quadrata totius regionis continet quatuor centum milliaria quadrata. Habet a Septentrione Terram firmam, ab Auſtro Chile, ab Occidente mare Pacificum, & ab Oriente regionem Amazonum. Secundum longitudinem includit regionem campeſtrem, ſeu planam, montanam, & illam, quæ a montibus Andes nomen deſumit. Ad Ortum terram interſecat duplex montium catena excurrens a freto Magellanico ad Iſthmum Panamæ, & Mexicum, jungenſque partes Meridionales Americæ cum Borealibus. Series Montium Occidentalium dicitur *Sierra*, Orientalium *la Cordillera de los Andes* ſpina dorſi totius Americæ Meridionalis, quorum vertices intra nubes latent antiquiſſimis nivibus rigentes, & intolerabili frigore, quale in Lapponia reperiri tantum poſſe crederes, ventiſque, & nimbis furentibus pulſati. Mons Cyambour ſub Æquatore, & Antiſua quinque leucis ab ipſo relate ad maris libellam aſcendunt 18000 pedes. Mons Cimboraco 115320. pedes; adeoque una tertia parte ſuperat montem Pici de Tenariſe, quo in veteri Hemiſphærio nullus ſublimior. Montes Ritchincha, & Caraſon, in quibus Academici Pariſienſes cum Ulloa, & Georgio Juan Hiſpanis obſervationes inſtituerunt circa figuram Telluris, elevantur circiter 14580. pedes; quæ eſt altitudo hominibus pervia; cacumen enim aliorum vel nivibus ne ſub Zona quidem torrida liqueſcentibus obſtruitur, vel perpetuos projicit flammarum, fumique globos, ut montium Catopaxi, Tougourargua, & Sangai. Sub vertice ad mille circiter pedes aridæ arenæ, nudæque rupes, & ſcopuli deteguntur. In locis depreſſioribus *Paramos* dictis virides apparent ceſpites, & gramina.

VII. Duplicem montium catenam latitudinis ut plurimum quadraginta leucarum alii montes excipiunt in medio Peruviæ excurrentes in ſummitate frigidi, ſteriles, metalliſque referti. In majori parte regionis campeſtris neque pluit, neque ningit. Ab Octobri tamen ad Aprilem, menſibus ſcilicet hybernis, ſubtilis ros decidit a vaporum nubeculis Atmoſphæram occupantibus, quo ſegetes, fructuſque ad maturitatem perveniunt. Prædictis menſibus in montanis quotidie pluit, aliis vero eædem contingunt tempeſtatum viciſſitudines, quæ in Europa. Inter montium anfractus jacent quinquaginta circiter Valles decurrentibus fluviis irrigatæ, rerumque varietate, opulentia Peruanos alunt, & delectant; etſi uſitatus eorum cibus ſit frumentum Indicum *Maiz*, et potus *Chicha*, liquor a frumento Indico extractus.

VIII. Detecta, domitaque Peruvia, fabulæ multæ prodierunt circa mores, & inſtituta incolarum, vanitate eorum, ut opinor, qui rebus remotarum regionum, quum primum narrantur, aliquid addunt paradoxo ſimile, quo vulgi admirationem excitent, & ſingularia ſe narrare credantur. Eo ſpectant magnificæ deſcriptiones Templorum, Statuarum, horreorum, viarumque publicarum, arcium, & pontium, atque ſubſtructionum, quibus exciſæ rupes memorantur, monteſque aſperrimi æquati, quaſque nonnulli Ægyptiis, Romaniſque molibus præferre non dubitant. Ajunt, in Civitate Cuzci penes delubrum, ſeu Pantheon extitiſſe Solis ſtatuam ex auro ſolido tam affabre elaboratam, ut quoties

Ludovicus Gotofredus Arcont. Coſm. pag. 911. & ſeq.

Ibid. pag. 333.

Sol oriens illam radiis percuteret, tantus inde radiorum reflexione ſplendor emicabat, ut meridiei vinceret claritatem. Juxta obſervationes Buſching, & Robertſon hæc omnia, multaque his ſimilia aut conficta ſunt, aut ad minus altius exaggerata; Peruani namque tantum a luxu, & operum magnificentia diſtabant, ut commercio deſtituti vitam ducerent partim ſylveſtrem, partim in ſocietate quidem, ſed ſine artibus, & commodis, quæ cultis nationibus non deſunt. Inga, ſeu Imperator induebat ſimplicem tunicam textam ex filis goſſypii cum pallio ad humeros decidente. Eadem erat veſtis virorum nobilium. Cæteri nudi incedebant. Nulla Alphabeti, aut Hieroglyphicorum apud illos notitia, & *Quippos* adeo celebrati totidem erant chordæ diſtinctæ coloribus, quas in numerando adhibebant.

Busching. tom. 33 § 1. pag. 25. & seq.

Robertson tom. 4. lib 7. pag. 103. & seq.

IX. Relatum eſt, eos *Virachocha* cultum exhibuiſſe, quem mundi opificem agnoſcebant; in quo nihil video, quod cum veritate non cohæreat; nullam enim gentem quantumvis barbaram Atheam reperiri compertum eſt. Nollem vero, hiſtoricos hæc narrare, ut in aliis ſibi fidem adſtruant. Solis ſiquidem, quam jactitant, diſtinctionem in Solem Patrem, Solem Filium, & Solem Fratrem, nemo ſanæ mentis apud Peruanos admittet, quin primario Catholicæ fidei myſterio eos imbutos affirmet. Unde autem hæc in illis cognitio? Recurrere ad Dæmonum artes, ut aliqui faciunt, id vero abſurdum videtur, quum maligni Spiritus id potius agant, ut Religionis veræ ſenſus in hominum animis, ſi poſſint, extinguant. Docent eruditi, homines maritimo, vel pedeſtri itinere ab Aſia in Americam paullatim tranſmigrare potuiſſe; quum ab extremis Aſiæ litoribus in conſpectu fere ſint primæ Americæ oræ, & anguſtum fretum inſulæ dividant, quæ undis ea in latitudine gelu concretis hyberno tempore ſolidum telluris tractum efficiunt, per quem Arctici habitatores, ut ſolent, iter agere poſſunt. Aliunde vero improbabile non eſt, Americam, & Aſiam freto de Anian, quod narrant, modo avulſas unam fuiſſe continuatam terram, ſi ex mutationibus, quæ in telluris ſuperficie contingunt, argumentari licet. Sunt etiam qui contendunt, regiones Americæ boreales unitas olim Europæ media Groelandia, & regiones Orientales Braſiliæ regionibus Occidentalibus Africæ, quas inter modo jacent Inſulæ Capitis Viridis, Fernandi de Noronna, Aſcenſionis, S. Matthæi, aliæque ſimiles recognitæ, & delineatæ anno 1737. a D. Buache. Ex quo pronum eſt inferre, Chriſti Evangelium potuiſſe Peruanis annuntiari. Aliud tamen eſt, quærere quid factum ſit, aliud quid fieri potuerit. In hiſtoriis Peruanis non ex vulgi rumore congeſtis, verum juxta accuratioris Criticæ canones exaratis habemus, *Mancum Capac* limitrophum lacus Titicacæ in Valle Collao, alterum Peruanorum Numam Pompilium, Solis filium ſe feciſſe, hominesque barbaros ferarum ritu per ſylvas errantes ad ſocietatem adduxiſſe. Hic Soli Templum conſtituit, cui nec victimæ humanæ, nec brutorum animantium offerebantur. Vetuit polygamiam, jure ſibi, & Succeſſoribus reſervato, Virgines Solis Templo dicatas, quotquot vellent, ſibi copulandi. In eiſdem hiſtoriis nihil notatum invenio, quod Chriſtianiſmum ſapiat, nec verbum ullum de Summis Sacerdotibus *Papas* dictis, de majoribus, & minoribus Pœnitentiariis, Vicariis Monaſteriorum, placentis ex farina *Mayz*, & ſanguine alborum Arietum confectis, quæ in ſignum confœderationis, & unionis cum Inga populo diſtribuerentur, aliiſque bene multis, quæ Ludovicus Gotofredus in

Gotofr. ibid. pag. 326. & 335.

Bauche chart. Idrographicæ de anno 1737.

Gotofr. ibid. pag. 334. & seq.

Ar-

Archontologicis Coſmicis fuſe proſequitur. *Mancus Capac* decem, vel undecim habuit ſucceſſores. Quare fieri potuit, ut Religioni ab eo inductæ ſuperſtitioſi alii ritus, & cæremoniæ accreverint non ſolum adorandi flumina, montes, ventos, feras, & noxia quæcumque, quod rudibus, cauſarumque ignaris hominibus ſponte veluti ſua accidebat; quin etiam Dæmonum reſponſa conſulendi, & humana ſacrificia Idolis immolandi.

X. Peruanum Imperium adjecit ditionibus Hiſpaniæ Franciſcus Pizzarrus, qui, inita familiaritate cum Didaco de Almagro, & Ferdinando de Luques Presbytero ſæculari, ab Iſtmo Panamæ Inſulam Punæ in mari de Qualaquil tribus navigiis ingreſſus, & in terram expoſitis centum octuaginta quinque militibus cum equis triginta ſeptem, captaque Cuenza, Caxalcalcam verſus properavit, ubi Inga Atabalipa, ſeu Athavalpa, devicto Fratre ſuo Hualcar, Rempublicam adminiſtrabat. Quid factum deinde ſit tradunt omnes, nec nobis neceſſe eſt, ut in ſingulis immoremur. Hiſpani certe nihil non egerunt, ut Atabalipa Catholicus fieret; infauſto tamen exitu, ut legere eſt apud Joannem de Luca, ſeu potius Haroldum, cujus ſcripta ille typis edidit. Memorat Gonzaga pugnam a Pizzarro commiſſam cum Regiis copiis ad Caxalmalcam, in qua, inquit, *Rex potentiſſimus* Atabalipa devictus eſt. Addere debebat, Pizzarro nemine reſiſtente; Rex enim in ejus poteſtatem ſponte devenit, poſtquam munera hoſpiti miſerat, & ut ei advenienti ſui obviam procederet, omnia diſpoſuerat. Cæſi ſunt in congreſſu Caxalmalcæ inopinato Prætoriani milites *Mitimaes*, ipſeque Rex palliolo illo ſuo redimitus in cuſtodiam traditus tum aliis ex cauſis, tum quia Sacræ Scripturæ Codicem a Vincentio Valverde Ordinis Prædicatorum ei porrectum auriculæ admovit, veluti ſi ab ipſo aliquid eſſet auditurus, & in terram cum contemptu projecit. Morti poſtmodum addictus die 2. Maji anno 1532. vacuam Imperii poſſeſſionem advenis reliquit; qua tamen Pizzarrus, divitiiſque in ea repertis frui diutius non potuit, ab Almagri militibus anno 1541. in civitate Limæ, quam ipſe fundaverat, interemptus.

Annales Min. ad an. 1546.

Gonzaga part. 4 pag. 1318.

Torrubia lib. 8, cap. 41.

XI. Cumulatis pluribus commentis circa Indorum Religionem, præfatus Ludovicus Gotofredus duo addit abſurda, ſive incommoda, quæ in Evangelii prædicatione apud Mexicanos, Peruanoſque evenerunt: „ Indi, ait, baptizati non præeunte inſtitutione, vix aliquid habebant ex Chri- „ ſtianiſmo, quam baptiſmum „. Agitur de re facti. Factum autem non creditur, niſi probetur. Teſtem nullum Archontologicus producit; nec aliunde auctoritate ipſe ſua magis valet ad id ſuadendum, quam ad fidem ſibi conciliandam Templorum, aquæductuum, viarum Appiarum, & memoratæ Solaris illius Statuæ, quæ Archimedis ingenium latuiſſet. Quis porro credet, vel Indos ad baptiſmum iviſſe tamquam pecudes ad fontem, vel Sacerdotes adeo imperitos, ut ſtupidis hominibus, atque inſenſatis Sacramentum regenerationis conferrent? Ne tamen putemus, Gotofredum aerem verberare, en argumentum, quod adhibet: „ Legimus, duodecim Monachos e Franciſci Familia fuiſſe, qui „ ſinguli centena Indorum millia baptizaverunt; adeoque unum ad qua- „ ter centena millia baptizaſſe. Non poſſum ergo videre, quo pacto „ tantam multitudinem hominum efferatorum, & paullo ſupra bruto- „ rum intellectum aſcendentium in Chriſtiana doctrina inſtituere potue- „ rint, utique quum in Mexicana lingua balbutirent „. At ego vide-

Gotofredus ibidem pag. 147.

re non poſſum, quomodo ex antecedente illo: Duodecim Franciſcani baptizaverunt ſinguli centena millia hominum; deduci queat, eorum unum baptizaſſe ad quater centena millia. Si mirari ſubit incredibilem propemodum celeritatem converſionum, æque mirabilis eſt Dei gratia, quæ obices auferebat, & gentium corda ad fidem præparabat; idem enim Deus, qui de primitivis Apoſtolis, ut ait S. Auguſtinus, *coruſcabat miracula, tonabat terrores, pluebat conſolationes*, eadem per illorum ſucceſſores portenta ubique, & perpetuo renovat.

S. Auguſt. tom. 4. pag. 1190.

XII. Fateor, accuratam illam in ſingula duodecim Franciſcanorum capita arithmeticam diſtributionem nullibi me reperire potuiſſe. Agit Surius de baptizatis ab aliis ſepties denis centenis millibus, ab aliis quatuordecim denis centenis millibus in ſolo Mexicano Regno loquens promiſcue de Franciſcanis, cæteriſque Religioſis, non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia. Utcumque numerus auctus fortaſſe ſit, palam eſt, duodecim Apoſtolos Franciſcanos Indias univerſas peragraſſe, & plura Infidelium millia Chriſto lucrifeciſſe non unius menſis, vel anni ſpatio, ſed multorum annorum; neque una, vel altera, ſed repetitis concionibus, divina Sacramenta docentes, quæ quamvis altiſſima, & ineffabilia, humanæ tamen rationi apprime ſunt conſentanea. Quod quidem, ipſo fatente Adverſario, eorum, quæ antea dixerat, oblito, obtinere facillimum fuit. „ Nam & Indorum Idololatria (ſunt ejus verba) plena „ erat horroris, quæ nequaquam blandiebatur miſeris, ut lex facit Ma„ hometiſtica; neque deſiderabant miracula, ut Judæi, neque contemne„ bant diverſum a ſe ſentientes, quod Græci faciebant. Sed erant ho„ mines ſimplices ſine arrogantia, aut faſtu; neque poterant amare I„ dola ſua, neque eorum ſacrificia, quæ vita, & ſanguine humano „ conſtabant. Non erat ergo res magni momenti iis perſuadere, ut præ„ ceptis melioribus animum applicarent, quæ Chriſti Domini nobis commendavit lenitas. Accedit, ut quo minus alta ſaperent, eo avidius, „ & cum majori admiratione audirent ſermones de rebus Divinis, & „ cæleſtibus; adeoque quidquid illis proponebatur de magnitudine, & „ potentia Majeſtatis Divinæ, de miſericordia, & ſuavitate Chriſti, „ deque merito paſſionis, & mortis ejus. Nam quo plus hæ res illorum „ videbantur ſuperare captum, tanto magis illi credebant, hæc Deo „ convenire „.

Surius in Comment. ad an. 1558.

Gotnfredus ibid. pag. 146.

XIII. Ex parte itaque Indorum obicem nullum Evangelica prædicatio inveniebat. At non præceſſit inſtitutio. Ea, inquam, inſtitutio in Indis præceſſit, quam habuerunt Hieroſolymis tria hominum millia diverſarum nationum, & linguarum, quos Apoſtolus Petrus unico ſermone ad fidem adduxit; ſtatim enim *qui receperunt ſermonem baptizati ſunt*. Quod vero ſpectat ad Franciſcanorum imperitiam in linguis exoticis, libenter exquiram ab adverſario, quo pacto potuerint Indi præceptis melioribus animum applicare, ſi præcepta non intelligebant? Audire ſermones de rebus Divinis cum admiratione, ſi verborum ſenſum non aſſequabantur? Credere, Deo convenire ea, quæ audiebant, ſi res ipſis erat cum concionatoribus in Indorum lingua balbutientibus? Percommodum accidit, non aliunde mihi petenda eſſe argumenta, ut alumnorum Ordinis mei cauſam tuear, quam ex Calumniatoris verbis. Ante adventum in Mexicum Martini de Valentia cum Sociis, ideſt antequam duodecim Apoſtoli Franciſcani eſſent illic deſignati, novem Minoritæ in Urbe Tezcuco idiomati diſcendo, inſtruendiſque puerulis operam navabant

Actus Apoſt. cap. 2. v. 41.

Annales Min. ad an. 1524. num. 6.

bant. Eorum vero, ac cæterorum, qui primis temporibus in Indiis prædicarunt, ingenium, & peritiam in linguis ſequens ſchema oſtendit.

XIV. Franciſcus Ximenez, Superiorum juſſu evolutis, & recenſitis libris omnibus Mexicana lingua ab aliis editis, ſcripſit Grammaticam, & Dictionarium ejus linguæ. Alphonſus de Molina ſcripſit artem linguæ Mexicanæ, Dictionarium Caſtellano-Mexicanum, & Mexicano-Caſtellanum; Confeſſionale majus, & minus; Catechiſmum; Vitam S. Patris Franciſci; Præparatoria pro receptione Euchariſtiæ; Evangelia totius anni; Officium B. M. Virginis; Orationes multas, piasque preces, quibus gens illa pietati aſſueſceret. Omnia lingua Mexicana. Franciſcus de Toral Epiſcopus Jucatani ſcripſit Grammaticam, Dictionarium, & Catecheſim Chriſtianam lingua Popolaca regionis Tecumachalchi. Bernardinus de Sahagun ſcripſit artem, ſeu Grammaticam linguæ Mexicanæ; Vocabularium trilingue, Latinum, Hispanicum, & Mexicanum; Vitam S. Bernardini Senenſis lingua Mexicana; Dictionarium copioſiſſimum duodecim voluminibus diſtinctum, in quo ſormas omnes, & varia linguarum genera Mexicani imperii, proprietates, emphaſim, & accentum verborum dilucide examinavit, diverſasque appoſuit loquendi formulas, quibus Indi in Religionis cultu, commercio, & familiari converſatione uti ſolent. Ejus mentionem faciunt Maraccius, Morerus, Petrus de Alva, & Franciſcus Xaverius Clavigero in eruditiſſima antiqua hiſtoria Mexicana. Garſias de Cisneros ſcripſit Mexicano idiomate complures conciones fidelibus legendas in diebus feſtivis. Maturinus Gilberti ſcripſit lingua Taraſcana, qua utuntur Mechoacani, Dialogum; magnum volumen Doctrinæ Chriſtianæ; artem, & Vocabularium ad uſum Indorum Grammaticorum ſermone Latino, aliaque multa. Joannes Baptiſta de Lagunas ſcripſit artem ediſcendi linguam Tarascanam. Alphonſus Rangel ſcripſit Grammaticam duplicem pro addiſcendis linguis Mexicana, & Ottomita; ſermones per annum lingua Mexicana. Alphonſus Solana ſcripſit Dictionarium linguæ Mayæ. Michael de Zarate ſcripſit opuſcula varia idiomate Mexicano. Petrus de Gandavo nonnulla ſcripſit, primusque, licet Laicus, Gymnaſium pro erudiendis pueris Indis Mexici fundavit. Alphonſus de Herrera ſcripſit lingua Mexicana ſermones Dominicales, & de Sanctis. Alponſus de Eſcalona ſcripſir conciones Evangelicas in Guatemalicum idioma verſas. In Civirate Haxatla congregavit ſexcentos pueros, quos legere, ſcribere, canere. & Chrittianam Doctrinam edocuit. Anno ætatis ſuæ 72. linguam Guatemalicam didicit, operamque impendit in prædicatione Evangelii. Perperam Bibliotheca Ftanciſcana ex duobus Alphonſis de Molina, & de Escalona, unum facit; Arturus enim, ut cæteros ſileam, prioris obitum ponit die 18. Martii; poſterioris die 10. ejusdem menſis. Joannes Fucher multa ſcripſit quadraginta annis, quibus apud Indos vixit, hoc teſtimonio decoratus: *Siquidem mortuus eſt Fucher, in tenebris omnes verſabimur*. Franciscus Gomez varia ſcripſit idiomate Mexicano. Joannes de Ribas vertit vitas SS. Patrum ex Latino in Mexicanum; in quo etiam compoſuit vitas Patrum, & ſuorum ſociorum, qui præcelſerunt, quorum ſtudio, & prædicatione lux Evangelica Mexicanis illuxit. Franciſcus a Soto juxta Waddingum plura ſcripſit; ſed ſunt qui ea tribuant Andreæ de Soto. Antonius Civitatenſis, ſeu de *Ciudad Real* ſcripſit lingua Jucatanica Vocabularium, & majus opus, ſcilicet *Calepinum* ſex tomis. De Turibio Motolinia dicemus ad annum 1569. Andreas de Caſtro ſcripſit Dictionarium,

Auguſtinus de Avila Padilla Hiſt. lib. 2.

Torquemada to. 3. lib. 20 cap. 51.

De Avila ibid.

Ægidius Gonſalez theatr Eccl. Ind. tom. 2. pag. 202.

Torquemada ibid. lib. 19. cap. 33.

Antonius de Leon in Biblioth. Orient, & Occident.

Torquemada ibid. lib. 20. cap. 55.

Biblioth Franciſc. tom. 1. pag. 51

Vetancur in menologio Franciſc. n. 30. pag. 139.

Daza tom. 4. lib. 2. cap. 25.

Waddingus de Script. pag. 12.

Gravina in voce Turturis part. 2. pag. 214.

Biblioth. Franciſc. ibid. pag. 92.

Ibid. tom. 2. pag. 166.

Ibid. tom. 1. pag. 389.

Ibid pag. 439.

Bernardus Linzana in Hiſt. Sacr. Jucatan. cap. 16.

Biblioth. Franciſc. tom. 1. pag. 62.

narium, ſeu artem pro diſcendis linguis Mexicana, & Matlatzincica; conciones ad populum Matlatzincica lingua permultas. Petrus Oroz Grammaticam lingua Ottomita a ſuo conſodali Petro de Palacios compoſitam correxit, & auxit. Scripſit lingua Mexicana copioſas conciones pro ſingulis feſtivitatibus, Dominicis, & feriis. Andreas de Olmos ſcripſit aliquot opera linguis Mexicana, Huaxteca, & Totonaca, de quibus ſuo loco.

Torquemada ibid. cap. 31. part. 1.

XV. Catalogum producere ulterius poſſemus. Sed hæc nunc ſatis. Quod ſi aliqui fortaſſe Minoritarum rudiores eſſent, ii procul a Miniſterio Apoſtolico domi ſe continebant, ut accidit Chriſtophoro Ruitio, & Antonio de Nuete, qui viginti quatuor annos in Conventu manſit. Miracula etiam contigiſſe ſciat Gotofredus; quum enim Joannes de S. Franciſco de Veas in Regno Murciæ donum linguæ Mexicanæ, quam aſſequi cupiebat, multis a Deo lacrymis poſtularet, vacans quadam die meditationi in cubiculo, splendore ſtatim circumdatus exclamavit: *Dominus illuminatio mea*, conceſſumque ſibi id, quod petebat, intellexit. Quare ſequenti mane concionari cœpit ea lingua cum omnium ſtupore, eademque concionum librum exaravit, & collationes teſtimonio futuras accepti a Deo beneficii.

Gonzaga in Prov. S. Evangelii con. 1. pag. 1138. Coccio art. 1. de Signis Eccleſiæ. Gualterio in tab. Chron. ſæculi 16.

XVI. Dicat modo Archontologicus, Franciſcanos in Indorum lingua balbutiiſſe. Gravius vero inſtat, & dicit: „ Omnium deterrimum fuit, „ quod in tam parvo inſtituentium numero, tamen nonnulli fuerunt „ flagitioſæ vitæ, exiguæ doctrinæ, & nullius fere zeli. Et hi, quum „ tales eſſent, tamen ad tam ingens, & ſacroſanctum officium fuere „ adhibiti „. Non moror exiguam doctrinam, qua etiam ſuppoſita, (nulla enim ratione eam ipſe evincit) certum eſt, Dei Verbum non perſuaſibilibus humanæ sapientiæ verbis niti, ſed oſtenſione ſpiritus, & virtutis; non homines enim ſunt, qui loquuntur, ſed Spiritus Patris eorum, qui de cælo loquitur in ipſis. Adeo id conſtat, ut Laicis, ac præſertim Martino de Valentia, & Petro de Gandavo, nemo fortaſſe in agro Evangelico ampliores fructus retulerit. Flagitioſæ vitæ notam penitus excludit Gonzaga teſtis ferme coævus, qui illos viros præſtantes vocat, eorum ſanctimoniam commendat, & in majoribus Novæ Hispaniæ Cœnobiis duodecim Fundatorum Provinciæ S. Evangelii effigies in tabulis depictas aſſervari narrat. Et Arturus Beatos expreſſe appellat: „ Tlalmanalci die 31. Auguſti obiit B. Martinus a Valentia. Mexi„ci die 13. Septemb. B. Antonius Civitatenſis. Mexici die 9. Auguſti „ B. Toribius de Benevento. Mexici die 20. Septembris B. Garſias de „ Cisneros. Belviſii die 24. Julii B. Alphonſus, ſeu Joannes Suarez. „ In Inſula S. Germani die 10. Auguſti B. Ludovicus de Conteſalita, „ ſeu Fuenſalida. Mexici die 31. Julii B. Franciſcus Ximenius. In In„dia Occidentali die 21. Maji B. Andreas Cordubenſis. Ibidem die „ eadem B. Joannes a Palo. Tetzcuci die 25. Junii B. Joannes de Ri„bas, ſeu a Ripa. Pasquarii die 25. Septembris B. Martinus a Jeſu. „ Mexici die 18. Auguſti B. Franciſcus a Soto.

Gotofredus ibid. pag. 147.

XVII. Ubi ſunt igitur eorum flagitia? Quis umquam illos accuſavit, aut ſaltem de eorum moribus, & integritate ſuſpicatus eſt? In Beatorum numerum relati ſanctitatis famam, quam Apoſtolicis laboribus adepti ſunt, adhuc obtinent, & poſthac obtinebunt, etiamſi Archontologici mille inſurgant Gotofredo ſimiles, qui homines adeo vecordes, & dementes putat, ut ſibi ſimpliciter aſſerenti fidem adhibere velint;

quum

quum ex adverſo monumenta habeant omni exceptione majora, vel ſaltem talia, ut ſine temeritatis nota rejici nequeant. Sed ſtulti ſumus, qui in his operoſe occupamur. Mirabile dictu eſt, attamen verum, ipſum nempe Gotofredum, qui Franciſcanos oppugnat, pro Franciſcanis demum texere apologiam; quum affirmet, incommodorum Evangelicæ prædicationis in Indiis correctionem deberi Monachorum multitudini, qui collegia erexerunt familiis Franciſci, Dominici, Auguſtini &c. Quinam porro collegia erexerunt familiæ Franciſci? Monachi nempe ejus familiæ, & quidem primi illi duodecim, qui Cœnobia, Cuſtodias, & Provincias fundarunt. Ergo iidem incommodorum auctores, & correctores. Concoquant tam contradictoria ſtomachi potentiores; nos enim minus aptos agnoſcimus ad hujusmodi dapes. Idem ibid. pag. 348.

XVIII. Novarum Civitatum, & Oppidorum, quorum in dies fundamenta ponebantur in Peruvia, Hiſpanis jam rerum Dominis, conſtructionem ſequuta eſt, vel potius comitata Conventuum erectio, quibus conſtitit Cuſtodia Duodecim Apoſtolorum ſubjecta Provinciæ S. Evangelii, & ſub Franciſco de Victoria Generali Commiſſario Indiarum Provinciæ titulum adepta, præfecto in primum Miniſtrum vel Ludovico Onna, ut ait Gonzaga, vel ut lego in Authentico MSS., Aloyſio Donato, niſi Amanuenſis incuria factum ſit, ut pro Ludovico ſcriberetur Aloyſius, quæ duo nomina idem ſignificant, & pro Onna, vel de Onna Donatus. Aucto Cœnobiorum, Fratrumque numero, in tantam crevit magnitudinem, ut in quinque Provincias partiri debuerit. Ejus longitudo conficit 1200. milliaria a Civitate Truxilli in valle de Chimo ſub gradu elevationis ſeptimo, & duabus tertiis ad Civitatem Potoſi prope montem Argentiferum ejusdem nominis in Provincia Charcarum, & audientia Platæ. Gonzaga in Provincia 12. Apoſtolorum pag. 531.

XIX. Decreverunt Patres in Capitulo Generali, ut Cœnobia Charcarum efficerent Provinciam ſub titulo S. Antonii Charcarum. Verum aut id factum numquam eſt, aut paucis annis Provincia ſubſtitit; video enim, ipſam circa annum 1580. Provinciæ Duodecim Apoſtolorum aggregatam. Metropolim habent Charcæ Civitatem Platæ, ſeu Chiquiſacæ cæteris Americæ meridionalis opulentiorem ob proximas Potoſi fodinas a Peruano Gualpa, ſeu Hualpa detectas, qui quum Vincunnas, vel capreas inſequeretur, & cespitem, quo innitebatur, evelleret, cespitis radices argento infixas reperit circa annum 1545., quamvis Hiſpano Villaroel inventio tribui ſoleat, qui nihil fecit, quam amici Hualpæ ſecretum detegere. Civitas Platæ gaudet ædificiis noſtris in Europa ſimillimis cum pulcherrimis viridariis, & plantarum multiplici genere, quæ illuc ab Europa ſunt adsportata. Eam poſuit Gonſalvi Pizzarri juſſu Petrus Anzeres militum Præfectus in parva planitie collibus circumſepta ſub temperatiſſimo climate toto anni tempore præter hyemale, in quo inter aſſidua tonitrua, & fulgura imbres decidunt copioſiſſimi. Aliæ Civitates ſunt S. Cruz *de la Sierra* ſuper ripas fluvii Guapay 46. milliaribus a Plata verſus Tucuman, & Cochabamba populoſa, & florens 56. leucis ab ipſa Plata; oppida inſuper S. Joſephi de Chiquictos, Jeſus Maria *de los montes*, Tominæ, Tazabuci, & ſimilia. Terminatur regio a Septentrione Miſſionibus de Moxos, vel Mojos, ab Auſtro Chichas, ab Oriente Tucuman, ab Occidente Paria.

XX. Provincia Duodecim Apoſtolorum de Perù (vetus enim nomen retinuit) conſtat Cœnobiis Limæ, Potosi, Cuzci, Arequipæ, Cu-

Cuquiagenſi, S. Bernardini Goanienſi, S. Claræ Chachapogiarum, SS. Annuntiationis Truxilli, S. Franciſci Ivomangæ, Valli Caxalmalcæ, Vallis Cochabambæ, SS. Conceptionis Vallis Xaucæ, S. Franciſci Civitatis Aſſumptionis, & S. Annæ Civitatis S. Fidei. Præterea duabus Cuſtodiis Panamæ, & de Tucuman.

XXI. Panamæ, ſeu Terræ firmæ nomine venit Continentis pars Iſthmo interjecta Novæ Hiſpaniæ, & Mexico conjuncta, & oppoſita ab Ortu Novo Regno Granatenſi, ab Occaſu Provinciæ Veraguæ, a Borea Mari Mexicano, ſive Archipelago Antillarum, ab Auſtro regioni Popajanæ. Pene omnis rupibus, & montibus referta eſt, qui montium *Andes* totidem ſunt productiones, jacens ſub Zona torrida, ad ripas fluminis *Orinoco*, quod a montibus decurrens prope lineam Æquinoctialem undas in Oceanum exonerat, ampliorique flumine *Rio de la Madalena* ex collectione aquarum aliorum fluminum a montibus Popajanæ deſcendentium formato, & in mare Mexicanum ſe projiciente. Duæ illic aſſurgunt Civitates principaliores (nam Civitas *de los Santos* parva admodum eſt in confiniis Panamæ, & Veraguæ in Occidentali Panamæ litore,) nempe Panama, & Portobello, illa in Iſthmo inter mare Septentrionale, & Auſtrale, altera in ſinu Mexicano juxta vetus oppidum *Nombre de Dios* a barbaris incolis Darien ſæpius vaſtatum, ac denique deſertum, utraque nobiliſſimo portu inſtructa. Regum Tucumani claudunt ab Oriente Buenos Aires, ab Occidente Chile, ab Auſtro Terræ Magallanicæ, a Septentrione Provincia *Chaco*, ſeu *Ciaco* inter Paraguajam, Peruviam, & regionem Amazonum. Veteres habitatores in ſpeluncis, & ſylvis nudi degebant, & cum leonibus, belluiſque ferocioribus pugnabant. Regio argenti fodinis dives, quas inter copioſiſſima eſt illa, quam in monte Aconquixæ recenti ætate Hiſpani detexerunt, pluribus rigatur fluviis, præſertim *Rio Salado*, qui interfluit Vallem Calchaqui, & Paraguajam, ac deſinit in flumine Argentifero *Rio de Plata*. In civitatibus numeratur S. Jacobus de Eſtero ad ripas fluvii *Dulce* nemoribus ſepta, aeriſque inſalubris, Corduba Novæ Andaluſiæ, S. Ferdinandus de Rioja, Salta, Xuxuy, S. Michael in margine fluvii *Dulce* ad Boream Civitatis S. Jacobi.

Busching tom. 3. pag. 263 Gonzaga part. 4. pag. 1129.

XXII. Cuſtodia Panamæ unum Conventum habet in Civitate ejusdem nominis cum Monaſterio S. Claræ. Hæc notitia Buſching debetur, Gonzaga enim ſe prædicti Conventus deſcriptionem ex quorumdam Fratrum incuria habere non potuiſſe ſcribit. Altera latior Cœnobia poſſidet S. Martini Epiſcopi Turonenſis in oppido S. Mariæ Talabricanæ de Steco, S. Jacobi Apoſtoli in præfata Civitate S. Jacobi, S. Franciſci in Civitate S. Michaelis, & S. Georgii Martyris in Civitate Cordubæ, ubi ſuut duæ domus doctrinales. Accedunt Provinciæ aliæ ejusmodi. Domus Arequipæ in oppido Indorum duodecim milliaribus a Civitate, Vallis Jucanicæ in oppido Guailapamba. Cuquiagenſes duæ in oppido S. Petri una; altera in oppido S. Pauli. Goanicenses duæ. Truxilli duæ in oppidis Chiclajo, & Guancao. Vallis Caxalmalcæ ſeptem. Vallis Collaguæ treſdecim, quarum nomina deinde. Vallis Poconæ quinque. Vallis Collao duodecim, quarum Franciſcus Alcozerius, & Franciſcus Morales quatuor erexerunt in oppidis Collapa, Coquingiora, Chacajavira, & Mashaca. In his ultimis, ſpatio viginti annorum, duodecim Indorum millia Franciſcani baptizarunt, easque poſtea, Fratribus loco libere cedentibus, occuparunt Sacerdotes Sæculares. Ædes, quæ parva Cœnobia

vo-

vocari poſſunt, deſtinatæ ſunt ad Indorum inſtructionem in fide Catholica, & in iis Fratres magno cum Religionis, & pietatis incremento Parochorum munere funguntur.

XXIII. Eodem tempore cœpit Provincia altera S. Franciſci de Quito jam Cuſtodia S. Pauli. Regnum hoc proprie acceptum occupat partem magis borealem in Audientia ejus nominis, reſpiciens ob Oriente Quixos, ab Occidente mare Pacificum, a Septentrione Popajanam, ab Auſtro Ricciamores, ſitumque ſub linea Æquinoctiali. Valde aſſurgens ſupra maris libellam aere gaudet temperatiſſimo; eo enim ipſo remiſſior eſt radiorum ſolis reflexio, ventique ſubtiliores ſpirant, obſervatumque eſt, calorem ab extremo gelu ad 14. vel 15. gradus pertingere. Etſi montes *Paramos* ut plurimum ignivomi, aſperi, atque intractabiles, & in profundiſſimas voragines dehiſcentes numquam ſolutis nivibus tegantur; in planitie tamen ver perpetuum viget, ſeorſum ab inſenſibili mutatione hyberno tempore; ac proinde videre ibi eſt arbores veteribus, & recentibus foliis, fructibusque onuſtas, ſegetesque ad meſſem jam albas, & alias eodem in agro una cum illis germinantes, & ſuccreſcentes ita, ut divitias omnes ſuas, atque opes natura circum diffudiſſe videatur. Regni metropolis eſt Civitas S. Franciſci de Quito in extremitate Orientali Montium *Andes* Occidentalium 35. leucis Orientem verſus a litore maris Pacifici inter eorumdem montium anfractus, & deſertum *Piccincia*. Sedem obtinuit Epiſcopalem anno 1545., incolasque continet quinquaginta circiter mille ex Indis, Hiſpanis, Nigris, & *Miſliccis*. Præeſt Civitatibus Guayaquil, Portus veteris, Cuencæ, ſeu Bambæ, Riobambæ, Punæ, & oppidis Tacugnæ, Ottaballi, S. Michaelis de Ibarra, aliiſque nominis inferioris.

XXIV. In Civitate S. Franciſci de Quito ponit Gonzaga Cœnobium S. Pauli, & Monaſterium Conceptioniſtarum fundatum anno 1577. in ambitu Civitatis, nec verbum facit de Collegio S. Bonaventuræ Cœnobio adnexo, & ſeorſum a Fratribus adminiſtrato, quod indicat poſterioris ipſum ætatis eſſe. Habet inſuper Provincia Conventum S. Antonii de Padua Paſti, S. Franciſci Cuencæ, ſeu Conchæ, S. Joſeph Loxæ, S. Bernardini Popajanis, SS. Conceptionis Tacugnæ, Dominæ Noſtræ de Angelis Carranguæ, S. Ludovici Toloſani Ottaballi, S. Mariæ de Valle Guainomorani, & S. Joannis Evangeliſtæ; atque Doctrinales Domos. Domus S. Francisci de Quito tres, nempe S. Claræ in oppido Pomazquii, S. Joannis Crotocollai, & S. Georgii Penuhii. Cuencæ duæ S. Ludovici Pruti, & S. Jacobi Gualaxii. Popajanis duæ S. Antonii Chisquiorum, & S. Lucæ Evangeliſtæ Cocunucorum. Tacugnæ quatuor S. Joannis Evangeliſtæ Saquiſili, S. Franciſci Mulahali, S. Bonaventuræ Truxilli, & S. Antonii Fagi. Ottaballi quatuor S. Marthæ de Tuntaquio, S. Annæ de Cotacachio, S. Pauli de Lscu, & S. Michaelis de Urcoquio. Vallis Guainomorani duæ S. Andreæ, & S. Monte Pinipio. S. Joannis Evangeliſtæ duæ S. Joannis de Puni, & SS. Petri, & Pauli. Paſti una in oppido Tucariſmedio, ſeu Tango. Almanguelis duæ in ignotis Indorum pagis. Buſching tom. 11. pag. 51.

XXV. Unum, vel alterum utriusque Provinciæ Cœnobium omiſimus poſt illarum erectionem fundatum. Si methodum a ſuperiori Annaliſta receptam ſequi debuiſſemus, multa nobis dicenda fuiſſent, & nullo quidem labore, Gonzaga duce. At ipſum minus accuratum exiſtimamus non in rebus ad Ordinem ſpectantibus; nam, quum Miniſter Genera-

lis fuerit, non dubitamus, quin autographa monumenta ex locis omnibus conquiſita probe conſuluerit; ſed in extraneis deceptus primorum Hiſtoricorum narrationibus, qui de Indis mira prædicarunt. Hinc celeberrimum, quod memorat, Solis Templum Tacugnæ innumera Virginum multitudine miniſtratum; celeberrimum, aureiſque laminibus intrinſecus contectum, ac ſupra modum locupletiſſimum Solis Templum Caranguæ, cui ducentum Veſtales, inter pulchriores, & nobiliores ſelectæ, erant mancipatæ, in quo videbantur in locellis diſtinctis oves, arietes, agni, volucres ex argento, auroque finiſſimo fabrefacta; celebre Solis Templum Vallis Xauxæ; Regiæ Tacugnæ, Caranguæ, Ottaballi celeberrimæ & ipſæ omnes; celeberrima Regia Regis Guainacapa in Valle Xauxa; hæ, inquam, aliæque celebritates vix ullam hodie obtinent fidem apud viros cordatiores, tametſi concedant, Peruviæ populos cultiores olim fuiſſe Mexicanis.

Gonzaga part 4. in Provincia S. Franciſci de Quito.

Robertſon Hiſt. Americæ tom. 4. lib. 7. pag. 89. & ſeq.

XXVI. Martyrio coronatus eſt Joannes Clauſus jaculis confoſſus ab Indis barbaris Zacatechis, poſtquam Xaliſcum profectus, ut quædam Cœnobia extrueret, a Conventu Zupuchaui, ubi Guardianum agebat, adiit eosdem Indos, quorum plurimos ad veritatis cognitionem perduxerat. Ita Arturus, qui etiam arbitratur, unum, eumdemque eſſe Joannem Clauſum, & Joannem Serrado, de quibus loquitur Gonzaga, de illo quidem ut Guardiano non Conventus Zupachani, ſed Capotiani; de altero vero adeo inconſtanter, ut uno in loco aſſerat, eum interemptum, dum foret Guardianus Conventus Zupachani, alibi autem dum eſſet Guardianus Conventus Capotitlanis, nempe nunc in Provincia S. Evangelii, nunc in Provincia SS. Petri, & Pauli. Juxta Torquemada Joannes Cerradus, vel Serrado ex oppido de Palos oriundus, fuit filius Aloyſii Garciæ; & Marinæ de Triana, Ordinemque profeſſus Infidelibus Evangelium prædicavit apud Xaliſcos miſſionem ſuam incipiens paullo poſt emiſſa vota, quod contigit die 15. Julii anno 1562. Guardiani munere functus eſt in Conventu Tzapotlæ, & in regione Atotonici a barbaris in Eccleſiæ penetralibus ſagittis jaculatus, & occiſus hoc anno, ætatis vero ſuæ anno vigeſimo octavo.

Arturus die 29. Decemb.

Gonzaga part. 2. de Martyribus Ord. Idem in Cuſtodia Zacatechas Prov S Evangelii. Idem in Prov SS. Petri, & Pauli. Con. 30.

Theatr. Mexic. 4. part. pag. 124.

XXVII. Nonnulla in his narrationibus inter ſe conveniunt, nonnulla diſcrepant, quo fit, ut fundamento deſtituamur veritatem in aprico collocandi. Joannis Serrado obitum ſuperior Annaliſta ſignat anno 1560; ea, ut reor, ratione motus, quia apud Gonzagam determinatam obitus epocham non reperit. At eam reperire poterat in aliis Scriptoribus, niſi ingenio ſuo indulgere maluiſſet, & Chronologiam pro lubitu confingere. Quiſque autem arbitratus fuiſſet, eum potius ad eumdem annum aliorum Fratrum, qui revera eo tempore deceſſerunt, vitam conſcribere debuiſſe, atque in primis, ut de cæteris taceam, Joannis Flores, ſeu Floreſii, cujus cum laude meminerunt Chronicæ Ordinis noſtri, ſepulti in Conventu Tacubæ, ferventi, dum viveret, contemplatione, & divinis revelationibus inſignis. Sed in pluribus a viro erudito, cui vilis propria meſſis videtur, ita præoccupati ſumus, ut ne calamum quidem ſumere nobis liceat, quin prius ejus Annales conſulamus, in quos per fas, nefaſque omnia, quæcum invenit, congerit, nulla ferme habita temporum ratione, veluti ſi poſt ipſum nemo alius Seraphicæ hiſtoriæ exarandæ operam navaturus fuiſſet; in quo quidem rerum præſcius fuiſſe videtur; quinquaginta enim prope annis præſtantes noſtri Chronologi ſilentioſi in perluſtrandis, ideſt volvendis chartis Annalium Wad-

Ibid. in Menol. pag 48. Arturus die 27. Maji.

Waddingi ſerio occupati nullum apertorum laborum, quos se exeruiſſe
teſtati ſunt publico, typisque impreſſo monumento, fructum in lucem,
ob humilitatem fortaſſe, protulerunt; & niſi optimus, de literis, mo-
ribus, atque Ordine benemeritus Bonaventura de Placentia Ciſmonta-
næ Familiæ Commiſſarius Generalis pervetuſta in Univeſitate Cæſenæ
Phyſices Experimentalis, Juriſque Pontificii Profeſſor, & SS. D. N. PII VI.
PONT. MAX. Pronepotum Præceptor, ex conſilio etiam Cæleſtini ab
Aſculo Procuratoris Generalis Minorum Strictioris Obſervantiæ Theolo-
gi, ſummi Oratoris, in Poeſi, & omni eruditionis genere exculti, huic
malo remedium denique attuliſſet, deſperabant viri boni, ſe vel mi-
nimam Annalium ſchedulam umquam viſuros. Ad præſatum annum 1560.
narrat quoque geſta, & mortem Alphonſi ab Herrera, & Antonii de Idem ibid. die 6. Aprilis.
Nuete, nec conſiderat, ſe in utroque mirifice ludere. De illo hæc
habet ab Arturo deprompta: „ S. Evangelii Provinciæ multorum Con-
„ ventuum Guardianus extitit, Commiſſariusque ejusdem, annis circiter
„ duobus, Religioſo Patre Martino de Valentia tunc Cuſtode exiſten- Gonzaga part. 4. pag. 1246., & 1258.
„ te, ſancta plane ſenectute obiit „. At Gonzaga, a quo hæc verba
Arturus deſumit, Martinum a Valentia obiiſſe ſcribit circa annum 1536.,
nec proinde aſſerere poteſt, Alphonſum obiiſſe dum Martinus a Valen-
tia Cuſtos Fratribus præerat; ſed tunc temporis Commiſſarii munus exer-
cuiſſe, & multorum Conventuum fuiſſe Guardianum innuit, quocumque
tandem anno vita exceſſerit, quod incidenter ab eo notari nemo non Daza lib. 2. cap. 75 Gonzaga in Prov. Angel. Con. 5.
videt. Scripſit Alphonſus ſermones Dominicales, & de Sanctis, ut ſu
perius diximus, quod advertimus, ne tribuantur forte alteri Alphonſo
ab Herrera, qui, teſte Daza, deceſſit anno 1575. in Conventu Xarandiliæ
Provinciæ Angelorum. Hueberus Alphonſi noſtri mortem rejicit in an-
num anteriorem, Baretio contradicente. quodque magis refert, Tor- Hueberus die 6. Aprilis Baretius lib 4. cap. 36 Torquemada Menol. pag. 41.
quemada. Antonii de Nuete ſunebrem texit orationem a Gonzaga mutua-
tam; ſed quum Gonzaga affirmet, illum cum Franciſco de Teſtera pro-
fectum in Indias occiduas anno 1542., quia Indorum idioma ignorabat,
24. annos in Cœnobio Mexicano latuiſſe, pronum erat inde colligere,
eum hoc anno vita functum, niſi tamen id contigerit anno ſuperiori,
ut auctor eſt Andreas de Guadalupe in hiſtoria Provinciæ Angelorum.
Vocabatur Vir Dei in ſæculo Antonius Alvarez Carrillo filius Alphonſi
ejusdem cognominis Equitis in Civitate Zamorenſi, & oppidi Nuete Do-
mini temporalis, ubi Antonius diem natalem habuit. Adoleſcens voluit Andreas de Guadalupe lib 8. cap. 2. pag. 146.
ingredi Religionem S. Hieronymi in Conventu Dominæ Noſtræ de Gua-
dalupe; utque eum Pater a ſuſcepto conſilio retraheret, erat enim natu
major, miſit ſtudiorum cauſa ad univerſitatem Salmaticenſem, ubi li-
teris utiliter excultus habitum S. Hieronymi ſumpſit in Conventu de
Monta Marta, & anno 1536. tranſivit ad Fratres Minores Provinciæ
Angelorum receptus a Miniſtro Provinciali Antonio Delgado, veſtem-
que Minoriticam accepit in Conventu S. Mariæ Angelorum non longe
ab oppido Hornachuelos jurisdictionis Cordubenſis. Graviſſimam illic
tentationem ſuperavit a Dæmone ſibi illatam, ſeu potius a Fratre quo-
dam prædicti Conventus, qui eum deterrere conatus eſt, ne profeſſio-
nem emitteret, oſtendens inhumanitatem Guardiani, moresque in fe-
rocitatem, & barbariem propenſos vivis eloquentiæ coloribus pingens.
Moratus eſt in Provincia quinque, aut ſex annos inter opera jugis ora-
tionis, & pœnitentiæ, donec ſalutis animarum cupidus in Mexicum
transfretavit. Obiit die 30. Septemb. S. Hieronymo ſacra in Conven-

tu Mexicano cum ingenti ſanctitatis fama, populo ad funus accurrente, & ob devotionem particulas ejus tunicæ abscindente, quum interea Sanctus, & Beatus ab omnibus diceretur.

XXVIII. Hoc eodem anno in Provincia S. Georgii de Nicaragua deceſſit Alphonſus Betancos primus Apoſtolus in Provincia *Coſta-rica* Americæ Septentrionalis in Nova Hiſpania ad Orientem magis vergente, quam Provincia Guatemalæ, inter maria Boreale, & Pacificum, ſeu Auſtrale, in quibus Carthago ejus Metropolis portum obtinet in utriusque litoribus. Excelluit linguarum peritia. Fuerat alumnus Cuſtodiæ Guatemalæ, ex qua exceſſit, ut moleſtias aliquas declinaret, quæ ei injuſte obvenerant, ſociatisque ſibi duobus Fratribus ab Hiſpania illuc profectis cum Licentiato Cavallon, & paullo poſt Laurentio Bienvenida, qui eo ſe contulerat, ut Alphonſum Guatemalam reduceret (erat enim Laurentius Jucatanicæ Cuſtodiæ Præſes.), Joanne Pizzarro Provinciæ S. Michaelis vexato in Cuſtodia Jucatanica eo quod Indos a Catholica fide apoſtatas comburi conſenſiſſet, & triginta aliis Fratribus ab Hiſpania advenientibus, ampliſſimos Evangelicæ meſſis fructus retulit. Manſuetus, humanus, & humilis, etſi inter efferatas, & ſuperſtitioſas gentes verſaretur, omnium exiſtimationem, & benevolentiam ſibi conciliavit. Ejus oſſa apud Chomes Indorum oppidum Fideles tumularunt, unde poſtmodum Carthaginem translata, & in majori Sacello Cœnobii S. Franciſci condita, ab Hiſpanis, & Indis in maxima veneratione habentur.

Gonzaga in Prov. S. Georgii de Nicar. pag 1335

Rapinæus cap. 5. part. 1. §. 12.

XXIX. In oppido *Nomen Dei* prope hodiernam Civitatem *Portobello* vitæ terminum impoſuit Hyacinthus a S. Franciſco ſocius quondam Ferdinandi Corteſii in bello ſtrenuus, qui, Mexici Imperio occupato, virtutis præmium accepit quingentos captivos, & oppida Veitlalpæ, & Tlatlatacapecæ præter auri, argentique pondera. Quodam die cum armata vernaculorum manu Indos inſequutus, qui ex ſervis ſuis unum, vel alterum abduxerant mactandum, menſæque, ut ab ipſis fieri ſolet, apponendum, in eorum & ipse manus incidiſſet, niſi ſubita fuga elapsus foret. In tuto poſitus, & ſopori aliquantulum indulgens, veluti in ecſtaſim raptus a ſevero quodam Judice, qui pro Tribunali ſedebat, de ſuis criminibus objurgatus, & ſæculo nuntium remittere juſſus in Conventu Mexici Minoribus se adſcripſit, ut Laicus, tametſi Fratres expoſtularent, ut inter Clericos ſe referri vellet, & præ humilitate Portarii officium ibidem exercuit, aliis quoque dotibus inſignis, obedientia, paupertate, & ſpectabili charitate. In Provincia Mechoacani fundavit Cœnobium Vallis Guadianæ de Xaliſco. Anno 1560. etiamſi valde ſenex milites quosdam ſequutus penetravit cum aliquibus Fratribus ad barbaros Cicimechas deſcendentes a populis ſeptentrionalibus, qui circa medietatem Sæculi XII. invaſerunt regionem Anahuac, duce Xoloth eorum Rege, & partim a Toltechis, & Nahuntlachis ad cultiorem vitam traducti appellati poſtea ſunt Acolhui; partim vero ſylveſtrem vivendi conſuetudinem retinuerunt in regione Otomitarum, pro diverſitate linguæ, qua utuntur, dicti vel Cicimechæ Mexicani, vel Cicimechæ Otomitæ. Indorum omnium ferociſſimi venationes, & rapinas exercent humanis carnibus æque ac ferinis veſci aſſueti. Sex annos Hyacinthus apud eos commoratus verbi dono plurimum valuit, illosque humaniores redditos ad Chriſti fidem magno numero perduxit. Corpus ejus elapſo anno exhumatum, ut ad aliud tumulum transferretur, illæſum, & odore ſuaviſſimo

Gonzaga in Cuſtodia Zacathecas pag. 1276.

Vetancur part. 4. tom. 1. num. 25.

Clavigero tom. 1. lib. 2 pag. 132, & seq.

ſimo redolens repertum eſt, ipſumque ut Beati exuvias Fideles colunt.
In Conventu S. Joſeph Tulæ quievit ſimiliter hoc anno Chriſtophorus
de Zamora, ſeu Romero. Ejus acta more ſuo ſuperior Annaliſta ſibi Annales Min an. 1560. num. 69.
vindicat, quamvis a Baretio, & Arturo, cujus verba exſcribit, (licet Ba-
retii nomen ponat in margine) ediſcere potuiſſet, nihil ad eum pro-
vinciam hanc pertinere.

XXX. Sed ab Hemiſphærio inferiori ad ſuperius tandem aliquando
revertamur, non ut læta quidem contemplemur, ſed triſtes prorſus,
luctuoſasque Tragœdias. Hugonottis poſt congreſſum Molinienſem aper-
te rebellantibus. in Apamiarum Civitate diſſidia nata ſunt ipſos inter,
& Catholicos, quum Robertus Pellevè Epiſcopus Societates Hetero-
doxorum prohiberet, & Rex Domville Præſidi Occitaniæ injungeret,
ut Apamiis ſolum exercitium Catholicæ Religionis vigeret. Hinc hoſtes, Fleury lib. 169. num. 98.
domo cujusdam hominis *La Bruſſe* direpta, & igne conſumpta, ipſo-
que morti tradito, diripiunt etiam Cœnobium S. Franciſci, Auguſti-
nianorum, Prædicatorum, Carmelitarum, quorum poſteriorum aliquot
gladio ad necem percutiunt, & Noſocomium Civitatis. Sedandis turbis
Jouſiæ Vicecomes, & ſupremus in ea Provincia rerum Præfectus deſti-
navit Joannem Nogaret de la Valette, & paullo poſt adveniente ipſo
cum militibus, Civitas obſidione cincta eſt, licet brevi res compoſitæ fue- Thuan. tom. 8. lib. 14. §. 21.
rint. Aquitaniam, aliasque Provincias præſidia Regia munivere, quibus
Summus Pontifex, & Coſmus I. Dux Etruriæ copias ſuas poſtmodum
addidere. Quamvis vero omnia in hoſtes conſpirarent, ipſi tamen
animo non frangebantur ad nova ſemper aggredienda expediti. In
Civitate Epaunienſi Comitatus Fuxienſis occaſione ſolemnis ſuppli-
cationis in die feſto Corporis Chriſti, inermium, & imparatorum ho-
minum ingenti edita ſtrage, in viros ſacratos irruunt, eosque trucidant,
& pari furore domos, & Monaſteria flammis comburunt, Navarræ
Regina, viriſque Principibus incitantibus. Pronum eſt credere, exitio
tunc datos Conventum Montis Albani, Cadurcenſem igni demum an-
no 1581. traditum a Rege Navarræ, Conventum S. Fidis, & Monti-
niaci in Cuſtodia Petrogoricenſi, aliasque ædes in Septumania, & Del-
phinatu; in his enim locis belli flammæ vehementius exarſerunt. No-
vimus, eo res progreſſas, ut niſi Renatus Biragus Lugduni Præſes, &
poſtea Cardinalis ſeditioni prompte occurriſſet, Lugdunum Hugonotti
occupaſſent, & rurſus Conventus ſepulchro S. Bonaventuræ inſignis
concidiſſet ſub impiorum telis, qui numero augebantur; plures enim in
Catholica fide male audientes a Principibus finibus ſuis ejecti Lugdu-
num veluti in arcem, & aſylum ſe recipiebant.

XXXI. Conjecturis ſepoſitis, Hugonottorum rabiem non effugit Cœ-
nobium Montis Regalis magnifico opere conſtructum a Jacobo Duce Je- Annales Min. an. 1483. num 51.
moſiæ, & reſtauratum a Ludovico Cardinali de Amboiſia Epiſcopo Al- Gonzaga in Prov.
bienſi; incendio enim penitus conflagravit, ne ejus quidem veſtigiis ſu- Aquit. Antiq. Con. 29.
perſtitibus. Fratres partim pulſi ſunt, partim verberati, partim vinculis con-
ſtricti, quos inter Jacobus Laggerius Laicus, & Franciſcus Lardegarius
plumbeis globulis percuſſi; ſed Jacobus etiam gladio transfoſſus, ducti
ambo extra Civitatem, quaſi libertate donandi. Spoliarunt pariter ne-
farii Conventum S. Joannis Baptiſtæ Bernay in Ducatu Normanniæ, & Annales Min. an. 1175. num. 14.
Diœceſi Lexovienſi, ad quem, quum Andreas Guez, ſive de Guels, Fra-
trum metu diffugientium primo ſocius, mox vero fugæ pertæſus, &
exilium glorioſæ morti poſtponens, vix peragratis aliquibus milliaribus,
rever-

reverteretur, telo percuſſus eſt in ſuburbio, ejuſque Corpus ſatellites in proximum fluvium projecerunt; ſed extractum pii Catholici honorifico tumulo condiderunt hoc eodem anno in oppido B. Albiui duobus milliaribus ab oppido Bernay.

Gonzaga inProv. Franciæ Con. 24.

XXXII. Eamdem ſortem experti ſunt Antonius Gaiins a Vico S. Zachariæ Diœceſis Maſſilienſis, & Joannes Vachetus de Caſtro Vulpino prope Avenionem, juvenes Sacerdotes optimæ indolis, & expectationis, profecti Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum cauſa a Provincia S. Ludovici, & ab Hæreticis comprehenſi juxta Palsum in confiniis Comitatus Venuſini ſupra Axaricam. In teterrimum carcerem detruſos blanditiis, & promiſſis liberalioribus ad fidem Catholicam abnegandam per quindecim dies Heterodoxi ſollicitarunt; quumque ſe nihil proficere animadverterent, minis impetere, probriſque, & conviciis proſcindere non deſtiterunt; verberibus præterea, & cruciatibus in innocentes ſævire. Mortis ſeutentia in eos lata, revinctis poſt tergum manibus ad arboris truncum ambos alligant, & ſponſione facta quis expoſitorum Martyrum corpora veluti ſignum eminus accuratius feriret, balliſtarum ignearum globis percutiunt; illis interea ſe mutuo ad conſtantiam hortantibus, mortemque pro juſtitia ſubeundam, quam oppetiverunt. In Burgundia, ut narrat Hueberus, Clariſſa quædam ignoti nominis Provinciæ S. Bonaventuræ ſolo Hæreticorum adſpectu, & armis exanimata a cunctis corporis artubus ſanguinem emiſit, vitamque profudit novo Martyrii genore conſumpta. Rem hanc referunt etiam Boſius, Daza ad annum 1567., & Gonzaga cum aliis.

Baretius lib. 4. cap. 38.

Arturus ad diem 9. Jannarii.

Hueberus ad diem 19. Junii. Boſius lib. 12. cap. 99. Daza lib. 1. cap. 58 Gonzaga part. 1. pag. 102.

XXXIII. Dum innocentium Religioſorum ſanguis in Gallia effunditur, Jacobus Hugo, ſive Hugonis Delphinas Minorita, Henrici II., Caroli IX. Galliarum Regis Eccleſiaſtes, & Confeſſarius, ab eodem Carolo ad Concilum Tridentinum miſſus pro Joanne Urſino Epiſcopo Tricorenſi Procurator, cujus elogium ad annum 1574. quo ab humanis exceſſit, a Picqueto exaratum referemus, honorificam apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem legationem ſuſcepit. Cauſam ejus aperit Davila: „ Nullus, inquit, erat finis in Gallia populorum querelis, & ſuſpicionibus, ac periculi, quæ a Calviuianæ factionis principibus viris inferebantur, cruentæque, ac funeſtæ undequaque diſcordiæ effervefcebant. Quumque eodem hoc tempore Rex Catholicus Albano Duci Belgii præfecturam tradidiſſet, ut eorum audaciam retunderet, qui Religionis ſpecie, ſed revera, quia inviſum eis erat Hiſpanicum imperium, & a Catholica Eccleſia, & a Rege impie defecerant, ea, quæ jam Aquis Auguſtis conſtituta fuerant, confirmata ſunt, ac decretum eſt, ut invicem auxilium ſibi ferentes, uterque Rex curaret ſeditionum Auctores, & Principes, e medio tollere, qui publicarum perturbationum incendia alebant. Albanus Dux validis militum copiis inſtructus in Belgii Provincias contendebat magna ex parte Galliæ Regno finitimas. Hac occaſione arrepta, Rex, & Regina ſuſpicionem novarum rerum prætexentes non levem Helveticorum militum numerum conſcribi juſſere, mandatumque eſt unicuique Provinciæ, ut in iis militiæ adſcripti homines recenſerentur, & inſtruerentur, ac in Lugdunenſi regione novæ peditum cohortes ſcriberentur, evulgantes, ad Tranſalpinam Galliam fore mittendos, ac undequaque pecuniam congerentes a nonnullis Italis negotiatoribus octingenta aureorum nummorum millia fœnori accepere,

Picquetus apud Wad anno 1456. num 98.

Henricus Catharinus Davila vol. 1. lib. 4. de Bello Civili Gallico pag 178.

„ hoc

,, hoc rerum apparatu firmo animo meditantes, retundere, & repri-
,, mere eorum pertinaciam, qui, poſt tot irritos ad inducendam quie-
,, tem conatus, a diſcordiis toto Regno concitandis, animum averte-
,, re renuebant. Sed ea ipſa, quæ Regi hanc deliberationem ſuaſe-
,, rant, Hugonottorum etiam Principes ad mature ſibi cavendum adi-
,, gebant; ex multis enim argumentis averſum a ſe Regis animum no-
,, verant, conciliatam Pontifici Reginam, quæ prius ſimulate ipſos ali-
,, quando favore proſequuta fuerat, Aulæ Regiæ acceptos proſpicien-
,, tes, prævalidoſque ideo Lotharingicæ familiæ Principes, ac animad-
,, vertentes, cunctas Aulæ machinationes ad eorum fortunam deprimen-
,, dam diſpoſitas eſſe. Quare ſi antea ſuapte ingenio inquieti bellum
,, renovare concupierant; modo ad id ſumma neceſſitate impelli puta-
,, bant; & licet Albani Ducis cum exercitu iter ſatis ſpecie juſtam mi-
,, litari Gallico apparatui cauſam dediſſe videretur; noverant tamen
,, contra id, quod pervulgatum fuerat, Regem, & Reginam matrem,
,, magno licet renuente Cancellario, decreviſſe, non modo commeatu,
,, aliiſque commodis Hiſpanicas copias juvare, dum in Belgium abeun-
,, tes per Galliam iter haberent; verum etiam cibaria ad Breſſam in
,, Sebuſianis, & Sabaudiæ regionibus inferri, quæ in ſumma annonæ
,, caritate non ſatis erant ad alimenta præbenda tot copiis illac trans-
,, ituris. Significatum præterea illis fuit, Briſacum Comitem Gallici
,, peditatus trans Alpes Tribunum quinque cohortes conſcribere, qua-
,, rum una quæque ducentibus militibus conſtabat; etſi ille evulgaret, in
,, Salutiarum regionem ducendas, partem tamen Lugduni permanſuram,
,, ac cæteras, variis ſimulatis ex cauſis, in Lugdunenſi tractu ſtatio-
,, nem habituras, utpote locis, quæ ab Hugonottis ſtare ſuſpicio erat.
,, De qua re, ut certiores fierent, ſuaſerant, Andelottum uti Gallici
,, peditatus ſupremum Præfectum a Regina expoſcere, hoc conſcriben-
,, di milites munus ſibi demandari, rejectamque poſtulationem obſer-
,, vaverant. Animadvertebant præterea, nullam occaſionem prætermit-
,, ti ad conceſſam ſibi de Religione libertatem imminuendam, inju-
,, riaſque a Catholicis Hugonottis illatas non in ſiniſtram partem ſumi, æ-
,, que ac offenſiones vel minimas, quæ ab his illis inferebantur. Alia
,, quoque hujuſcemodi notaverant, quibus diffidendi rebus ſuis majus
,, quotidie argumentum deſumebant.

XXXIV. ,, Nullam Rex artem omittebat ad Hugonottos metu libe-
,, randos. Regina Mater, quæ Hugonottos perdere ſtatuerat, ut majo-
,, ri ſimulatione premeret ſuſcepti conſilii arcanum, ac removeret ſu-
,, ſpicionem, ſi quam impos Regis animus, aut prolatum aliquod incon-
,, ſideratius ab eo verbum illis injeciſſet, in ſui commodum vertens,
,, ſparſos rumores augens, ipſum nempe Regem Philippum decreviſſe
,, in Belgium ire, maximam hac de re ſollicitudinem præſeferebat, qua-
,, ſi putaret, hanc itineris deliberationem ad alium majoris momenti
,, finem referri debere, quam ad reprimendos, perdendoſque Geuſios,
,, quorum exitio ſatis erant Albani Ducis vires. Quamobrem adeo an-
,, xio ſe eſſe animo ſimulabat, ut major hominum pars putaret, hæc
,, revera bellicæ, ac pecuniariæ rei apparatui cauſam dare. Quod ut ma-
,, gis confirmaret, pluribus accitis in Aulam ſummis viris, convoca-
,, tiſque quaſi ad concilium, cui non pauci ex Hugonottis primarii intere-
,, rant, non modo agitari cœptum eſt, qua ratione Regni limites non
,, modo tueri, verum etiam Hiſpanis bellum inferre poſſent, ſi Ca-
tho-

„ tholicum Regem infenſo eſſe animo innoteſceret. Ex horum fere ſententia decretum fuit, in Hiſpaniam legandum ab arcanis literis juniorem Albaſpineum, qui in mandatis habere ferebatur, Regem ab itinere ſuſcipiendo diſſuadere, ac ejuſdem itineris reconditum finem odorari, ac indagare; revera autem mittebatur, ut arcanas jampridem habitas tractationes perficeret, eiſque finem imponeret. Ut injecta opinio magis confirmaretur, miſit Regina citatis equis Hugonem e Sacra Divi Franciſci familia virum, qui, ſignificatis Catholico Regii conſiliis, quibus hæc agebantur, effecit, ut ad augendam Gallorum ſuſpicionem Rex minori benevolentiæ ſignificatione Albaſpineum exciperet, tarde eum ſolemniter auditurus admittens, indeque quaſi ipſum parvi faceret, ubi opportunitas eſſet, minorem erga Regem, & Reginam benevolentiam, & amorem oſtentabat, qui contra adverſus Hiſpanos querelas effundere non ceſſabant, evulgantes, ſe ad inferendum illis bellum ſatis eſſe animatos: quod adeo ſcite ſimulatum eſt, ut non modo vulgares homines, quos non multum hæc intererant; verum etiam ipſe Pontifex vera eſſe hæc adeo in animum ſibi induxerit, ut pluries per Nuncium fidem ſuam interpoſuerit ſuadens Reginæ Catholicum Regem adverſus Galliæ Regem ejus filium non infenſo eſſe animo, & nihil prorſus hoſtile moliturum; ideoque tot copiis opus non eſſe, quæ in finitimis utriuſque Regni locis aliquem, præter expectationem, excitare tumultum forſan potuiſſent. Hiſce Pontificii Nuncii officiis artificioſe, & ambigue reſpondit Regina, belli ſuſpicionem non elevans, nec ſatis Catholico Regi fidere ſe oſtendens queſta eſt, ipſum male reſpondere ſpei de ejus benevolentia, animique candore conceptæ, & ſtudio, ac curæ a ſe habitis, ne Gallica arma ſubſidio eſſent illis, qui ab eo defecerant, uno, eodemque tempore aſſerens, Regem ejus filium ea eſſe mente, bellum ipſi non inferre, niſi prius provocatus eſſet, & laceſſitus. Qua obſcuri ſermonis ambiguitate aucta potius eſt ſuſpicio, quam extenuata, rem ita eſſe „.

XXXV. Lutheraniſmo in Auſtria invaleſcente, deſertum jacuit circa hæc tempora Cœnobium Lincenſe B. M. Virginis Annuntiatæ Minorum Conventualium, fundatum anno 1236. ab Eberhardo a Walſee Dynaſta, et anno 1561. a Statibus Auſtriæ Superioris in domum Provincialem, & Scholam pro juventute converſum. Eccleſia ceſſit Jeſuitis, quam paullo poſt Fratres redemerunt, anno 1717. ad novam formam traductam. Exceſſerunt pariter Obſervantes a Cœnobio S. Radegundis Kazlſtorffii fundato anno 1462. a Joanne Sigiſmundo a Weiſpriach Annæ Reginæ Hungariæ Supremo Aulæ Præfecto prope Vici ejuſdem nominis mænia ad fluvium Leitha in Auſtria Inferiori Diœceſis olim Jaurinenſis, modo Saliſburgenſis. Dirutum a Turcis, flammiſque combuſtum anno 1531. circa feſtum S. Michaelis Fratres reſtaurarunt nondum elapſo biennio. Aſt Lutherana hæreſi familiam de Weiſpriach inficiente, domo iterum alimentorum inopia profugere coacti ſunt circa annum 1560., clauſtrumque vacuum in domicilium, & Muſæum Lutheranorum abiit, & in illo ſex magiſtelli juventuti nova dogmata, & in Romano-Catholicos odia cum literis inſtillantes fuerunt collocati; donec Valentinus Fricius Commiſſarius Generalis Germaniæ illud recuperavit, favente Rodulpho II. Imperatore, qui Chriſtophorum Comitem de Bucheimb, & Georgium Bernardum de Uſenbock Commiſſarios delegit, ut ſingulis dili-

Greiderer lib. 1. cap 7. num. 101.

Herz. pag. 413.

diligente perpenſis, Joannem Chriſtophorum de Teuffel, ejuſque hæredes abſolutum jus in locum S. Radegundis habere prætendentes; & Cæſaris decretorum executionem in longiora tempora protrahentes, amoverent, Fratreſque introducerent, anno 1593. die 12. Maji. Idem pag. 419. Greiderer ibid. cap. 2. num. 114.

XXXVI. Neque minus Heterodoxis obvenit Cœnobium S. Joannis Baptiſtæ Judenburgi Styriæ Superioris in Diœceſi Salisburgenſi. Fuit oppidum celebre quondam emporium, & domus Auſtriacæ Ducum ſedes, jam a Germanis *Judenvvirg* dictum, nempe *Suffocatio Judæorum* ex ſtrage Judæis illic inflicta; quum enim nocte Nativitatis Dominicæ Chriſtianos omnes in Eccleſia confodere illi decreviſſent, puella Hebræa rem proco ſuo Chriſtiano revelavit, eademque ipſa nocte proditores Chriſtianorum armis ad unum interierunt. Lutheri ſectatores Eccleſiam, & Conventum fundatum, ut fert traditio, vivente S. Patre Franciſco, rebus exuerunt, ejectiſque Fratribus, domum occuparunt, ad quam ſaltem ſub Carolo Archiduce Auſtriæ, & Styriæ anno 1585. rediere. Ibid. num. 109.

XXXVII. Idem contigit Cœnobio S. Bernardini Loyſii a flumine Loys, quo alluitur, ita nuncupati; nam quum Tartari, Caſono duce, anno 1532. illud in cineres redegiſſent, quumque, Auſtria ab hoſtibus redempta, Fratres domicilium repetere ſatagerent, ſupervenientibus Lutheranis, & Anabaptiſtis, pro orphanotrophio inſervivit quinquaginta circiter oppidanis in paupertatem redactis uſque ad tempora Valentini Friccii. Ac tandem Cœnobio SS. Trinitatis Hippolythi, ſeu ad Fanum S. Hippolythi in Auſtria Inferiori Diœceſis Paſſavienſis juxta fluvium Trayſmam in Danubium undas volventem. Loco a Fratribus demum recepto, pro fabrica ruinæ proxima exſtruenda Mæcenates egerunt D. Cornelius Ordinis Ciſtercienſis Abbas Campilienſis, & Joannes Canonicus Regularis S. Auguſtini Præpoſitus Hippolytanus, ut indicat Imago in Refectorio appoſita cum Dyſtico: Ibid. num. 102. Ibid. num. 91.

Conventus felix! ornant quem lilia Campi,
Fœcundatque piis dotibus Hippolythus.

XXXVIII. Deſertiones harum ædium non his præciſe temporibus contigerunt. Atque utinam ii, qui poſteriora tam avide ſcribenda arripuerunt, vel in anteactis immorati diligentius fuiſſent, vel, quandoquidem Chronologiæ ordini inſiſtere detrectabant, felicem aliorum ſilentium tenuiſſent. Hoc vero anno deperditum eſt Cœnobium B. M. Virginis de Gratiis Lancovicii Diœceſis Salisburgenſis ad Alpium Stubenſium radices inter virentia prata, & nemora, ex quo Fratres abierunt penitus vacui, ablatis rebus omnibus a Sectariis, vinique doliis collocatis in Eccleſia. Contigit autem, ut ſemel curioſitate ducta eam inviſeret hæreſi infecta Amalia de Raggniz cum ſuis Ancillis, quæ Virginis ſtatuam cœpit ſcommatibus afficere, Papiſtarum Idolum vocans, & conſpuere; præterea acu diſcriminali pungere, cujus ſigna modo etiam apparent. In ſceleris pœnam domum reverſa ingentibus doloribus, morboque inſanabili, ac ulcere extra nares, & oculos, quibus in partibus Iconem pupugerat, cruciata, & quaſi deſperabunda paucis poſt diebus moritur. Cœnobium receptum eſt a Fratribus ſub Rodulpho II. Imperatore, Jeſuitis, qui unum prope annum illic morati erant, alio translatis. Ibid. num. 121.

XXXIX. Inita a Ferdinando Albæ Duce Alvarez de Toleto Belgii præfectura, omnibuſque diſpoſitis, ut illuc cum exercitu ſe conferret, perduelles patrocinio fidentes Guilielmi Auraſiæ Principis, & Optimatum, Du-

cis Egmontani, Hornani, Hoochſtratani, Montignæi, & Bergenſis non jam ſe illis vocibus continebant: *Vivant Geuſii*, ſed armati excurrebant viris Religioſis præcipue infeſti, quos ſi oppreſſiſſent, facilius ſperabant, Catholicæ Reipublicæ exitium illaturos. Antuerpiæ violato Templo B. Mariæ Virginis, nullaque re integra, aut non deturpata relicta, exclamantes: *Vivant Geuſii*, impetum faciunt in Cœnobia Fratrum Prædicatorum, Franciſcanorum, S. Claræ, S. Michaelis Albarum, & Atrarum Monialium, Tertiæ Regulæ Bogardorum. Apud Trajectum Superius ad Moſam in Brabantia cum quatuor Parœciarum Eccleſiis diruunt Cœnobia Prædicatorum, & Minoritarum; idemque agunt apud Trajectum Inferius, ubique ſævientes in utriuſque familiæ alumnos; (ita Bzovius) tametſi eſſent in iis viri bene Religioſi. Sed tales ferre non poterant Evangelici Apoſtatæ, & Seductores, quod ſcirent, eorum concionibus, & aliis ſanctis ſtudiis, & exercitiis ſuos nefarios conatus, & prava dogmata plurimum impediri.

Brovius ad hunc annum.

XL. In Civitate Delphi apud Batavos, ſic dicta a foſſa, quam Corbulonis exiſtimant, Cœnobium fundatum anno 1448., & habitatum a Minoribus Obſervantibus, qui primam Miſſam in Eccleſia celebrarunt die 4. Decemb. anno 1549., inſanæ quædam mulieres, vel viri ſub mulierum veſte exitio dederunt, cunctis, quæ obvia habebant, præ furore diſſipatis, Fratribus in fugam verſis, paucis exceptis, qui in abditis locis ſalutis, vitæque præſidium quæſierunt. Amſtelodami Minoritæ expulſi ſunt una cum Carthuſianis, & niſi cives obſtitiſſent, idem paſſæ fuiſſent & Virgines Deo dicatæ. Mechliniæ, quamvis Civitas Catholicorum ſtudioſiſſima foret, & Catholicis plena, nebulones aliquot, excitato tumultu, a Cœnobiis Franciſcanorum, & Carmelitarum initia ſumpſerunt confringendarum Imaginum, & Sacrarum ædium diripiendarum incredibili furore acti, & inſania intra, & extra Civitatem; eoque tempore quidam Religioſus nomine Pius Guardianus Conventus de Atha cecidit, Huebero teſte, in publica via ab Hæreticis interemptus, dum Gandavum iret, cum Miniſtro Provinciæ loquuturus de rebus, quæ ad Fratrum regimen pertinebant.

Batavia Sacra lib. 1. pag. 210.

XLI. Triſtiſſimum memoratu eſt, quot enormia mala facinoroſi homines patrarint, Calviniani ſcilicet, Lutherani, & Anabaptiſtæ invicem permixti, nec minus armis, quam turbulentis concionibus terrorem, & deſolationem inferentes. In Chronographicis Arnaldi Aloſtani nobilis Familiæ Mermannæ in Cœnobio Minorum Lovanienſi S. Theologiæ Lectoris, Eccleſiaſtici vehementiſſimi in Iconoclaſtas, hæc verba reperio: *Sancta tua contaminata, & conculcata ſunt*. Bacchati hoſtes potiſſimum Antuerpiæ, quam vir quidam gravis appellavit idcirco novam Babylonem ſine Rege, ſine lege, & ſine ſacrificio, primum minaces adeo literas adverſus Minoritas in vulgus ſparſerunt, ut Comes Hoochſtratanus militum Præfectus excubias opportunis in locis diſpoſuerit, quæ illos tuerentur. Deinde agmine facto cucurrerunt ad Eccleſiam Cœnobii: „ Quumque ibi, ait Tilmanus Bredenbacchius, Altaria, Imagines, & Statuas eſſent demoliti, progreſſi ſunt ad Imaginem B. „ M. Virginis amictam Sole, & Lunam ſub pedibus habentem, & la„ queari Eccleſiæ dependentem. Hanc vero nulla vi, nec arte, quan„ tumcumque fatigarentur, laxare, nedum deturbare potuerunt, invi„ cta illa, & immota, invitis omnibus iſtis, perdurante, & de furore „ hoſtium ſuorum triumphante. Ipſi nos eamdem Imaginem eodem „ in

Tilmanus Breden. coll. ſacr. lib. 3. cap. 25.

„ in loco etiam pendentem paullo poſt conſpeximus. Non haberent ho-
„ mines iſti in Chriſti, & Sanctorum ejus venerandas Imagines po-
„ teſtatem vel minimam, niſi data illis eſſet deſuper. Qui legem ita-
„ tuit aquis, ne tranſirent fiues ſuos, idem & hujuſmodi hominum
„ rabiem vel minimo nutu coercere poteſt, & ſæpenumero vel mira-
„ culoſe cohærcet, vel exertam in ſe, ſuoſque Sanctos rabiem, quum
„ acceperit tempus, ſæviſſime vindicat „.

XLII. Cæteras inter conditiones, quas concordiæ cauſa pepigerunt Bzovius ibid.
Catholici, & Sectarii, duæ iſtæ a Bzovio numerantur; prima, ut no-
væ Religionis miniſtri ſua ſacra exercerent in Templo Franciſcanorum
Amſtelodami; aliis Monaſteriis, lociſque abſtinerent; altera, ut ſuorum
cadavera in ſolo Franciſcanorum Cæmeterio ſepelirent. Quidquid ſit de
mortuorum ſepultura, incredibile videtur, ut eadem Eccleſia Religioſis
hominibus, & Hæreticis inſerviret; certum namque eſt, eam nonniſi an- Annales Min. an.
no 1578. in Geuſiorum poteſtatem veniſſe. His omiſſis, dirutum hoc 1578.
anno diſcimus Cœnobium Adenardenſe ad ripam Schadis fluvii, cun- Gonzaga in Prov.
ctamque domus, & Eccleſiæ ſuppellectilem direptam, profanatis vaſis S. Andreæ con.
ſacris, Sanctorum Reliquiis, Imaginibus, & Archivio combuſto, eam- 11.
demque cladem duobus annis ſubſequentibus renovatam; Cœnobium Idem in Prov.
Boſcoducenſe, & Valencennenſe. Ab æde hac inſigni ſub titulis SS. Germ. Inf. con. 5.
Trinitatis, S. Crucis, & S. Franciſci anno 1233. dedicata ab Epiſco- Idem in Prov. S.
po Cameracenſi, hoſtes non ſolum diplomata Pontificum, Privilegiorum Andreæ con. 2.
codices, literas, reſque omnes igni tradiderunt; ſed Reliquias auro,
argentoque ornatas, pretioſioraque alia in illam olim illata a Comitiſſa
Flandriæ, & Hannoniæ Ferrandi a Portugallia uxore, abſtulerunt; & ne
mortuorum quidem cineribus, & oſſibus pepercerunt, theſauri invenien-
di ſpe effodientes monumenta, & ſepulchra Comitum Flandriæ & Han-
noniæ, Comitum Palatinorum Hollandiæ, & Friſiæ, Comitumque Na-
murci, & Bleſenſium, quorum corpora jacebant in Templi Choro mar- Idem ibid.
moreis in tumulis. Scribit Gonzaga, Civitatem Valencennarum mul-
tas quidem vaſtationes ab Hæreticis pertuliſſe; at nullum Fratrum,
tametſi conſtantiſſime eorum impietati reſtiterint, martyrio ſanguinis
affectum, licet exulare fuerint coacti, & perſequutiones, & damna,
citra tamen mortem, ſint variis vicibus perpeſſi. Hæc vero cum mo-
numentis producendis nullatenus concordant.

XLIII. Chii Inſula in mari Ægeo Solymanus in ſui poteſtatem re-
degit, captiva Conſtantinopolim abducta Juſtinianorum gente, quam
mox Summus Pontifex, interpoſita auctoritate Caroli IX. Galliarum Re-
gis, in libertatem vindicavit. Veritus itaque Joannes Valletta, ne ſibi
bellum rurſus inferretur, memorque præteritarum calamitatum Melita
excedere, Sacrumque Ordinem in Siciliam transferre cogitabat. Trepi-
dantem Pontifex confirmavit tum literis, & pecuniis, tum Jubilæi in-
dictione; quo factum eſt, ut ex Italia, Gallia, Hiſpania non exiguis
argenti ſummis congeſtis, hoc anno in monte Sceberras fundamenta
poſita fuerint novæ Civitatis in Inſula *Valletta* nomine, quæ tractu tem-
poris arx, & propugnaculum contra Barbaros tota Europa præſtantius
evaſit. Intra Civitatis mœnia Minoriticum Cœnobium ſub invocatione
S. Mariæ de Jeſu diverſum ab altero ejuſdem tituli in veteri Civitate
Melitæ, conſtrui curavit Joannes Valletta, ſuſceptamque fabricam, quam-
vis opes non multæ adeſſent, aliorumque ædificiorum neceſſitas urge- Gonzaga in Prov.
ret, quamcitius ad complementum adduxit. Ita Gonzaga. Aſt Rochus Siciliæ Con. 34.

Pirrus Cœnobium excitatum ait ad maris portum anno 1575., Pro-Re-
Sicilia Sacra tom. 2. pag. 926. gente Joanne Leveſque Magiſtro, & ſuis divitiis adjuvante Epiſcopo
Gargallo, ut ſtemmata ejus in tecto Eccleſiæ docent. Fieri poteſt, ut
hoc anno ædificium poſitum ſit, altero abſolutum.

XLIV. In communi Italiæ metu Turcæ appulerunt ad litora Maris
Adriatici in Apuliæ finibus prope Civitatem Ortonæ, ut ſcribit Pater
Sicinara cap. 56. Sicinara Ordinis Minorum in tractatu de terræmotibus, multoque ex-
preſſius Cajetanus de Caſtorano, quem ego ipſe Miniſtri munere in Pro-
Bernardinus de Ariſcbia monum. Prov. S Bernardini pag. 59. vincia S. Bernardini perfunctum adoleſcens cognovi ſenio confectum vi-
rum integrum, & religioſiſſimum, cujus etiam familiaritate, & bene-
ficiis ſum uſus: „ Barbari, inquit, poſt direpta Oppida Hiſtonii, Or-
„ tonæ, S. Viti, & Francavillæ, progreſſi ſunt ad Conventum noſtrum
„ S. Mariæ de Jeſu Francavillæ; quumque perveniſſent ad locum Cru-
„ cis, ulterius pedem ferre non potuerunt, nec tranſire umbram, quam
„ Crux, ſplendente Luna, emittebat. Rei novitate perculſi, & cau-
„ ſam remoræ in Crucem rejicientes, ferro illam exſcindere tenta-
„ runt; verum, etſi lignea, validiſſimis ictibus reſtitit, ut dura ſilex,
„ & impenetrabilis; ſolumque retinuit levia, & minuta eorum veſti-
„ gia. Terga vertentes, & in Oppida Ripæ, ac Villæ Magnæ irruen-
„ tes innumerabilem Chriſtianorum exercitu armis nitentium, & in eos
„ inſurgentium, B. M. Virginis miraculo, cominus proſpexerunt, qua
„ viſione conterriti ad oras maris Adriatici convolarunt, conſcenſiſque
„ navibus, exceſſerunt. Ex eo autem tempore ad præſens Cives Fran-
„ cavillæ Crucem hanc adeo venerati ſunt, ut nemo umbram illius
„ pedibus tangat, decretumque fuerit, ut Archipresbyter Oppidi ea
„ uteretur in benedictionibus Rogationum „.

XLV. In his anecdotis quædam ſane congeruntur, quæ fieri quidem
potuerunt; ſed facti unicus teſtis Joannes Alcoi Sammanco non coævus
producitur. Meminit irruptionis Turcarum in ea loca Boverius: „ Eo-
„ rum claſſis in litoribus Apuliæ plures Civitates diripuit. Flammis im-
Boverius ad an. 1566. „ miſſis in oppidum Serræ Capriolæ, combuſtoque Cœnobio Capucci-
„ norum, dum Barbarorum alii Eccleſiam vaſtarent, & SS. Imagines
„ diſtringerent, ſceleſtus quidam enſe nudo Simulacrum SS. Virginis in
„ fruſtra concidere aggreſſus, viribus repente deſtitutus vita exceſſit;
„ quo cæteri admonitu aufugerunt. Reſtaurata æde ſacra, Simulacrum
„ rurſus in ea collocatum tot, tantiſque refulſit miraculis, ut innume-
„ ra circum vota, & tabellæ appenderentur „.

XLVI. Hæc tamen mala, aut his ſimilia, quæ hoc anno revera eveniſſe
manifeſtum eſt ex Annalibus Italiæ Ludovici Muratorii, regularium bello-
rum albo non ſunt adſcribenda; verum conſuetis prædonum Scedræ, & Ul-
cinii excurſionibus; in ſolam enim Pannoniam Barbarorum tempeſtas ſe
exoneravit, Solymano exercitum ducente, ſimulata cauſa Sigismundo
Muratori Annal. Italiæ tom 7. part. 2. pag. 225. Tranſylvano opem ferendi contra Cæſarem, quum meditaretur infamiæ
occurrere, quam Turcica arma ſubierunt apud Melitam, ſpe elatus, ad
Iſtrum cumulatis victoriis novam gloriam, novoſque triumphos ſibi eſſe
comparaturum; ut prope Taurunum oſtendit, magnificum, & terribile
excitans ſpectaculum, ac veluti pompam militum, equorum, vexillo-
rum, quadrigarum, omniſque bellici apparatus; & quamvis ad ſenium
vergeret, Imperator tamen ſalutari voluit, ut ſcilicet cum majori ma-
gnificentia ad tumulum duceretur; ſiquidem paullo antequam Segeſtum,
vel Szigethum Turcæ contra Nicolaum Zrinium expugnarent, ætatis
ſuæ

Digitized by Google

ſuæ anno ſeptuageſimo occubuit, imperium filio relinquens Selimo II.

XLVII. Hungaria, & Illyrico partim a Turca occupatis, partim a ſeditioſis Sigiſmundi ſatellitibus, neceſſe fuit, ut Minoritæ paſſim aut fuga ſibi providerent, aut in privatis Catholicorum ædibus deliteſcerent, in veſtitu etiam ſæculari incedere coacti. In Capitulo Provinciæ S. Salvatoris habito Gyongyoſini ſub initium antecedentis anni, in quo Provinciam adminiſtrandam ſuſcepit Emericus de Toris, nemo adfuit ex Cuſtodia Baynæ metu tumultus Zapolyianorum, & impendentium calamitatum. Capitulum Poſonienſe Provinciæ S. Mariæ Hungariæ, in quo Miniſter LXXXIX. renuntiatus eſt Franciſcus de Chongrad elapſo anno, nonniſi octo poſt annis iterum celebrari potuit. Ex Iſtwanffio novimus, deſertum Cœnobium Szegusdienſe in Diœceſi Veſpremienſi, & Ducatu Simighienſi: „ Turcarum mentes, ait, animique ſuopte inſtinctu in duos „ viros (Georgium Thurium, & Franciſcum Slunium Comitem Frangepani, illum Pannoniæ, hunc Illyrici reliquiarum *enſes*, & *clypei* „ merito appellati) intenti erant, nihilque, niſi de eorum nece, aut „ captivitate cogitabant; quod nulli, qui cum ipſis arma contuliſſent, „ cum his aut promptitudine, aut iuquieti animi robore comparandi „ viderentur. Tum vero a Selimo admonebantur, omnem moverent „ lapidem, ut ſive dolo, & fraude, uſitatis Turcarum artibus, ſive „ vera vi capti in poteſtatem inciderent, aut ſi id minus perfici poſſet, „ de medio tollerentur. Quare, quo commodius excurſionibus continuandis, & inſidiis locandis excubarent, Templum inſigne Monachorum „ Franciſcani inſtituti in oppido Szeguſdio olim a Marcellis Pannoniæ „ Magnatibus Regio plane ſumptu ædificatum, ſed clade Szigethana „ deſertum reſtaurarunt „. Cœnobii hujus, quod Eugenius Koſa fundatum ſcribit anno 1290. ſub Ladiſlao IV. Cumano Rege, Eccleſia B.M. Virgini dicata, conſecrata eſt ſub Andrea III. Rege Hungariæ, ut tradunt Scriptores omnes, & Appendix Synodi Pazmanianæ. Extitit anno 1400. & in Archivo Provinciæ ſuperſunt literæ ipſum concernentes Georgii de Bathor Agazonum Regalium Magiſtri anno 1507., quibus Jobbagyones (nemque Conventuales adhuc Provinciæ Patres) in oppidis Szegusdii, Farkass, Falva, & Marczaly eximit a taxis extraordinariis, & ſolutionibus pecuniarum a Caſtellano Robalchenſi, & Szegusdienſi exigendis. Memorat domum hanc libellus anno 1504. Venetiis Gothico prælo excuſus cum titulo: *Incipit ſpeculum Vitæ B. Franciſci* fere ad calcem operis, ubi agit *de inſolito riſu, & joco Fratrum Szegusdini in Hungaria*, & miraculum narrat indicti divinitus ſilentii, Fratrumque verberatorum, neſcio an potius verum dicendi, quam ridendi, & jocandi cupiditate. Segeſto expugnata, Fratres Provinciæ Croatiæ S. Ladiſlai Regis a Comite Antonia Szecſenyi obtinuerunt veteris Monaſterii rudera ſub titulo Cuſtodiæ Quinque Eccleſienſis, quæ ipſis una cum Zagrabienſi attributa fuerat, dum anno 1655. a Provincia S. Mariæ Hangariæ ſepararentur. Jamque lente aſſurgit ædificii moles, & ut Reſidentia incolitur.

Ex MSS. Nicolai de Plumbo Ord. Min. Epiſcopi Bosnenſis.

Ex MSS. Andreæ de Duboczach Ex-Provincialis Boſnen.

Iſtwanf. lib. 24. pag. 315.

Eugenius Koſa part. 3. pag. 498.

XLVIII. Delato in Hiſpaniam nuntio obitus Pii IV., Cardinalis Hugo Boncompagnus in Italiam cito feſtinavit. Pontificis tamen electioni non interfuit; nam ſtatim ac Genuam appulit, Pium V. Pontificem audivit. Felix Perettus commodi[illegible]iter aggreſſus Italiam & ipſe petebat; quum defuncto Mediolani Antonio de Sapientibus, eligitur a Pio V. Vica-

Ciacconius tom. 3. pag. 959.

Vicarius Generalis Apoſtolicus Minorum Conventualium literis ſub die 14. Januarii Toletum miſſis, quas non accepit. Hinc corrigendus Laurentius Cardella, qui deceptus fortaſſe textu Rodulphi, ſcribit, Perettum renuntiatum Vicarium anno 1564. a Pio V., quum certiſſimum ſit, eo anno Antonium de Sapientibus in vivis fuiſſe, & Pium IV., non V., Petri Cathedram moderatum.

Caſimirus Tempeſti lib. 3. nu. 6.

Cardella *Mem. Storiche de' Cardinali* tom. 5. pag. 318.

Dignitatem iniit Aſtæ Pompejæ ad Tanarum amnem, expreſſius Faventiæ Pontificiæ diſpoſitionis certior redditus ab amico, & familiari ſuo Fratre Magiſtro Marco Antonio de Foro Livii.

Rodulphus lib. 2. pag. 197.

Profectus Aſſiſium accepit mandata a Pontifice, ſigilla magnum, & parvum Religionis, duas mulas, & unum equum. Interamnæ die 18. menſis Martii conſtituit Commiſſarium Monialium in Provincia S. Franciſci Miniſtrum ejuſdem Provinciæ. Pontificis novis literis in officio confirmatus abſtulit facultates Commiſſariorum Generalium, qui jam Provincialium auctoritatem pene deleverant *bonorum, & perſonarum Fratrum tyranni*, illis legitimo jure reſtituto ex decreto publicato die 20. Aprilis in *Sacriſtia* Conventus SS. Apoſtolorum. Die 26. dicti menſis revocavit Guardianos triennales; *ſic enim fiebant audaciores, & inſolentiores*. Declaravit, officium Viſitatoris non adverſari officio Provincialium, & Viſitatores delegavit in Provincias Auſtriæ, Gallo-Provinciæ, Argentinæ, Aragoniæ, aliaſque.

Caſimirus ibid. num. 7.

Ibid. num. 8.

Juxta privilegia tunc temporis Magiſtro Generali attributa, deſtinavit Inquiſitores in Civitatibus Anconitana, & Veronenſi, in Æmilia, Etruria, & Bohemia. Viſitavit nonnulla Cœnobia Provinciæ S. Franciſci, & ex Pontificis mandato: *Etſi Romani*. Die 28. Septembris plura Monaſteria Monialium, præſertim Romæ S. Sylveſtri in Capite de Urbe, ubi Monialibus leges preſcripſit cum titulo: *Hæc eſt Viſitatio ſecreta facta ex officio, & ordinata per me Fratrem Felicem de Montalto Theologum indignum, & Vicarium Generalem Apoſtolicum Minorem Conventualem*; Neapoli S. Claræ, & S. Mariæ Magdalenæ, in quibus, cæteriſque ejuſdem Urbis decrevit primo, ut nemo reciperetur intra ſepta Monaſterii, ſalvis ordinationibus S. Concilii Tridentini. II. ut puellæ degentes in Monaſterio, ſtatim ac ætatem duodecim annorum attingerent, deberent vel religioſum habitum ſumere, aut paternas domos repetere. III. ut puellæ poſt annum ætatis duodecimum ejicerentur a Monaſterio, niſi expleto anno Novitiatus profeſſionem emitterent. IV. ut pecunia ratione dotis non ſolveretur Monialibus ante profeſſionem Novitiarum, & Syngraphæ obſignarentur paullo ante, quam illæ votis ſe obſtringerent.

Ibid. num. 9.

XLIX. Eodem anno Perettus renuntiatur Epiſcopus S. Agathæ Gothorum per obitum Joannis Beroaldi: *Apoſtolatus Officium*. XVII. Kal. Decemb., retento officio Vicarii Generalis: *Quamvis hodie*. Eadem die. Eligitur Epiſcopus S. Jacobi de *Nuevo eſtremo* in Provincia Chilenſi per obitum Roderici Gonzalez primi ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi anno 1561., quo illam Pius IV. erexit in Cathedram Epiſcopalem, Ferdinandus de Barrio Minorum Oſervantium: *Sane Eccleſia*. XVII. Kal. Decemb.

L. Bernardinus de Obregon die 20. Maji inſtituit Matriti Congregationem pauperum infirmorum ab ejus nomine appellata, licentia Nuntii Apoſtolici obtenta. Hic equeſtribus S. Jacobi ſignis depoſitis, ſumpſit habitum Pœnitentiæ S. Franciſci, & in Hoſpitali Regio profeſſus eſt, ut majori auctoritate Sodalitium firmaret, quod etiam Ulyſſiponem, Villam Vitioſam, & ad alia Luſitaniæ Noſocomia tranſtulit.

Emmanuel a Spe Hiſt. Seraphic. p. ælud. 10. num. 12.

Non deſtitit hoc anno Joannes Nilingenii ſpecimen præbere, editis concionibus de triplici genere vitæ. Prima de Veſte nuptiali, & laudibus

dibus Chriſtiani Conjugii in caput 22. Matthæi. Secunda de ſtatu Religioſo, & vita Monaſtica conjugio excellentiori in caput 19. Matthæi. Tertia de Zizania, & frumento ſæcularis, & Religioſi ſtatus in caput 13. Matthæi.

LI. Joannem de Vicis fratrem Septimii Equitis S. Joannis Hieroſolymitani Stronconii natum, & Minoribus Obſervantibus a pueris adſcriptum, perfunctumque muneribus Diffinitoris, Miniſtri Provincialis, Guardiani S. Franciſci Peruſiæ, S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, Confeſſarii Clariſſarum Peruſiæ, Summus Pontifex ſuum, & Apoſtolicæ Sedis Commiſſarium miſit in Tuſciam una cum Vincentio Peruſino Ordinis Prædicatorum Priore Conventus Lucenſis S. Romani: *Paſtoralis Officii*. Die 7. Septemb. cum plena facultate viſitandi tam in Capite, quam in membris, & reformandi Monachos Ciſtercienſes S. Salvatoris a Settimo, S. Mariæ Magdalenæ de Ciſtello, & S. Bartholomæi de Buonſolazzo Diœceſis Florentinæ. Succeſſu lætatus Pontifex confirmavit utriſque privilegia: *Nuper per noſtras*. Die 6. Decembris, & injunxit viſitationem, & reformationem Monialium S. Donati *in Polveroſa* prope Florentiam; parique zelo, & maturitate hoc alterum negotium confecerunt. Eiſdem diebus commiſit Friderico Cornelio Epiſcopo Bergomi Viſitationem, & reformationem Monaſteriorum Civitatis, & Diœceſis Bergomenſis, & Cardinali Clementi de Aracæli facultatem eligendi Viſitatorem pro reformatione Fratrum Amadæorum, & Clarenorum.

Antonius de Terinca theat. Etruſco-Minoritico part. 2. tit. 2. pag. 111.

LII. Morabatur in Cœnobio S. Joſeph Illicæ Cuſtodiæ S. Joannis Baptiſtæ Andreas Hibernon a SS. PONT. OPT. MAX. PIO VI. inter Beatos relatus, edito Decreto XV. Kal. Februarii anno 1791., qui in Cœnobio Albazette Minorum Obſervantium regulam profeſſus in Provincia Carthaginenſi anno 1557. die feſto Omnium Sanctorum, tranſierat ad Recollectos anno 1563. ſequutus Joannem Portero, Ludovicum Maſſian, Bernardinum Carmona, viroſque alios ſanctitate illuſtres, quibus chariſmata meliora æmulari ſolemne fuit. Profeſſione Laicus, & cum Paſchali Baylon, quem in eodem Conventu Illicæ duobus ante annis Minoriticum habitum ſuſcipere viderat, familiaritate conjunctus, non alio nomine ab illo vocari ſolebat, quam hominis *Sancti*, *& perfectiſſimi*. Opinionem optimam, quam de Andrea conceperat Joanna Gaſque uxor Doctoris Sancii, auxit Paſchalis ei dicens: „ Adverte, Domina, & Fratrem meum Andream Hibernon plurimum exiſtima, magnum Religioſum, magnum Pœnitentem, magnum Virum Dei, & Sanctum „. Alias Andreæ dixit: „ Frater, quantum invideo ſorti tuæ, & quantum cuperem virtutes tuas poſſidere, & merita tua apud Deum, qui me vocat ad æternitatem, ut ei reddam rationem vitæ meæ tepidæ, & negligentis! „ Cui alter: Ah! Frater, antequam ego moriar, reſonabunt equidem undique glorioſa æra metallica tuæ charitatis. Memento mei apud Dominum noſtrum in altera vita, ubi paratos fructus, & mercedem invenies laborum tuorum „. Sic Sancti inter ſe laudum coronas ſibi texebant. Nec minori exiſtimatione gaudebat Andreas in eodem Conventu Illicæ apud Laicum alterum Petrum Lobo de Methimia Sidoniæ ſpectabilis ſanctimoniæ virum, qui ante Dominicum Tabernaculum divinis ſplendoribus colluſtratus, & dono prophetiæ inſignis neminem fortaſſe parem habere videbatur; apud Antonium Alvero de Leſinena, Sebaſtianum Paſtor de Beninganim, Bartholomæum Ximenes de Injeſta inter Ayoram, & Carcelem in finibus Valen-

Vincentius Mondina vita B. Andreæ Hibernon cap. 2. pag. 24. & seq.

Ibidem cap. 16. pag. 147. & seq.

lentiæ, & Caſtellæ a Mahumedanis ob Chriſti fidem occiſum, & Ven. Dei Servum Joannem de Ribera Patriarcham Antiochenum, & Archiepiſcopum Valentinum, cujus cauſa modo agitur in Sacra Rituum Congregatione, qui cum Andrea libentiſſime converſabatur, Sanctus nimirum cum Sancto, quinque, vel ſex horis diebus ſingulis in Civitate Gandiæ. Verum hæc deinceps.

LIII. Diximus, Salvatorem ab Horta amandatum Reuſium, & Barcinonem poſtremo in Sardiniam veniſſe uno, eodemque anno, ut Auctor eſt Dima Serpius, quamvis inveriſimile videatur, tot diverſas, diſſitasque regiones eum peragraſſe; ſcimus enim, non exiguo tempore Reuſii manſiſſe, & a Provinciali miſſum Barcinonem, ut illic degeret. Hinc ſi eodem anno in Sardiniam profectus eſt, magna ſane itinera confecit, & exiguo tempore latuit Reuſii, quod cum ejusdem Dimæ Serpii narratione non cohæret. Quum itaque Salvator nominis ſuis fama Hispa-
Acta SS. die 28. Martii cap. 12, num. 102. niam impleſſet, & miraculis, quæ Deus per illum operabatur, virtntumque fulgore colluſtraſſet, ut ſecretum locum, in quo quietem inveniret, ſibi quæreret, Vincentio Ferri, qui Commiſſarii munere functus in Hispania, in Sardiniam redire parabat, comitem ſe adjunxit, vel ab eo poſtulatus, vel ſua ſponte iter aggreſſus. Navigante ipſo, fœda tempeſtas mari incubuit ſic, ut omnes vita actum crederent. Sed cognoſcens Sanctus unde ea procederet, ſigno Crucis imperavit Dæmoni, ut ſe ad Inferos reciperet, neque navi eſſet moleſtiæ, & mox cunctis admirantibus, ceſſavit procella, lætique ad locum *Pula* appulerunt triginta milliaribus advenientium glorificatus extitit miraculis.

LIV. Iſabella Morana in articulo mortis conſtituta poſt diuturnam, gravemque infirmitatem, curantibus ejus conſanguineis, fuit a Salvatore viſitata, & Crucis ſigno exempta periculo, ipsoque morbo. Ad Beatum tamen ſe convertens dixit: *Pater care, adeo debilem eſſe me ſentio, ut brevi videar moritura*. Cui Salvator: *Non prius mihi crede, mortem oppetes, quum vicies novies fueris infirmata. Verum bono fac animo ſis, quia lætior te vita in cœlo manet*. Egit illa gratias curatori ſuo, nam ſubito confirmatam viribus ipſam ſe ſenſit, ut juravit in proceſſu, poſtquam vigeſimum octavum morbum toleraſſet a tempore prædictionis; jamque ſatura hujus vitæ, futuramque expectans per morbum, quem futurum ultimum certo ſciret. Quum forte eleemoſynas corrogans illac tranſiret Salvator, ubi mulier parere non poterat, ancillæ eleemoſynam ſibi porrigenti ait: *Vade, dic Dominæ tuæ, quod brevi paritura ſit filium, qui meæ religionis futurus eſt; meum itaque ipſi nomen imponat*. Quæ cuncta ordine impleta ſunt. Alias per forum tranſiens ante locum, ubi milites colludebant, clamare cœpit: *Foras foras, cito cito*. Quam vociferatiouem quum alii amentiæ, alii spiritus fervori tribuerent, prodierunt milites cognituri quid ita clamitarent; quibus dixit: *Pœnitentia, pœnitentia*. Ridentibus illis iterum inquit: *Dico vobis, pœnitentiam agite ſuper blasphemia, quam modo protuliſtis, ipsæque irrationales ſentiunt creaturæ*. Quod dum dicit, corruit cubiculum, in quo luſerant iſti, certo, ut ajebat Sanctus, ruina opprimendi, niſi foras prodiviſſent. Valuitque prodigium, ut ſancto horrore perculſi omnes ad ejus ſe abjicerent pedes, ſeriamque anteactæ vitæ emendationem pollicerentur.

LV. Portarii munere ibidem fungens magnam copiam avicularum circum impluvinm ſedentium vidit, meſtoque cantu velut quærentium de continua illis diebus pluvia; quarum miſertus recurrit ad Refectorium,

rium, acceptumque panem attulit, & Crucis expreſſo ſigno: *Venite*, inquit, *creatura Domini, quas famelicas video, accipite eleemoſynam, quam vobis miſellis affero*. Illæ obedientiſſimæ advolarunt in caput, in humeros, in brachia ejus, acceperuntque ab eo panem, quem etiam dentibus comminutum ferebat illis, quarum roſtra infirmiora noverat. Hæc dum agit, corvos duos illac convolantes vidit, quos etiam ipſos invitavit ad eleemoſynam participandam, & ſupra ejus brachia conſediſſe jurarunt ii, qui viderunt. Volentibus captare micas, quas tenuioribus comminuerat: *Quieſcite*, inquit, *nam vobis firmiora roſtra habentibus grandiora dabo fruſta*; quibus acceptis, abire juſſi avolarunt, admirantibus qui aderant cunctis, & raram ejus ſanctimoniam ex tali ſigno cognoſcentibus.

LVI. Rogatus a perſonis piis, ut cæco lumen reſtitueret oculorum, *Ite*, inquit, *& veſtro amico dicite, ut peccata confeſſus triduano ea jejunio expiet, tum ad me veniat*. Ipſis digreſſis, ad cæteros dixit: *Neque confiteri volet, neque jejunare homo iſte; ideoque cæcus remanebit*. Atque ita accidit admonente alios his verbis Sancto: *Non vult Deus inimicis peculiaria conferre beneficia; quare ſi quid tale obtinere vultis, pœnitentiam agite, & tunc exaudibilis erit oratio veſtra*.

LVII. Mulier videndi Salvatoris avidiſſima, de quo tam prodigioſa narrari audivit, ad templum tunc forte duo millia hominum continens acceſſit cum filiolo, quem in tanta multitudine perditum requirens acceſſit ad Beatum, & priuſquam verbum ullum diceret, monita ab eo eſt, ſollicitudinem poneret; adeſſe enim eum, quem monſtrabat, & ipsa requirebat, puerum. Quod confuſo lætitiæ, & admirationis ſenſu intelligens, ac verum eſſe videns mater, gratias eidem egit, hilariſque filiolum ſuum reduxit.

LVIII. In eadem Eccleſia ſimul cum aliis Fratribus orationi inſtabat Salvator & ſuſpirantem audiens Guardianum: *Nec locus, nec tempus*, inquit, *præſens poſtulat, ut corpori detur eſca, ſed animæ*. Quæ verba admiratus Guardianus dixit: Vere cogitationem meam ipſi revelavit Deus; ſollicito enim verſabam animo, quid vobis cras manducandum appouerem, prorſus exhauſta penu. *Cras*, refert Salvator, *amplam tibi eleemoſynam ſubmittet Dominus, Pater mi*. Et qualem dixerat, poſtridie Portarius attulit, neque ſciri potuit unde, vel a quo. Guardiano autem, & Fratribus dixit: *Servite Domino, & ipſe vos enutriet*. In eodem loco prædictus Guardianus rogabat Deum, ut ſuam ſibi voluntatem indicare dignaretur circa officium Commiſſarii Inquiſitionis, quod ipſi conferendum erat. Et oratione finita, ad ipſum Salvator venit, dixitque: *Pater, hoc age, ut animam tuam ſalvam facias. Officium vero, quod tibi parum convenit, ne admiſeris*. Cognovit Guardianus divinitus ipſi revelatam mentem ſuam fuiſſe. Itaque directum ad ſe a divina bonitate reponſum ſequi decrevit. Poſtero die ipſum aſſumens ſocium Matronam adiit, cumque ea ſecreto de magna ſocii ſanctitate colloquebatur. Quæ loquentem audiens, advocavit ancillas, & foculum cum prunis afferri juſſit fovendis illius pedibus, quos frigido illo tempore nudos habebat. At ipse candentibus prunis pedem utrumque impoſuit, quod videnti matronæ, conſternatæque, ac clamoſe vetanti, ne ſe adureret, reſpondit Salvator: *Quando quidem vos laudatis creaturas mortales multarum imperfectionum plenas, æquum eſt, immortalem Creatorem a me in ſplendentibus iſtis creaturis laudari. Sed ignis iſte veſtrarum laudum per Dei gratiam me non combu-*

ret. Videruntque nec pedes, nec veſtem ab igne ſuppoſito læſos fuiſſe. Tunc Matrona illa interrogavit Sanctum, num Deus felicem ſibi daturus eſſet partum, & a doloribus liberaturus. Cui Sanctus: *Paries Filium, & dolorem ſuſtinebis, quem autem illum, brevi ſcies*. Conturbata eſt ad hæc aliquantulum mulier, cui iterum ille: *Non te conturbes; neque enim malum erit, quod mortem tibi afferat*; atque ulterius dicere noluit. Poſtquam autem filium Matrona peperiſſet, omniaque domi ad votum fluerent, mortuus ipſi maritus eſt; & hunc fuiſſe dolorem ſibi a Sancto prædictum in veritate cognovit.

LIX. Alia nobilis mulier panem ſiligineum recentem Salvatori dederat eleemoſynæ nomine, quem ipse quum in manicam abdidiſſet, dixit ei ſocius ſuus: Pater mi, præbe mihi hunc panem; novi enim, quod ipſum comeſturus non ſis. Ille autem extendens brachium: *Accipe*, inquit. Verum immiſſa in manica manu, pro pane roſam, floresque reperit. Cui prorſus attonito Salvator dixit: *Ita decipiuntur guloſi*. Domum autem regreſſus invenit ad oſtium famelicum pauperem, quo eleemoſynam petente, ipſum panem e manica eduxit Beatus ſocio inquiens: *Quia hic eo opus habebat, tu invenire non potuiſti*. Eleemoſynam quoque in domo quadam petens, ubi nobilis mulier recenter pepererat: *Videam*, inquit, *compatriotam meum*; inductusque in cubiculum, & infantem brachiis complexum diſſuavians: *O felicem*, inquit, *militem Domini mei*! *Hic ex iis eſt, qui cæleſtium ſedium unam obtinebit*. Mortuo autem intra paucos dies infante, veritatem prædictionis factæ omnes cognoverunt.

LX. Ad Altare majus Eccleſiæ Calaritanæ facienti Sacerdoti miniſtrabat Salvator, quando ad eum venit Religioſus quidam, & dixit: Pater mi, benedicito extremum abeunti; jam enim Neapolim navigo, quandoquidem ruptam in pectore venam ſanare mihi noluiſti. Cui Sanctus: *At ego*, inquit, *tibi dixeram, velle Deum, ut patienter ſuſtineres, & prorſus utile tibi eſſe, ut hanc tolerares infirmitatem*; *poſtmodum vero ſanaberis*. Sub hæc religioſus: Ne quæſo Deum orare deſinas pro me numquam videndo inpoſterum; quum primum enim ſanatus fuero, neceſſe habeo in Hiſpaniam diſcedere. *Memor eſto*, reponit Sanctus, *quod hoc eodem loco, ubi me nunc vides, reviſurus iterum ſis*. Ivit ille, & eodem anno ad diem Martii decimum octavum mortuus eſt Salvator. Quod ubi intellexit Religioſus ille: Nunc, inquit, omnis mihi fides excidit, quam Fratri Salvatori deferebam. Ecce enim ſub diſceſſum valedicenti prænuntiavit futurum, ut ipſum eodem in loco reviderem. Id autem qui fieri poterit, ipſo jam mortuo, & ſepulto? Anni poſt hæc fluxere duodecim. Tum opus habuit Religioſus ille, conferre ſe Genuam, & conſcendit navim vela facientem in Hiſpaniam, quæ adverſa tempeſtate coacta Calaritanum portum ſubire prædictum Religioſum ibi expoſuit. Hic autem orationis cauſa ante omnia ingreſſus in Eccleſiam Monaſterii, ſepulchrum apertum vidit, & Fratris unius cadaver ſupra ſcamnum poſitum, cæteris ad prandium ſumendum digreſſis. Eo ſpectaculo nonnihil territus ad Guardianum adiit in Refectorium ſuam ipſi obedientiam de more traditurus. Finito vero prandio, vidit innumerabiles hominum multitudinem accurrentem ad videndum corpus ab annis duodecim ſub terra, latebriſque incorruptum, eodem in habitu, in quo primum ſepultum fuerat, nulla ex parte marcidum, & propheticum Salvatoris Spiritum admiratus eſt. Reliqua Sancti viri geſta, beatumque obitum deinceps proſequemur.

LXI.

LXI. Hoc anno in Conventu S. Franciſci Belviſii in territorio Palentino deceſſit Didacus Suffranus magnæ vir perfectionis, & Franciſcus de Villisbonis, qui, Provincia S. Gabrielis ſanctiſſime adminiſtrata, pœnitentiæ, ut ajebat, agendæ cauſa eo ſe contulit, totumque jejuniis, carnis mortificationibus, & Myſteriorum Dei contemplationi addixit, diemque mortis ſuæ multo antea futurum prænuntiavit in feſto S. Agathæ. In Conventu S. Bernardini Urbini Franciſcus de Carticeto Doctor Pariſienſis, & in Ordine jam Vicarius Generalis. Pini in Inſula Corſicæ in Conventu S. Franciſci Bernardinus Pravoli de Balagna Laicus, qui hominem podagra laborantem manuum contactu liberavit; & in Conventu S. Franciſci Tallæ Julianus de Bonifacio Sacerdos, qui in feſto Nativitatis Deiparæ Sirenam Orlanduccii Uxorem vexatam diu a maliginis ſpiritibus incolumem reddidit, & a paralyſi mulierem alteram nomine Thomaſinam. Aliquibus a funere annis corpus integrum ad alium tumulum ea occaſione conſtructum Fratres detulerunt.

Gravina in voce Turturis cap 14.
Gravina in voce pag 16.
Monumenta Prov. S. Gabrielis.
Monumenta Prov. Marchiæ.
Salvator Vitalis lib. 5. pag. 177.

LXII. Jacet in Valliſoletano Obſervantium Cœnobio Joannes Merinero de Cruce, in ſæculo de Villar, cujus obitum ſignat Baretius anno 1526.; quum tamen ex antiquo Novitiatus libro diſcamus, eum anno 1527. die 9. Julii Seraphicæ militiæ nomen dediſſe. Regulæ obſervantiſſimus, in Theologia myſtica, & dogmatica verſatus, continuos fere triginta annos Vicarium egit Regii Monaſterii Clariſſarum de Tordesillas cum incredibili animarum ſolatio, multis Sororibus felici illo ſæculo ſanctitate florentibus. Expleto Guardiani munere in Conventu Valliſoletano, quum nocte Sabbati Sancti oraret in choro pro illis, qui moriuntur abſque Sacramento pœnitentiæ, Angelus ſub juvenis ſpecie ei præcepit, ut ſumeret ex Sacrario unam ex conſecratis Hoſtiis, & se comitaretur in via. Intelligens Joannes Angelum bonum, & in Divina voluntate miſſum, obtemperavit, & per reſeratam clauſuræ januam ab Angelo ductus eſt ad cubiculum Conſtantiæ Infanzonis Monialis elevatiſſimi ſpiritus in extremo agone poſitæ; cui poſtquam, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis miniſtratis, ad mortem uſque adſuiſſet, ſocio Angelo ad Cœnobium redivit. Poſtero mane Guardianum ſuum de omnibus certiorem fecit, eoque jubente, ſcripſit epiſtolam ad Abbatiſſam Monaſterii, ut Sorores Deo agerent grates, quod in tanta neceſſitate Sponſæ ſuæ ſubvenerit. Hoc, quod nec celari potuit, nec licuit, divulgatum continuo eſt apud omnes, quibus credibile adeo eſt viſum, ut piaculum ſit inexpiabile, ea de re dubitare. Licet pro certo non habeatur, quo tempore Joannes a vita migraverit, facta tamen annorum ſupputatione, quibus Vicariatum, & Guardianatum abſolvit, ad hunc annum ejus obitus eſt referendus. In Monaſterio S. Claræ Civitatis Ubedæ obiit Iſabella Lucas nobiliſſimo genere nata, & Comeſtabilis ejuſdem loci Fratris filia, devotiſſima Dominicæ Paſſionis, quam dum contemplaretur, fiebat protinus in ecſtaſim extra ſenſus, & aliquando in Paraſceve adeo ſemianimis in meditatione remanſit, ut mortuam Sorores exiſtimarent. Rexit monaſterium Abbatiſſa in omni humilitate, charitate, & prudentia, nec unquam animum ad bene facta erectum demiſit, quamvis in bello Maurorum Granatenſium adverſa multa perpeſſa foret.

Baretius part. 4. lib. 3. cap. 5.
Daza lib 1. part. 4 cap. 15.
Annales Min an. 1548. num. 16.

LXIII. Invenio, hoc anno in Monaſterio S. Spiritus in Valle Arragi Provinciæ S. Gabrielis Aldonſam Pantoxam, ſeu Pantojam Abbatiſſam Tertii Ordinis S. Franciſci, quæ ſæpe ad Deum preces fundebat, ne

alibi mori, & ſepeliri ſe permitteret, ſpe fraudatam non eſſe; quum enim a Valle Arragi migrandum foret ad Urbem Civitatenſem juxta decreta Concilii Tridentini, ipſo diſceſſus die, quamquam bona valetudine gauderet, ſubitaneo morbo correpta, & Eccleſiæ Sacramentis munita occubuit. Corpus poſt ſexennium abſque læſione ſuavem odorem ſpiravit; quo apud omnes felicis, & Sanctæ nomen obtinuit. Hæc ex Gonzaga, Laghina, Mariano, & aliis. Waddingus loquitur de Aldonſa Pantoxa, quæ cum Iſabella de Toleto Sorore Comitis Orapeſæ, Joanna Mexia, & Catharina Suarez, evocata eſt anno 1528. a Monaſterio Toletano S. Eliſabeth ad fundandum Monaſterium conſtructum sub invocatione S. Eliſabeth a Maria de Sylva Duciſſa intra mœnia ſui oppidi Methimiæ Cæli in Provincia Caſtellæ. Monumenta deſunt, quibus innoteſcat, an Dei famula eadem ſit cum ſuperius memorata.

Gonzaga in Prov. S. Gabrielis Con. 10.

Blasius Lagnina in Memoriali.

Annales Min. an. 1528. num. 23.

LXIV. Alphonſo Gutierres Miniſtro Provinciæ S. Jacobi, cujus exſtat ab Antonio Daza impreſſum *memoriale*, ſeu *tractatus doctus*, *& pius* pro defenſione Religionum Mendicantium ad Philippum. II., aliaque opuſcula MSS. in Bibliotheca Minorum Zamorenſi; deceſſit revera hoc anno in Beneventano S. Claræ Monaſterio Maria Franciſca, quæ virili amictu in Cœnobio Obſervantium S. Franciſci de Capite Albæ Minoriticam regulam profeſſa erat. Factum in dubium jampridem revocavimus duplici Hueberi narratione, quæ non ſatis cohærere videbatur, coacti. Authentica monumenta ea de re agunt, in quibus etiam notatur, Antonium Guſmanum, qui illam ad Monaſterium traduxit, quinquies Miniſtri munere Provinciam rexiſſe. In Monaſterio S. Claræ Perpiniani Iſabella Belluera de Civitate Gerundæ, cujus in adverſis patientia, in oratione fervor, in carnis afflictationibus rigor, & ardor charitatis, ut incredibiles laudantur.

Monumenta Prov. S Jacobi ex Arch.S.Isid. arm. 8. num. 52. pag. 289.

LXV. Circa idem tempus obierunt in Monaſterio S. Claræ Ulyſſiponenſi Eleonora a Regibus, & Agnes de S. Dominico. Illam circa annum 1560. in vivis fuiſſe aſſerit Arturus, qui ejus pietatem, obedientiam, & humilitatem laudibus extollit. Alterius elogium texit Gonzaga: „ Ex infirmæ carnis ergaſtulo ad æthereas ſedes migravit Agnes „ de S. Dominico Sacræ hujus ædis alumna, quæ omnibus virtutibus, „ ſed præſertim humilitate, paupertate, & ferventiſſima oratione mi- „ rifice reſplenduit. Quamobrem moleſtias ſibi a Dæmone illatas viri- „ liter ſuſtinuit, & innumeris miraculis claruit. Nam ad contactum „ baculi, cui decrepita innitebatur, & Andreas Inſulanus totius Mi- „ noritici Ordinis olim Generalis Miniſter a podagra, qua afflictaba- „ tur, & Catharina Portugalliæ Regina a vehementiſſima chiragra, & „ plures alii a diverſis infirmitatibus liberati fuere „. Hæc eadem verba Waddingus uſurpat.

Arturus die 18. Januarii.

Gonzaga inProv. Portug. Mon. 1.

Annales Min. an. 1494. num. 19.

LXVI. Collatis a Paulo III. anno 1535. in feudale dominium Farneſianæ Genti Civitatibus Parmæ, & Placentiæ ea conditione, ut 19. millia ducatorum aureorum de Camera quotannis ſolveret Sedi Apoſtolicæ, Petrus Aloyſius Farneſius Parmam propugnaculis, vallisque cingere aggreſſus ad ſui, rerumque ſuarum defenſionem multa ædificia dirui juſſit, inter quæ duo Minoritica Cœnobia, alterum S. Mariæ de Pace Amadeorum, qui anno 1527. tranſlati ſunt ad Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ, vel S. Joannis de Templo, alias de Pace intra Urbem, in Emphyteuſim ipſis conceſſam a militibus S. Joannis Hie-

Jo. Christianus cod.Diplom.Ital tom.2. pag. 1506.

Flaminus de Parma tom. 2. de Con. Parmen.

Hieroſolymitani; alterum SS. Annuntiationis extra portam novam Minorum Obſervantium. Demolitio peracta eſt anno 1546. die 30. Martii, & anno inſequenti decretum exſtitit de reædificando Cœnobio SS. Annuntiationis, electis a Senatu Scipione Equite de la Roxa, Vincentio de Blondis J. U. Doct., & Hieronymo Cavalca ad inveniendum locum in Civitate Parmenſi idoneum, & commodum pro conſtructione novi Monaſterii, & Eccleſiæ ad uſum Fratrum Annuntiatæ, eoque reperto, ad referendum Excellentiſſimo Præſuli Ducalis Conſilii &c. dempto ſemper loco S. Rochi Civitatis Parmenſis.

LXVII. Minus vere, inquit poſtremus Annalium Continuator, Waddingus ſcribit, Joannem de Riva Parochum Eccleſiæ SS. Gervaſii, & Protaſii eum fuiſſe, qui Fratres Parmæ domo deſtitutos in ſuam recepit; is enim fuit Antonius Majorini. At eruditi viri correctio indiget correctione. Ex dictis conſtat, demolitionem Cœnobii, & Eccleſiæ SS. Aununtiationis incœptam anno 1546., & abſolutam vel eodem anno, vel initio poſterioris, quo Petrus Aloyſius occubuit a Sicariis Placentinis interfectus. Is igitur Parochus Fratres in ſuas ædes recepit, qui præerat Eccleſiæ SS. Gervaſii, & Protaſii. Jam non alius eſſe is potuit, quam Joannes de Riva, prout etiam affirmat Gonzaga, cui Parœcia collata eſt anno 1531. a Clemente VII. Sum. Pont. *Vitæ, & morum honeſtati*. Pridie Kal. Februar., nec Antonius Mazzurini (non Majorini) Joanni de Riva in Parœcia ſucceſſit, niſi anno 1557. præſentatus a Bernardino de Ruvere, cui jura in dictam Eccleſiam, quum lis eſſet inter Georgium de Ruvere, & Archidiaconum Parmenſem, adjudicata ſunt decreto Cardinalis Caraſæ in Civitatibus Mutinæ, Regii, Parmæ, & Placentiæ Legati Apoſtolici a Latere ſub Paulo IV., nec proinde Mazzurinus ædem, ut idem Annaliſta autumat, impetrare poterat a Paulo III., qui obierat anno 1549., ideſt multo ante, quam ipſe Parocbiale Beneficium acquireret.

Annales Min. an. 1560. num. 45.

LXVIII. Ab anno 1547. exſtiterunt Fratres in Domo Joannis de Riva ad præſentem uſque, quo incœpit, novum Cœnobium, commutato titulo SS. Gervaſii, & Protaſii in titulum SS. Annuntiationis, primum lapidem jacientibus Octavio Duce Farneſio, Epiſcopo de Brugneſe Suffraganeo Alexandri Sfortiæ Cardinalis, & Epiſcopi Parmenſis. Addit Bonaventura Angelus Ferrarienſis, ſecundum lapidem poſitum a Sfortia Duce S. Floræ affini Ducis Octavii, eodem illo, qui Pontificias copias in Galliam duxit. Hæc cum laudato Annaliſta non concordant. Sed nec ipſe concordat cum veritate. Bullam: *Supremi diſpoſitione* tribuit Pio IV., tribuendam vero eſſe Pio V. ex eo liquet, quod in autographo originali Flaminii de Parma legitur annus MDLXVI. In exemplari, quod profert Annaliſta, æquivocum latet; nam quum annum non apponat, nec nomen Pontificis, ſed ſolum ſcribat: *Pontificatus anno I.*, & *Pium* ſine addito vel IV. vel V., hinc Bulla æque referri poteſt ad annum 1560., qui fuit primus Pii IV., & ad annum 1566., qui fuit primus Pii V. Hoc modo nihil fere eſt, quod in hiſtoriis ad quamcumcumque epocham transferri non queat. Ad eumdem annum 1566. ſignat Petrus de Alva præſatam Bullam ex Regeſto Vaticano Regeſt. Ciſmont. fol. 230. Eumdem annum notant Waddingus, & Gonzaga, qui etiam menſem, & diem exſcribit *die nona Martii*. Memoriæ MSS. Bartolini hæc habent: „ Anno MDLXVI. pro Fratribus Franciſcanis de „ Obſervantia Architectante .... Boſcolo (ex modulo tamen Furno-

Bonav. Angel. lib. 7. pag 741 apud Flaminium de Parma loc. cit.

Petrus de Alva indic. Bul. Seraph. pag. 231. Annales Min. an. 1434. num. 13.

Gonzaga in Prov. Bonon. Con. 6.

vi

vi Architecti) tempore Octavii Ducis Farneſii, qui primum conſtituit „ lapidem, magnificentiſſime (Eccleſia) fuit renovata cum treſdecim „ Altaribus. Ellypticam gerit figuram longe, lateque patentem cum „ tribus portis, quæ propylæo teguntur mirabili, quibus ex adverſo in„ tus extat Altare majus cum Choro inter duodecim Sacella, ſex ex „ parte paraſtadis Corinthiis ſegregata, quæ in altum porrectæ amplam „ ſuffulciunt coronam, & fornicem amplitudine, & elegantia conſpi„ cuum, maxime quod ſecluſo catenarum vinculo perſtet. Tectoriis „ ornatur operibus, & picturis. Unam in muro fere abrogatam re„ præſentantem Myſterium SS. Annuntiationis effecit Corrigius, quæ ex „ ſuburbana Eccleſia Annuntiationis fuit delata. Tabulam Chriſti ba„ ptizati pinxit Parmigianus adhuc ephebus. Tabulam Chori Franciſcus „ Cotignola anno 1518., ad cujus pedes viſuntur Icones Rolandi Pal„ lavicini, & Conjugis Domitillæ, quæ cum ſubſelliis, & Salvatoris „ Simulacro ex lapide poſito in Conventu ex prædicta Eccleſia Annun„ tiationis ſunt adſportata „.

LXIX. Tranſlata ſunt a veteri in novam Eccleſiam Corpus Pauli Piſotti, ſeu de Parma collocatum in prima Columna ad dextrum latus aditus in Eccleſiam cum Epigraphe a Waddingo relata; Tunica, & Caputium B. Bernardini Feltrenſis, ſumptis a Gonzaga pro veſtibus S. Bernardini de Senis, quamvis veſtium forma indicet hominem puſillum, ut erat Bernardinus Feltrenſis *Piccinini* nomine etiam publicis monumentis donatus; Libri Chorales ex membranis vetuſtiſſimis, nitidis characteribus exarati cum literis initialibus auro, & cinnabaro oblitis, elegantique imaginum, colorumque diſpoſitione. Mirum eſt, MSS. omnia, quæ Fratribus ex teſtamento anno 1453. die 21. Decembris, & anno 1457. die 19. Februarii donaverat, & majori ex parte tradiderat Ugolinus Cantelli Juris doctor, ita periiſſe, ut nullus lectiſſimorum Codicum, quibus ejus Bibliotheca conſtabat, delatus legatur ad novum Cœnobium.

Annales Min. anno 1154. num. 7.

Gonzaga ibid.

LXX. Duabus circiter leucis a Civitate Mexici ad culmen perducta eſt Eccleſia Corporis Chriſti Tlalnepantlæ adnexa Minoriticæ domui ibidem exiſtenti in loco amœno, & lætiſſimo. Eccleſiæ dimidium Mexicani, alterum poſſident Otomitæ, quum inter utriuſque nationis limites conſiſtat, ut nomen ipſum Tlalneplantlæ indicare ajunt. Erecta in ea ſunt unum Sodalitium SS. Sacramenti, & quatuor B. M. Virginis, duo videlicet Mexicanorum, & duo Otomitarum. Dividitur regio in quatuor partes, quarum Tenayuca, & los Reyes Mexicanis ſunt attributæ, aliæ dictæ S. Laurentius, & S. Franciſcus Otomitis. In pagis vigintiquatuor circumpoſitis Religioſi præfatæ domus Sacramenta miniſtrant ſtatis diebus in reſpectivis Eccleſiis, non computatis Eremitoriis, ſeu Sacellis in locis deſertis, & æſtu maxime calentibus. Eccleſiæ in monte altiori Otomitarum ſunt S. Aloyſius Zacachiuchan, S. Maria Mazatla, S. Michael Tecpan, S. Anna Xilotzinco, S. Jacobus Tlazalan, Transfiguratio Domini. In monte depreſſiori S. Maria Magdalena Tzitzicazpan, S. Franciſcus Nacaz Ayotochco, S. Petrus Azcapotlaltonco, S. Michael Ylla, S. Franciſcus Tizapan, S. Matthæus Xolalpan, S. Maria Calacaoyan, S. Andreas, & S. Lucia. Mexicanorum novem, S. Hieronymus, S. Paulus, S. Maria Tecoman, S. Jacobus Ochpahuayocan, S. Maria Cohuatepec, S. Bartholomæus Tenayocan, S. Cæcilia, S. Raphael, & S. Petrus. Indorum numerus inibi degentium longe excedit numerum aliarum nationum.

Theatrum Mexic. part 4. tom 2. num. 178. pag. 72.

LXXI.

LXXI. In Civitate S. Dominici Calciatenſis in Provincia Burgenſi conſtruitur hoc anno Conventus S. Mariæ Angelorum in fundo Joannis de Samano Secretarii, qui etiam ducatos aureos D. erogavit pro fabrica, cura Bernardi de Freſneda Epiſcopi Conchenſis. Gonzaga ædificium inchoatum, & perfectum aſſerit anno 1535, quo tantum ad Civium inſtantiam a Conventu S. Mariæ Angelorum Oppidi Zidamonii ſex milliaribus a Civitate S. Dominici migrarunt in eamdem Civitatem, relicta ob incommoditatem veteri æde, quam in gratiam Fratris Lopetii de Salinis fundaverat Dux Innicus, vel Higinus Ortiz de Zuniga ex ſanguine Regum Navarræ oriundus, non anno 1456, ut idem Gonzaga affirmat; verum anno 1437. In novam domum Bernardus de Freſneda intulit veſtimenta, vaſa ſacra, & Reliquiam S. Philippi Apoſtoli; præterea inſignem Bibliothecam, expenſaſque præſtitit, quibus nihil ejus perfectioni deeſſet. Quare veluti loci Fundator, & Patronus eſt habitus, eoque titulo in majori Sacello tumulum, quo conderetur, elegit. Eſt domus Capitularis, & continet quinquaginta circiter Fratres.

Galarreta in Prov. Burgensi pag. 35.

Gonzaga in Prov. Burgen. Con. 9

LXXII. Occuparunt Obſervantes Cœnobium S. Spiritus Vallis Arragi, a quo Moniales, ut diximus, receſſerunt translatæ ad Urbem Civitatenſem diſtans uno milliari ab Oppido Robbedilio, tantumdem ab Oppido Scarga Maria, tribus a Conventu S. Mariæ de Angelis. Quum magnifico ſumptu conſtructum foret, & Sanctæ paupertatis limites excederet, illud Comites Orapeſæ, & nobilis Matrona Beatrix a Trejo ad normam aliorum Conventuum redegerunt. Non longe ab Oppido Ceeghini in Regno Murciæ initium ſumpſit ære publico, & piorum eleemoſynis Cœnobium S. Franciſci, vulgo S. Stephani. In oppido Marſici Veteris Diœceſis Marſici Novi Cœnobium B. M. Virginis de Coſtantinopoli fundatum eſt ſumptibus Communitatis ex Pontificis beneplacito. In Provincia Arrabidorum Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ intra Eboram, & Alcobazam, munificentia Cardinalis Henrici Antiſtitis Uiyſſiponenſis, qui Rege Sebaſtiano in Mauritania defuncto, Regni diadema ſuſcepit. Uſus eſt in ea fundatione opera, & conſilio Fratris Damiani, qui illi aderat a Confeſſionibus, & ex indulto Pii IV. ſex annos Provinciam Miniſter rexit.

Idem in Prov. S. GabrielisCon. 20.

Idem in Prov. Carthag. Con. 6.

Idem in Prov. Basilicatæ Con. 24.

Idem in Prov. Arrabid. Con. 10.

Idem in Prov. Valent. Con. 20.

LXXIII. In Oppido Alcoi Cœnobium S. Franciſci liberalioribus Civium expenſis exſtitit, accitis Fratribus a Cœnobio altero ejuſdem tituli ab oppido remotiore, minuſque ſpiritualibus obſequiis populo præſtandis opportuno. In Civitate SS. Trinitatis de Muſo, quam inter oppida, ſeu pagos Buſching reponit Novi Regni Granatenſis, Cœnobium S. Sebaſtiani, Stephano Aſſentio id procurante, cujus octo circiter Fratres incolæ habent curam duarum domorum doctrinalium in Indorum oppidis. Joannes de los Barrios, & Toledo Alumnus Provinciæ Conceptionis Minorum Obſervantium, & Epiſcopus primo Charcarum, ſeu Rivi de la Plata anno 1547., deinde Epiſcopus S. Marthæ in novo Regno Granatenſi anno 1552., ac poſtremo Archiepiſcopus Civitatis S. Fidei anno 1564, quo erecta eſt in Metropolitanam, additis ſuffraganeis Eccleſiis de Popayan, & Carthagenæ; ſolemni ritu hoc anno benedixit Cœnobio Purificationis B. Virginis Civitatis S. Fidei. Hæc adnotamus, quia neque apud Gonzagam, neque apud ſuperiorem Annaliſtam declarantur, ſolumque Joannes dicitur Archiepiſcopus Civitatis S. Fidei a Gonzaga, & ab altero Archiepiſcopus in his Regionibus. Incolunt ibi 26. Fratres, qui præſunt treſdecim domibus doctrinalibus, qua-

Idem in Prov. S. Fidei Con. 3.

Busching. tom. 30. pag. 283.

quarum nomina ex Gonzaga exſcripta habentur iu præcedenti tomo, una in medium relicta domo Nemoconis.

LXXIV. Eccleſia S. Bartholomæi de Urbe in Inſula Tiberina anno 1557. fluminis inundatione disjecta, & Clarenis inde recedentibus, quum ſciſſis parietibus claudi amplius non poſſet; Pius IV. anno 1561. literis in forma Brevis fideles excitavit Indulgentiis, aliiſque gratiis ſpiritualibus ad eleemoſynas pro reſtauratione. Quamvis autem Pius V. prædeceſſoris ſui diſpoſitionem hoc anno renovaverit: *Rationi congruit*. Die 17. Januarii; nihilominus Eccleſia in eodem ſtatu remanſit ad Pontificatum uſque Gregorii XIII. In Cœnobio S. Petri in monte Aureo, etſi ad Amadeos ſpectante, ex peculiari Pontificis conceſſione conſtruuntur cubicula pro habitatione Clementis Cardinalis de Aracæli, in quibus poſt duos annos deceſſit.

LXXV. Verba facit Gonzaga de Eccleſia B. M. Virginis de Gratiis in oppido Feriiul ſupra Villam Scalam non procul a Goritiæ Caſtro, quæ hoc anno Obſervantibus acceſſit. Breviter rem totam exequitur, quam ex Vigilio Greiderer illnſtrabimus. Caput Comitatus Goritienſis inter Carniolam, & Dominium Venetum Goritia colitur, a qua ad Septentrionem pergenti Mons olim Skauniza, nunc Mons Sanctus ob B. V. Mariam plurimis beneficiis peregrinos ad ſe maximo numero accurrentes afficientem nuncupatus, & intra peripheriam Archidiœceſis Goritienſis concluſus obviat. Origo peregrinationis Marianæ hic vigentis in ſequentibus ſtat. Deipara anno 1539. cuidam feminæ nomine Urſula Ferligoiniza ex vicino oppido Gargarenſi oriundæ in Monte Skauniza gregem paſcenti apparuit, iſtis eam alloquuta verbis: *Dic populo, ut ædificet mihi Domum, & petat gratias*. Illa voluntatem Matris Dei executioni mandans non ſolum nullam fidem evicit, ſed ex judicio conſenſus popularis carceri adjudicata eſt. At quum non ſit conſilium contra Dominum, ſolutis vinculis libera evaſit, & in monte præfato, quorſum eam Divina virtus tranſtulit, preces fundens a quærentibus inventa eſt. Sequuto mox communi conſenſu de nova ſacra æde conſtruenda, foſſores ſolo æquando, & præſcindendis rupibus operam navantes marmoreum lapidem flavi quodammodo coloris, cui characteribus hieroglyphicis Angelica ſalutatio inſculpta erat, invenerunt. Marcus Grimanus eo tempore Aquilejenſis Patriarcha, & Cardinalis Portuenſis ſanctæ ædi noviter extructæ, & Parocho Salcanenſi ſubſtratæ tabulam donavit a S. Luca, ut fertur, delineatam, in qua Deipara, cui a latere dextro S. Joachim, a ſiniſtro S. Joannes Baptiſta adſtant, ulnis ſuis Jeſum ſubſtentans exhibetur, quæ anno 1544. illata eſt Aræ maximæ. Ægidius Falcetta Epiſcopus Caprulanus, & Aquilejenſis Suffraganeus, ac Vicarius Generalis eodem anno die 12. Octobris Eccleſiam cum qnatuor aris, prima B. M. Virginis majori, ſecunda SS. Trinitatis, tertia S. Luciæ, Urſulæ, & hujus Sociarum, quarta S. Leonardi conſecravit.

Gonzaga in Prov. Bosnæ Con. 7. Greiderer lib. 1. num. 103. pag. 104.

LXXVI. Carolus Archidux Auſtriæ cultum B. Virginis miraculis in hac ſede clariſſimæ promoturus, iſtam huc uſque a Sacerdotibus ſæcularibus adminiſtratam Franciſcanis Provinciæ Bosnæ-Croatiæ, nunc Croatiæ-Carniolæ conſignare decrevit, & executionem ſui decreti, reſcripto Græcii hoc anno die 5. Aprilis, Capitaneo Gradiſcano, & Locumtenenti Comitatus Coritienſis injunxit. Hoc promiſſo per conſenſum Sedis Apoſtolicæ ſub Pio V., & Aloyſio Puteo ad effectum deducto,

cto, intra breve annorum ſpatium disjectis rupibus, Conventus commodus extructus, & cum omnibus juribus, privilegiis, & pertinentiis ſpeciali diplomate Fratribus commiſſus fuit, quem præfatus Princeps ad preces Patris Mariani de Bosna Guardiani gratioſo reſcripto ad annum 1574. proferendo in ſuam recepit tutelam.

LXXVI. Joannes Jacobus Achaius Oppidi Achaiæ Diœceſis Lycienſis Dominus temporalis anno 1564. conſtruxerat Conventum S. Mariæ Angelorum, aſſitente ad opus Fratre Franciſco Acaio Ordinis Obſervantium ejus Filio. Hoc tamen benevolentiæ ſigno erga Minores Observantes non contentus alium Conventum poſuit S. Antonio Patavino Sacrum in Civitate Lycii, & propria domo, quam ibidem poſſidebat, triginta fratribus continendis aptum, & nobili Bibliotheca inſtructum. Exstant in Eccleſia duæ Confraternitates, altera S. Joſeph, altera SS. Trinitatis cum Privilegio, ut in ipsa Eccleſia tantum in Dominica Palmarum exponatur pro Oratione 40. horarum SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Alia privilegia anno 1608. Paulus V. conceſſit. Obiit ſanctiſſime in hoc loco die prima Martii anno 1645. Franciſcus de Carpignano Laicus vir charitatis ferventissimæ, ſignisque a Deo illuſtratus.

Idem in Prov. S. Nicolai Gon. 14. & 41.

Bonaventura de Fasano part. 1. cap. 1. pag. 65. & seq.

LXXVII. Operam dabant Minores Obſervantes reſtaurationi, ſeu potius recenti conſtructioni Eccleſiæ Omnium SS. Florentiæ, operis Præfectis Bernardo Dragoncino Confeſſario Cosmi I. Ducis Etruriæ, Petro Gobbo, & Matthæo, ſeu Maſſæo Florentino ex nobili Bardorum Vernii Comitum progenie, poſtea Episcopo Cluſino, qui Duci Francisco aderat a Confeſſionibus, quorum induſtria Chori ſubsellia, quæ mediam Eccleſiæ navim occupabant, translata ſunt hoc anno ad locum dispoſitum, perfectumque a Pandolpho Ducis Etruriæ Cubiculario, ut prodit Inscriptio in marmore, in qua ſuperior Annaliſta legit annum 1570., quum præſeferat expreſſe annum 1574. At is Gonzagam corrigit, quod non annum 1561. pro immiſſione Fratrum in Cœnobium Omnium SS ſignet, ut ſignare debuerat, ſed annum 1571., quod argumento eſt, nullo negotio quemlibet in epochis hallucinari. Au non etiam in eumdem lapidem impingit Joſeph Richa in notitiis hiſtoricis Eccleſiarum Florentiæ, non Dionyſio Pulinari teſti synchrono, & Gonzagæ, nec ipſis literis Pontificiis: *Ex commiſſo*. Kal. Januarii, quibus Cœnobium Omnium SS. traditur anno 1561. Minoribus Obſervantibus, ſed hiſtoricis aliis fidem adhibens, qui id referunt ad annum 1564.? Hoc autem anno, antequam Eccleſia marmoribus ornaretur, teſte Dionyſio Pulinari, qui præſens aderat, fundatum eſt Sacellum SS. Crucifixi ſub Odeo expenſis Joannis Mariæ Filii Michaelis Angeli, ut Joſeph Mannucci aſſerit ex memoriis MSS. Domini Roſſelli, & indicat lapis ſepulchralis ante ipsum Sacellum cum Epigraphe:

Joseph Richa tom 4. pag. 270.

Annales Min. an. 1561. num. 50.

Joseph Richa ibid. pag. 161.

Joseph Mannucci part. 2. cap 7. pag. 167 Florentiæ an. 1687.

Joan. Maria Michaelis Angeli Filius Mercium Conciliator Vir optimæ,
& integræ fidei ſepulchrum hoc vivens ſibi poſuit an. MDLXVI.

LXXVIII. Exceſſerunt Obſervantes a Cœnobio Montis Muri juxta Scarlinum metu Turcicæ claſſis, quæ maris Tyrreni litoribus inſtabat, quamvis in arcis formam tormentis, armisque munitam jam ab annis 27. fuiſſet redactum; anno enim 1539. Guardianus, & Fratres a Barbaris capti ſervituti mancipati fuere. Locum parvum, ſed inſignem ſepulchro B. Petri Antonii Cortonenſis rurſus recepit Franciſcus Gonzaga Miniſter Generalis, ne profanis uſibus inſerviret, anno 1580. in Comitiis Provincialibus Conventus S. Lucheſii prope Podium Bonitium. Amadei

Gonzaga in Prov. Tusciæ Con. 18.

expulſi ſunt a Conventu S. Mariæ de Gratiis Scandriliæ, ſeu Ponticellorum: *Sollicitat nos*. Die 10. Aprilis, ad preces Cardinalis Flavii, & Virgilii Urſini, data eis facultate, ut ſi reformari vellent, poſſent de conſenſu Cuſtodis Reformatorum, aliorumque ejusdem Conventus Fratrum ad reformationem admitti. Erat eo temporis Cuſtos Reformatorum in Provincia Romana Stephanus de Molina bis Miniſter Provincialis, ſemél quidem circa annum 1563.; in actis enim Congregationis Generalis intermediæ in Sacro Alvernæ monte celebratæ legitur eo nomine electus Quintus Diffinitor Generalis. Alias vero, ut inquit Caſimirus Romanus, anno 1515. Sed ſi conſideremus, Stephanum de Molina obiisse Nazani anno 1579. ut ſcribit Arturus, patebit, eum, ſi ſtandum ſit Caſimiro, vitam producere debuiſſe ad annum prope centeſimum, quod in ejus actis adnotatum fuiſſet tamquam mirabile. Fuit etiam Miniſter Provinciæ Terræ Laboris, eximius Theologus, & Concionator, ab Epiſcopis, Cardinalibus, Summisque Pontificibus in pretio habitus ob jacta reformationis fundamenta præcipue in Provincia Romana, in qua domibus ejus opera reformatis Fontis Columbæ, Græcii, Nazani, & Arcis Antiquæ acceſſit hoc anno præfata domus Scandriliæ, cujus originem recenſent Waddingus, & fuſius Bollandi Continuatores, qui tamen emendandi ſunt, eo quod oppidum Scandriliæ ad Diœceſim Sabinenſem pertinens, non Diœceſi Salmenſi, ut legitur in MSS., quo utuntur, ſed veroſimillime adſcribant Diœceſi Sarnenſi.

Caſimirus Rom. mem hiſt. cap 19. Arturus die 24. Octobr

Annales Min. an. 1478. num. 55.

Acta SS. die 10. Auguſti Act. B. Amadei cap. 13.

LXXX. Domus doctrinales, quas extare diximus in Valle Collaguæ, & quarum poſſeſſionem, præter Eccleſiam S. Jacobi in populo Copotaque fundatam a Joanne de Monçon, poſſeſſionem hoc anno accepit Ludovicus de Onna Miniſter, Fratre de Villa Carillo Commiſſario, ſunt SS. Conceptionis de Anquicollagua, S. Jacobi de Villa Caſtrin, SS. Conceptionis de Loxa, S. Jacobi de Madrigal, Aſſumptionis Deiparæ de Maca, S. Mariæ ad Nives de Canllayma, Los Reyes de Ashama, S. Jo. Baptiſtæ de Hihobamba, S. Jo. ad Portam Latinam de Hivay, S. Crucis de Tuti, S. Jo. Evangeliſtæ de Civay, S. Antonii Callalli, & S. Petri de Tiſco.

Arm 9. Archiv. S. Iſid. num. 18.

LXXXI. Recipiunt Clareni in oppido Planellæ in Aprutio prope fluvium Aternum Cœnobium S. Mariæ Gratiarum, ejusque Guardianus conſtituitur die 9. Februarii Michael de Apiro, auctoritate Antonii Mancini de Phalerono Vicario Generali Congregationis Clarenorum, qui hoc anno Comitia habuit in loco S. Hieronymi (ita in MSS. Archivii SS. Apoſtolorum de Urbe), vel potius S. Mariæ de Valceraſa Mouticuli, ſeu Civitatis Trejæ; locus enim S. Hieronymi ad Clarenos non pertinuit, & nonniſi circa annum 1627. oblatus eſt Obſervantibus, quem tamen non habitarunt. Ingrediuntur Franciſcani Conventuales Reformati Cœnobium juxta pervetuſtum Templum S. Mariæ de Miſericordia, ſeu Concordia uno milliari a Caſtro Joannis, vel Caſtro Enni, quod Tinacriæ umbilicus dicitur, in monte præcelſo, & inexpugnabili aquis perennibus, & lætiſſimis floribus tota anni tempeſtate locuples. Sed anno 1628. ex decreto Urbani VIII. receſſerunt. Obiit in ipſo Frater Vitalis Tertiarius optimi nominis anno 1586. Inquit Rodulphus: „ Locus Miſericordiæ prope Caſtrum Joannis captus circa annum 1566. hominum „ Religione devotus: confluunt enim populi certis, & ſtatis anni diebus, & ſe ibi magna expiant veneratione. Locus Caſtri Joannis eſt „ antiquus, nulla tamen habetur memoria de conſtructione. Hoc habemus, quod Caſtrum defecit a Comite, & conflagrato ejus Prætorio

Sicilia Sacra tom. 2. not. Eccl. Camnen. pag. 582. & ſeq

Ibid. pag. 597.

Rodulphus lib 2. in Cuſtod. Meſſanæ pag. 180.

„ rio datum fuit Fratribus a Rege Siciliæ cum quadam Capella ſub invocatione S. Andreæ, de quo agitur feſtum ſolemne, & fuit unita „ Confraternitas S. Spiritus, & hodie dicitur Spiritus Sanctus ea ratio- „ ne „. Loqui hic Rodulphum de duobus Conventibus aperit Rochus Pirrus, qui locum Miſericordiæ, & locum S. Andreæ in ipſo Caſtro accurate diſtinguit, quem Conventuales acceperunt exſtruendum ſub nomine Spiritus Sancti anno 1320., vel 1336. a Friderico II. Siciliæ Rege in Caſtello, quod a Comite Roberto deficiens conflagravit, dum interim Fridericus Caſtellum alterum ſibi conſtruxit, annexo Sacello S. Andreæ Apoſtoli. Ex loco S. Spiritus Fratres intra mediam Urbem migrarunt, ubi nobiliſſimum fundarunt Monaſterium ſub titulo S. Andreæ ex ædibus Andreæ Claramontis Motthucæ Comitis a Rege Martino perempti, ipſo Rege concedente, & ex ædibus Scalori de Ubertis Aſſori Comitis, qui ab Aiſorinis dilaniatus eſt. Antiqua Spiritus S. ædes abiit in Societatem Confratrum. Hic floruit F. Philippus a Caſtro Joannis S. T. M. Sacellanus Regius Friderici III.

Sicilia Sacra ibid. pag. 183.

LXXXII. Obveniunt eiſdem Conventus S. Luciæ Mottæ, ubi prius erat Confraternitas S. Catharinæ; Conventus Burgi ſub titulo S. Franciſci, quamvis antea foret ſub invocatione S. Viti, acceptatus a Joſepho Græco Drepanenſi Magiſtro ejuſdem Ordinis; Conventus S. Catharinæ de Siderni fundatus a Bernardino Barbotano de Hieracio Magiſtro Provinciali Calabriæ, obtenta licentia ab Andrea Candido Siracuſano Equite S. Ordinis Hieroſolymitani, & Epiſcopo Hieracii in Calabria ulteriori non procul ab antiqua Locrenſium Urbe. In MSS. Magiſtri Altobelli Minorum Conventualium non ſatis exprimitur, an hoc anno ex integro conſtructus fuerit, an vero auctus, & ampliatus ſumptibus Univerſitatis, & Principis de la Roccella. Tandem Conventus oppidi S. Laurentii ædificatus expenſis Lucretiæ Caracciolo Oppidi Dynaſtæ, & receptus a Mario de Mileto, concedente Gaſparo de Fortis Archiepiſcopo Rhegii. In Eccleſia dicata SS. Salvatori jacent ſepulti Joannes Andreas, & Nicolaus Maria Caracciolo Lucretiæ filii.

Rodulphus ibid. in Cuſtodia Cunonis pag. 179. & in Cuſtodia Drepanen. pag. 182.

Archi S. Iſid. arm. 3. num. 48. pag. 547.

LXXXIII. Datur Henrico Cardinali Portugalliæ facultas a Pontifice, ut provideat, ne bona relicta pro Miſſarum celebratione Cœnobio Minorum Obſervantium Oppidi de Ferrerim impendantur, niſi pro fabrica ejuſdem Conventus, & ne reſiduum, de conſilio Miniſtri Provincialis, aut Commiſſarii Generalis, in alium uſum erogetur, quam in utilitatem aliorum Conventuum: *Intelleximus*. 27. Maji. Reperio apud Petrum de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici conſtructionem cujuſdam domus Maſſanenſis Fratrum Tertii Ordinis, & notatas literas: *Ad decorem*. Kal. Julii, quibus Pontifex eam ratam habet. Verum in Catalogo Antonii de Sillis, qui loca omnia Tertiariorum recenſet, de eo nihil dicitur. Conventum alium Burgii Milluſii Diœceſis Agrigentinæ recenſet Bordonus, qui non intelligit, an, ut dicit Pirrus, Minores Conventuales, qui locum tenuerunt ab hoc anno ad annum uſque 1595., fuerint Conventuales S. Franciſci; id enim expreſſe Pirrus tradit. Deinde quaſi repugnans aliquid ab illo diceretur, addit: „ Regebatur hæc Eccleſia a Confratribus, quam noſtris ceſſerunt cum nonnullis pactis, & conditionibus, illam recipiente Fratre Ciambra, quas conditiones approbarunt Joannes Epiſcopus Agrigentinus, & Marchio de Juliana Patronus Oppidi Burgii „. Hæc ſane verba Pirri textui non opponuntur; nam ſi Minores Conventuales a Conventu exceſſerunt anno 1595., eodemque anno poſt inter-

Indic. Bull. Seraph. pag. 231.

Bordonus in Chronol. in Prov. Siciliæ pag. 425.

Sicilia Sacra ibid. Eccleſ. Agrigentin. pag. 761.

vallum duorum ferme menſium ipſum occuparunt Fratres Tertii Ordinis, nihil mirum, hos a Confratribus Eccleſiam accepiſſe, qui illam interea rexerunt.

LXXXIV. Petrus Gometius Civitatis Regiæ, & Mendoza, ac Catharina de Zuniga apud Monaſterium SS. Conceptionis ſub titulo Achaſii intra muros Civitatis Guadalfagiaræ in Provincia Caſtellæ fundatum anno 1532., ædificarunt propriis expenſis amplam, & perpulchram Eccleſiam pro Sororibus ſexaginta, quæ genere, & virtutibus illuſtres illic commorantur; ex quibus prodierunt Fundatrices Monaſteriorum Turris Lacunæ, Eſcaritiarum, Compluteuſis, & Fontis Roborei, vulgo Fuente del Enzina. Ædificatur apud oppidum Xereſium, ſeu Xerez Diœceſis Pacenſis in Provincia S. Michaelis Monaſterium B. Mariæ Spei, quod Gonzaga reticet; duo enim in dicta Provincia ponit Monaſteria Xereſii, unum Lucis, alterum Matris Dei nuncupatum, quamvis & quartum adſit fundatum a Joanne de Sylva, & Majore Pinel, ſeu Pinellia, anno 1502., ſitum extra portam Burgenſem ad Boream, ſpectans ad Conventuales, & Obſervantium curæ commiſſum a Franciſco Ximenio. Hoc anno, vel proxime elapſo completa eſt fabrica Eccleſiæ Cœnobii S. Jacobi Villæ de Almanſa Diœceſis Carthaginenſis, & dominii temporalis Marchionis Villenici, cujus poſſeſſionem Cuſtodia S. Joaunis Baptiſtæ accepit anno 1563. die 16. Novembris, Cuſtode F. Alphonſo de Lerena. Antea, duorum aunorum ſpatio, Fratres Divina perſolverant in Eccleſia ſuperiori. Gonzaga ſcribit, Cœnobium ædificatum anno 1562., parumque cohæret cum anno acceptationis Cœnobii, quæ non tam cito perfici potuit.

Salazar. lib. 8. cap. 18.

Annales Min. an. 1532. num. 40.

Monumenta Provinciæ.

Gonz. in Prov. S. Michaelis Mon. 6. & 19.

An. Min an. 1499. num. 41.

Monumenta Provinciæ.

Gonzaga in Prov. S. Jo. Baptiſtæ con. 4.

LXXXV. Moniales Clariſſæ S. Mariæ de Pace Malacæ in Hiſpania, quæ ab annis 45. habitaverant in Monaſterio eis conſtructo a Guttierro Gozemulo de Fonſalıda D. Jacobi Militiæ Commendatario, eo deſerto ob aeris inſalubritatem, translatæ ſunt in domos Ludovici Mendez a Soto Major Malacenſis, pecunia emptas, eaſque in Monaſterii formam redactas hoc anno incoluerunt. Eadem cauſa, & facinoroſorum hominum inſolentiis Clariſſæ S. Annæ Oſſunæ, derelicto veteri Monaſterio, quod 500. paſſibus ab oppido Maria a Specu, ſeu de la Cueva Urienſis Comitiſſa fundaverat in veteri Sacello S. Annæ anno 1550., migrarunt in quaſdam ſæcularium ædes in Suburbio Oſſunenſi. Tranſiit ad regimen Minorum Obſervantium in Portugallia Monaſterium Sororum Tertii Ordinis Dominæ Noſtræ de Poteſtatibus, quod, Hectore Mendio aream donante, Beatrix a S. Franciſco vidua ejus filia fundaverat anno 1516. intra ſepta Oppidi Villelougæ Diœceſis Ulyſſipouenſis, & Henrici Cardinalis jurisdictioni ſubjecerat. Quum enim hoc anno ipſa, & ſeptem Moniales ſociæ nigrum velum ſumpſiſſent, ex Cardinalis mandato, Miniſtro Provinciali obedientiam præſtarunt. Devota mulier adhuc Matrimonii vinculo obſtricta voverat, ſe Monaſterium poſituram, si viro ſuperſtes foret, quo defuncto, dum de opere cogitat, Clariſſarum agmen in ſomnis videt, illarumque alteram ſibi dicentem audit: *Hic tuus habitus, tuuſque amictus futurus eſt*. Quare ſummo mane ſurgens habitum cinerei coloris, quem in viſione viderat, citius confici, & ab Epiſcopo Portuenſi, quem Arturus Marcum Ulyſſiponenſem appellat, quamvis dictorum immemor alibi eum ſcribat Miniſtrum Provinciæ S. Antonii Portugalliæ anno 1573., & poſtea renuntiatum Epiſcopum Portuenſem a Gregorio XIII., benedici curavit: eoque

Gonzaga in Prov. Bæticæ Mon. 14. & 15.

Idem in Prov. Portugal. Mon. 17.

Arturus die 15. Novemb.

Idem die 11. Septembris.

Anno Christi	Pii V.	Maximiliani II.	Religionis Minorum
1566.	anno 1.	anno 3.	anno 359.

eoque induta manſit aliquantulum in domo paterna cum ejusdem conſilii conſcia muliere.

LXXXVI. Andreas Martinez de Ondarza, eques militiæ S. Jacobi, & Magdalena de Azara Conjuges domum, & hortum donarunt hoc anno devotis quibusdam feminis, quæ in nonnullis ædibus vivebant ſub titulo Aſſumptionis Deiparæ, ut occaſione hujus fundi ſæculo magis valedicerent, & Deo inſervirent ſub Regula Tertii Ordinis S. Eliſabeth. Sed nonniſi anno 1582. Clauſtrum ſubierunt Regulam ſolemniter profeſſæ in Monaſterio SS. Trinitatis intra mœnia Villæ Vergarenſis, & receptæ a Franciſco Recalde Miniſtro Provinciæ Caſtellæ. Ejus Fundatores juspatronatus hæredibus reliquerunt, & in Eccleſia cernitur Mauſoleum cum eorum inſignibus. Floruerunt in hoc loco Maria a Præſentatione de Placentia quinto milliari a Villa Vergarenſi, & Maria Suarez de Aſcarruna Vergarenſis, quarum utraque deceſſit cum opinione ſanctitatis, illa anno 1614., hæc anno 1674.

Monumenta Provinciæ Cantabriæ ex Archiv. Aracælit. tom. 85. pag. 17.

LXXXVII. Beatrix de Monroi, & Ayala Uxor Ferdinandi Alvarez de Toleto quarti Comitis Oropeſani, obtenta licentia a Poncio de Leon Epiſcopo Placentino extruxit intra muros Belviſii Monaſterium Clariſſarum S. Joannis de Pœnitentia; quod ſummus Pontifex hoc anno confirmavit; atque in novam ædem Joannes de Alagon Miniſter Provinciæ Caſtellæ immiſit tres Moniales Monaſterii Conceptionis Oropeſæ tamquam fundatrices Catharinam de Magdalena, Franciſcam de Belen, & Magdalenam de Sepulchro. Communis hoſtis fundationem impedire tentavit ſpectris, & umbris, quas excitabat, ſed reſtitit ſororum fides, & pietas. Juspatronatus pertinet ad Comites Oropeſanos. Inde egreſſæ ſunt Fundatrices Monaſteriorum S. Joſeph Villæ de Guadalcanal conſtructi a Hieronymo Gonzalez de Alanis, & Villæ Camiceſo ditionis Truxilli. Claruerunt inibi ſanctitate præter ſundatrices Iſabella de S. Franciſco, Maria de Belen, Beatrix a Cruce, Joanna de Baptiſmo, Clara de S. Joanne, Clara de S. Franciſco, Franciſca a Cruce, Anna Maria de Aſſumptione, Maria de Columna, Maria a Conceptione, Maria de S. Franciſco, Franciſca de Nativitate, & Beatrix a Corpore Chriſti. Præcipit Pontifex Monialibus S. Claræ Ulyſſiponis, ne amplius mulieres ſæculares admittantur in Monaſterio, & Clauſuræ leges ſtricte ſerventur: *Romanus Pontifex*. Die 18. Septembris. Eiſdem Monialibus privilegia largitur: *Æquum reputamus*. XVI. Kal. Februarii. Monialibus S. Claræ Reatis, quæ a cura Minorum Conventualium tranſierant ad jurisdictionem Epiſcopi, injungit, ut recipiant quatuor Reformatrices a Monaſterio Narnienſi S. Crucis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, Cherubinam, Margaritam, Hieronymam, & Bernardinam, eisque pareant, & ad illarum vivendi normam ſe conforment. *Alias ſiquidem*. Die 3. Auguſti.

Monumenta Prov. Angelorum.

LXXXVIII. Ludovica Parmentier Tertiaria dono accepit hoc anno a Galliarum Rege locum apud Oppidum Bertholii, in quo piorum eleemoſynis, & favore Cardinalis de Borbonio ejus oppidi Antiſtite, domum ſibi, ac quinque aliis ſororibus, & Sacellum conſtruxit. Exſtant, teſte Gonzaga, Regiæ literæ ea ſuper re hoc anno expeditæ. Moniales Tertii Ordinis S. Brigittæ Civitatis Murciæ abierunt in aliud Monaſterium, quod eis in propria domo ædificari præceperat ex ſupremis tabulis Eliſabeth de Alarconio.

Gonzaga in Prov. Franciæ Mon. 15.

Monumenta Prov. Concep ex Arch. Aracælit. tom. 27. pag 85.

LXXXIX. Hoc circiter anno, teſte Pirro in notitiis Eccleſiæ Agrigentinæ, Capuccini ſuum ſtatuere domicilium tertium in Sicilia Agrigenti

in

in quodam loco juxta mare ab Urbe mil. paſs. diſſito, ubi ad annum 1228. incoluerant Monachi forte Benedictini, vel Ciſtercienſes, ſed incurſione Saracenorum, piratarumque & Monaſterium, & Templum B. Mariæ Bonamuronis everſa ſunt. B. vero Mariæ Imago in pariete depicta more Græcorum miraculis clariſſima, cujus celebris cum nundinis eſt dies octava Septembris, adhuc apud Capucciuos magnæ eſt venerationis. Tradunt, huic Virginis Imagini Templum ædificaſſe ob miraculum quamdam Saracenam Bonamurone dictam, & deinde fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe.

Sicilia Sacra ibid. pag. 711.

Stanislaus Albertus part. 2. pag. 16.

XC. Sub idem tempus conſtruuntur pro eiſdem Conventus S. Mariæ Angelorum Civitatis Cavæ ære publico ſub Epiſcopo Thomæ Caſellio Ord. Prædic., & fabricæ Præfecto Terentio de Falco; Conventus S. Crucis Nolæ in eadem Provincia ſub Epiſcopo Antonii Scarampæ, empto ſundo Civium eleemoſynis; Conventus Aletrii in Provincia Romana, Validi, ſeu Gualdo Diœceſis Nuceriuæ in Provincia S. Franciſci, pro quo exſtant Pontificiæ literæ ad annum 1569. referendæ; Moutis Fortis Diœceſis Veronenſis in Provincia Veneta, Cremonæ in Provincia Mediolanenſi, Lugani Diœceſis Comenſis in eadem Provincia, & Callii in Provincia Marchiæ.

Franciſcus de Neapoli Severinus fol 19, & seq.

Michael a Tugio tom. 2. Bull. Capuc. ad Calcem.

XCI. Celebrantur a Boverio, & Arembergio plurium nomina, qui ſancte hoc anno deceſſerunt. Vitæ finem attigit Tarenti Ægidius Siracuſanus, Maceratæ Ægidius ab Aquis Porretanis, & Savinus Firmanus, hic nobiliſſimo ortus genere, ille intelligendis, explicandiſque profundioribus S. Scripturæ ſenſibus idoneus, licet literarum ignarus; Beneventi Bartholomæus Gallus, Cajetæ Auguſtinus Gallus Concionator. In Conventu Forilivii Hieronymus Torellus juvenis viginti novem annorum in jejuniis, vigiliis, carniſque afflictationibus verſatus etiam antequam Capuccinorum Ordinem ingrederetur, Patre ſuo nobili viro reluctante. Præterea Julianus a Deſio, Angelus de Typherno, Jacobus a Nurſia, Deodatus a Ripa Tranſonum, Petrus a Civitate Ducali, qui ex Canonico Cathedralis Eccleſiæ ejuſdem loci, vel, ut aliis placet, ex Minoribus Obſervantibus inter Cappuccinos receptus Romanæ Proviuciæ Vicarius, & Ordinis Procurator fuit, pœnitentiæ laude commendatus in ipſis tumoribus, fiſtulis, & putredine, quibus ſcatebant ejus membra, & miraculorum gloria in vita, & poſt mortem; Victor a Bergomo oratione, & ſpiritu prophetico ſpectabilis. Illa infeſiſſimum hoſtem, quem habebat in sæculo, ad Capuccinorum Religionem perduxit, vicit dæmonum inſidias, & binas animas a Purgatorii flammis eripuit. Altero vanæ cuidam feminæ Catharinæ prædixit in Oppido Baretii Agri Mediolanenſis ingreſſum in Monaſterium, & Paulo Vicecomiti arcana peccata, quæ ille admiſerat, patefecit. Laurentius a Funiauo, a meretrice in cubiculo ſollicitatus, dum in Civitate Forilivii concionaretur, ut juvenes, qui impuram illam ad Laurentii experimentum conduxerant, eluderet, nudum digitum ardenti lucernæ admovit, nec retraxit, donec carne exuſta, & diffluente, exhorreſcens fæmina diſcederet. Defuncti meritis claudi, nervis attracti, & hernia laborantes ſanitatem recuperarunt.

XCII. Ad Dominum migravit Pacificus a Fano in oratione aſſiduus, in corporis cultu auſterus, cui pœnitentiarum rigor exeſis carnibus extremam maciem conciliaverat. Eugubii Guardianus in feſto Conceptionis adſpexit Deiparam a Cælo venientem cum odorum ineffabili fragrantia,

tia, Ædituoque inſolitæ rei cauſam ſciſcitanti reſpondit: *Ne mirere. Non eſt hic aromatum, aut thymiamatis, quæ apud nos oriuntur, mortalis odor. E cælo hæc aromata prodierunt. Verumtamen audita contine. Nuper hic Regina deſcendit, quumque pleraque ad ſui ipſius dignitatem ſpectantia, quæ antea ignoraveram, docuiſſet, illud inter alia explicavit, ſe in primo Conceptionis ſuæ articulo ab omni prorſus peccati originalis labe Dei gratia immunem fuiſſe, cujus rei teſtimonium eſt hæc ſuaviſſima odoris fragrantia.* Abſit, ut ego de his dubitem. Attamen aliquis fortaſſe non ſatis intelliget, qua ratione Pacificus aſſerere potuerit, ſibi explicatum Myſterium Conceptionis, ſi nihil explicatione illa didicit præter id, quod antea noverat fide? Credebat nimirum, Mariam Virginem in primo inſtanti præſervatam a peccato originali, nec, quum foret vir pius, de ea re ambigebat. Quid igitur illi explicatione accrevit? Fuit Pacificus ſucceſſive Tertii Ordinis S. Franciſci, & Minorum Obſervantium, a quibus non alia ex cauſa confugit ad Capuccinos, niſi *quia viderat* (verba ſunt Boverii) *oſtendente Deo, ut ipſe poſt haud ſine lacrymis affirmabat, maximam hominum, mulierumque turbam, velut pluviæ guttas ad Inferna deſcendere, pauciſſimoſque in æthera ſuſtolli, plurimoſque etiam ex Minoribus, ac cæterorum Reliogioſorum Ordinibus, qui regulari Obſervantiæ non ſtuduerant, in Tartara mergi.* Altera hæc viſio non thymiamata, & odores exhibet, res nempe lætiſſimas, ſed miſerrimas, & exitiales, omnium videlicet ferme hominum ruinam, æternamque damnationem. Plurimæ tempeſtatis guttæ erant viri Regulares, Fratreſque Minores, qui regulam non obſervaverant, ideſt, ut opinor, ii damnabantur, qui damnandi erant. Id vero ut sciret Pacificus nec pluvia, nec oſtento alio indigebat, nec oportuit, ut ne ipſe fieret una ex guttis decidentibus, aſylum quæreret inter Capuccinos; poterat namque inter Minores Obſervantes regulari obſervantiæ ſtudere, & ſic eſſe in illis, qui ut ſubtiles, & delicatæ roris particulæ in æthera ſublevabantur, quum non omnes, ſed plurimi in Tartara mergerentur. Idem ne erat fieri Capuccinum, & eſſe ſalvum? Ne Boverius quidem id dixerit, ut exemplis ab ipſo adductis, & inferius referendis patebit. Sed Boverii deſcriptionem nemo paullo eruditior deſumptam neſcit a Virgilio, mutatis tantum foliis, quæ in ſylvis decidunt Autumni tempore, in pluviæ guttas, ut majorem fortaſſe damnatorum ex omni tribu, & natione numerum exprimat.

Boverius ad an. 1566.

Æneid. lib. 6.

XCIII. Nomen Aloyſii Putei Miniſtri Generalis vix invenio in monumentis præſentium annorum. Quid fecerit, quas leges ſanxerit, quomodo Ordinem moderatus ſit, ignotum omne, nec aliud quidquam compertum eſt, quam fuiſſe virum pium, doctum, & bene moratum. Scribit Bonaventura de Faſano, hoc anno Comitiis Provincialibus habitis in Conventu S. Petri Galatini in Provincia S. Nicolai, in quibus electus eſt Miniſter vigeſimus Laurentius de Tricaſio egregius Eccleſiaſtes, eum adfuiſſe, occaſione deſumpta viſitandi Sacram ædem S. Mariæ de finibus Terræ in Promontorio Salentino a parte Orientali extremitatis Italiæ, quod Caput S. Mariæ audit propter magnificum Templum Virgini Deiparæ extructum ad tollendam memoriam celebris Minervæ Templi, cujus veſtigia aliqua apparent in proximo loco, ubi Civitas Leucadis ſurgebat. Templum S. Mariæ dedicavit Julius I. Pont. Max. Hieroſolymis redux, quum, periclitante navi, in portum Leucadis appulit, & a Civibus honorifice exceptus, dum in Altari Annuntiationis B. Virginis Sacrum faceret die prima Auguſti, emiſſa cælitus Charta

A Faſano part. 1. cap. 3. pag. 90.

aureis inſcripta literis ſuper Altare cecidit, quæ hæc continebat: *Quicumque viſitaverit Eccleſiam hanc die prima Auguſti a Galli cantu uſque ad occaſum Solis diei prædictæ, erit mundus, puruſque ab omni peccato*. Lectis, publicatiſque his verbis, Pontifex Indulgentiam confirmavit, & extendit ad diem ſecundam, & tertiam ejuſdem Menſis. Ipſam probavit Pius IV. anno 1561. Ita Bonaventura a Faſano, qui horum omnium memorias reperiri ait in Archivio Epiſcopali Alexani.

Idem part. 1. cap. 2. pag. 20.

XCIV. Orto inter Capuccinos dubio, an Guardiani, qui juxta antiquam conſuetudinem eligebantur a Provinciali, & Diffinitorio, deberent eligi a Capitulo ad normam Conſtitutionis Concilii Tridentini; & utrum Clerici nondum Subdiaconi, & Laici haberent in electionibus vocem activam, & paſſivam, quod prohibet Concilium ipſum, ſcrupulum amovit Pontifex reſcribens Euſebio de Ancona Procuratori Generali, ſervandum veterem Ordinis morem circa Guardianorum electionem, & concedendam Clericis, & Laicis utramque vocem in electionibus localibus, non obſtante Concilii decreto.

Conc. Trident. Seſſ. 26. cap. 6. & ſeſſ. 22. cap. 4.

Boverius ad an. 1566.

XCV. Hoc anno ob frigora, & nives inſuetas, quæ deciderunt per totam regionem Burgenſem, extremas incolæ paſſi ſunt difficultates, ac præcipue Fratres Minores Cœnobii S. Stephani de los Olmos in loco ſolitario, & ſylveſtri. Pia Matrona loci de Sonapero ſexto lapide a Cœnobio, Maria Gonzalez vidua Joannis Fernandez de Ortega opitulari Fratribus cupiens dixit ſervis ſuis: Quis ex vobis deferet eleemoſynam Fratribus S. Stephani? Reſponderunt omnes, fieri id non poſſe, quum nimbis viæ pulſareutur, nives ædium januas obſtruerent, neque ſeorſum a vitæ diſcrimine per feneſtras exire liceret. Illa preſſius inſtante, ſervus nomine Petrus pane, vino, uno ariete, carne ſuilla, aliiſque obſoniis oneravit, cui Domina abeunti dixit: Proficiſcere; quamvis enim viam ignores, equa pluries ivit ad Conventum S. Stephani. Sine illam, quia Dominus noſter dux erit ob interceſſionem B. Franciſci, & filiorum ejus. Servus itaque magna cum fiducia per montes aſperos, & præcipites torrentes tranſiens pervenit ad Villam de Morquillas uno lapide a Conventu, ubi reperit Religioſum quemdam Franciſcanum, a quo interrogatus quo tenderet, reſpondit, ſe afferre Fratribus S. Stephani eleemoſynam Sororis de Sonapero. Cui alter: Ego, inquit, illuc vado. Una eamus. Ambo igitur iverunt, pulſatamque a Religioſo Conventus januam Portitor aperiens ſolum ſervum cum jumento onuſto invenit. Relicta eleemoſyna, ſervus nulla mora diſceſſit, & poſt aliquot paſſus, Conventus janua jam clauſa, obvius fit ei is, quocum venerat, dixitque illi: Vado ad Villam de Morquillas, & tecum veniam. Quumque eo perveniſſent, dixit ſervo: Frater, vade in pace; & nihil ultra ad eum loquutus eſt. Domum reverſum Maria Gonzalez interrogavit de peracto itinere, qui reſpondit, ſe neque euntem, neque regredientem periculo ulli fuiſſe obnoxium, & equam ſuper nives inceſſiſſe tamquam per firmam humum, quin nives deprimerentur.

Jo: Baptiſta de Galarreta in Prov. Burgen. Con. 13. pag. 85.

XCVI. Devota mulier in ultima infirmitate poſita die S. Joanni de Ortega ſacro dixit filiæ ſuæ, ut vel P. Carranza, vel P. Cobarrubias vocaretur, ut ſibi adeſſet morienti. Reſpondit Filia, utrumque eſſe in Rioſa. Quum idcirco anxio foret animo, illi duo Patres ſimul in domum pervenerunt. Altero die exequiis abſolutis evanuerunt, nec amplius viſi ſunt. Eventum commune Oppidanorum teſtimonium confirmavit.

XCVII. Exemit Pontifex Mendicantes cujuslibet Ordinis pro eorum

bonis,

bonis, & perſonis a ſolutione gabellarum, & ab onere hoſpitandi militeſ: *Dum ad uberes*. Die 6. Julii, & : *Quum non ſine*. Abſque die, & loco. Declaravit irritum legatum Antonii de Sapientibus Magiſtri Generalis Ordinis Minorum Conventualium, *Exigit injunctum*. Die 13. Aprilis. Largitus eſt Indulgentias Cœnobio Recollectorum oppidi de Monſojana: *Ineffabilia*. IV. Nonas Decemb. Indulgentias in die Conceptionis in Oppido de Moruela Diœceſis Cæſarauguſtanæ: *Ineffabilia*. IX. Kal. Novembris. Conceſſit privilegia Melchiori Flavio Guardiano, ſeu Præfecto Cœnobii Magni Toloſani, Pii V. Pœnitentiario, & Concionatori Henrici II. Galliæ Regis, homini doctiſſimo, qui plura ingenii ſui monumenta edita reliquit. Privilegia Joanni Nass, de quo ſuperius diximus. Dedit literas Apoſtolicas pro Monaſterio S. Joannis de Eſtremoz circa quamdam penſionem: *Æquum reputamus*. XVI. Kal. Februarii. Pro Monialibus Oppidi de Alaris Aurien. *Iis, quæ pro*. VII. Kal. Julii. Pro quadam Capellania Fratrum Tertiariorum Hiſpalenſium. *Ex commiſſo Nobis*. Id. Januarii. Pro loco Monialium S. Claræ Placentiæ: *Sua nobis*. III. Kal. Novembris. Pro Monaſterio Conceptionis Ordinis S. Franciſci Mexici, ut officium Abbatiſſæ ſit triennale. Pro Conventualibus Provinciæ S. Ludovici in Regno Franciæ, ne recipiant Obſervantes: *In Eminenti*. die 24. Novembris. Recenſuit Ordinem Minimorum S. Franciſci de Paula inter Ordines mendicantes: *Catholicæ Sedis*. Die 9. Novembris. Donavit Alexandro Cardinali Cribellio quatuor millia ducatorum aureorum, videlicet duo millia pro expenſis itineris ad Capitulum Generale Valliſoletanum; & duo millia pro ejus reditu Romam: *Quum ſicut accepimus*. Die 16. Februarii.

Petrus de Alva Indic. Bullar. pag. 231. & seq.

Ex Regeſto Secretariæ Brevium. an. 1566.

C. Hoc eodem tempore die 6. Maji ad inſtantiam Joannis de Aguilera Commiſſarii Generalis in Curia Romana, prout ipſe literis ſua ſubſcriptione, & ſigillo munitis teſtatur, conceſſit vivæ vocis oraculo, ut Fratres Minores Obſervantes poſſint uti conceſſionibus, quæ ſequuntur:

Rodericus nov. Collect. Privil. pag. 450.

1. *Conceſſit quod Fratres Minores ratione itineris, vel alterius juſta occupationis poſſint dicere totum officium divinum ſimul mane, aut quando ipſis videbitur, cum majori devotione ipſum poſſe recitare.*

2. *Item conceſſit eiſdem Fratribus, ut una hora ante auroram poſſint Miſſam celebrare ratione itineris, vel alterius occupationis.*

Virginius Alviset Muren. Vermiculatæ ſect. 4. num. 55. pag. 259.

Diana tract. 2. dub. reg. res. 59.

3. *Item quod Fratres Clerici non ſacris initiati neſcientes legere ſecundum judicium ſuorum Superiorum ſatisfaciant obligationi recitandi officium dicendo officium Laicorum.*

4. *Item declaravit, quod calceamenta deſuper aperta, quæ vocantur Hiſpanice* Suelas, *portata a Fratribus Minoribus, non ſunt calceamenta in ſua Regula prohibita, quibus cum bona conſcientia cum pedalibus pannicis, & caligis poſſunt dicti Fratres uti.*

5. *Item ordinavit, quod Miniſter Generalis de conſenſu aliquorum Patrum poſſit dare licentiam Fratribus utendi præfatis conceſſionibus, & aliis ſequentibus, quæ ſtatim referentur, & nullus Frater ſine ejus licentia his uti poſſit.*

6. *Item conceſſit, quod poſſimus uti Syndico ſecundum privilegia, & quod Superiores Ordinis diſponere poſſint de pecunia expendenda per Syndicum, & quod ipſi Syndici nequeant de ea diſponere, niſi in quibus, & quando Prælatus voluerit.*

7. *Item conceſſit, quod de licentia Miniſtrorum liceat Prælatis, & Fratribus recipere, & petere vinum, & alias eleemoſynas in ſua ſpecie, & per Syn-*

Syndicum venumdari, & talis pecunia poſſit licite converti in utilitatem Fratrum, & Conventuum reſtaurationem, & lu alias extraordinarias neceſſitates pro tempore occurrentes.

8. *Item conceſſit, quod de licentia Prælatorum recurrere poſſit Frater ad dictos Syndicos, & amicos ſpirituales pro emendis quibusdam rebus, licet non ſint admodum neceſſaria.*

9. *Item conceſſit, quod liceat congregare vinum, frumentum, & alia, quando Prælatis videbitur, quod in tali Conventu ali non poſſumus commode, vel decenter, dummodo tales Congregationes non fiant, niſi pro uno anno tantum.*

10. *Item conceſſit, quod Miſſas, & eleemosynas uni loco, & aliquibus Fratribus commendatas liceat Prælatis aliis Fratribus etiam aliorum locorum, & Ordinum, vel Presbyteris ſæcularibus commendare, niſi oppoſitum expreſſe dixerint qui Miſſas commendaverunt, & pecunias dederunt.*

11. *Item conceſſit, quod Fratres iter agentes de licentia Prælatorum poſſint ſecum deferre famulum cum pecunia, quando alio modo iter facere commode non poſſunt.*

12. *Item conceſſit, quod per quæcumque ſtatuta etiam Apoſtolica non obligentur Fratres ad aliquas cenſuras, ſeu pœnas eccleſiaſticas, vel ad peccatum mortale; ſed tantum ad pœnas, ſeu pœnitentias per Prælatos injungendas, non obſtantibus quibuscumque Apoſtolicis, ſeu Regulæ declarationibus, dummodo non ſit contemptus, vel mandatum non ſit impoſitum ſub pœna excommunicationis, vel in virtute ſanctæ obedientiæ.*

13. *Item die 26. ejusdem menſis, & anni Idem Pius V. conceſſit Prælatis, aut Religioſis de eorum licentia, ut poſſint procurare pecunias non ſolum pro urgentibus neceſſitatibus, ſed etiam pro his, quæ non ita neceſſaria ſunt; imo pro ſuperfluis, & curioſis, verbi gratia pro ornamentis, & ædificiis ſumptuoſis. Item non ſolum pro neceſſitatibus præſentibus, & imminentibus, ſed etiam pro futuris, pro quibus eleemosyna procurata apud Syndicum deponatur.*

14. *Item conceſſit, quod non ſint obligati, quando petunt pecuniam, explicare neceſſitatem in particulari; & quod poſſint procurare denarios, vel pecuniam pro neceſſitatibus in generali, & data particulari neceſſitate poſſit in alteram ordine Syndici deputari.*

15. *Item conceſſit Fratribus Minoribus, quod præterquam in transgreſſione eorum, quæ ſub præcepto in Regula continentur, puta exceptis tribus votis obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & exceptis præceptis de non recipiendo denarios, vel pecuniam aliter, quam conceſſum eſt ſupra per Suam Sanctitatem, & excepto præcepto de divino officio, & jejuniis in Regula contentis, & quando calceamenta de corio integra portaverint, quibus omnino pedes cooperiantur ſine neceſſitate, vel diſpenſatione Superioris, & quando iter fecerint equitando ſine manifeſta neceſſitate, vel infirmitate, vel ſine licentia Prælatorum, vel diſpenſatione, quam conferre poſſunt, quamvis non ſit arcta neceſſitas; & quando intra Clauſuram monialium intraverint extra caſus, vel modos in earum Regula, & Apoſtolicis conſtitutionibus contentos; & quando Electores, quibus incumbit, omiſerint eligere Miniſtrum Generalem in Feſto Pentecoſtes, aut petere a Domino Papa unum Cardinalem Protectorem Ordinis; & tandem quando a debita obedientia, & reverentia Domini Papæ, vel Eccleſiæ Romanæ receſſerint: in cæteris autem transgreſſionibus præceptorum per quaſcumque alias Ordinationes, vel ſtatuta Apoſtolica, vel quæcumque alia dicti Ordinis injuncta non obligantur Fratres ad cenſuras, vel pœnas eccleſiaſticas,*

Digitized by Google

Anno Christi	Pii V.	Maximiliani II.	Religionis Minorum
1566.	anno 1.	anno 3.	anno 359.

ſticas, vel ad aliquod peccatum mortale; ſed ſolum ad pœnitentiam per Superiores pro tempore infligendam, dummodo non adſit contemptus, vel non fuerit in virtute obedientiæ, vel ſub pœna excommunicationis mandatum, niſi quatenus aliter jus aliquod, vel præceptum naturale, vel divinum, aut humanum mortaliter fuerint transgreſſi, ac in foro conſcientiæ tantum. Non obſtantibus &c.

16. *Item conceſſit Fratribus Minoribus, quod poſſint facere officium de Sanctis Ordinis cum illorum octavis, & quoad acceſſum, & ingreſſum in Tertiariarum Monaſteria Fratres ſe habeant, ut ſervatur in Monaſterio S. Claræ.*

Ita firmatum a Cardinali Cribellio ſub data 27. *Januarii MDLXVIII.*

Anno Christi	Pii V.	Maximiliani II.	Religionis Minorum
1567.	anno 2.	anno 4.	anno 360.

ARGUMENTUM.

Dux Albæ Belgium petit cum Copiis. Geuſii ſæviunt in Fratres Minores. Clarent viri. Habentur Comitia Generalia Fratrum Capuccinorum, & Tertii Ordinis. Renuntiatur Commiſſarius Generalis Minorum Obſervantium Familiæ Ultramontanæ Antonius Fabri. Reformantur Cœnobia, & nova conſtruuntur. B. Salvator ab Horta moritur in Urbe Calaritana. Decedunt Fratres, & Moniales vitæ Sanctitate inſignes. Occiduntur Martyres. Memorantur conceſſiones Summi Pontificis.

I. Albano Duce in Belgium properante, & in itinere delectus Militum habente, conſcriptis novis legionibus ex veteranis præſidiariis Siciliæ, Sardiniæ, Allobrogum, & gentium Alpinarum, confeſtim Guilielmus Princeps Auraſius cum Ludovico Naſſovio fratre, cæterisque turbarum, & incendiorum ducibus fuga excedere tutius exiſtimavit. Hinc Margarita Parmenſis Sacra Religionis jura tueri confidentius cœpit. Perduelles vero aliquot, & contumaces Comes Egmontanus necari juſſit, sperans, hac pietatis oſtentatione odium, quod in Catholicos nutriebat, ſe occultare, & Hiſpano Regi reconciliari poſſe. Ecclesiæ itaque, & Monaſteria reſtaurata, cultus Dei reſtitutus, & Catholicorum animus, ac ſpes fuerunt confirmata, licet non longo tempore, nec ubique. Opmeerus Oper. Chron. pag. 511.

II. Bruxellas tandem Dux advenit per fines Sequanorum, & Mediomatricum profectus una cum Alphonſo Contreras Theologo Ordinis Minoritici, quem a Sacris Confeſſionibus habebat, intimiſque conſiliis, & Vargas Juriſconſulto ſecum ab Hiſpania adductis, eorumque placito rebelles ad cauſam dicendam per præconem vocavit, quorum alii capitis pœnam ſubierunt, alii dimiſſi ſunt judicio abſoluti. Guilielmus Princeps Fribugo ſe non movit. Philippus Buranus ejus filius a militibus Albani captus in Hiſpaniam mittitur. Comites Egmontanus, & Hornanus Guilielmi Principis aſſeclæ cuſtodiæ traduntur. Repetit Le-Clerc cauſam expeditionis Albani in Belgium ab Hiſpanorum cupiditate Belgas ſub jugum mittendi, & opprimendi; idque evincere conatur ex reſponſo Vargas Juriſconſulti, qui Belgis privilegia ſua in judicio producentibus: *Non curamus*, inquit, *veſtra privilegia*, inflexione patrii idiomatis in penultimis vocabulis inadvertenter uſus, quod in hiſtoriis avi- Bernardus de Montfaucon tom. 5 pag. 447.

Le-Clerc Hiſt. Metall. lib. 2. pag. 14.

de inferunt Heterodoxi ad contemptum viri doctiſſimi. Hiſpani, ait, volebant lædere leges, & privilegia Belgarum ſub hæreſeos prætextu; quamvis enim motus aliqui antea fuiſſent excitati, quum tamen nulla publica auctoritate confirmati adhuc fuiſſent, inter privatorum hominum contentiones erant recenſendi. At poteſtne legitimus Princeps motus quantumvis privatos ſubditorum compeſcere? Poteſtne impune permittere expilationes Templorum, Sanctarum Imaginum, rerumque omnium ſacrarum direptionem, Sacerdotum, & innocentiſſimorum hominum necem, exitia, incendia, rapinas, tranquilloque animo impios ſicarios ſpectare, qui paſſim graſſentur, horrendas calamitates Reipublicæ inferant, & legibus divinis, humaniſque conculcatis, nefanda omnia ſcelera aggrediautur? Optimus enim vero Princeps is foret, qui in his obdormiret. Pulcherrimum autem eſt, reos in judicio privilegiis ſe tueri velle, quaſi privilegium aliquod foret patrandi crimina, eorumque ultionem declinandi. Quare non Hiſpani prætextu vindicandorum criminum ab hæreſi proficiſcentium Geuſiorum privilegia lædere volebant, ſed Geuſii potius prætextu conſervandorum privilegiorum meritas criminum, & impietatis pœnas decliuare ſatagebant. Quid vero actum foret, ſi homicidis, latronibus, & ſicariis publica auctoritas acceſſiſſet? Ne id cogitari quidem poteſt. Attamen non minus fuiſſent puniendi, quocumque privilegio ſe excuſare conarentur, nullo unquam privilegio ſceleribus ſuffragante.

Baretius lib. 5. cap. 4.

III. Cœnobium Minoriticum apud Valencennas a Geuſiis antea direptum, rurſus hoc anno eorum furori ceſſit. Die quadam, inquit Baretius, Hæretici dolo fallere Catholicos deliberarunt hac cum illis pacta conditione, ut duodecim Geuſiorum cohortes, & octo cohortes Civium (nempe Catholicorum) excubias agerent in mœnibus Civitatis. Re impetrata, eadem die poſt meridiem, duce Hermano homine audaciſſimo, & barbaro Calvinianorum anteſignano, irruperunt in Monaſteria tamquam in pecudum ſtabulum, omnia undequaque projicientes, ac diruentes; primumque omnium vaſtarunt Cœnobium S. Franciſci, deinde Prædicatorum, poſtremo Carmelitarum, & Altaria profanarunt mille modis, tantoque impetu, ut Inferno excitis ſpiritibus ſimillimi viderentur. Ut vero magis furiis actos ſe oſtenderent, Franciſcanos captos, vinctoſque per Civitatem circumduxerunt bombardis, armiſque graviotibus onuſtos, ſic ut intolerabili labore, & curſu fatigati plerique paucis poſt diebus occubuerint. Ibant miſeri Fratres propriis funibus mutuo religati, enormia pondera in humeris ferentes, dum Hæretici Litauias, & ſacra cantica comice modularentur, vaſaque geſtareut vino plena, ut Chriſti famulos atrocius contemnerent, plebiſque riſui, & ſibilis exponerent. Sequebatur carnifex, qui euntes virgis percutiebat, & quamvis ex vulneratis lacertis cruor defluens humum madefaceret, illi tamen, ut filii Seraphici Patriarchæ, omnia amore Chriſti Domini patientiſſime tolerabant. Sed tranſactis duobus diebus impletum eſt in Hæreticis Chriſti verbum: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*. Nam oborto inter ipſos diſſidio, quum alter alteri inſidias ſtrueret, ad ſonitum æris campani ſeditione excitata in foro Civitatis, tum ob odium, quod ſibi conciliaverant recenti ſævitie in pauperes Minores, tum ob violatam fidem oppreſſi ſunt promiſcue ab Hiſpanis, Italis, Germanis, Bohæmis, ipſiſque Lutheranis, & a Civitate ejecti forent, niſi pejorum calamitatum metus obſtitiſſet.

IV.

IV. Baretii narrationem, paucis tantum mutatis, tradit Bzovius, qui non Valencennis, ſed Antuerpiæ id factum affirmat. Hiſtorici ſæpe in rebus conveniunt, diſſident in circumſtantiis, quod non exiguam gignit confuſionem. Mox tamen patebit, nullam eſſe rationem, cur Scriptorem Ordinis noſtri hac in re deſeramus. Hic deinde horrendam ſane Tragœdiam orditur iiſdem ferme verbis, ac Gabutius: „ Conſtat, ſupra quinquies mille Sacerdotes omnis generis lentis, & crudelibus ſuppliciis eſſe peremptos. Eorum aliis viſcera fuſte intorto ſenſim extracta. Alii vulnerati cum Epiſcopis in puteos vivi dejecti periere. Aliis detracta pellis, qui octavo, vel nono demum die quaſi ad inſaniam redacti ſpiritum exhalabant. Multis caput abſciſſum. Alii militari ſupplicio minorum tormentorum ictibus expoſiti ſunt, aut ænearum machinarum ori alligato, emiſſoque igne in fruſta diffracti. Complures, unco ſummo gutturi infixo, dolore, & inedia confecti. Non pauci in Templorum Crucibus ſuſpenſi. Plurimi etiam ſulphureo pulvere inſtructi, lardoque peruncti miſſo igne deflagrarunt. Alii candentibus verubus vivi per poſteriores partes infixi. Alii clavis ferreis in abraſam ſacri capitis corouam adactis extincti. Nonnulli exenterati, quorum viscera frumento reſperſa in porcorum alimenta ceſſerunt. Aliis fune ſtricto pudendas partes alligarunt, quos longo ſpatio incitatis equis raptatos ad focum ſuſpenderunt, ut ſubjecto fumo extinguerentur. Denique inſtar suis linea recta in partes dilaniarunt. Alios divina conficientes myſteria captos, ſacris, ut erant, veſtibus indutos, impoſita capiti galea, per plateas ductos ludibrii cauſa totum diem jejunos inter nebulones milites perſtare coegerunt. Complures aliis, atque aliis exquiſitis, & acerbiſſimis cruciatibus afflicti, cæſi, necati ſunt. Multi diu ſuperfuere, & fortaſſe adhuc hodie quoque ſuperſunt mutili, excifis naribus, auribus defectis, ſciſſis pedibus, ſpoliati, qui horum flagitiorum, & pluſquam barbaræ crudelitatis veſtigia præſeſerunt. Sacræ Virgines, nobileſque puellæ innumerabiles conſtupratæ, Matronæ violatæ; nulli denique vel libidinis, vel crudelitatis, vel impietatis generi temperatum eſt. Quæ quidem omnia adeo ſunt vera, ut Hæretici multo plura, & his acerbiora ſe feciſſe glorientur „.

Bzovius ad ann. 1565.

Gabutius in vita S. Pii V. cap. 5. num. 109.

V. Etſi hæc omnia neque uno anno, neque uno in loco geſta comperiamus, (ſyllogem namque exhibent crudelitatum, quas per Belgium, Galliamque hoſtes exercuerunt; ut etiam eruitur ex literis Pii V.: *Quum præſentem*. Die 8. Martii anno 1570.) nihilominus quod ad ea ſpectat, quæ hoc anno Baretius contigiſſe narrat Fratribus Minoribus in Civitate Valencennarum, Arturus, qui eodem anno, vel juxta novam ſupputandi methodum, anno præcedenti illorum martyrium ponit, refert, Baretium hanc notitiam deſumpſiſſe a Fauſtino Taſſo hiſtorico ſui temporis, & a Thoma Boucherio, qui Fratrum Minorum conſcripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Itaque non pro lubitu Baretius notavit Valencennas, ſed ex coævorum teſtimonio, qui ſua noſſe melius debebant, quam Bzovius aliena. Gonzagæ vero, qui Fratres Minores peremptos inficiatur, ut diximus, reſpondet Arturus, illos gravia paſſos ſanguinem quoque profudiſſe ex vulnerum acerbitate, & vi tormentorum, ſeu pœnarum illatarum paullo poſt exceſſiſſe e vita. Valencennas quoque ſignat Waddingus: „ Belgæ apud Valencennas poſt ludibria, & opprobria, & gravia tormenta ab Hæreticis illata ſuum agonem feliciter conſummarunt anno 1566, vel 1567. „. De Valencennis loquitur Hueberus, quam-

Arturus die 21. Martii.

Waddingus de Martyr. Ord. I. 8.

Hueberus die 23. Aprilis.

quamvis miſceat nomina Antuerpiæ, Bruxellarum, Burgerauthii, Homiſcotti &c. referens, anno 1567. in illa generali Calviniſtarum turbatione plurimos Ordinis Franciſcani pro Catholicæ Romanæ Eccleſiæ defenſione opprobria, carceres, verbera, ac denique mortem victrici lucta ſuſtinuiſſe.

Daza lib. 1. part. 4. cap 21. & 26.

VI. Verbi Dei prædicationi vacabat in Mexico Andreas de Olmos, de quo pauca noſtri Annaliſtæ hactenus retulerunt ſolliciti potius poſteriorum, quam ſuorum temporum facta recenſere. Nobilibus, piiſque parentibus puer orbatus manſit apud uterinam Sororem in oppido de Olmos, a quo cognomen accepit, licet natus in alio pago Diœceſis Burgenſis. Honeſte educatus humaniores literas didicit, peractiſque ſtudiis juris Civilis, & Canonici, ætate 23. annorum in Cœnobio S. Franciſci Valliſoleti Minoriticam Regulam profeſſus eſt. Theologus adeo inſignis evaſit, ut nemo illum non conſuleret in rebus difficilioribus, ejuſque reſponſa, & ſapientiam admiraretur. Hinc Joannes de Zumarraga bis eum ſibi ſocium adſcivit; primo quidem dum, jubente Carolo V., in Cantabria quæſtionem inſtituit adverſus fœminas ſuperſtitioni, & necromantiæ addictas; ſecundo dum aſſumptus ad Epiſcopatum Mexicanum a Conventu Tribulenſi, ubi Guardianum agebat, in Indias transfretavit. Illic mira ingenii felicitate aſſequutus linguas Mexicanam, Totonacam, Tepuacam, & Huaxtecanam Infidelibus convertendis ſedulo animum applicuit, emenſiſque proximis regionibus, penetravit in loca remotiſſima, Hueytlalpan, Tuzapan, Panucum, Tampicum, Tamaolipam, inter Cicimechas Floridæ conterminos, ad polum accedens per montium celſiſſimorum juga, ſcopuloſas rupes, ſyrtes, fluvioſque profundiſſimos, idque nudis pedibus, ſoliſque victitans herbarum radicibus, & aqua, vir ſtaturæ quidem mediocris, ſed robuſtioris complexionis; quo fiebat, ut victor ubique cum laboribus, & periculis colluctaretur. Crucem in manu geſtabat, eamque cum Indis, tum ſibi vitæ exemplar proponebat; quo enim majora diſcrimina objiciebantur, eo lætior dicebat: *Quid volo, niſi Crucem? Quid mihi cum voluptatibus? Nonne in hac Chriſtus Dominus pro me mori dignatus eſt? Libenter itaque pro ejus amore & ego quamcumque amplexabor crucem, ut tandem ille me recipiat, qui & me in Cruce redemit*. Sæpe etiam cum Apoſtolo repetebat: *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*.

Auguſtinus de Vetancur Menol. die 8. Auguſti.

VII. Dignitates Ordinis numquam optavit, aut iniit, ſolumque, licet longis jejuniis, diris flagellis, ac ciliciis ex equinis crinibus confectis, non interruptis vigiliis, quas in oratione dies, noctesque traducebat, extenuatus, ac ferme conſumptus, inter efferatas, & ſylveſtres nationes verſabatur, ut ad cultiores mores, humanitatem, veramque fidem illas adduceret. Succenſis delubris, Idolis in fruſta comminutis, cunctiſque, qua licuit, ſtupidæ ſuperſtitionis monumentis, & ritibus deletis, Templa Deo erexit, & innumeros barbaros Sacro regenerationis lavacro abluit. A populo Tamaolipæ ad necem conquiſitus, & ſagittarum nimbo obrutus non illæſus tantum abiit; verum ſagittæ, Dei miraculo, in jaculatores redierunt. Alio die feria quinta in Cœna Domini Idolorum jacturam ægre ferentes tugurium ex ſtramine, & paleis, in quo ille deliteſcebat, ardentium jaculorum emiſſione comburere tentarunt, ut ab incendio fugientem apprehenderent, & mactatum menſæ apponerent. At ſtramine, quamvis ſicciſſimo, flammis reſiſten-

ſtente, admiratione, metuque abſceſſerunt exiſtimantes aliquid divinitatis in Andrea latere. Re pervagata, tum ipſi, tum alii barbari ad diſtantiam quadraginta leucarum ad eum audiendum concurrebant, & quum Fratrem aliquem Minoritam poſt Andreæ obitum invenirent, poſitis arcu, & ſagittis clamabant: *Andreas Andreas*.

Gonzaga in Prov. S. Evangelii pag. 8170. & ſeq.

Vetancurloco cit

VIII. Franciſco Morales his temporibus Philippus II. Rex Hiſpaniarum obtulit Epiſcopatum cujuſdam Peruanæ Eccleſiæ, miſitque Regium reſcriptum, quod humiliter accipiens Franciſcus ſemel, atque iterum Regiæ beneficentiæ egit grates, teſtatus, ſe dignitati imparem in id unice incumbere, ut eſſet, & vocaretur Filius S. Franciſci. Miniſter tertius a fundatione Provinciæ per aſperas ſemitas cum Socio Secretario pedibus iter agebat, cunctis miraculi loco habentibus, ſic eum incolumem incedere. Nec ab Apoſtolica prædicatione domeſticis curis retrahebatur, quin potius a miniſterio ſuo opportuniorem occaſionem deſumebat animas Deo lucrandi. Erat viri facies gravis, & circumſpecta, vox valde ſonora, verba eloquentiſſima cum ſuavitate, & perſuaſione conjuncta. Plurima & ipſe humi ſtravit Dæmonum latibula, pluribus agreſtibus, barbariſque nationibus mores intulit, & Catholicam Religionem.

Cordua inChron. Prov. 12. Apoſtol. de Lima.

Calderon in Chronol. Prov. Concept.

IX. Inſtituit hoc anno Pius V., ſeu potius declaravit ad inſtantiam Regis Catholici Parochos Fratres illos, qui jamdiu officium hoc exercebant in locis Maris Oceani, nimirum in Indiis: *Exponi nobis*. Die 23. Martii. Quum inibi a primi Columbi in Americam adventu Chriſtianam Religionem ſoli plantaverint, ſucceſſive ſumma fide, ſtudio, & zelo in dies auxerint, ne proprio quidem ſanguini, vitæque parcentes, in mediis periculis, difficultatibus, & anguſtiis perpetuo verſati, juſtiſſimum videbatur, ut acquiſito jure in Eccleſias a ſe fundatas non dejicerentur, nec hæreditate exciderent, quam ſibi tot, tantiſque ſudoribus conſtituerunt. Video ego (non de Franciſcanis tantum loquor, ſed de Alumnis etiam aliorum Ordinum Regularium, qui in Indiis de fide Orthodoxa bene meruerunt), ipſos vel ſub initium prædicationis Evangelicæ certorum hominum calumniis impetitos. Non deerant enim qui ineptiſſime cauſarentur irritum baptiſmum ab illis collatum ſine ſale, oleo, ſaliva, & candela, quaſi ritus, & cæremoniæ ab Eccleſia ſuperadditæ, ut ut ſanctiſſimæ, ad eſſentiam Sacramenti a Chriſto Domino in aqua & Spiritu Sancto inſtituti, aliquid conferrent, & Apoſtolus S. Philippus aliud præter puram aquam adhibuerit, dum baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis. Oportet, ut patet, hujuſmodi oppoſitores fuiſſe ex genere Mercatorum olei, ſalis, & ceræ. Alii contendebant, baptiſmum adultis conferri non debere, niſi in Sabbatis Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ſuiſque criminationibus adeo valuerunt, ut Indiarum Apoſtolis baptizandi facultas interdiceretur, quam tamen illis reſtituit Paulus III. diplomate dato ſub die 15. Maji anno 1537., quo edixit, multitudinem baptizari poſſe aqua tantum, rebus aliis ſecluſis. Diplomate in India delato una cum Regiis literis Philippi II., quas valde expetierat Epiſcopus Montenegro, tantus fuit populorum ad baptiſmum concurſus, ut in regione Guacachula quatuor circiter dierum ſpatio duo Religioſi quatuordecim, & amplius Indorum millibus baptiſmum contulerint, & in Xuchimilco uno die baptiſmum ſuſceperint tria Indorum millia. Ante hoc tempus Flaxatæ ultra duo millia baptizari poſtulantes, & voti compotes non facti queſtu, & gemitibus Civitatem impleverunt,

Montenegro lib. 3. & ſeq.

Torquemada lib. 16. cap. 11.

verunt, duæque Vetulæ rejectæ in Guacachula Miſſionarlis plorantes dixerunt: *Nos ne, quæ in Deum credimus, rejiciemur ab Eccleſia? Separabimur a domo miſericordia Domini?* Et baptizatæ paullo poſt ambæ obierunt. Dum numerus vero credentium augeretur mirum in modum, ut tradunt Gomara, Solarzanus, P. Salinas, Torquemada, quid agebant otioſi Religioſorum Criminatores? Nempe dignitati ſuæ conſonum non putabant cum nudis, & barbaris Indis converſari tamquam intellectu deſtitutis, quod a veritate alienum eſſe Deipara ipſa probavit in Cœnobio de Guadalupe, & in Monte de los Remedios Joannem Didacum alloquuta.

X. Rebus ita compoſitis, alio diſcrimini Fratribus objectis anno 1555. in Synodo Mexicana vetitum eſt, ne aliquid determinarent in cauſis matrimonialibus, nec Cœnobia exſtruerent abſque Epiſcoporum licentia. Negotium abſolvit Philippus II. Rex Hiſpaniarum, qui Synodi decretis, & literis Leonis X., & Adriani VI. in favorem Religioſorum perpenſis, duo reſcripta edidit Valliſoleti anno 1557. unum, quo ipſos in veteribus privilegiis tuetur; alterum ſub die 9. Aprilis eodem anno, quo injungit Gaſtono de Peralta Marchioni de Falces Indiarum Proregi: „ Præcipies, ut in his terris, earumque partibus, & locis, ubicumque id neceſſarium fuerit, poſſint exſtrui Monaſteria abſque licentia Diœceſani „ Alio reſcripto Matriti anno 1562. ait „ Poſſint ædificari Eccleſiæ, & Monaſteria, & in locis, quæ Religioſi obtinent, non ponantur Clerici ſæculares. Providebis, ne incommodum aliquod, vel injuria Religioſis inferatur „. Contradictiones alias tractu temporis Regum Catholicorum benevolentia, & Romanorum Pontificum oraculis juſtitia ipſa vindicavit.

[Margin: Vetancur Theatr. Mexic. part. 4. tom. 1. num. 16.]

[Margin: Ibidem.]

XI. Novum Ordini decus addere incœpit hoc anno Franciſcus de S. Michaele vulgo *de la Parilla*, in ſæculo Joannes de Arco. Natus anno 1548. in Vico la Parilla in Caſtella Veteri non procul a Valliſoleto, inſtructuſque primis literarum rudimentis Parentes Antonium de Arco, & Claram de Andrada pios, honeſtoſque in agriculturæ exercitio ſequutus eſt. Ea cordis, ac mentis ſimplicitate pollebat, ut ſi inter coævos adoleſcentes, vel adultos aliquid minus rectum agendum proponeretur, reſponderet: *Hoc non poteſt fieri ex conſcientia.* Cujus dicti frequentia a Conſodalibus vocari ſolebat *Sanctus Conſcientia*. Diebus feſtis ab omnium commercio ſejunctus Eccleſias, vel loca ſolitaria petebat. Reliquis opera ruſtica exequebatur, ſemperque ſollicitus, ne labe ulla pudicitiam macularet, juvenilem ardorem iteratis auſteritatibus mitigabat.

XII. Vocatus ad altiora Ordinem S. Franciſci, quem ab incunabulis iu deliciis habuerat, (quoties enim Fratres Obſervantes eleemoſynas oſtiatim emendicarent, eos hilariter, & devote circumducebat) ingredi ſtatuit, & benedictione a Parentibus impetrata, habitum ſuſcepit hoc anno die nona Januarii in Conventu Valliſoleti ab Antonio de Turre Guardiano, eoque abſente, vota emiſit ſequenti anno ſub P. Pontillo Vicario, & Magiſtro Novitiorum Joanne de S. Maria, Provinciam Conceptionis moderante Antonio Tamayo Miniſtro. Antiquus liber Novitiatus, in quo Caſtellano idiomate hæc memoria continetur, ſequentem habet notam ad marginem: „ Hic P. Joannes ab Arco pro „ Chriſto glorioſum Martyrium paſſus eſt in Indiis Japponiæ „. Viget traditio, eum hoc nomen in Franciſcum a S. Michaele mutaſſe, prout etiam præfefert inſcriptio ſupra ejus Cellam in Conventu Calagurriæ: *Beatus Franciſcus de la Parilla Martyr Japponiæ*.

[Margin: Daza loco cit. cap. 19.]

[Margin: Idem lib. 9. part. 4. cap. 65. ad an. 1570.]

XIII.

XIII. Non eſt hic confundendus aut cum Joanne ab Arcu, qui de-
ceſſit Compluti, ubi ejus corpus adhuc integrum, teſte Daza, perſeve- Idem lib. 3. part. 4. cap. 17. & 58.
rat, de quo Arturus die 11. Aprilis; aut cum Joanne de Padilla, qui
circa annum 1539. obiit Martyr in regione Sibolæ verſus polum con-
foſſus jaculis a barbaris Hazialibus, de quo Arturus die 30. Novembris.
Quæ advertimus, quum pronum ſit decipi nominum ſimilitudine. Mi-
nus vere Huebertus ſcribit: „ Nangaſachi in Japponiæ Metropoli anno 1597. Hueberus die 5. Februarii.
„ ſex inſignes Franciſcani Provinciæ S. Joſeph profeſſi, & Provinciæ
„ S. Gregorii alumni pro Chriſto inſigne martyrium ſubierunt „. Enim-
vero præter Petrum Baptiſtam, & Martinum de Aguirre, ſeu ab Aſcen-
ſione nemo alius in Provincia S. Joſeph profeſſus eſt. Philippus ſiqui-
dem de las Caſas, ſeu a Jeſu, & Gonſalvus, vel Gundiſalvus Garcia
in Conventu S. Mariæ de Angelis Manilæ, Franciſcus Blancus in Con-
ventu Villalpandi Provinciæ S. Jacobi vota emiſit, a qua adoleſcens in
Mexicum, & Philippinas trajecit. De Franciſco a S. Michaele ait Joan-
nes Bollandus: „ Pariliæ natus eſt in Palentina Diœceſi, & in Provin- Acta SS. ad diem 5 Februarii.
„ cia, quam Conceptionis PP. Minores vocant, ſacro eſt amictu dona-
„ tus. Inde majoris perſectionis ſtudio ad S. Joſeph Excalceatorum Pro-
„ vinciam ejusdem Franciſcani Inſtituti tranſivit „. Marcellus Ribade- Ribadeneyra
neyra: „ Franciſcus a S. Michaele in conſortio Angelicorum virorum, apud Jo. a S. Maria tom. 1. lib. 5.
„ qui in Conventu de Abrojo (utique Provinciæ Conceptionis) mora- cap. 1. num. 23.
„ bantur, in omni virtutum genere multum profecit, tamquam per-
„ fectus imitator in paupertate, humilitate, ſilentio, receptaculo, &
„ oratione Sanctorum Laicorum Ægidii, & Juniperi. In hoc Conven-
„ tu auctum eſt deſiderium, quod habebat, ſtrictioris obſervantiæ ſuæ
„ Regulæ, & judicans, hoc adimpleri poſſe in Provincia S. Joſeph,
„ quæ in magna paupertate, & ſanctitate tunc florebat in Veteri Ca-
„ ſtella, obtenta Superiorum licentia, coram P. Provinciali illius Pro-
„ vinciæ devenit, qui recognoſcens ſuum bonum ſpiritum, illum in ea
„ admiſit. Et licet in ipſa Provincia in ſuo principio floruerint plures
„ Religioſi Laici; tamen inter illos clarior, & magis cognitus, ut &
„ perfectior obſervator ſuæ Regulæ nemo fuit hoc ſancto Fratre „.

XIV. Minoriticæ quoque Religioni hoc anno nomen dedit Hierony-
mus Panigarola natus Mediolani die 6. Januarii anno 1548. Conjugi-
bus Gabriele Panigarola, & Leonora Caſati nobilis, vetuſtæque fami-
liæ; fuit enim Gabriel J. C., & ex LV. Decurionibus Urbis Mediola-
nenſis, Quæſtor reddituum ordinariorum Magiſtratus, & Locumtenens
Duciſſæ Chriſtiernæ viduæ Franciſci II. Mediolanenſis Ducis in Comita- Philippus Argelatus in Biblioth.
tu Dertonæ. Cathedram Senatoriam, & dignitatem Præſidis ampliſſi- Script. Mediolan.
mi cœtus ſibi a Carolo V. ultro oblatam recuſavit.

XV. Hieronymus ingenium perſpicuum, & liberale, ac ad quævis ce-
leriter aſſequenda expeditum ſortitus, ne Parenti viro doctiſſimo, & Mar-
ci Littæ ob eloquentiæ laudem carminibus commendato diſſimilis filius
videretur, literarumque curriculum ingreſſus optatiſſimos brevi retulit
fructus in nobilioribus Italiæ Academiis, quas adivit, ut diſcendi cupi-
ditatem expleret. Patavii Rhetoricæ ſtuduit ſub Natale de Comitibus,
& Logicæ ſub Bernardino Tomitano. In Gymnaſio Ticinenſi audivit
in Jure Civili, & Canonico Gaſparum Vicecomitem poſtea Archiepiſco-
pum Mediolanenſem. Juriſprudentiæ operam navavit in Bononienſi Acade-
mia, Deique ſpiritu motus deſiderio exarſit religioſum aliquem Ordi-
nem ingrediendi; tacuit tamen Parentum metu. Bononiæ certior factus

de Patris ſui infirmitate Mediolanum properavit; ſed antequam illuc perveniret, ad plures Gabriel abiit anno 1566. die 13. Decembris. Quapropter Bononiam reverſus clauſtralem vitam profiteri deliberavit in Ordine Minorum de Obſervantia, utque in anteceſſum operi parem ſe redderet, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſtudioſius frequentabat, humi noctu cubabat, rudique cilicio corpus perſtringebat, & ſimulans aliquando profanorum librorum ſe lectioni vacare, Sacram Scripturam evolvebat, & meditabatur. Admiſſus ab Aloyſio Puteo Miniſtro Generali ad habitum, hoc anno die 15. Martii in Cœnobio

Petrus Nicolaus Bonavilla not. Chron. pag. 133.

Omnium SS. Florentiæ Franciſci nomen aſſumpſit, & Magiſtrum habuit virum religioſiſſimum Ducis Etruriæ Confeſſarium vel Bernardum Dragoncinum, vel Maſſæum de Bardis; eos enim in Aula Ducali id muneris tunc exercuiſſe teſtatur Antonius de Terrinca.

XVI. Moleſte rem tulit Alexander Panigarola ejus Frater, ſtatimque Florentiam advolavit, nihil non expertus, ut illum ab incœpto retraheret, domumque reduceret; nequidquam tamen, eo in ſententia perſiſtente. Quum autem tempus profeſſionis inſtaret, licentia impetrata a Miniſtro Generali Rhegium Lepidi petendi, ut bonis patrimonialibus ſe abdicaret, illic ſupremas tabulas obſignavit (ne enim Florentiæ id fieret œconomiæ cauſæ prohibebant), eisque hæredem inſtituit Alexandrum, dotem auxit Sororibus, pia legata ordinavit, atque in his unum favore cujusdam Sacelli in Eccleſia ſui Ordinis S. Angeli Mediolani; præterea erga omnes liberalem ſe oſtendit, quorum familiaritate, & opera uſus fuerat. Exutus itaque curis temporalibus inſequenti anno ſolemnibus votis ſe obſtrinxit in eodem Cœnobio Florentino; primumque ad ſtudia Logicæ, & Mathematicæ Patavium profectus eſt; deinde Piſas ad ſtudia Philoſophiæ.

XVII. Angelus Juſtinianus ortus in Inſula Chii anno 1520. nobiliſſimo genere Parentibus Franciſco Juſtiniano, & Franciſchetta ejusdem cognominis vocatus in baptiſmo Vincentius, multo his adultior Seraphicum Ordinem illuſtrabat hoc tempore; de quo præclara exſtant teſtimonia Benedicti Varchii, Petri Victorii in epiſtola ad Alexandrum Cardinalem Farneſium, Joannis Ponſii in vita Philiberti Ducis Sabaudiæ,

Grævius in Thes. Antiq. Italiæ tom. 2. pag. 860.

Sixti Senenſis, &, quod maximum intereſt, S. Franciſci de Sales ſuo loco referenda. Modo audire præſtat Ubertum Folietam: „ Angelus ad „ ſolidam doctrinam, qua in principibus ætatis noſtræ numeratur, ver„ ſatilis ingenii felicitate ad omnia quæcumque, multiplicem eruditio„ nem adjecit, ut nemo illo omnibus ingenuis artibus illuſtrior ſit. „ Ad hoc motibus ita ad excogitandum, & inveniendum acutis, & „ celeribus, atque ita ad explicandum uberior eſt, ut nemo majore, ac „ firmiore argumentorum copia, & vi, hæreticorum dogmata refellat, in „ quibus perpetuo inſectandis, & exagitandis vehementiſſimus, & acer„ rimus eſt; quum ea dicendi copia ſit, eaque in animis hominum „ permovendis vis, quæ res in oratione haud dubio primas tenent, ut „ nemo ætate noſtra majorem ſibi audientiam, majoresque concurſus „ faciat. Quem laudis fructum non in certis modo locis, quæcumque „ illum adire contigit, percepit. Sed Romæ quoque in illa clariſſima „ Orbis luce, in illo ingeniorum theatro, ubi de omnibus rebus pera„ cria, & exquiſita judicia fiunt, nec minus in Gallorum Regia, quo „ turbulentiſſimis temporibus, quum omnis Gallia ſeditionibus, & tu„ multibus arderet, damnatæ ſectæ hominibus omnia miſcentibus, a

„ Pon-

„ Pontifice miſſus eſt Hippolytho Cardinali Ferrarienſi Comes legatio-
„ nis additus, ipſis adverſariorum Principibus concionatorem, ac diſpu-
„ tantem mirantibus, acumenque, & copiam formidantibus „.

XVIII. Peritiſſimum in lingua Græca eum tradit Willottus in Athenis Ortodoxorum, & ſi minuta quoque perſequi licet, muſices arte; quamvis virum ſatis ſuperque nobilitent geſta majoris momenti, quæ ab ipſo Willotto narrantur. Deſignatus enim ab Aloyſio Puteo Commiſſarius Generalis magni Conventus Pariſienſis, a quo delectiſſimi pugnatores, qui Salomonis lectulum ambiunt, non raro prodierunt, Fratres nonnihil a primæva inſtitutione deflectentes, pro ea, qua in rebus agendis pollebat, dexteritate, ad frugaliorem vitæ regulam traduxit. Inſuper Bezam hæreſiarcham petulanter in ipſius Aulæ Chriſtianiſſimi Regis penetralibus ſua venditantem ita confudit, ut licet frontem ille poſuiſſet, rubore tamen ſuffuſus & Palatio, & Civitate ceſſerit. Waddingus eum jura Eccleſiæ, & Religionis eo tempore defendiſſe aſſerit coram Rege, & Dynaſtis per annum, & amplius ex literis Pauli V. Romæ anno 1606. X. Kal. Decembris.

Henricus Willot. Ath. Orto. pag. 31.

Waddingus de Sc iptoribus Ord. Verbo Angelus.

XIX. Evangeliſtæ de Canobio Vicario Generali Capuccinorum ſucceſſit hoc anno Marius de Foro Sarſinio in Æmilia electus Romæ in Comitiis Generalibus, felici præſagio, ut ait Michael a Tugio, Ordini datus ob vitæ innocentiam, qua nituit, Angelicum concentum, quem non ſemel audivit, imperium, quod in Dæmones exercuit, & ſpiritum propheticum, quo res prænuntiavit. In officio confirmatus eſt a Felice Peretto Vicario Generali Minorum Conventualium, cui propterea per epiſtolam egit grates: *Accepi confirmationem ſervitutis, & Miniſterii, quod mihi Patres contulerunt ad regimen Ordinis noſtri &c. Urbe Veteri 9. Julii 1567. Humillimus, & promptiſſimus ad tibi ſerviendum in Chriſto Generalis Fratrum Capuccinorum.* Obtinuit autem a Pontifice, ut ratum haberetur decretum, quo Procuratori Generali Curiæ concedebatur vox activa, & paſſiva in Capitulis Generalibus, prout ordinatum fuerat ab Obſervantibus anno 1493. in Capitulo Generali Florentiaci Patrum Familiæ Ultramontanæ.

Michael a Tugio Bull Capuc. tom. 2. pag. 24.

Tempeſti lib. 3. num. 22. pag. 44.

Ego Frater Marius de Foro Sarſinio Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Vicarius Generalis licet indignus facio fidem omnibus præſentes literas inſpecturis, quatenus Rev. P. Frater Evangeliſta de Canobio immediatus in Officio Generalatus Prædeceſſor meus propoſuit in Capitulo noſtro Generali ab ipſo convocato, & Romæ celebrato anno 1567., utrum Procurator Curiæ Romanæ pro tempore exiſtens deberet habere vocem in Capitulis Generalibus, quemadmodum habent per Regulam Miniſtri, & Cuſtodes, ſicut jam a Fratribus noſtris dictis de Obſervantia conſtitutum fuerat in eorum Generali Capitulo celebrato anno 1493. in Provincia S. Ludovici. Et facto ſcrutinio per vota ſecreta Capitulum noſtrum acceptavit, & innovavit prædictam conſtitutionem, videlicet, ut Procurator Curiæ haberet vocem activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus. Poſtquam autem ego in prædicto noſtro Capitulo eſſem ad Generalatum electus, volui pro firmiori prædictæ conſtitutionis robore petere confirmationem ipſius a SS. Domino Noſtro Papa Pio V., & ideo ad illam humiliter petendam miſi prædictum Patrem Fratrem Evangeliſtam una cum Rev. P. Fratre Joanne Maria Hiſpano Prædicatore, & P. Bernardino Piſano Laico. Qui P. Evangeliſta propoſuit Suæ Beatitudini confirmationem prædictam, & a Fratribus de Obſervantia factam, & a noſtro Capitulo acceptatam, & innovatam eſſe, non obſtante quod Regula noſtra non

Ex archiv. Generali Capuccin. num. 31.

 dicat,

dicat, talem Procuratorem debere eſſe vocalem in Capitulis, ut ſupra humiliter poſtulavit a ſua Sanctitate confirmationem ipſius conſtitutionis, quam Dominus Papa benigne confirmavit, & ſubjunxit, valde conveniens eſſe, ut talis vir, ſcilicet Procurator in Curia habeat votum in Generali Capitulo. Et hac confirmatio facta fuit die prima Junii anni prædicti videlicet MDLXVII. in Palatio S. Petri in Camera propria Domini Papæ, præſentibus; & audientibus prænominatis Fratribus, in cujus fidem ſe ſubscripſerunt, & ego ſigillum officii noſtri appoſui. Datum Romæ die XVII. Julii MDLXVII. Sequuntur ſubscriptiones.

XX. Renuntiato in Procuratorem Generalem Bonaventura de Rhegio, ſtatutum eſt, ut Procurator Generalis eligeretur ab integro Diffinitorio Generali, quum antea Vicarius Generalis eum deputaret, non ablata tamen Vicario Generali conſueta in ipsum jurisdictione; ut in Capitulis Provincialibus electio Guardianorum fieret ſecretis ſuffragiis a Diffinitoribus, & Provinciali, qui unam vocem haberet; ut in Capitulis Generalibus, in quibus ſex Diffinitores eligi debent, tres ſaltem novi eligerentur, & duo ſaltem novi in Capitulis Provincialibus, in quibus quatuor eliguntur. Alia minutiora omittimus, quæ legi poſſunt apud Boverium ad hunc annum, ubi ſequens anecdotum tradit. Fratres, inquit, Minores Diſcalceati Hispaniarum tranſire cupiebant ad obedientiam Vicarii Generalis Capuccinorum, cui idcirco cum emphaſi preces effuderunt, ut reciperentur in gremium. Sed Capuccinis respondentibus, negotium pendere ab auctoritate Pontificis, & Regis Catholici, illi ea de re in poſterum ſiluerunt. At, quoniam Annaliſtam ſingularem reperio in hoc facto, cujus nullibi exſtat veſtigium, nullumque monumentum producitur, quæro, an omnes Diſcalceati id petierint, vel aliqui? Si poſtremum, jure eis accidit, ut politico reſponſo dejecti fuerint a ſpe ſingularitatis affectandæ, ſeu potius a phanatiſmo, quo certiſſime illorum cerebrum laborabat. Sin alterum, nullam aliam video rationem, cur accepto reſponſo ſiluerint, niſi quia ex animo non agebant; ſecus enim apud Pontificem, & Regem majori cum emphaſi precibus inſtitiſſent, ut voti compotes fierent. Non intelligo etiam, cur Capuccini, qui ubique Conventus exſtruere magnopere optabant, oblatam ultro in Hispania ampliorem poſſeſſionem renuerint, aut ſaltem ita ſe geſſerint, ut eam ſibi e manibus elabi ſinerent. Cæterum miror, Annaliſtam, qui levi, vel nulla plerumque de cauſa Obſervantes inſectatur acerbiſſimis verbis, opportunam occaſionem prætermiſiſſe illis maledicendi, & horrendum aliquod Tartarum fingendi ſub illorum pedibus reſeratum, in quod ut pluviæ, ſonantiſque tempeſtatis guttæ, & grandinis globuli præcipites ruerent, quandoquidem Fratres Diſcalceati S. Petri Alcantarenſis Filii, non unus, inquam, Pacificus a Fano, periculum metuentes in tutiſſimam Capuccinorum ſtationem profugere optimum judicaverint.

XXI. In Cœnobio S. Mariæ de Quercu Vallis Nuriæ Diœceſis Placentinæ habitis Comitiis Generalibus, ſupremam Tertii Ordinis S. Franciſci præfecturam adeptus eſt Joannes Baptiſta Cantone de Papia S. Theologiæ Magiſter, qui uno tantum anno illam geſſit; ſummus enim Pontifex Ordinem reformavit anno ſequenti, & ſubjecit jurisdictioni Minorum de Obſervantia.

Antonius de Sillis tom. 2. cap. 3. pag. 37.

XXII. Bellorum, & tumultuum cauſa, quæ excitaverant Hæretici in Gallia, Germania, & Flandria, quum difficile foret, ut inſequenti

anno

anno intermedia Comitia haberi poſſent, præfecit Pontifex Commiſſarium Generalem Familiæ Ultramontanæ Antonium Fabri Provinciæ S. Ludovici Alumnum, inſignem Theologum, cujus exſtat liber eruditus adverſus quemdam anteſignanum Hæreticum Arelatenſem, in quo modeſte adverſarium oppugnat, unicam illius converſionem, & reſipiſcentiam ſibi proponens: *Quum propter*. Die 17. Septembris; quæ literæ execu- *Waddingus de Scriptoribus L.A.* tioni mandandæ forent poſt expletum triennium Franciſci Guzmani.

XXIII. Theodorus, ſeu Theodoricus Gerardi moderandam ſuſcepit Provinciam S. Crucis in Saxonia jam ad extremum vergentem, quum ſacra profanis abſurde Lutherani miſcerent, & hæreſi ſæviente, pauci ex Religioſis, & Catholicis reſidui forent. Quapropter a Batavia, & Fran- *Monumenta Provinciæ.* conia aliquot Fratres Provinciæ Argentinæ advocavit, ne omnino duo Cœnobia, quæ ſupererant, Halbertſtadienſe, & Egrenſe desererentur, & nonnullos ſecum duxit a Provincia Coloniæ, cujus erat alumnus; atque ab hoc anno ad annum 1583., quo die 21. Januarii ſancto fine quievit, Miniſteriatus munus continuavit. Capitulum Cathedrale Halbertſtadii ſtatim poſt ejus mortem occupavit calices pretioſos viginti quatuor. Ultimus hic fuit Miniſter religioſus converſationis exemplaris, honeſtiſſimus, & integerrimus.

XXIV. Benedictus Cheroghi præfectus eſt Provinciæ S. Salvatoris in Hungaria die 2. Februarii hujus anni in Capitulo Gyogyonienſi, a quo licet abeſſet Emericus Toriſius veritus pericula turbatorum temporum, ſuum tamen miſit Commiſſarium præfatum Benedictum. Alii quoque Hungariæ Superioris accolæ domi ſe continebant; hinc enim Turcæ in locis Agriæ, & Tocajo propinquis terrorem circumferebant vaſtationi- *Iſtvanſius Hiſt. lib. 24.* bus, & incendiis; inde vero Zapolyani Cuvarum oppugnationi inſtabant, cæſiſque Viezmandio Arcis Præfecto, & aliis ad unum omnibus, ad Rivulum Dominarum caſtra promovebant, & arridentibus fortunæ rebus, animum cupiditate implentes Caſſoviam expugnandi novas diſcordias ſuſcitare, nova arma Cæſari inferre, & inteſtinas ſeditiones ciere feſtinabant. Acta prædictorum Comitiorum ligneæ tabulæ mandata in his turbis interciderunt.

XXV. Eodem anno Bonaventura de Urceis Novis Provinciæ Brixiæ inſtituitur a Pontifice Miniſter Provinciæ Raguſinæ cum ampla facultate Provinciam ipſam reformandi, & ſex Fratres ex familia Ciſmontana ſecum ducendi, ut Conventibus præficeret, & eorum opera in Miniſterio ſuo uti poſſet: *Quum nihil ſit*. Die 5. Auguſti. Datis præterea literis ad Senatum Reipublicæ Raguſinæ, ut Miniſtro præſto eſſet in corrigendis, & comprimendis aliquibus improbis, & ſeditioſis Fratribus potentium virorum patrocinio nixis. *Quum nos pro eximia*. Die 5. Auguſti. Antea Pontifex injunxerat Miniſtro Generali Fratrum Minorum de Obſervantia, ut conſcenſa navi in proximo portu Maris Adriatici, litus alterum peteret, & ipſemet Provinciam viſitaret propter Fratrum ſcandala, de quibus querebatur apud S. Sedem Senatus Raguſinus: *Multæ, graveſque querelæ*. Die 10. Maji.

XXVI. In Comitiis Provincialibus S. Alvernæ Montis die 27. Aprilis celebratis ab Aloyſio Puteo Miniſtro Generali Provincia Tuſciæ Miniſtrum accepit Paulum de Sovaggio Theologum, Eccleſiaſtem inſignem, ſemel, atque iterum ſacri ejuſdem Montis Guardianum, Ex-Cuſtodem, & Provinciæ Diffinitorem. Succeſſit hic Maſſæo de Bardis electo anno 1564. in primum Miniſtrum poſt unionem Provinciarum Tuſciæ Senenſis, vel ſim-

ſimpliciter Tuſciæ, & Tuſciæ Florentinæ; quo tempore plenus dierum, & meritorum in patrio Cœnobio S. Franciſci Montis Caroli extra S. Joannem Vallis Arni ſuperioris ad Deum migravit Andreas Lapinius a S. Joanne charitatis ardentiſſimæ in populis erudiendis, & juvandis ſic, ut ad illum finitimas, & longinquas regiones peragrantem veluti ad novum Apoſtolum concurrerent. Graſſante lethali contagio ab anno 1523. ad annum 1530. per Tuſciam univerſam, Noſocomiis adeſſe, privatorum ædes circumire, ægrotos reficere, ſemianimes in Deum firma ſpe erigere Sacramentorum adminiſtratione, ſanctiſque hortationibus; hæ illi inerant artes, & ſollicitudines. Senio confectus, & cæcus extrema laborum ſuorum nocte Matutinis laudibus interfuit, poſteroque mane Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis ſuſceptis, ante meridiem quaſi dormiens quievit hora, quam prædixerat. Hujus Servi Dei nomen in Annalibus noſtris non invenio. Nec prætermittendum eſt, anno pariter 1564., eodemque die, & hora, qua S. Patriarcha Franciſcus S. Stigmata recepit, natam eſſe in Tuſcia Paſſitheam de Chrogis Clariſſarum Coletanearum Senenſium S. Floræ, & Plumbini Parentem, & inſtitutricem; hoc eſt ſub diluculum feſti Exaltationis S. Crucis, in præſagium forte pœnarum, quas pro Jeſu Chriſti amore ferre debebat in corpore ſuo, & ſimilitudinis cum B. Franciſco, cujus filia futura erat ſacris ſignis & ipſa condecoranda. Hæc in gratiam Annaliſtarum Sæculi XVII. qui, favente Deo, in Ordine Minoritico, quacumque temporum iniquitate, & venerabili Harpocratum ſilentio, numquam deerunt, indicaſſe ſufficiat.

Antonius Tognocci Decad. EtruscoMinor. an. 1584.

Ludovicus Marracius in vita Ser. væ Dei Romæ 1669. typis Philippi Mariæ Mancini.

XXVII. Comitiis Provincialibus in Conventu SS. Annuntiationis Auximi Provinciæ Marchiæ, præfuit idem Miniſter Generalis, & in Miniſtrum renuntiatus eſt Petrus Guerrerius de Maſſa Cuſtos Reformatorum, ut prodit Index Capitulorum exſcriptus a Bibliotheca Montis Carotti a F. Gratia de Francia ab anno 1485. ad annum 1577. Verum in Indice altero de anno 1579. Cuſtos Reformatorum, qui ad hæc Comitia acceſſit, notatur Evangeliſta de Murro Æſii electus Maceratæ anno 1563. in locum Petri de Maſſa, qui bis Cuſtos fuerat; primo quidem ab anno 1543. electus in Capitulo Eremitæ Maſſatii ad annum 1546., quo ſucceſſorem habuit in Capitulo Maceratenſi Paulum de Septempeda; iterum vero ab anno 1560. electus in Capitulo S. Mariæ de Jeſu S. Elpidii ad annum 1563., quo ei ſucceſſit Evangeliſta de Murro. Fortaſſe Cuſtos Reformatorum non ſignificat, illum tunc Cuſtodem fuiſſe, ſed antea eo munere perfunctum. Obſervatu dignum eſt, Fratres Minores ea ætate ex Obſervantibus, & Reformatis promiſcue officia Ordinis exercuiſſe, & ex Cuſtodibus Reformatorum, ut plurimum, Miniſtros aſſumptos; ut enim cætera exempla taceam, idem Petrus de Maſſa, ut bis Cuſtos, ita bis fuit Miniſter, anno ſcilicet 1555., & præſenti.

XXVIII. Franciſcani Conventuales, & Fratres Tertii Ordinis in Portugallia ſubjiciuntur Fratribus de Obſervantia: *In eminenti*. Die 30. Octobris; ſimiliſque reformatio fit in Provinciis Belgii, Flandriæ, locisque dominii Hiſpaniarum, data ad id facultate Fratri Angelo de Averſa, qui confirmatur in munere Commiſſarii Provinciarum Galliæ, Belgii, Inferioris Germaniæ, Flandriæ, & S. Andreæ, ei collato a Miniſtro Generali ad effectum reformandi hujuſmodi Provincias: *Quum ſicut accepimus*. Die 3. Octobris. Interea confirmat Pontifex literas ſuas jam expeditas ſuper reformatione Ordinum Regularium in Hiſpaniis, additis præſcriptio-

tionibus, & determinationibus ad finem felicius conſequendum: *Superioribus menſibus*. Die 16. Aprilis. Declarat regulas, quibus Fratres, & Sorores Tertii Ordinis in Hispaniarum Regnis reformari deberent: *Quum circa ea*. Die 20. Septembris.

XXIX. Incœpta reformatione Conventualium in Regno Hispaniarum, Minoriticæ domus tam Observantium, quam Conventualium in Regnis Navarræ, & Aragoniæ inſeruntur Provinciis Burgenſi, & Cantabriæ: *Quum alias*. Die 18. Auguſti. Quod etiam fit quoad domos aliorum Ordinum Regularium, excepto Ordine Fratrum Prædicatorum: *Quum Nos*: die 18. Auguſti. Accedunt vero Obſervantibus Cœnobia, quæ ſequuntur.

In Provincia Burgenſi.

XXX. Cœnobium S. Franciſci Civitatis Tudelæ in termino orientali Navarræ ad fluvium Hebro. Seraphicus Patriarcha ædis fundamenta poſuit in regionis Auſtralis loco amœniſſimo, & populorum frequentia culto, quam pii Cives perfecerunt, ut oſtendit antiquus lapis ex ruderibus ſuperſtes cum epigraphe, & ſtemmate nobiliſſimæ gentis de Barayzes. Dirutam, ingruente bello inter Reges Navarræ, & Caſtellæ, Fratres deſeruerunt recepti vel anno 1363, vel 1372. intra Civitatem. Hinc Gonzaga, & Waddingus corrigendi, qui Paulo II. Regi Navarræ Fratrum translationem adſcribunt, quum certo certius ſit, teſte Petavio, ab anno 1343. ad annum 1378. Regem Navarræ unum fuiſſe Carolum *Pravum*, qui ſucceſſorem ſortitus eſt filium ſuum Carolum *Nobilem* ejus nominis II., nec in ſerie Regum Navarræ Paulum ullum reperiri. In Chronica Joannis Baptiſtæ de Galarreta invenio, Carolum II. ædificium in angulo Civitatis L. paſſ. ab Hebro juxta rivum alium, qui in Hebrum præcipiti curſu influit, inchoaſſe, & Carolum III. abſolviſſe. Aſt neque prædictis annis 1363. & 1372. Carolus II. Regnum obtinebat, neque de Carolo III. ullibi fit mentio in Petavii Catalogo. Eccleſiam reædificavit quidam Archiepiſcopus Tyri natione Indus. Viſuntur in ea ſepulchra Regum Navarræ, Infantium, Principum, & virorum illuſtrium, præſertim gentis de Barayzes in vetuſtiſſimo Sacello Dominæ Noſtræ Angelorum, & gentis Enriquez de la Carra, & Navarra Comitis de Ablitas ex ſanguine Regum Navarrenſium, quæ Cœnobii juspatronatus ſibi attribuit, in Sacello S. Mariæ Magdalenæ. Jacet illic tumulatus B. Gerardinus de Santa, cujus corpus a priori loco translatum ad Cornu Epiſtolæ, incluſumque capsa deaurata reconditum eſt in pariete ad altitudinem decem, vel undecim pedum anno 1612. menſe Auguſti, Guardiano Matthæo de Montoya, quem Provincia deinde habuit Miniſtrum, præſentibus Andrea de Medina Conventus Concionatore, & Joanne de Olaſſo familiari S. Inquiſitionis. De inſigni miraculo ab hoc Dei Servo patrato dicemus ad annum 1617., quo contigit.

Gonzaga in Prov. Burgen. con. 5.
Annales Min. ad an. 1424. num. 29.
Petav. Ration. temp. lib 2 succes. Reg. Navar. pag. 235.
Vallemont to. 3. pag. 406.
Galarreta pag. 45

XXXI. Cœnobium S. Joannis del Sotto, ſeu de Ramo una leuca a Civitate Vianæ in Regno Navarræ conſtructum in Eremitorio ejusdem nominis ab ignoto quodam Principe Navarrenſi ob ſingulare beneficium, quod a S. Joanne acceperat vitæ diſcrimini objectus, labente arbore, cui incumbebat. Fundationis tempus Waddingus ſignat annum 1480. Loci poſſeſſionem Observantes primo tenuerunt, iisque diſcedentibus, Conventuales. Hodiernum Cœnobium, priori derelicto, Cives Vianenſes fundarunt XXX. paſſ. a Civitate anno 1642., jacto primo ejus lapide Kal.

Annales Min. ad annum 1480. nu. 24.
Gonzaga ibid. con. 19.

Mar-

Martii; ſed abſolutum non fuit, niſi anno 1677. VI. Kal. Septembris; eumdemque habet titulum S. Joannis de Ramo; ſtructuram vero adeo magnificam, ut parva Aula Regia, ſeu *Eſcurial pequeño*, paſſim vocetur. Deceſſerunt ibi Michael Gonzalez, & Bartholomæus del Ros, quorum virtutes ſuo loco memorabimus.

XXXII. Cœnobium S. Franciſci Civitatis de Olite in medio Regni Navarrenſis fundatum L. paſs. a Civitate anno 1343. ut ſcribit Gonzaga, a Carolo II. Rege Navarræ, quod, ut mox notavimus, veritati minus eſt conſentaneum. Waddingus etiam id in dubium revocat ea motus ratione, quia Carolus tunc erat adhuc juvenculus, & regimini ineptus, adeoque putat, ædem vel a Joanna ejus Matre poſitam, vel eſſe originis poſterioris. Eccleſia unica navi conſtat ſatis ampla, atque eleganti. Majus Sacellum pertinet ad hæredes Caroli de Maulcon Dominos de Rada, & Traybuenas, ut indicant eorum inſignia, & ſepulchrum gentilitium. Memoratur in Chronica laudati de Galarreta quidam Kambarlent Guillen, cujus intuitu Rex Carolus II. Cœnobium annuis redditibus ditavit, quique poſſidebat Sacellum SS. Philippi, & Jacobi modo non amplius ejuſdem tituli.

Ibid con. 17.
Annales Min. ad an. 1345. num. 12.
Galarreta pag. 97.

XXXIII. Cœnobium S. Sebaſtiani Civitatis de Taſalla fundatum anno 1468. C. paſs. a Civitate in Eremitorio S. Andreæ Apoſtoli ſub invocatione S. Mariæ de Miſericordia opera Leonoræ Navarræ Reginæ, & Epiſcopi Pampilonenſis, qui Fratres idcirco accerſiverunt a Conventu S. Mariæ de Jeſu de Navarrete. Ajunt, Regem Joannem Cœnobio poſtmodum addidiſſe Eremitorium illi proximum S. Sebaſtiani, cujus nomine, Innocentio Papa VIII. annuente, vocatum eſt. Id autem, ut aſſeritur, Joannes Rex ab Innocentio poſtulare non potuit, quum ille regnare iucœperit anno 1494. ſub nomine Joannis III. de Albret; alter vero Pontificatum non produxerit, niſi ad annum 1492., quo ſucceſſorem habuit Alexandrum VI. Callixti III. Nepotem. Omnia Provinciæ monumenta ſuadent, Cœnobium a primæva fundatione ad Obſervantes pertinuiſſe; ex quo exiſtimo, non recte Gonzagam adnotaſſe translationem hoc tempore factam ad eoſdem a Conventualibus.

Galarreta pag. 96.
Vallemont ibid. pag. 407.
Gonzaga ibid. Con. 16.

XXXIV. Cœnobium S. Franciſci Stellæ, ſeu de Eſtella, fundatum a Sanctio VII. Rege Navarræ ante annum 1234., quo ei ſucceſſit Theobaldus I., juxta portam Civitatis in regiis hortis Annuntiationi Deiparæ Sacrum. In Eccleſia Trophæi loco appendit catenas ferreas, quas a Monte Toloſano abſtulit victor. Cernitur ad latus Evangelii ſepulchrum Regum Navarræ, & de majori Sacello ſcriptum legitur: *Regali proſapia decreto Supremi Conſilii Navarræ hic locus reſervatur*. Obierunt in hac domo Petrus Romero, & Joannes de Lezcano Laici cum opinione Sanctitatis, ille anno 1595., alter circa annum 1630.

Ibid. Con. 14.
Galarreta pag. 87.

In Provincia Aragoniæ.

XXXV. Cœnobium S. Franciſci Sarinienæ, vel de Sarinena, fundatum, ut ferunt, circa annum 1280. prope Oppidum in loco aquis irriguo, & fertiliſſimo, ubi Conventuales Provinciæ Aragoniæ anno proxime præterito ultimum Capitulum celebrarunt. Quievit hic Michael Moron Laicus inſignium virtutum, notæque ſanctitatis apud omnes. Floruit Dominicus Pico de Sariniena Cœnobii ipſius alumnus magno ingenio præditus, & diu Concionator in Hoſpitali Cæſaraugustano Auctor libri, cui titulus: *Trilogio*, multorumque ſermonum. Eum laudibus effert Franciſcus Blaſco de Lanuza in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſæcula-

Gonzaga in Prov. Aragon. Con. 19.

culari Regni Aragoniæ ſub Carolo V. Aulicum concionatorem renun- Blaſco lib. 5. cap. 6.
tiavit idem Carolus V., ſecumque ducere voluit in Germaniam; ſed
hoc munere ſe ille abdicavit annorum plenus. Conſtrui curavit Sacel-
lum S. Mariæ Lauretanæ prope Altare majus, cujus Imaginem anno XV.
Pontificatus Pauli III., obtenta facultate a Capitulo S. Joannis Latera-
nenſis, intulit in aliud Sacellum, quod fundavit ad latus Eccleſiæ, con- Joseph Antonius de Hebrera in epitom. Hiſtor. pag. 98.
ſtituto ibidem pio Sodalitio ſub titulo Minervæ, cui Julius III. privi-
legia Prædeceſſoris ſui confirmavit, & ratas habuit Indulgentias con-
ceſſas anno 1549. a S. R. E. Cardinalibus iis omnibus, qui Sacellum
ſtatis diebus devote viſitarent.

XXXVI. Cœnobium S. Franciſci Monſonii, ſeu de Monson, in fini- Gonzaga ibid. Con. 12.
bus Regni Aragoniæ prope Cathaloniam, de quo nihil aliud ſcimus,
præter id, quod tradunt Gonzaga, & Waddingus, nempe contempo-
raneum eſſe alteri Sarinienæ. Minoriticum habitum in eo aſſumpſit Joan- Annales Min. ad annum 1280. nu. 10.
nes Laurentius de Cetina Martyr Granatenſis. Anno 1642. irrumpentes
Galli ædem humi projecerunt, quam Fratres reædificarunt non multo Ibid. ad an. 1597. num. 2.
poſt, reſtituta in priſtinum locum miraculoſa Imagine Virginis Laureta-
næ inter rudera reperta. Cœnobium traditum fuit Obſervantibus Re-
collectis.

XXXVII. Cœnobium S. Franciſci Civitatis Oſcæ, ſeu de Hueſca vete-
ris fundationis, ut indicat ſcriptura anni 1304., quæ de ipſo loquitur. Gonzaga ibid. con. 5.
Valde anguſtum Obſervantes acceperunt, auctum Civium ſumptibus,
præcipue Vincentii Imberz, ejuſque Uxoris Paulæ Pinto, qui an-
nuos redditus pro Capitulo conſtituerunt a Senatu Civitatis adminiſtra-
tos. Franciſcus Gomez Vicarius Provincialis anno 1678. in locum de-
mortui Miniſtri Hieronymi Eſcuela, collectis eleemoſynis, dormitoria am-
plificavit, clauſtrum, cubicula, officinas refecit, & ædificium a fun-
damentis ferme excitavit XLIV. Fratribus contiuendis aptum. Illuſtravit
hunc locum Frater Belengerius de Bardaxi, qui, quum eſſet Miniſter
Provinciæ circa annum 1597., renuntiatus eſt Epiſcopus Oſcæ. Aſſer-
vatur in Archivio diploma Caroli V. anni 1537., quo confirmatur di- Hebrera ibid. pag. 61., & seq.
ploma alterum Jacobi II. Aragoniæ Regis datum Oſcæ die quinta De-
cembris anni 1314. pro manutentione, & felici ſtatu Fratrum in ſuis
ditionibus, ac præcipue ut quæcumque victualia intra clauſtra introdu-
cere libere poſſent. Gregorius XIII. indulgentia ditavit Sacellum S. An-
tonii Patavini. Doctor Petrus Tarazona Regis Conſiliarius in Sardinia
donavit huic Sacello plures Sanctarum Reliquiarum thecas, & Corpus
S. Agnetis inventum una cum corporibus S. Mariæ, & S. Petri Mar-
tyris in ruinis Civitatis Calaris anno 1623. Vetus marmor urnæ appoſi-
tum hanc habet inſcriptionem: *Hic jacent B. M. V. annis L. & SS. Ma-
ria, & Agneta. V. annis XX. & XI.*

XXXVIII. Cœnobium S. Franciſci Civitatis Jaccæ fundatum in Ec-
cleſia Parochiali S. Pauli Apoſtoli anno 1246., ut compertum eſt ex
literis Innocentii IV. datis Lugduni eodem anno pro illius conſtructio- Gonzaga ibid. con. 8.
ne. Eccleſia veterem ſapit architecturam. Sacellum majus admirabilis
opificii erexerunt Domini de los Abarcas Comites de Gabin, & Gar-
cipollera legitimi Nepotes Sanctii Albarca Regis Aragoniæ. Deceſſerunt Hebrera ibid. pag. 73.
illic viri ſanctitate illuſtres, quos inter Joannes Albanes Laicus arden-
tiſſimæ charitatis, qui tum in Noſocomiis, tum privatis in domibus
noctu diuque, vigente lethali epidemia infirmis, ac peſte laborantibus
ſumma ſedulitate aſſiſtens anno 1655. ad Dominum placide migravit.

Gonzaga ibid. con. 2. — Blancas in Hiſt. Regis Jacobi I. pag 162. — Montemayor in lib. de Privil. divitum pag. 16. — Murillo in Hiſt. Cæſaraug. p. 396. — Annales Min. ad an. 1498. nu. 16. — Hebrera pag. 17.

XXXIX. Cœnobium S. Franciſci Cæſarauguſtæ, vel Siracuſæ fundatum circa annum 1218. a Joanne Parente, quem Seraphicus Pater in Hiſpaniam miſerat cum decem ſociis. Jacobus I. Rex Aragoniæ ædificium inchoavit, & ad complementum perduxit. Anno 1219. die S. Auguſtino ſacra primam Miſſam Fratres in Eccleſia celebrarunt. Anno ſequenti ſub eodem Joanne Miniſtro habitum eſt Capitulum Provinciale totius Hiſpaniæ. Ædem Fratres reliquerunt poſt annos 67. tranſlati intra Civitatem, & in parvum Cœnobium Auguſtinianorum reformationis Joannis Boni Mantuani extinctæ a Gregorio X. introdncti, adſportatis a priori Conventu corporibus BB. Agni, & Vitalis, ſeu Viridantis, aliiſque SS. Reliquiis. Ipſum reſtaurarunt, & auxerunt magnis ſumptibus Petrus Infans Aragoniæ, Epiſcopus Cæſarauguſtanus Hugo de Mataplana, Petrus Coronell Dominus de Affararin, & nobiles Cives. Scribit Waddingus, Cœnobium reformatum anno 1498. Sed hoc anno id factum contendit Hebrera ſub Provincialatu Antonii de Torres electi in Comitiis Dominæ Noſtræ de Jeſu Cæſarauguſtæ, qui licet multas difficultates ſuperare debuerit, fretus tamen auxilio, & auctoritate Epiſcoporum, & Domini Antalis de Alagon Comitis Militiæ S. Jacobi impedimenta demum omnia removit. Locum Obſervantes in meliorem formam redegerunt, ejuſque Clauſtrum parvam viam Equeſtrem Cives vocant, ibi conſurgens, ubi paſſi ſunt Martyres Cæſarauguſtani, qui ſub *innumerabilium* nomine coluntur. Adnexum habet Collegium S. Didaci fundatum anno 1601. a Joanne Carolo Fernandez de Heredia, & Catharina de Vera, & Claver conjuge ſua Comitibus de Fuentes. Officium S. Inquiſitionis in aulis hujus Cœnobii exercere ſolent Miniſtri ad id deputati. Templum poſitum ab Infante Petro, & abſolutum a Tereſia Aragonum Regina conſtat unica navi ſine columnis protenſum in longitudinem ped. 240., & in latitudinem ped. 75. Præter recenſita duorum SS. corpora quieſcit in eo B. Nicolaus de Orbita ſocius Joannis Parentis, & pretioſiſſimis Reliquiis pluſquam triginta ejus Sacelia exornantur, in quibus pulcherrimum, & devotiſſimum Dominæ Noſtræ Angelorum miraculis inſignis. Similiter prædicti Petrus Infans, Hugo de Mataplana, Petrus Coronel, ac præterea Stephanus de Roda, Betrana Duerta, Tereſia conjux Alphonſi IV. Regis Aragoniæ cum duobus filiis Infantibus Aragoniæ induti omnes habitu Franciſcano. Non puto, Tereſiam hanc eamdem eſſe cum altera ſupra memorata, quum illa jam Regina dicatur a Gonzaga ad annum 1399., Alphonſus autem IV. Regno potitus ſit tantum anno 1327.

Hebrera pag 44. — Petavius ibid. pag. 810. — Zurita in Hiſt. Aragon. lib. 3. cap. 80. — Annales Min. ad an 134. num. 24. — Gonzaga ibid. con. 14.

XL. Cœnobium S. Franciſci Exeæ Equitum Diœceſis Cæſarauguſtanæ, de quo duo adſunt monumenta, unum Hieronymi Zuritæ: *Sententia*, ait, (ea nimirum, quam Jacobus Rex Aragoniæ *El Conquiſtador*, qui Regnum accepit anno 1213. & reliquit anno 1276. pronuntiavit in D. Antal de Luna) *lata eſt a Rege, qui degebat in Monaſterio Fratrum Minorum Villæ Exeæ die* 12. *Martii anno* 1272. Concordat Waddingus, qui eumdem Regem dicit anno 1265. die 8. Octobris in Aula capaciſſima Cœnobii comitia habuiſſe. Alterum monumentum præbet Archivium Conventus. In inſtrumento authentico Juliani Genzano Regii Tabellionis in toto Regno Aragoniæ legitur: *Anno* 1250. *fundatus fuit hic Conventus, in cujus Eccleſia collocata eſt Imago Virginis de Balbaneda*. Hæc omnia Gonzagam latuerunt. Exurgit Ædes magnifico opere perfecta ad marginem fluvii Arba de Lueſia C. paſſ. ab oppido prope ve-

pe veterem Eccleſiam S. Petri Parochialem. Obiit hic Joannes Martins natione Hibernus anno 1598. ſui memoriam in benedictione relinquens apud Cives, & finitimos a Parentibus in filios traductam. Idem ibid. con. 10.

XLI. Cœnobium S. Franciſci Civitatis Turolii, ſeu de Teruel, fundatum anno 1220. a BB. Joanne Peruſino Sacerdote, & Petro de Saxoferrato Laico Franciſcanis juxta ædiculam S. Bartholomæi Apoſtoli Civium Turolenſium liberalitate anno 1225. translatum in ſatis amplum Monaſterium XXX. paſſ. a Civitate. In Eccleſiam allata ſunt Valentia Fundatorum corpora, qui Martyres occubuerunt interfecti ab Azoto, ſeu Zeitabuzeit Valentiæ Rege Mahumedano die 29. Auguſti anno 1231. Translationem fieri curavit Jacobus I. Rex Aragoniæ poſt devictas præfati Regis Valentini copias. Anno 1392. novo Conventu, & Eccleſia ædificatis a Garcia de Heredia Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, ſacra pignora in Sacello SS. Crucifixi recondita jacuerunt, eaque comperuit, quum ſepulchri locus ignoraretur, P. Magiſter Vega Conventualis, qui per Quadrageſimam concionabatur in Eccleſia Cathedrali Turolii, Deo illi rem revelante, magnaque ſolemnitate collocavit ad Altare majus in capſa cum inſcriptione: *Iſti ſunt SS. Martyres Fr. Joannes Sacerdos, & Fr. Petrus Laicus*. Incluſa deinde duabus arcis ſeparatis poſita ſunt in Sacrario, Joannes ad dexteram, Petrus ad lævam. Idem Vega ob devotionem erga SS. Martyres noctu Reliquiam ſurripuit ex corpore B. Joannis, quam Valentiam detulit, unde poſtmodum ægrotus Turolium ivit, & cantatis in Eccleſia illis verbis: *Ne recorderis peccata mea, Domine*, ſanctiſſime deceſſit. Agunt de his SS. Martyribus præter Gonzagam, & Waddingum S. Antoninus Epiſcopus Florentiæ, Marieta, Bleda Dominicanus, Zague, Murillo, Blaſco, & Lanuga cum aliis.

S. Antonin. 3. part. cap de egregiis Viris Ord. Min. cap. 14. Mariet. Hiſt. Sanct. Hiſpan. part. 2. lib 3. caput 24. Bleda Chron. Hiſpan. lib. 7. cap. 34.

Zag. Hiſt. Turol. Muril. ibid. pag. 238. Blaſco ibid. cap. 91.

In Provincia Cantabriæ.

XLII. Cœnobium S. Franciſci Pampilonis fundatum circa annum 1214. a Seraphico Patriarcha CCL. paſſ. a Civitate in Eremitorio S. Petri de Ripis ad fluvii marginem. Ab hoc loco ob incommoda, quæ patiebantur, Fratres exceſſerunt recepti juxta portam S. Laurentii in fundo, quem ipſis donarunt Hæredes Eſtevan, & Navarro de Eſparza Fratres Cives Pampilonenſes, & vir pius nomine Doatto circa annum 1238., quo primus occurrit Inquiſitor hæreticæ pravitatis Guardianus Cœnobii Pampilonis. Incœpto ædificio, gravis perſecutio in Fratres, eorumque benefactores exarſit, quam tamen, mandante Pontifice, extinxit Cardinalis S. Sabinæ. Locum incoluerunt ad annum uſque 1459., quo, ædibus ſolo æquatis in bello inter Reges Hiſpanos, & Galliarum, immiſſi ſunt in domos Parœciæ S. Laurentii a Præſule Civitatis, & Cardinali Beſſarione Epiſcopo, donec Cœnobium aliud prope veteris ruinas ſibi conſtruerent, in quo delituit Joannes de Albret ſperans, ſe poſſe Navarræ Regnum a Carolo V. occupatum recuperare. Sed hoc etiam Carolus V. bellorum cauſa dirui juſſit, Fratribus intra Civitatem translatis, conſtructo Monaſterio in turri ærarii Regii juxta Aulam Imperialis Conſilii, quod inhabitarunt anno 1523. Juſpatronatus ſpectat ad Regem Hiſpaniæ, & Majoris Sacelli ad Ducem Alvæ Comeſtabilem Navarræ. Obierunt hic Martinus Domeno Laicus anno 1615., Bernardinus de Augero Miniſter Provinciæ circa annum eumdem, Sebaſtianus de Marçalla Theologiæ Lector anno 1616., & Joannes Santor Laicus anno 1635., quorum acta ad ſuos annos reſervamus.

Gonzaga in Prov. Cantabriæ con. 5.

Galarreta ibid. p. 31. & ſeq.

XLIII. Cœnobium S. Franciſci Sangueſæ, vel de Sangueſſa, alias *Ro-*

ta forte in finibus Orientalibus Aragoniæ prope Pirenæos fundatum a Seraphico Patriarcha in Eremitorio S Bartholomæi anno 1214., ut legitur in lapide reperto in ruinis ejuſdem Eremitorii: *Hoc Cœnobium fundavit S. Franciſcus in honorem S. Bartholomei anno MCCXIV.*; fuitque omnium primum ab eo poſitum in Hiſpania. Theobaldus II. Rex Navarræ ipſum tranſtulit prope Civitatis mænia. Ita Inſcriptio marmorea in Eccleſiæ pariete; *Anno Domini MCCLXVI. Theobaldus II. Illuſtris Rex Navarræ ædificavit hanc Eccleſiam in die S. Lucæ Evangeliſtæ.* Hinc occurritur Gonzagæ, Waddingo, & Haroldo, qui ſecundum ædis fundatorem recenſent Theobaldum III. Regem, eum ſcilicet, qui numquam fuit; eamque conſtructam intra Civitatis mænia.

Gonzaga ibidem con. 8.

Annales Minorum ad an. 1300. num. 14.

Haruldus epitom. tom. 1. pag. 578. num. 4.

Gonzaga ibid. con. 6.

XLIV. Cœnobium S. Franciſci Methymiæ, ſeu Medinæ de Pomar fundatum ante annum 1323., ut eruitur ex quibuſdam epitaphiis inferiori clauſtro inciſis; ſcripturæ namque, & monumenta cætera, teſte Gonzaga, obliterata ſunt data opera. Aſſervantur in ejus Tabulario aliqua diplomata Martini V. Sixti IV. Clementis VII. Alexandri VI. & Joannis I. Regis Caſtellæ anno 1383. Primum Guardianis veniam facit eligendi Syndicos, qui poſſint repetere in judicio, & extra legata Fratribus ex teſtamento relicta, quod privilegium alterum confirmat. Tertium anathemate ferit eos omnes, qui Minoritarum domibus vim intulerint, reſervato abſolutionis beneficio Summo Pontifici, vel Judici Conſervatori eligendo vel a Provinciæ Miniſtro, vel a loci Guardiano. Quartum concedit, ut Chriſtifideles Miſſam, divinumque Officium apud Franciſcanos audire, & Franciſcani eorum confeſſiones excipere, & ad eos concionari poſſint. Ultimum confirmat privilegia ab Alphonſo XI. ejus Prædeceſſore Franciſcanis conceſſa, illoſque a quavis decima ſolvenda immunes reddit. Habitabant in hoc Cœnobio triginta octo Fratres.

Idem ibid. con. 9.

Monumenta Provinciæ

Annales Min. an. 1564. num. 34.

XLV. Cœnobium S. Juliani Piedrolæ fundatum a Dominis oppidi S. Crucis de Campeſo non longe ab oppido Piedrolæ ad radices editi montis pro Obſervantium familia, qui anno 1482. inde exceſſerunt ob vigentia bella inter Reges Navarræ, & Caſtellæ. Lopetius de Rojas Dominus Oppidi S. Crucis anno 1487. introduxit in illud Conventuales Provinciæ Aragoniæ, quibus adjecit poſſeſſiones, & redditus ex privilegio Sixti IV. & Innocentii VIII. Commorantur in eo viginti Fratres. Gouzaga ſcribit nomen Pii V., & annum 1564. Annus itaque, non Pontificis nomen corrigendum venit, ut facit poſtremus Annaliſta, qui non advertit, tempore Pii V., non IV. Conventuales reformatos fuiſſe in Hiſpania.

In Provincia Valentia.

Gonzaga in Prov. Valen. Con. 1. & 2.

XLVI. Cœnobium S. Franciſci Valentiæ magnifico ſumptu fundatum a Jacobo Rege Aragonum, & a mox memorato Zeitebuzeit, qui, abjurata Mahumedana ſuperſtitione, baptiſmum ſuſcepit ſub nomine Vincentii Belviſii, reſtauratumque poſtea, & auctum a Senatu Valentino, plurimiſque viris nobilibus. In hoc loco paſſi ſunt pro Chriſti fide præfati Petrus, & Joannes. Supra portam Conventus exſtant hæc carmina.

Quæ fueras olim Maurorum Principis Aula,
Dum hæc Urbs illius ſub ditione fuit,
Jam remanes felix Fratrum madefacta duorum
Pro Chriſto fuſo ſanguine Sacra Domus.

Poſt-

Poſtea Franciſcus, rueret ne culmine Templum,
Codinati, inquit, labitur ecce Domus.
Surrexit tremefactus Eques, pia numine Templa
Franciſco reparat ſumptibus ille ſuis.
Nunc tandem Cœlo, diviſque faventibus hujus
Conditur excelſa porticus alta Domus.

In Chori fornice legitur:

Azoto Rex Maurus pro Fide trucidat ipſos,
Votis ipſorum fit Chriſti ſumpto lavacro.

In Eccleſiæ navi.

D. O. M.

Sub hoc marmore jacet Berengarius Codinatus quæſtoris Ordinis Tarraconenſis Regis præfectus rationibus, Dominus Pagorum Albalat, Benimaclet, & Mislata, qui in ſuis ædibus agenti, via vulgo appellata de Saracoſa, Divus apparuit Franciſcus ſplendida luce fulgens, ſuavique odore fragrans, plagiſque ad inſtar Chriſti inſignitus efficaciter monens, ut Franciſcanorum Conventum ruinam minitantem brevi reficeret; quod ſtatim liberaliter maxima pecunia effecit. Cui Dominus Joannes Aquilonius Regis Procurator ..... ejus Pronepos, legitimuſque heres ſepulchrum iſtud vetuſtate demolitum denuo inſtauravit.

XLVII. Cœnobium S. Franciſci Morellæ Diœceſis Dertuſenſis, quod incoluit Benedictus XIII. de Summo Pontificatu contendens cum Bonifacio IX., illique alias inter Reliquias dono dedit duas Spinas Coronæ Dominicæ, & os B. Bernardi de Quintavalle primi Seraphici Patris diſcipuli. Fundatum extitit a prædicto Rege Jacobo in gratiam Chriſtianorum, profligatis ab Oppido Morellæ Saracenis. In Altari Maximo Eccleſiæ quotannis Dominica infra Octavam Corporis Chriſti celebrantur tres Miſſæ ſolemnes eodem tempore a tribus Sacerdotibus, totidemque Diaconis, & Subdiaconis in memoriam Conſecrationis Eccleſiæ factæ anno 1390. ab Hugone Epiſcopo Dertuſano, cui ad altare adſtiterunt duo Epiſcopi. Mos hic viget noſtra etiam ætate, ut mihi retulit P. Joſeph Alberola jam Commiſſarius Familiæ Ultramontanæ in Curia Romana, & modo Commiſſarius Terræ Sanctæ in Cœnobio Aracæli, qui inibi fuit Guardianus, & quo maxima cum utilitate utor Interprete viro eruditiſſimo in rebus, quæ ad Familiam Ultramontanam pertinent, declarandis.

In Provincia Majoricarum.

XLVIII. Cœnobium S. Franciſci Palmæ a Rege Balearium Sanctio Jacobi Aragoniæ Regis ex filio Nepote fundatum intra Civitatis mænia. Ad ipsum Obſervantes migrarunt a Cœnobio altero conſtructo circa annum 1238. ejusdem Jacobi Regis liberalitate, quum Dominica infra octavam Aſcenſionis Didaco de Arredo literas Apoſtolicas reformationis exequeretur, accerſitis in Conventu S. Claræ Palmæ Obſervantibus quadraginta, & Conventualibus, domuſque conſtituto Guardiano ex Obſervantium Familia Antonio Cardils, Vicario Joanne Fè, & Novitiorum Magiſtro Hieronymo Ferrer. Ex Conventualibus novem privilegiis renuntiarunt, Obſervantibus adſcripti in Cœnobio S. Franciſci. Ordinarius numerus Fratrum eſt XL. Monuménta Provinciæ.

In Provincia Cathaloniæ.

XLIX. Cœnobium S. Francisci Taraconis Civitatis Archiepiſcopalis intra Maris Mediterranei oras ſupra amœniſſimum, ſegetumque feraciſſimum collem conſtitutæ ſub gradu 18. longitudinis, 41. latitudinis, utque ferunt, vel a Tubal, vel probabilius a Scipione conſtructæ. Ædificatum exti-

extitit juxta ædiculam S. Salvatoris donatam ab Archiepiſcopo Tarra-
Gonzaga in Prov. Catalon. con. 4. conenſi Allegario anno 1248. Capitulo, & Epiſcopo Vicenſi, quam
Fratres ære publico, & privatorum Civium ampliarunt, & in Cœno-
Annales Min. an. 1248. num. 35. bii formam redegerunt ſub nomine S. Francisci. Quæ ad ipſum ſpectant
legi poſſunt apud Gonzagam, & Waddingum. Joannes II. Rex Arago-
Ibid. ann. 1472. num. 35. niæ, & Joannes Segura Miniſter Provincialis obtinuerunt a Paulo II.
Summo Pontifice, ut ædes bellorum injuria ferme deſtructa intra Ur-
bis mænia conſtrueretur.

L. Cœnobium S. Francisci Civitatis Gerundæ ſuffraganeæ Archie-
piſcopi Tarraconenſis ſupra fluvium nomine Ter ſeptem leucis a Mari fun-
datum in vivis adhuc agente Seraphico Patriarca. Eccleſiam habet am-
pliſſimam polito, quadratoque lapide, & pulcherrimis Sacellis exorna-
tam. Cœnobium S. Mariæ de Jeſu Cervariæ Diœceſis Vicenſis conſtru-
Gonzaga ibid. Con. 7. ctum fidelium eleemosynis in fundo Fratribus conceſſo a Jacobo I. Re-
ge Aragonum anno 1245., dirutum in bello, quod Joannes II. Rex
Ibidem con. 24. Aragoniæ Pater Ferdinandi V. Hiſpaniarum Regis geſſit contra Cathala-
nos, refectum rurſus intra Oppidum a Joanna Regina, & Cardinali de
Cardona Regni Cancellario, & reſtauratum anno 1516. a Bartholomæo
de Perpiniano Verbi Dei Concionatore diſertiſſimo. Sixtus IV. anno 1479.
conceſſit plenariam peccatorum remiſſionem rite confeſſis, & Catholi-
Annales Min. an. 1479. num. 31. ce morientibus Fratribus in Valetudinario hujus loci, & omnibus utrius-
que ſexus Chriſtifidelibus in Hoſpitali SS. Trinitatis, & S. Franciſci pro-
pe ipſum decedentibus. Cœnobium S. Franciſci Villæ Francæ Pane-
tentium Diœceſis Barcinonenſis fundatum, ut ait Gonzaga, a quodam
Gonzaga ibid. Con. 17. Archiepiſcopo ante annum 1299., auctumque, & exornatum Civium
ſumptibus, quorum ſtemmata in Eccleſia ad eorum ſepulchra pendent.
Annales Min. an. 1291. num. C. Anno 1591. Nicolaus IV. conceſſit Archiepiſcopo Tarraconenſi, ut par-
tem fundi juxta Conventum hunc, quem ille a Romana Eccleſia ſub
annuo cenſu obtinebat, Fratribus cederet ad Cœnobium ampliandum.
Gonzaga ibid. con. 19. Cœnobium S. Franciſci Villæ Francæ Confluentis Diœceſis Elnenſis, &
Comitatus Ruſcilionenſis ad radices Pirenæorum in valle undique clauſa
fertili, & amœniſſima fundatum circa annum 1280. in Monaſterio Fra-
trum de Pœnitentia Jeſu Chriſti non procul ab oppido, ejus Civibus
Annales Min. an. 1279. num. 29. a Patribus Comitiorum Provincialium Fratres expreſſe flagitantibus. Ve-
tuſtiſſima, & elegans moles civium nobilitatem, & divitias teſtatur,
dicique poteſt commune cœmeterium nobilium Ruſcilionenſium.

LI. Cœnobium S. Franciſci Bergæ Diœceſis Urgellenſis exſtructum
Gonzaga ibid. con. 20. anno 1333., ut conſtat ex literis Joannis XXII. *Ex zelo tuæ devotionis*.
Kal. Auguſti. Gonzaga derelictum aſſerit a Conventualibus, & reaſ-
ſumptum poſtea anno 1330. ſub Alphonſo III. Rege Aragonum; quod
verum eſſe nequit; neque enim literæ Pontificiæ de his loquuntur,
Petavius rat. tem tom 2. pag. 250. neque Alphonſus III. regnavit, niſi ab anno 1286. ad annum 1291. Lo-
co exceſſiſſent ob incommoditatem etiam Obſervantes; ſed auctoritate
Pontificis inibi permanſerunt. Cœnobium Montis Albi Diœceſis Tarra-
Gonzaga ibid. Con. 18. conenſis ſundatum oppidanorum ſumptibus ante annum 1287. Cœno-
bium S. Franciſci Barcinonis Cathaloniæ totius Metropolis ad oras Me-
diterranei alterum a Cœnobio S. Mariæ a Jeſu conſtructo anno 1427.
Ibid. con. 2. extra portam Angelicam jacto primo lapide ab Alphonſo V. Aragoniæ
Rege, ubi condita ſuut celebrata ſtatuta Barcinonenſia. Ædem poſuie
anno 1214. Senatus Barchinonenſis in Hoſpitali S. Nicolai, ut S. Fran-
ciſco, qui in Civitatem advenerat, gratum facerent, ejusque Fratres
inibi

inibi habere poſſent. Templum ſolemniter conſecravit anno 1247. S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, præſente Bernardo Epiſcopo Barcinouenſi; & Seraphico Patriarchæ dicavit. Exſtant in eo ſepulchra Aragoniæ Regum.. Veteris Monaſterii pars, Clauſtrum nempe, & Eccleſia adhuc ſuperſunt a Barcinonenſibus in veneratione habita ob memoriam S. Franciſci, & in ejus feſto magna cum frequentia eam inviſunt.

In Provincia S. Michaelis.

LII. Cœnobium S. Franciſci Placentiæ in Bethuria centum paſs. a Civitate in ripa fluvii Xero, vel Zerete, ſundatum incerto tempore, ſed pervetuſto, ut indicat ædificii forma. Cœnobium S. Franciſci Civitatis Badajocii, ſeu Pacis Auguſtæ, ad ripas fluvii Anæ in Bethuria.. Ignorantur tempus, & Auctor fundationis. Ejus redditus majori ex parte applicati ſunt Monaſterio S. Annæ ejusdem Civitatis. Reſormationem executioni mandavit Joannes de Ribera Epiſcopus Pacenſis, poſtea Valentinus. Gaſpar de Frexenal Guardianus Conventualium locum pacifice, & religioſe ceſſit Ludovico Zapata Miniſtro Provinciæ S. Michaelis.

Idem in Prov. S. Michaelis con. 4. & 6.

Monumenta Provinciæ.

In Provincia Conceptionis.

LIII. Cœnobium Villalvini Diœceſis Palentinæ. Gonzaga reformatum affirmat anno 1564. ſedente Pio V., quod, ut patet, verum eſſe nequit, prout notat etiam poſtremus Annaliſta. Sed is quoque in errorem incidit ſcribens, eo tempore reipſa Obſervantibus obveniſſe, quum contrarium conſtet ex Commentario Provinciæ ipſius, ex tabula, & antiquo libro Eccleſiæ Villalvini; quodque mirum eſt, hæc monumenta Annaliſtam non latuerunt. Clauſtrialium tempore ſpectabat ad Provinciam S. Jacobi. Ejus poſſeſſionem cœpit Antonius Tamayo Miniſter Provinciæ Conceptionis, electus anno 1565., traditione ei ſacta per Chriſtophorum Bartoclano Epiſcopum Palentinum ex auctoritate Pii V. & Philippi Regis. Redditus addicti ſunt Eccleſiæ S. Petri de Villanova Cœnobio proximæ. Ædem ab hominum frequentia remotam, & contemplationi maxima ſpatia præbentem tradidit Antonius Tamayo Fratribus Recollectis.

Gonzaga in Prov. Conceptionis con. 21.

Monumenta Provinciæ.

In Provincia Flandriæ.

LIV. Cœnobinm B. M. Virginis Lucemburgi nobiliſſimæ Civitatis in Germania Inferiori, quæ toti ditioni dat nomen inter Leodium, & Lymburgum a Septentrione, Lotharingiam a Meridie, Archiepiſcopatum Trevirenſem, & Moſellam ab Oriente, Ardennam ab Occidente. In hac Civitate temperatiſſimi climatis ſita partim in monte, partim in planitie, incolarum numero, divitiis, & nobilitate inſigni extitit a tempore Seraphici Patris Conventus Minoriticus, de quo nihil memorabile referri poteſt, quia in reformatione ipſius Tabularium Magiſtratus occupavit. In Eccleſia viſitur ſepulchrum Joannis III. Regis Bohæmiæ cum epitaphio, ex quo trium Auguſtorum eum Parentem fuiſſe compertum eſt.

Gonzaga in Provincia Flandriæ con. 17.

Monaſteria Monialium in Hiſpaniis reformata.

LV. In Provincia Conceptionis Monaſterium S. Claræ Caſtri Cæſaris; de quo poſtremus Annaliſta eadem habet, ac de Conventu Villalvini. In Provincia Granatenſi Monaſterium S. Mariæ de Angelis Granatæ primo Tertii Ordinis, deinde Clariſſarum. In Provincia S. Michaelis Monaſterium Clariſſarum Matris Dei, ſeu S. Mariæ de Gratia Xereſii. In Provincia Aragoniæ Monaſterium Clariſſarum S. Catharinæ Virginis, & Martyris Turolii, & Monaſterium S. Claræ Oſcæ, quod

quum

quum paucis Monialibus conſtaret non omnino a ſæculo ſegregatis, Reformatrices accepit a Monaſterio S. Catharinæ Cæſarauguſtæ Margaritam Gomez Abbatiſſam, Violantem Embun Vicariam, Damiatam de Naja, & Mendoza Novitiarum Magiſtram, & Hieronymam Ferriol Oſtiariam. Id tamen contigit anno 1573. In Provincia Burgenſi Monaſterium S. Claræ Stellæ. In Provincia Catbaloniæ Monaſterium S. Claræ Taraconis, & S. Claræ Dertoſæ. In Provincia Caſtellæ Monaſterium Tertiariarum S. Joannis de Pœnitentia Toleti.

Hebrera in epitome Provinciæ Conceptionis.

LVI. Memoratum S. Franciſci Palmæ Cœnobium gaudet ſingulari privilegio, communi tamen cæteris Ordinibus Regularibus, a Pio V. hoc anno conceſſo: *Ea, quæ concordia*. Die 13. Februarii, procedendi ſcilicet ad defunctos tumulandos, Parocho non requiſito, & ſine Clericorum ſæcularium interventu. Haud difficile fuit, ut hoc privilegium excitaret Parochorum zelum, & ſollicitudinem. Hinc pluries adverſus Regulares controverſias agitarunt etiam in Curia Romana. Joannes Santander Ordinis Minorum Epiſcopus Majoricenſis ea de re conſultus anno 1643. inter alia ita reſpondit Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium: „ Quod tales Fratres a primæva ſuorum Monaſteriorum fundatione usque modo exſiſtunt in pacifica poſſeſſione ſic ſepeliendi, quod ex eo provenit, quia in principio, quo hæc Inſula, anno ſcilicet 1229., ut ex antiquis Scriptoribus apparet, Infidelibus expugnatis, per Chriſtianos occupata fuit, Regulares ante Clericos Sæculares Chriſtianæ pietatis ſemina Sacramenta miniſtrando, & mortuos ſepeliendo ſparſerunt, ut habetur in Bulla Pii V. in favorem Regularium S. Dominici, S. Franciſci, Carmelitarum, & SS. Trinitatis. Quod Sixtus IV. anno 1474. pridie Kal. Septembris Pontificatus ſui anno quarto hoc ipſum conceſſit Dominicanis, & Franciſcanis, ubi conſuetum foret. Hic autem viget conſuetudo immemorabilis pacifice, & inviolabiliter ſervata .... Videns igitur ego rationem hujus facti inniti Regularium juri tam bene fundato, tot Bullis, & auctoritate Apoſtolica toties confirmato, ſimulque attendens ad utilitates, multiplicesque, uberrimosque fructus, quos ipſi portantes pondus diei, & æſtus in ſalute animarum procuranda, in divini Verbi prædicatione, Sacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtratione, pueros in fidei rudimentis erudiendo, clericos, & ſæculares docendo fere omnes ſcientias, ita ut nullus ſit literatus in hac Diœceſi, qui a Religioſis non ſit edoctus; infirmos conſolando, ut bene moriantur adjuvando, munus Curatorum ſæpe exercendo ob defectum clericorum idoneorum, officio S. Inquiſitionis aſſiſtendo, ac aliis pietatis, & virtutis operibus incumbendo die, noctuque indefeſſo labore afferunt in his Inſulis Majoricæ, & Minoricæ; Reſpondeo, præfatos Regulares ſuper præmiſſis non debere moleſtari, ſed ſuo jure, ac pacifica poſſeſſione frui, & Rectoribus, & aliis quibuscumque ſilentium perpetuum imponi; hoc enim jus, & conſuetudinem immemorabilem Regularium immutare erit innumerabilibus jurgiis, & querelis, ac ſcandalis cauſam præbere &c. „

LVII. Hac vice ſpe ſua Parochi dejecti ſiluerunt quidem, ſed non perpetuo, donec tum ſuper ſolutione quartæ funeralis, tum ſuper impuberum ſepultura tranſactione rem compoſuerunt. Eccleſia Cœnobii conſecrata eſt, dieſque conſecrationis celebratur die tertia Novembris. Conditum in ea reperitur inſigni tumulo corpus Beati Ramundi, ſeu Raymundi Lulli, qui pro Chriſti fide olim Bugiæ in Africa a Saracenis lapidi-

pidibus obrutus occubuit, de quo ita dicemus, ut vulgatis Urbani VIII. decretis fideliter inſiſtamus, etſi mera tantum facta a nobis narrentur. In Sacello, quod alii B. Virginis de Conſolatione, alii Puritatis, alii Conceptionis vocant, ad cornu Epiſtolæ aſſurgit machina vetuſti, & artificioſi operis, (Iconiſmum exhibet Joannes Baptiſta Sollerius in actis SS.) cujus baſim exornant parerga varii generis ævum ſuum redolentia, ſæculum nempe XV., quo jam adulto, certum eſt fuiſſe elaborata, inchoato opere a Magiſtro Joanne Lobetio anno 1460. vita functo. Buſta ſeptem ſuis quoque characteriſticis diſtincta vicem ſtylobatarum ſubennt, quæ ſignorum practicæ ſcientiæ, & ſpeculatricis oneri ferendo ſunt deſtinatæ. Altitudo loculorum palmos continet circiter octo Majoricenſes, ex quorum ſuperiori parte emergentes Genii coronam oſtentant ſtatuis ſingulis deſtinatam cum inſcriptione liberalium artium eo ordine diſpoſitarum, ut ducto ab Altari ordine prima occurrat Grammatica, inde Logica, Rhetorica, Muſica, Geometria, Aſtrologia. Hactenus fabrica Urnæ ipſi ſepulchrali quodammodo ſubſtructa altitudine palmorum fere undecim. Dehinc in pariete apertus patet loculus Sacelli ſpeciem referens, in cujus ſummitate veſtigia apparent inſignium Regni Majoricenſis, quorum colores vetuſtas adeo exedit, ut non omnino dignoſcantur. Quæ ad loculi latera vides buſta gemina, ſtylobatæ & ipsæ ſunt ſtatuis aliis præparatæ. Alterum Gothicam hanc epigraphem exhibet: *Diſpoſitor ſum ſanitatis*; manifeſtum ſi usquam aliud beneficiorum ejus meritis impetratorum judicium. Quod in alio poſitum fuerit, dubium eſt; veriſimile tamen, fuiſſe aut palmam, aut alia quædam Martyrii ſymbola. Ex interiori loculi illius parte ſpirat venerationem urna marmorea ex alabaſtrite elegantiſſime elaborata, impoſitaque baſi, cujus frontem exornant ſcuta tria gentilitia Regis Catholici Ferdinandi Majoricenſium, & Familiæ Lulliſticæ. Sed lapſu temporis adeo deleta, ut vix, & niſi cominus colores, aureaque decoramenta deprehendi queant. Urnæ partem extimam veſtit labor anaglypticus Beatum exhibens funebri habitu, radiis tamen inſignem, cui & alia ſuperadditur more antiquo Animam referens, & ipsam radiatam ab Angelis in cælum deportatam. Loculus totus ſipariis clauditur. Candelabris cereos imponit frequens populi erga Sanctum devotio, & concurſus; maxime vero ad Lampadem recurritur eum in finem adeo depreſſam, ut ex ea oleum deſumi poſſit. Quamplurimæ ex voto Tabellæ, & argentea donaria ex hoc mauſoleo pendent, & duo epitaphia inſculpta ſunt marmori affixo in proſpectu parietis, unum antiquiſſimum exametris carminibus exaratum a Franciſco Ximino Cauonico Majoricenſi, alterum elegiacis, in quibus Phœbus, & Calliope colloquuntur, auctoribus Joanne Genovardo, & Auguſtino Andrea Balearibus adoleſcentibus anno 1541. Exſtant præterea aliæ Imagines in eodem Sacello ſolitis Beatorum ornamentis præditæ.

Acta SS. ad diem 30. Junii. num. 7.

LVIII. Verum non hæc ſunt tantum erecta Lullo monumenta. In Altari maximo Eccleſiæ loculis quinque diſtincto grandiores eminent ſtatuæ SS. Franciſci, Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ, Onuphrii, & Bonaventuræ. Eſt & ſuperimpoſita pictura Lulliana in limbo deaurato, ubi exhibetur adorans puerum Jeſum brachiis Beatiſſimæ Matris præſentatum. In peculiari Sacello B. Martyri conſecrato omnia pretioſa, & elegantia inveniuntur. Architectura pro ſua vetuſtate non exigui nitoris eſt ordinis Corinthiaci, & Compoſiti, limbulis deauratis, ana-

glyphis, aliiſque decoramentis interſtincta. Hic ſuum Lullo altare, in quo Miſſa celebratur, hic ſtatua, hic ornamenta alia pretio non minus, quam varietate conſpicua, quum jurato architecti ipſius teſtimonio palam ſit, totam eam fabricam pluſquam quinque millibus librarum Majoricenſium, hoc eſt quatuor prope millibus ſcutorum Romanorum conſtitiſſe. Hic demum ardens lampas, & omnia, quæ Sanctis exhiberi poſſint, venerationis argumenta. De his ita loquitur Pater Vernon in vita Lulli ex memoriis deſumptis a Pacifico de Provins Capuccino in Itinerario Perſico iterum edito anno 1645. „ Quod tertio loco, inquit, examinavi curioſius, illud gratiſſimum fore confido & doctrinam, & pietatem profitentibus; agitur enim de viro ſancto, eoque inter mortales celeberrimo, quem doctiſſimi quinque Galli Hæreticis adnumerant, quemque ego hactenus, ut candide dicam, meliori loco non habui; Raymundum Lullum nomino, cujus eſt ars magna ſcientias omnes perdiſcendi. En tibi quæ Majoricæ de eo didici. Rem ſacram facturus Conventum petii Fratrum Minorum, a quibus in Sacellum deductus ſum ad latus Altaris majoris tam affabre elaboratum, doniſque locupletatum, ut totum aureum videretur. Obſtupui profecto, idque tum maxime, dum oculos paullum erigens loculum in Altari adverti, quem occupabat ſtatua lignea elegantiſſima coloribus variegata ſenem referens venerandum promiſſa barba, indutum habitu Tertiariorum S. Francisci, elevata facie Crucifixi intuente Imaginem cum Beato Viro ex Sole inarbore colloquentem, adjuncta hac ad imum ipſius ſtatuæ aurata epigraphe: *Beatus Raymundus Lullius Martyr*. Perculit me inopinatum ſpectaculum; verum ſtatim exemi ſcrupulum, quod ita cogitarem. Hic, ubi regnat S. Inquiſitionis Tribunal, nequaquam Sanctos inter locum occuparet homo ille, ſi vere eſſet hæreticus „.

LIX. Alia Lulli monumenta cernuntur in primario Civitatis Templo S. Eulaliæ, in quo tribus diverſis locis ejus Imago expoſita eſt radiis inſignis, prima in Altari S. Catharinæ, ſecunda in Altari B. Virginis Pietatis, tertia in Sacello SS. Conceptionis, ubi depicta eſt in pariete. In Eccleſia S. Spiritus Patrum Trinitariorum, & Sacello SS. Trinitatis exſtat Altare antiquiſſimi operis, (etiam hujus Iconiſmum exhibet laudatus Sollerius) in quo B. Raymundus ejus aræ latus occupat, in cujus altera parte S. Franciſcus Aſſiſias eſt collocatus. Repetita vero in eodem Altari ejus effigies radiis conſpicua, & zelum in annuntiando Mauris Evangelium, & toleratum pro fide martyrium repræſentat. In Altari S. Honorati apud Sanctimoniales S. Margaritæ ſpectabilis item eſt Lulliana Imago radiis ſuis decorata. In aula Univerſitatis non effigies ſolum ipſius veneranda proponitur, ſed & ibi Altare viſitur Raymundo ſacrum, ardet lampas, miſſæ celebrantur. Nullus locus populi frequentia notior eſt Propylæo S. Antonii. Ibi porro & radios ſuos Raymundus habet, & quæ in honorem ejus ardeat, lampadem alteram. Eſt alia inſuper cultus immemorabilis nota non infimi Ordinis in eo cubiculo, ubi ſub ipſis converſionis initiis Chriſtus Crucifixus Lullo apparuiſſe dicitur, & in celebri monte Randa aſpero vitæ genere, variiſque pœnitentiæ operibus a Raymundo illuſtrato; utrumque enim locum Fidelium pietas Deo dicandum cenſuit, exſtructis oratoriis, in quibus celebrantur Miſſæ, aliaque fiunt religionis exercitia, quin & illud memoria dignum narrant Vincentius Mut, & Frater Bonaventura Armengual apud Cruſturerium his verbis: „ Ad ejus ſpecum circa monticuli juga poſitum, & ab

& ab Eremitica domo de Miramar ad primum lapidem ſitum, in quo quietis, & ſomni cauſa manebat, animalia poſt ejus mortem accedunt, ab ingreſſu ſe abſtinent, & quaſi ipſum venerantes recedunt, quod ſæpiſſime videntes illius loci accolæ admirantur „.

LX. Digna ſunt memoria antiphona, verſus, & oratio, quæ olim recitari ſolebant, extracta ex Bibliotheca Cœnobii S. Dominici ut ſequitur. Titulus libri ſic ſe habet „ Ars Metaphyſicalis naturalis Ordinis cujuslibet rei intelligibilis arboris naturæ R. Patris præclariſſimi Magiſtri Jacobi Januarii Monachi Tarraconenſis Diœceſis. Pro ſenioribus, junioribus &c. „ Officium glorioſiſſimi, & Beatiſſimi Magiſtri Raymundi Lullii Martyris fol. 281. „ Sub cujus folio tenoris ſequentis ſic habetur „ Officium glorioſiſſimi, & Beatiſſimi Martyris Magiſtri Raymundi Lullii, qui paſſus eſt pro Chriſti nomine in Tunici Civitate, & lapidibus corruit, & ſic lapidatus eſt a Sarracenis, & translatum poſt mortem Majoricis, & ibi quieſcit in pace, in Eccleſia Monaſterii Fratrum Minorum, in quadam tumba marmorea honorabiliter, & ibi multa miracula fecit, ratione cujus meretur ab Eccleſia canonizari: quia teſtimonia ſuæ ſanctitatis ſufficiunt ad canonizandum ipſum Doctorem, & Martyrem „ Ad Veſp. Antiphona ad Magnificat „ Raymundus pretioſæ laudis abundus, doctor profundus, regnat ſine fine jucundus: & collaudabunt multi doctrinam ejus, & usque in ſæculum non delebitur nomen ejus „ W. Ora pro nobis, B. Raymunde. Ut digni &c. Oratio „ Deus, qui pro mundi hujus tenebris illuſtrandis B. Raymundum Martyrem tuum doctrina mirabili tuæ ſapientiæ illuſtraſti, præſta Eccleſiæ tuæ, ut ejus illuſtrata doctrinis, propulſis erroribus, & tenebris vitiorum, per viam virtutis incedat, & ad te memorandum, intelligendum, & amandum convaleſcat, & pro nobis ſit intelligentiæ, ſapientiæ, ſcientiæ, atque eloquentiæ perpetuus interceſſor. Per Dominum noſtrum &c.

Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 55. pag. 17.

Jo. Bapt Meſtre in Chron. pag. 17.

LXI. In Miſſa Epiſtola legebatur de libro ſapientiæ cap. 7. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus*. Evangelium ſecundum Joannem cap. 1. *Quomodo hic literas ſcit, quum non didicerit?* Oratio „ Deus, qui B. Raymundum Martyrem tuum, ut veram Filii cognitionem, & amorem gentibus communicaret, Infideles converteret, & hæreticos frangeret, usque adeo illuminare dignatus es, & innumeris decoraſti miraculis; præſta quæſumus, ut ejus interceſſione ad te cognoſcendum, amandum, & recolendum illuminemur, & corporis ſalutem aſſequamur. Per eumdem &c. Collecta „ Beati Raymundi Martyris tui, Domine, quem ineffabili præſentiæ tuæ lumine multoties ipſi apparens decoraſti, quæſumus, ut mentes noſtras illuminare, & corpora reficere digneris. Qui vivis &c. Poſt communio „ Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut Spiritus Sancti fervor incendat, quos Beati Raymundi Martyris tui feſta lætificant. qui dum tui amore corda Infidelium conaretur accendere, ab eisdem pro te lapidatus eſt. Qui vivis &c.

Antonius Olivez in monument. Prov. Majuricarum ad hunc annum.

LXII. Hæc in Breviarii, & Miſſalis reformatione expuncta eſſe intelligimus. Sed quantumvis inclytus Martyr nec officio proprio, nec de communi amplius celebretur; feſtiva tamen panegyrica oratione colitur Majoricæ in quamplurimis anni diebus, & præſertim a Pontificia, & Regali literaria univerſitate ſub die vigeſimaquinta Januarii, quæ anniverſaria eſt mirabilis ejus converſionis, & die 30. Junii dormitionis ejus a Patriæ Parentibus totius Palmenſis Civitatis nomine ſolemni pompa, & magnifico apparatu „.

LXIII. Deveniſſe Obſervantibus hoc anno in Provincia Algarbiorum Conventum S. Franciſci Miræ, ſeu Udemiræ, ditionis Tranſtaganæ, & Diœceſis Eborenſis non longe ab Oceano, qui ſpectabat ad Minores Conventuales, narrat Gonzaga; ſi tamen in numeris non ſit error; quum enim literæ Pontificiæ pro reformatione Conventualium in Regno Portugalliæ hoc anno die 30. Octobris fuerint expeditæ, difficillimum videtur, duorum menſium ſpatio rem confici potuiſſe; oportebat ſiquidem, ut literæ prius illuc deferrentur. Eum Obſervantes acceperunt rimis ſcatentem, & ruinæ proximum. Sed divenditis annuis redditibus ex indulto Apoſtolico anno 1577. ex integro refecerunt. Habet Patronum Comitem de Udemira.

Gonzaga in Prov. Algarb. Con. 17.

LXIV. Michael Achilles, ſeu, ut inquit Ughellus, Achilles Brancia Surrentinus Epiſcopus Bovæ Civitatis mediterraneæ in editiſſimo monte Calabriæ Superioris, quinto a freto milliari, quæ ad dominium temporale pertinebat Gaſpari de Fortis, tradidit Minoribus Conventualibus Cœnobium fundatum in ea Civitate a Petro Candiotto de Francica in area jurispatronatus Familiæ de Calcagna, & ejuſdem Epiſcopi diſpoſitioni relictum. Ejus nulla exſtat memoria in catalogo edito Romæ anno 1682. a Joanne Franchino de Mutiua Procuratore Generali Minorum Conventualium.

Ughel. tom. 9. pag. 538.

Monumenta Provinciæ.

LXV. Statuerant anno 1564. Patres Provinciæ S. Evangelii aliquot Conventus dimittere cum ob locorum diſtantias, tum ob aeris inſalubritatem, quæ eorum pluribus mortem intulerat; etſi forent qui loca retinenda exiſtimabant, ne Indi ſine Eccleſiaſticis Miniſtris remanerent. Aloyſius de Velaſco Pro-Rex Mexici eos a propoſito retraxit, promittens, Fratres ab Hiſpania cum claſſe mox adfuturos. Quum autem claſſis bis in Americam advecta eorum neminem adſportaſſet, Fratribus ad paucos redactis hoc anno Gaſtonus de Peralta veniam fecit, ut tuto excederent ab octo Conventibus, nimirum S. Joannis Yztacmixtitlan, Xalatzinco, Tlauhquitepec, Tepexic, Tehuacan, Chietlæ, Teutitlan de Guaxaca, & Huytlalpan. In Conventu Tepexic collocati ſunt Patres Prædicatores, in Conventu Chietlæ Eremitani S. Auguſtini, & in aliis Clerici ſæculares. Repugnarunt acriter Indi hos poſtremos acceptare; eoque res proceſſit, ut Franciſcanos, ne diſcederent, in Conventibus clauſos retinerent, excubias agentibus per diem feminis, & noctu viris, & Licentiatum Aloyſium Velaſquez, qui poſtea Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Mexici habitum Minoriticum ſuſcepit, ſancteque deceſſit in Conventu Populæ de Angelis anno 1585., immiſſum auctoritate Epiſcopi Tlaxcalæ in Conventum Tehuacan, inde ejecerint, & Fratrem Joannem de Ocanna fortuito ibi hoſpitantem, vi adhibita, abire non ſint paſſi. Georgius Seron Præſes Tepeacæ pœnis in eos animadvertit. Hinc plures in ſylvis ſe abdiderunt, nec obtineri potuit, ut redirent, niſi poſt aliquod tempus Doctor Villalobos, qui ob mortem Gaſtoni de Peralta præerat Regali Audientiæ, Franciſcanos ad illos miſiſſet. Idem accidit apud Teutitlanos, eademque animorum contentione pugnatum eſt pro Minoritis.

Theatr. Mexic. part. 4. num. 22. & seq. pag. 29.

LXVI. Non longe ab oppido Bocayrente Chriſtophorus Moreno Miniſter Provinciæ Valentinæ, cujus exſtant plura opera in lucem edita, & præſertim Vita B. Nicolai Factor ſui conſodalis Compluti an. 1588. apud hæredes Jo. Gratiani, de qua ait Poſſevinus: „ Liber dignus eſt lectu, ſed & vita dignior eſt imitatu „; ne doctrina magis, quam pietate

tate ſpectabilem ſe præberet, ære publico, & privato Civium fundavit
Cœnobium S. Bernardini in domibus, & horto, quæ pia mulier Mol- [Gonzaga in Prov. Valentiæ con. 28.]
lana donaverat. Ædem ad perfectionem adductam incoluerunt duode-
cim Fratres Recollecti. In Provincia S. Fidei Novi Regni Granaten-
ſis collectis a primo ejusdem Miniſtro Fidelium eleemoſynis fundatum eſt [Idem in Prov. S. Fidei Con. 6.]
Cœnobium S. Franciſci in Civitate Dominæ Noſtræ de Palma pro octo
Fratribus, qui duas domos doctrinales Colimæ apud Indos moderantur.
Hospitium S. Petri in Balneo conſtructum ſub annis 1522. & 1523.
in parva quadam domo, quam cum ædificiis, & terræ portionibus ad- [Annales Min. an. 1523. num. 48.]
jacentibus in Burgo S. Petri, & loco de Lama Pontis S. Mariæ Diœ-
ceſis S. Sepulchri Fratribus Obſervantibus donavit Communitas Terræ
Corzani Vallis Balneæ diſtrictus Civitatis Florentinæ; curæque Sebaſtia-
ni pii viri Tertii Ordinis S. Franciſci commiſſum, ut transeuntes Fra-
tres S. Montis Alvernæ exciperet, ac ſubinde a Philippo de Corzano,
& Bernardino de S. Sophia Sacerdotibus Minoritis Deum timentibus
ad formam pauperculi Conventus redactum, hoc anno Minores Obſer-
vantes intrarunt, poſtulante præſata Corzani Communitate a Miniſtro [Gonzaga in Prov. Tusciæ Con. 50.]
Generali, & Patribus congregatis in præfato Capitulo Montis Alvernæ,
ut Fratres ad novam ædem mitterentur. Communi itaque Capituli de- [Terrinca decad. Minorit. an. 1567. pag. 54.]
creto ſub uno Præſidente miſſi ſunt aliquot Fratres, qui petentium vo-
tis ſatisfacere, & fabricam augere cœperunt, et nihil modo ad ſtru-
cturæ perfectionem deſideratur.

LXX. Cœnobiis Cuſtodiæ S. Antonii Portugalliæ additus eſt hoc
anno Conventus S. Franciſci Jamaci, ſeu Civitatis Lamacenſis in tractu
Beirenſi, mediisque Urbis mænibus, Patrono deſtitutus, & ſubſtenta-
tus præcipue Episcopi beneficentia. Scribit Gonzaga, unum hunc eſſe [Gonzaga in Prov. S. Antonii Portugal. con. 6.]
ex novemdecim, quo completus eſt numerus, ut juxta diploma Apoſto-
licum Provincia conſtitueretur. Quod ſi verum foret, non quindecim
Provinciæ Cœnobia ipse recenſeret. Quum laxitate ædificiorum in ali-
quibus partibus ferme corrueret, reſervatis Eccleſia, & Choro, eum
Observantes humi dejectum aptiori forma refecerunt, aquæ fonte, cujus
illic aderat penuria, ad illum deducto. Ferunt, Templarios primum
inibi habitaſſe. Inventa eſt in lapide parietis Inſcriptio hæc ſere jam
exæſa: *Anno Domini 1532. 25. die Menſis Januarii obiit Joannes Joannis
B. M. quondam Abbas Eccleſiæ S. Petri de Aquias Cancellarius D. Marti-
ni Comitis Portugalliæ, & poſtmodum D. Sanctii Filii Dionyſii Regis Portu-
galliæ, qui fecit perfici, fieri, & cooperiri Eccleſiam iſtam, & fieri iſtam
Avejam, & eſt hic ſepultus in habitu S. Franciſci, ubi ipse elegit ſepultu-
ram. Cujus anima requieſcat in pace.*

LXX. Decreverant Cives Coriæ, vel Corii, parvæ Civitatis Episco-
palis in Regno Legionis in Bethuria, ad ripam fluvii Alagon Suffraga-
neæ Archiepiſcopi Compoſtellani, & domini itemporalis Ducum de Al-
ba Cœnobium Fratribus Observantibus conſtruere vel intra mænia, vel [Gonzaga in Prov. Sancti Gabrielis con. 19.]
prope ipsa; ſed exoptantibus Fratribus illud habere duobus ad minus
milliaribus a Civitate, res tamdiu dilata eſt, ut nonniſi anno 1561.
in Capitulo Provinciali Badajocii habito a Franciſco de Zamora Mini-
ſtro Generali exitum ſortita fuerit, inſtantibus Didaco Henriquez ab
Almanſa Epiſcopo Civitatis, & Albæ ducibus Ferdinando Alvarez de
Toleto, ejusque Conjuge Maria de Toleto. Ædes igitur fundari coepit
anno 1563. 300. paſs. a Civitate ipsorum Ducum, & Coriani Senatus
ſumptibus; ſed nonniſi hoc anno perfecta eſt, eamque Fratres ingreſſi
ſunt

ſunt numero ſexdecim, qui interim manebant in quodam Xenodochio. Locus inſignis eſt in Provincia, quia duo Lectores S. Theologiæ, & Guardianus pro tempore ſunt Examinatores Syuodales; inſuper Guardianus eſt Concionator Conventualis, & magis quia ſanctorum virorum, quorum vitæ ad ſuos annos erunt exſcribendæ, tumulo decoratur, Alvari de Roſas, ſeu de S. Maria, Joannis de S. Maria de Villa Caceres, Joſephi de S. Maria de Valle Motamoxos prope Xerez Equitum, Joan-
Monumenta Prov. S. Gabrielis. nis Camero de Alconchel, Matthæi de Magdalena Abulenſis, Antonii de Valverde, Sebaſtiani de S. Franciſco ex Diœceſi Guardienſi, Didaci de Coria, & Michaelis de Jaque a Ciudad Rodrigo. Hic poſtremus in Chronica Provinciæ dicitur ſepultus in Conventu Coriæ anno 1534; quod ſi verum ſit, corruit aſſignata a Gonzaga fundationis epocha.

LXIX. Iſrolaus de Sternberg octo millium Bohæmorum, & Moravorum Dux cum immenſo exercitu Tartarorum anno 1241. pugnam ini-
Greiderer lib. 4. §. 4. num. 185. turus, votum emiſit, ſi hæc ſibi fauſto omine cederet, Eccleſiam conſtruendi. Prælio maxima cum felicitate abſoluto, domumque victor reverſus Eccleſiam in honorem S. Patris Franciſci una cum Cœnobio pro Fratribus Olomucii condidit, quod Cuſtodiæ Moraviæ inſertum, & ſenſim privilegia amplexum hoc anno, inſtante Guilielmo Pruſſinowski Epiſcopo Olomucienſi apud Summum Pontificem, Jeſuitis adjudicatum eſt, qui locum tenuerunt die 5. Septembris, Conventualibus ad parvum Monaſterium S. Jacobi derelictum a Monialibus S. Auguſtini tranſlatis. Jeſuitæ per Gregorium XIII. in poſſeſſione confirmati, veteri Clauſtro, & Templo dejectis, ampliſſimum Collegium, & magnificam Eccleſiam, ſub titulo S. Mariæ ad Nives excitarunt.

LXX. Comes Montis Marſani in Aquitania Antiquiori hæreticorum partes ſequutus obſtabat hoc anno reductioni, & tranquillitati Fratrum Obſervantium Cœnobii Montis Marſanenſis, quum ſtrenuus miles, & Magiſter Equitum Dominus Montlutius, ſeu Montisluvii, trajecto fluvio,
Gonzaga in Prov. Aquit. Antiq. con. 17. & 18. in Urbem ingreſſus, trucidatiſque magno numero hoſtibus, Catholicos confirmavit, Fratreſque in loci poſſeſſionem immiſit. In hujus domus direptione anno 1563. occiſi ſunt, & in fluvium projecti Bernardus a
Monumenta Provinciæ. Turga, ſeu Purga, Bernardus Boerinus, & Bernardus Dalencus, qui hæreticis eum utpote juniorem ſervare volentibus: *Nonne videtis*, inquit, *Fratres meos me præceſſiſſe in cælum? Fidelis ſum, & Catholicus, & pro fide Eccleſiæ Romanæ moriar*. Ad Conventum alterum S. Macarii Obſervantes Burdigalæ exules, eodem Montlutio Duce, redierunt hoc anno; ſed incommode habitarunt ob frequentes ſicariorum incurſiones. Approbavit Pontifex fundationem Cœnobii Tertii Ordinis apud Caſtrum Campinium Diœceſis Pictavienſis factam ab Aloyſio de Borbonio Principe Montis Penſerii, ipſique impoſuit titulum B. Mariæ Virginis Bonæ Spei largitis etiam Indulgentiis: *Magna ſane*. Die 8. Junii. Fortaſſe hæc domus eadem eſt cum altera, quam ex Gonzaga exſtare diximus anno præterito prope Xampeniacum.

LXXI. Antonia de Borbonio Ducisſa Guiſiana propriis ſumptibus ædi-
Idem in Prov. Franciæ Con. 6. ficavit hoc anno Cœnobium Obſervantibus in loco Prioratus S. Annæ prope Jonivillam Diœceſis Cathalaunienſis, & Principatus familiæ Guiſiorum, annuentibus Henrico a Lotharingia ejuſdem Antoniæ Nepote, Ca-
Archiv. S. Iſid. arm. 4. num. 18. pag. 181. rolo Cardinali a Lotharingia ejuſdem filio, & Hieronymo Epiſcopo, & Comite Cathalaunienſi. Invenio in quibuſdam codicibus MSS. fundationem loci ad annum 1572., ſed ſi rite perpendatur diploma Pontificium,

quod

quod producemus, conſtabit, ipſum tunc dote auctum liberali Fundatorum beneficentia.

LXXII. Scribit Rodulphus, circa hæc tempora obveniſſe Minoribus Conventualibus locum Turſiani ſub titulo *la Madonna del Ponte* in Cuſtodia Peruſina. Loquens vero de Eccleſia S. Crucis in Cuſtodia Forolivienſi hæc habet: „ Accidit tempore Pii V. Pont. Max., ut S. Inquiſitionis Officium daretur Fratribus Dominicanis, qui attentarunt velle Eccleſiam, S. Crucis, ubi poſſent munus ſuum exercere; eaque de cauſa inſtiterunt noſtri Fratres, & præcipue Magiſter Andreas Ariminenſis graviſſimis rationibus urgens, & probans, dictam Eccleſiam eſſe Fratrum Minorum, quod teſtatur lapis marmoreus affixus ad fores Oratorii his verbis: Anno 1348. a Kal Junii uſque ad Kal. Novembris in loco Fratrum Minorum de Arimino, ut notatum eſt a fide dignis, ſepulta ſunt circa XXIII. centenaria homiuum utriuſque ætatis, pro quorum animabus exſtructum eſt Oratorium „. Notat Waddingus, vel errorem eſſe in notis, vel præfato anuo non potuiſſe exſtrui, ſed potius reædificari Oratorium, ſi verum ſit, quod in hac Eccleſia habitaverant Minoritæ ante acceptam, ut Rodulphus aſſerit, a Jacobo Epiſcopo Ariminenſi Eccleſiam S. Mariæ in Trebio, prope quam, emptis pro certà portione pecuniæ domo, & hortis, Fratres Conventum conſtruxerunt.

Rodulphus lib. 2. in Cuſtodiis Peruſina, & Foroliv.

Annales Minor. anno 1191 num. 13.

LXXIII. Hoc anno, ut titulus Vicarii Generalis prodit, Felix Perettus poſuit in Eccleſia S. Franciſci Minorum Conventualium Ripæ Tranſonum Joanni de Ripis Monumentum.

Joanni a Ripis Ordinis Min. Theologo, & Philoſopho Clariſſimo, qui annos plures in publico Pariſienſi Gymnaſio docuit. In Scoti libros acutiſſima Commentaria edidit, de anima, de vitiis, & virtutibus, aliaque ingenii ſui monumenta, quæ temporum injuria, ſeu veterum inciria latent, vel perierunt, poſteris reliquit. Claruit ſub Jo. XXII. Pont. Max., Ludovico Bavaro Ceſare Imperante. F. Felix Perettus de Monte Alto Agathenſis Epiſcopus Ordinis Min. Con. Vicarius Generalis Apoſtolicus Provinciali ſuo A. ergo poſuit.

Tempeſti lib. 3. num. 21.

Rodulphus lib. 2. pag. 256.

Epigraphem exſcripſimus a Caſimiro Tempeſti, quæ cum ea, quam profert Rodulphus, aliquam licet, minimam habet variatiouem.

LXXIV. Eccleſiæ S. Mariæ de Conſolatione, quam exſtructam diximus juxta Oppidum Caprarolæ anno 1526., cura hoc anno committitur Fratribus Minoribus de Obſervantia Provinciæ Romanæ, ex conceſſione Pii V. facta vivæ vocis oraculo Alexandro Farneſio Epiſcopo, & Cardinali Oſtienſi S. R. E. Vice Cancellario, ut conſtat ex literis Gregori XIII. *In ſupereminenti*. II. Kal. Decemb. anno 1582. Sed formalis Conventus conſtructio incœpta non eſt, niſi anno 1570. In Civitate Angolis, que alio nomine vocatur de Inſantibus, in Provincia de Huilquilemù, vel *Eſtancia del Rey*, in Regno Chilenſi inter Chilan, montes Andes, fluvium Biobio, & Puchacai, fundatur a Joanne de Torralva Cuſtodiæ de Chile Præfecto Cœnobium S. Mariæ de Angelis pro quatuor Fratribus ex publicis Civium facultatibus, quos peculiaris erga Franciſcanam familiam devotio ad opus excitavit.

Caſimirus Rom. in Con. Caprarolæ.

Gonzaga in Prov. SS. Trinitatis de Chile con. 20.

LXXV. Bellis inter Carolum V., & Henricum II. Galliæ Regem vigentibus, Carolus de Coſsè Briſaci Dominus, & Gallicarum copiarum ductor humi projecit prope Civitatem Caſalis Montisferrati, olim S. Evaſii, Minoriticum Cœnobium, & Eccleſiam S. Mariæ Angelorum constructa anno 1427., tamquam loca, quæ hoſtibus opportuna, ſibique

Ex Autographo Archivii Montis Ferrati.

que impedimento eſſe exiſtimabat ad civitatem expugnandam. Circa annum 1555. demolitione peracta, Fratres intra civitatem ſe receperunt in quaſdam Domos juxta Eccleſiam S. Antonii Abbatis, quam in Commendam obtinebat Antonius Montilius Patritius Casalenſis, & Abbas S. Chriſtophori de Bergomaſco, qui anno inſequenti eam Fratribus de Observantia ceſſit una cum domibus, horto, & ſundo Commendæ annexo cum facultate novum ædificium pro lubitu conſtruendi, augendi, & reſtaurandi. Ceſſionem approbarunt Ludovicus Forti Ferrarienſis ejus Succeſſor de conſenſu Scipionis Aſtani Epiſcopi Caſalenſis ſub die 17. Martii anno 1558., & Carolus Montilius Frater Germanus Antonii Commendatarii anno 1566., Summuſque Pontifex Apoſtolicis literis munivit: *Regimini univerſalis*. Die 29. Octobris. Verum ante hunc annum Cœnobii fabrica abſoluta ferme erat; eaque ſoluti cura ſtudium omne in id Fratres contulerunt, ut Eccleſiam in ampliorem formam redigereut, quum vetus anguſtiſſima foret, & Eccleſiaſticis cæremoniis peragendis vix inſerviret. Opus hoc anno inceptum ad culmen perduxerunt anno 1575., etſi bellorum incommodis impedirentur.

LXXVI. Antonius Prato Caſalenſis Senator Cæſareus legavit veteri Cœnobio S. Mariæ Angelorum ex teſtamento die 25. Decembris anno 1537. pharmaca pro Religioſis ſive indigenis, ſive advenis. Ejus Guardianus pro tempore auctoritate Guilielmi Gonzagæ Ducis Mantuæ, & Montis Ferrati cooptatus eſt inter octo decuriones, ſeu Præfectos Noſocomii, quos inter & Guilielmus locum habuit. In Eccleſiam exſiſtebat Sodalitium Angelorum, quod ſub nomine, & ſigno Jeſu translatum eſt ad Oratorium intra Civitatem opera Joannis de Ranzí Minoritæ Vercellenſis. Aſſervabantur in Archivo Jeſuitarum Caſalenſium duæ literæ membranaceæ, quibus Confratres fiunt participes ſuffragiorum, & bonorum ſpiritualium Ordinis Seraphici; altera Franciſci Zeni de Mediolano Vicarii Generalis Familiæ Ciſmontanæ Obſervantium data in Conventu S. Mariæ Angelorum extra muros Caſalis die 25. Januarii anuo 1510. Altera Chriſtophori de Foro Livii Cardinalis de Aracæli & Miniſtri Generalis data Romæ in Conventu Aracæli die 10. Decembris anno 1517. Ad calcem legitur: „ Ad hæc concedo omnibus, & ſingulis ſu-
„ pradictis (Confratribus) totiens quotiens ſe congregaveriut, vel de-
„ votiouis cauſa Confraternitatis Eccleſiam viſitaverint, centum dies
„ de vera Indulgentia in ſorma Eccleſiæ conſueta. Inſerius legitur: Pen-
„ det ex hoc Chirographo ſigillum figuræ ovalis in theca oricalchi
„ appoſitum continens Icones duodecim Apoſtolorum trino Ordine di-
„ ſtinctas cum Imagine B. M. Virginis in medio, S. Franciſci ad extre-
„ mitatem inferiorem, & Columbæ in extremitate ſuperiori, & his
„ literis: Sigillum Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum.

LXXVII. Sancte deceſſit in eodem veteri Conventu anno 1515. Thomas de Caſali, qui triginta annos vixerat inter Clericos Regulares, a quibus ad Minores Obſervantes tranſivit. Ejus meminit Fulgentius Alghiſius in hiſtoria Montis Ferrati. Ex Caſalenſibus Minoritis illuſtriores ſuerunt Guilielmus Miniſter Generalis, Franciſcus, Joannes auctor plurium quæſtionum Philoſophicarum, & Theologicarum, alter Joannes, qui anno 1375. ſub Pontificatu Gregorii XI. adiit Nuntius Apoſtolicus Fridericum Regem Siciliæ, niſi forte idem hic ſit cum Joanne, quem floruiſſe narrat Waddingus anno 1399., ut ſuſpicionem ingerit anno-

rum

rum proximitas; ac demum Marcus ex familia Montiliorum Doctor S. Theologiæ, Conſiliarius Guilielmi VI. Dynaſtæ Montis Ferrati, quem ipſe Guilielmus honorificis literis datis Caſali die 18. Octobris anno 1466. commendavit Paulo II. Summ. Pont., & præſentavit in Epiſcopum *Eccleſiæ Bethlemiticæ in dominiis ſuis temporalibus vacantis per obitum Patris F. Joannis Dominis Cuccari de Monte Ferrato*. Eccleſia hæc quænam fuerit apud Ughellum non reperio. De his viris agunt præfatus Alghiſius, & Britius.

Britius de viris illuſtribus lib. pag. 326.

LXXVIII. Conſecrata eſt hoc anno Eccleſia S. Antonii Montis Madii in Provincia Marchiæ.

Ego Joannes Franciſcus Sormanus Epiſcopus Feretranus conſecravi Eccleſiam, & Altare Majus in honorem S. Antonii Abbatis Montis Madii, & Reliquias SS. Apoſtolorum Pauli, & Bartholomæi, ac S. Donati Epiſcopi ex multis in eo incluſi, ſingulis Chriſtifidelibus hodie unum annum, & in anniverſario Conſecrationis hujuſmodi quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta concedens. Die XXXI. Auguſti anno MDLXVII.

LXXIX. Ea fuit præclari hujus Antiſtitis patria Mediolanenſis, quem Ughellus Lormanum nominat, & vel hoc anno, teſte Joanne Baptiſta Marini Archipresbytero, vel, ut contendit Contarenus, anno 1565. ſuffectus eſt in locum Cardinalis Vicecomitis in Epiſcopatu Feretrano; erga Ordinem Minoriticum benevolentia, ut anno 1601., quo Arimini deceſſit apud Monachos Olivetanos, tumulo ſe mandari juſſerit in Eccleſia a ſe conſecrata S. Antonii Abbatis, non S. Franciſci, ut minus vere ſcribit Ughellus. Exſtat in pavimento Sacelli SS. Crucifixi lapis ſepulchralis inſigne habens gentilitium gentis Sormanæ, quamvis Epigraphes pedum attritu legi nequeat, & a laqueari ſuperiori pendet pileus Epiſcopalis. Cœnobium, & Eccleſiam reſtauravit, & ampliavit. Peregre ſæpius profectus devotionis cauſa ad ſacrum Alvernæ montem affecit Indulgentia quadraginta dierum, quam Epiſcopus Aretinus confirmavit, Sacellum in elatiori vertice dicto *la Penna*.

Jo: Baptiſta Marini Saggio &c. pag. 105.

Contarenus diſſert. pag. 150.

Ughellus tom. 2. de Epiſc. Feretranis pag. 854.

LXXX. Julius de Ruvere Cardinalis de Urbino Archiepiſcopus Ravennæ (quem haud ſcio, cur Gonzaga, & Auctor Hierarchiæ Franciſcanæ dicant totius Ordinis Minorum Protectorem, quum tantum foret Protector Capuccinorum, quos, ut ait Ughellus, *Franciſcanorum non ignobile germen Ravennam introduxit*) tranſtulit ad Altare majus Eccleſiæ Minoriticæ S. Apollinaris Ravennæ Reliquias in Sacrario aſſervatas, nempe Caput S. Eliſæi Prophetæ, ab Urbe Roma, ut aſſeritur, Ravennam miſſum a S. Joanne Papa cum inſcriptione: *Hoc eſt Propheta magni Caput Eliſai*; ſuperiorem partem Cranii S. Sabini Epiſcopi, & Martyris, quædam S. Clementis Papæ, & Marcellini Martyrum Oſſa, & ejuſdem S. Joannis Papæ, & Martyris Caput, ad cujus baſim hæc leguntur verba:

Gonzagá in Prov. Bonon. con. 20.

Hierarch. Franciſc. tom. 2. pag. 105.

Ughellus tom. 2. pag. 394.

Pontificis Sacrum caput eſſe Joannis,
Qui hoc pro Chriſto in carcere obiit.

ſive, ut legit Flaminius de Parma: *Qui hic pro Chriſto carcere tentus abiit*; ſeu *obit*. Hos verſiculos Mazalappus aſſerit compoſitos a Domino Pino de Callio, ſicuti & ſequentes ſub caput S. Apollinaris, ſeu, ut probabilius exiſtimat Flaminius de Parma, Archiepiſcopi Joannis VIII.

Flaminius de Parma in Con. S. Apollinaris.

Martyris a Petro miſſi caput Appollinaris eſt,
Qui Antiſtes hac primus in Urbe venit.

Mazalappi Chro. MSS. Prov. Bono.

Ad partem exteriorem hujus Eccleſiæ tranſlata eſt anno 1564.

Urna Porphyriaca a Petro Donato Cæſio, quem Bollandi Continuatores appellant Archiepiſcopum Ravennatem, quum notum ſit, fuiſſe ſolum Ravennæ Præſulem, & Epiſcopum Narnienſem.

Acta SS. ad diem 27. Martii in vita S Jo. Papæ, & Martyris.

Vas hoc Porphyriacum olim Theodorici Gottor. Imp. Cineres in Rotundæ apice recondens huc, Petro Donato Cæſio Narnienſi Præſule favente, tranſlatum ad perennem memoriam Sapientes Reip. Rav. P. P. C. MDLXIII.

Rodulphus lib. 2. pag. 201. a tergo.

LXXXI. Familia Capuccinorum ab anno 1530. circiter ad hunc uſque loca viginti in Tuſcia occupavit, quæ Rodulphus hoc ordine recenſet: Locus Florentiæ vetus, Senarum, Piſarum, Aretii, Volaterrarum, Lucæ, Cortonæ, Piſtorii, Montis Politiani, (hic primus fuit) Montis Vicini, Prati, Piſciæ, Montis S. Savini, Collis, Montis Varchii, Ficini, Caſtilionis, Peccioli, Caſſiani, & Prati; quibus hoc anno acceſſit locus Montis Acuti Diœceſis Aretinæ, nunc Bituriceuſis, de quo mira congerit Boverius. Ait, Fridericum Albertum Comitem Montis Acuti fundum obtuliſſe Capuccinis, ea ratione motum, quia Pater ejus Albertus venationem exercens viderat ſupra rupem duos Fratres in habitu Capuccinorum, qui eum perurbane ſalutarunt obviam procedentes. Utrumque autem in hominum opinione fuiſſe S. Franciſcum, & S. Antonium de Padua, licet tales ſe eſſe nullo ſigno oſtenderint. Addit, Artifices calcis, & aquæ penuria laborantes inveniſſe ſub humo foſſam calce plenam, & in medio Crucem ex orichalcho, ſtupentibus omnibus, ſerioque credentibus, calcem illuc ab Angelis fuiſſe deportatam, ac fontem aquæ prodiiſſe ex ſaxo loco moto, & in Eccleſiæ conſecratione flammam e cælo deſcendiſſe, quæ fulgore ſuo diei claritatem minuebat, Solique ipſi invidiam creabat. In Cœnobio habitu Minorum indutus tumulari voluit Fridericus pius Fundator.

Boverius anno 1567.

LXXXII. Sebaſtianus, & Joaunes de Barata Cives Setiæ in proprio fundo ſupra clivum collis mille paſſ. a Civitate fundarunt pro Capuccinis Cœnobium S. Mariæ Gratiarum, quibus ſponte digreſſis anno 1614. Fundatorum hæredes ex Apoſtolica auctoritate in illud immiſerunt Fratres Strictioris Obſervantiæ. Nobilitatur hoſpitio Benedicti XIII. Sum. Pont. anno 1727. Benevento Romam reducis, qui a die 23. ad diem 27. menſis Maji ibidem manſit, & ſemel communi cum Fratribus menſæ accubuit, cui hebdomadarii vice fungens benedixit, & gratias egit. Conceditur quoque Capuccinis in Oppido Siclis Diœceſis Siracuſanæ domicilium D. Agrippinæ 500. paſſ. a mænibus, opera Fratris Franciſci Majorana Siclenſis vitæ puritate ſingularis. Exſtat in eo præclara Icon deſcenſus Chriſti à Cruce depicta a Philippo Bardino celebri Artifice. Similiter Conventus Lauri Diœceſis Firmanæ, S. Hieronymi Civitatis Vincentiæ, a quo poſt ſuppreſſum Regularem ſtatum S. Hieronymi ejiciuntur profani habitatores: *Ex injuncto nobis.* Die 4. Decembr., & S. Bernardini in Civitate Urbevetana, relicto Conventu SS. Annuntiations, ubi plura incommoda patiebantur: *Debitum paſtoralis*. XIII. Kal Decembr.

LXXXIII. Nicolaus Polo in Oppido Eſcaritiæ, ſeu Eſcaritiarum, cui præerat Dominus temporalis in Provincia Caſtellæ, ex conſenſu Gomezuli Gironii Toletani Archiepiſcopatus Gubernatoris, ſeu Adminiſtratoris, propriam domum erexit in Monaſterium SS. Conceptioni ſacrum, tedditibus locupletavit, ſuppellectile, rebuſque omnibus neceſſariis; præterea effecit, ut Antonius de Corduba Miniſter Provincialis ſibi a Conſiliis foret ad præſcribendas leges aliquas a Monialibus obſervandas.

LXXXIV. Subduntur Moniales Clariſſæ Civitatis Trivii juriſdictioni Fulvii

Epi-

Epiſcopi Spoletani. *Ex rationabilibus*. Die 3. Maji. Cardinalis Urbini facultatem accipit a Poutifice reformandi Clariſſarum Monaſteria S. Pauli, & S. Claræ Ravennæ, eaque a Minoribus Conventualibus ad Minores Obſervantes transferendi: *Quum ſicut*. Die 15. Februarii. Præficiuntur reformationi Clariſſarum, aliarumque Urbis Monialium Alphonſus Biraninus Viceſgerens Vicarii Romæ, Nicolaus Ormanetti, Joannes Oliva, & Leo Carpanus: *Apoſtolatus Officium*. Die 12. Novembris. Interdicitur ingreſſus Mulieribus ſæcularibus, & perſonis religioſis in Monaſterium B. Mariæ de Hieruſalem Ordinis Minorum ſub regula S. Claræ Neapolis: *Exponi Nobis*. Die 15. Januarii.

LXXXV. Moniales Ordinis S. Dominici timore Turcarum Budam occupantium auno 1541. profugæ ab Inſula Leporum, & receptæ Varadini in Monaſterio Clariſſarum, quum Hæretici hoc anno iis in locis Catholica Sacra everterent, una cum Clariſſis Tyrnaviam commigrarunt, diviſiſque cubiculis, in Cœnobio Patrum Prædicatorum vixere annis circiter quinquaginta, donec viſum eſt Matthiæ II. Regi Hungariæ, & Imperatori, Franciſco Torgach Cardinali, & Epiſcopo Strigonienſi, ac Paulo V. Sum. Pont. Monaſterium Jeſuitis tradere anno 1615., quo Moniales Poſonium ſe receperunt in Clariſſarum Monaſterio.

LXXXVI. Clauſuræ leges acceptarunt hoc anno Moniales S. Claræ Amarantii Diœceſis Braccarenſis, electis Procuratoribus, qui eleemoſynas pro eis conquirerent, qua de re exſtant licentiæ D. Cloderici de Pinhein Epiſcopi Portuenſis, & Regis anno 1602. Non deficiebat ipſis Fidelium pietas, & munificentia Alphonſi IV., Alponſi V., & Joanni III. Regum. Rex Sebaſtianus circa hunc annum eis donavit redditus ſylvæ ex altera ripa fluvii Feſtago. Ædes ſita non eſt, ut ſcribit Gonzaga, intra muros Amarantii, ſed in jugo Collis. Fundatricem nonnulli faciunt D. Masfaldam filiam Henrici I. Reginam Caſtellæ, quæ, mortuo Conjuge, intacta in Portugalliam reverſa reformavit Moniales S. Bernardi, in argumentum rei adducentes inſcriptionem Campanæ: *D. Masfalda me fecit*; quæ Inſcriptio neque in Campana reperitur, neque in parietibus, ut ait Gonzaga. Tradunt tamen, Masfaldam primum poſuiſſe lapidem Eccleſiæ, ipſamque, & odeum ædificaſſe. Habitarunt primo Feminæ *Beatæ*, quæ numero, & devotione auctæ amplexatæ ſunt Tertium Inſtitutum S. Franciſci, & ſubinde S. Claræ Regulam, ut ſuſpicatur Emmanuel de Spe, ante annum 1449., quo Alponſus V. die 25. Aprilis illis aſſignavit mille libras de eleemoſyna.

Gonzaga in Prov. Portugalliæ Mon. 13.

Emmanuel a Spe part. 2. lib. 9. cap. 3. & seq.

LXXXVII. Literis Pontificiis hoc anno confirmantur privilegia omnia Ordinis Minoritici Monialibus Clariſſis Monaſterii S. Franciſci de Cruce in Urbe Venetiarum. Carolus Archidux Styriæ ratas habet quaſcumque gratias antea conceſſas Clariſſis Monaſterii B. M. Virginis in cælum Aſſumptæ unius horæ ſpatio a Judenburgo adjecti ex una parte radici montis, ex altera ripæ fluvii Muræ non tam ob ſitus amœnitatem, quam ob populorum devotionem erga Deiparam *locus Paradiſi* appellatus. Innocentius IV. *Sedis Apoſtolicæ*. VIII. Non. Julii anno 1252. eas Ordini S. Claræ inſeruit, & regimini Minorum Provinciæ Auſtriæ ſubjecit. Statuit, non poſſe conveniri per literas Apoſtolicas, niſi expreſſa illarum facta mentione; *Vacantibus amori*. IV. Kal. Aprilis anno 1254. Per Raynaldum Cardinalem Epiſcopum Velitrenſem, qui fuit Alexander IV., indulſit, ut Sorores valetudinariæ poſſent perſolvere horas Canonicas in Noſocomio, ſilentium modeſte relaxare, & veſtibus uti mol-

Gonzaga in Prov. S. Antonii MM. S.

Greiderer lib. 3. cap. 3. num. 157.

lioribus. Alexander IV. conceſſit, ut cogente neceſſitate poſſent mendicare. Bonifacius VIII. confirmavit jus, & privilegium Parœciæ Zullenſis a Comite de Haimburgiis eis donatæ. Fridericus III. Imperator illas exemit a jurisdictione cujuscumque Judicis. Alia omittimus levioris momenti. Fratribus Judenburgi, ut diximus, Lutheranorum injurias fugientibus, ipsæ Epiſcopo iterum paruerunt; alias enim illi ſubjectæ ſuerant a Fratribus derelictæ, quum variationem in Regula inducerent.

LXXXVIII. Indulſit Pontifex Capuccinis, ut ad Cretæ Inſulam ſe propagarent, commiſitque F. Aloyſio Epiſcopo Agrienſi, ut benevolum ſe illis præſtaret, & Cœnobiorum ſundationem permitteret: *Sacra Religionis*. Die 7. Junii. Ignatius de Apiro Commiſſarius a Vicario Generali delegatus illuc proſectus ingenii acumine, quo omnium fere ingenuarum artium notitiam ſibi comparavit, & linguarum Hebraicæ, & Græcæ peritia, animoque Evangelico *poſuit Domino gloriam in Continente, & laudem ejus in Insulis annuntiavit*, Cretenſis Apoſtolus propterea dictus. Vetitum eſt ipſis, ne tranſirent ad Minimos S. Franciſci de Paula, & Minimis, ne Capuccinis adscriberentur. Boverii Annalium traductor Benedictus Sanbenedetti loco Minimorum legit non Minores Observantes, quod nominum Minimorum, & Minorum analogia contingere poterat; ſed *Lignipedes*. Perspicilla hic non erant adhibenda; verum oportebat, ut verſio originali non invideret. En Diploma Pontificium, quod non aliunde exscribimus, quam a Bullario Capuccinorum Michaelis a Tugio.

Bull. Capuc. tom. 1. pag. 10.

Flor. Seraph. Pag. 67.

Bull. Capuc. ibid. Pag 11.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

LXXXIX. *SEdis Apoſtolicæ ſolertia, dum ad ſalutare quorumdam remedium exſtructa in eorum detrimentum vergere conspicit, ne quod illis profuturum maturitate ſumma prodiiſſe comperitur, noxium incauto miniſterio efficiatur, celeris proviſionis opem afferre conſuevit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sane accepimus, quod quum aliquando contingat, aliquos Fratres Religioſos tam Ordinis S. Franciſci Capuccinorum, quam ejusdem S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum de uno loco ad alium etiam forsan absque ſuorum Superiorum licentia transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eosdem Fratres ſæpius oriri ſolent. Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis hujusmodi, quantum cum Deo poſſumus, obviare, motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa noſtra ſcientia, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex Fratribus Capuccinis ad dictum Ordinem S. Francisci de Paula, & e converſo, quod nullus Frater ejusdem S. Franciſci de Paula ad Ordinem Fratrum Capuccinorum hujusmodi ullo umquam tempore, ex quacumque etiam quantumcumque juſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum ſe transferre poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes ſtatutum, & ordinationem hujusmodi per Fratres præfatos ſub indignationis noſtræ pœna inviolabiliter obſervari debere, ac ex tunc irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate tam ordinaria, quam delegata scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel Specialibus conſtitutionibus, & ordinationibus,

ac

ac ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum, quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri; volumus, quod ipſis transumptis manu publici Notarii ſubscriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in judicio, & extra eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piscatoris die VI. Octobris MDLXVII. Pontificatus noſtri anno Secundo.

Ceſar Glorierius.

XC. Non hoc anno, ut ſcribit Petrus de Alva, ſed poſteriori Frater Andreas de Corbajal fit Episcopus S. Joannis de Portorio. Legendum vero eſt *Andreas de Caravajal*, & *S. Joannis de Portu diviti*, *seu Puerto Rico* in Inſula ejus nominis Sinus Mexicani. Confirmatur Archiepiscopus Civitatis S. Fidei Joannes de los Barrios, cujus ſupra meminimus, vel potius corrigitur error Amanuenſis, qui in literis Pii IV. scripſerat non Joannem, ſed Martinum, quod in cauſa exſtitit, ut Archiepiſcopus Eccleſiarum ſibi commiſſarum effectu fruſtraretur: *Accepimus nuper.* Die 13. Maji. In Eccleſia Regii Cœnobii S. Laurentii Neapolis inauguratus eſt Episcopus Agathenſis Felix Perettus de Monte Alto hoc anno die 12. Januarii ab Antonio Laureo Neapolitano Familiæ de Amanthea Majori Regis Sacellano Epiſcopo Stabienſi, aſſiſtentibus Joanne Amato Epiſcopo Minorenſi, Joanne Antonio Aſtorco Episcopo Litterenſi, coram Fabio Polverono Episcopo Isclanenſi in Inſula Ænaria, & Mario Caraſa Archiepiſcopo Neapolitano. Inde profectus ad Civitatem S. Agathæ Gothorum in finibus Terræ Laboris inter Neapolim, & Beneventum, Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem accepit circa menſis finem; Romamque redux invenit jam *lectum, & publicatum Breve SS. Domini pro addoctorandis XX. Baccalaureis Religioſis die 8. Januarii*. Inſtituit viſitatorem Generalem Ordinis Magiſtrum Origonum Procuratorem Generalem, ſuffecto in ejus locum Diſcipulo Poſio Provinciali Terræ Sanctæ, & in hujus locum Magiſtro Bonaventura de Senis; & mandatum accipit a Pontifice, ut convocet Capitulum Generale ſui Ordinis: *Cupientes*. Die 18. Septembris.

Tempeſti lib. 9. num. 10. & 11.

XCI. Renuntiatur Florentiæ Inquiſitor Franciſcus de Saponaria, ſeu Gilibertus Magiſter Minorum Conventualium ſuccedens Antonio Ginorio Florentino. Ignotum eſt quisnam hoc tempore fuerit Inquiſitor Senis, ſolumque ſcimus ab Antonio de Terrinca, Laurentio de Ganghereto, de quo Waddingus, ſucceſſiſſe Joannem de Lucignano antea Provinciæ Tuſciæ Viſitatorem, qui plures annos Tribunal rexit. Cæterorum ſeries incipit ab anno 1569. Piſis anno 1560. Inquiſitorem agebat Chriſtophorus Grattolinius a Marſalla, eique ſucceſſit Hieronymus de Urbanis Provincialis Tuſciæ, & ſui Ordinis Procurator Generalis, qui officium produxit ad annum usque 1581.

Terrinca theatr. Etrusco-Min. lib. 2. serie 9. & seq. Annales Min. anno 1471. num. 11.

XCII. Eligit hoc anno Pontiſex reformatorem Clarenorum, & Monialium ſub Episcoporum jurisdictione in Provincia S. Hieronymi de Urbe Joannem de Vicis, ſeu de Stronconio, quem ſolertem in rebus agendis expertus erat: *Quum ſicut*. Die 3. Julii, eumdemque Reformatorem Fratrum, ac Monialium Tertii Ordinis ſub habitu eremitico in Provinciis Romana, Aprutina, Marchiæ, & Umbriæ: *Quum ſicut*. Die 15. Novembris. Reformatorem eorumdem in Provincia Calabriæ Hieronymum de Chriſto Miniſtrum Provinciæ Calabriæ Ordinis Minorum Obſer-

ſervantium: *Quum ſicut*. Die 4. Decembris. Reformatorem pariter eorumdem in Provinciis Lombardiæ, Romandiolæ, Tuſciæ, Liguriæ, & Dominii Venetiarum Seraphinum de Schio alumnum Obſervantis Provinciæ S. Antonii: *Quum ſicut*. Die 15. Novembris. Reformatorem Amadeorum, & Monialium Provinciæ S. Petri in Monte Aureo Paulum Ariguccium de Florentia Cuſtodem Reformatorum: *Quum ſicut*. Die 1. Auguſti.

CIII. Cauſam Canonizationis S. Didaci, quam ſedulo promovebat Philippus II. Rex Catholicus, commiſerat Pius IV. anno 1564. nonnullis S. R. E. Cardinalibus, & literæ Commiſſionis in ſuperioribus Annalibus bis exſcribuntur. Sequuta Pontificis morte, Pius V. Succeſſor cauſæ ſtatum retulit in Conſiſtorio, eamque iis ipſis Cardinalibus iterum delegavit, Joanne Antonio, non, ut ſcribit Henricus Sedulius, Joanne Baptiſta Capiſucco in locum ſuum renuntiato, ut reliqua acta conficerent. Itaque Procuratore Fiſci, ut moris eſt, citato, literas compulſorias, & remiſſorias ad Epiſcopos dederunt, quorum fide, integritate, & ſapientia cauſa prius nitebatur. Ambroſius de Morales Presbyter Diœceſis Cordubenſis conſtitutus Procurator a Philippo Rege, & Carolo ejus filio, hoc anno VIII. Idus Februarii Cardinalium literas legitime reddidit præfatis Epiſcopis. Cauſam vero ordine judicii proſequuti ſunt Bernardus de Freſneda Epiſcopus Conchenſis, & Epiſcopi Segoviæ, ac Singuenſæ judices ſubdelegati, vocatoque Procuratore Fiſci Sedis Apoſtolicæ Petro Martinez Canonico Eccleſiæ Saguntinæ, rem totam certis quæſtionibus, & actorum ſerie definitam a tribus, & octoginta teſtibus ſpectatæ probitatis accurate inquiſiverunt; ſcriptaque omnia hoc anno pridie Idus Auguſti Romam miſerunt. Omnibus igitur abſolutis, una ſupererat ſolemnis Apotheoſis, quam etſi Pontifex optaret, incidit tamen in tempora Chriſtianæ Reipublicæ turbulentiſſima, difficillimaque negotia, quibus rem ad exitum producere non potuit.

Annales Min. anno 1463. num. 108. & anno 1564. num. 22.

Sedulis Hiſt. Seraph. Canoniz. S. Didaci.

CIV. Dum Romæ de Viro Dei agitur, ex Maximiliano II. Imperatore, & Maria ejus Uxore nata eſt Viennæ hoc anno die 25. Januarii (minus vere Hueberus diem 24. aſſignat) Margarita de Cruce, quæ vix in lucem edita, mira ſanctitatis ſpecimina exhibuit, auſtera in tenerum ſuum corpuſculum, erga pauperes liberalis, & uno divinarum rerum amore flagrans. Ætatis annorum tresdecim matrem in Hiſpaniam comitata poſt obitum Maximiliani B. Virginem de Monte Serrato exoravit, ut dignaretur ſe Filio ſuo ſponſam præſentare, & acceptam reddere. Annuit nuncupatis votis Deipara caput verſus Margaritam inclinans, & tanto amoris incendio cor ejus inflammans, ut denudatum pectus ſcriptorio cultello vulnerarit, & hauſto ſanguine ſequentem Chirographum exararit. *Hoc ſanguine cordis mei me trado, & offero Jeſu Chriſto Salvatori, ac Redemptori meo in Sponſam, ut ut indignam, ejus Matrem amabilem rogitans, ut hoc in puncto mea Mediatrix, & Advocata eſſe dignetur. In teſtimonium hujus mea me manu ſubſcribo, Margarita*. Ejus acta reſervamus ad alia tempora, ac præſertim ad annum 1633., quo obiit in Regio Monaſterio Clariſſarum Excalceatarum Matriti. Natus eſt etiam in oppido Fregenal Diœceſis Pacenſis, & ditionis Hiſpalenſis die 30. Auguſti parentibus Domino de Trejo, & Iſabella Rodriguez Franciſcus a S. Jacobo miraculis in vita, & poſt mortem conſpicuus, de quo ſimiliter ſuo tempore agemus.

Greiderer lib. 5. §. 18. num. 556.

Mazara tom. 4. pag. 738.

CV. Virtutum ſuarum præmium felici morte conſequutus eſt hoc anno Calari in Sardinia Salvator ab Horta, cui Deus obitus horam reve-

vela-

velavit paucis ante eum diebus, ut notum eſt ex proceſſu facto coram Archiepiſcopo Calaritano, ſuper omnium iſtius Regni Religioſorum cauſis Legato Apoſtolico. Poſt quam revelationem ex certa propinquioris beatitudinis amœniori, hilariorique vultu, atque animo fuit, obſervatusque eſt, quotidianis in ſe flagellis ſævire acrius, & ſacra Confeſſionis, & Communionis myſteria obire frequentius, totusque in apparandæ mortis curam, cogitationemque defixus. A quadam ſibi pie addicta rogatus, quid faciens gratum Deo præſtaret obſequium: Sacramenta, inquit, frequenta, & corporis ſenſus ab omni labe mundos conſerva; larga enim manu Deus ejusmodi opera remuneratur. Pro me autem orare memento ad ſplendidiſſimas, jucundiſſimasque nuptias invitato. Intellexit verba mulier, non ſenſum loquentis. Requiſivit igitur, quo loco celebrandæ eſſent? In domo, inquit ipſe, cujusdam Domini admodum opulenti, atque potentis, & magnifici. Quod reſponſum nihilo magis capiens proſequitur interrogare curioſa de tempore futurarum, quas dicebat, nuptiarum. In vigilia, inquit, Salvator, ejus feſti, quod magno magnæ Virginis Sponſo Eccleſia celebrat. Rurſumque requiſitus, ſolusne eſſet iturus? Solus, reſpondit; poſt me autem ſeptem alii ſubſequentur. Ita receſſit mulier rata de alicujus Comitis, aut præcipui Equitis nuptiis loquutum Fratrem Salvatorem. Acta SS. ad diem 18. Martii.

XCVI. Decimo poſt hæc die, Eccleſiæ Sacramentis ſuſceptis, coram cunctis Fratribus adſtantibus, & tranſitum ejus ex hac vita bene precando juvantibus, brachiis ante pectus in Crucis formam compoſitis, & manu Crucifixi complexus effigiem, poſt ſuavia cum Chriſto, & Maria colloquia, extrema hæc verba moribundus protulit: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*, & mox placidiſſime obdormivit decimo octavo die Martii hoc anno. Poſt ejus mortem excitata eſt ſupra Civitatem tempeſtas in cælo horrenda ſic, ut omnis aerea regio ſpiritibus immundis plena videri potuerit, & hac ratione impediti fuere Cives, ne ad honores congruos ſancto ejus corpori deferendos mox a vulgata mortis ſanctæ fama, concurrerent. Archiepiſcopus autem eas Dæmonum eſſe machinationes conſiderans, vetuit corpus ſepeliri, antequam de eo ipſe voluntatem ſuam edixiſſet. Triduo igitur relictum in Templo corpus eſt fideli armatorum ſeptum cuſtodia. Quicumque autem, & quacumque infirmitate detenti ad manuum, pedumve, vel veſtium oſculum accedebant, ſani domum revertebantur.

XCVII. Poſt triduum Archiepiſcopus cum Canonicis, univerſoque Clero, Pro-rex cum Magiſtratibus, Comitibus, Equitibus Regni totius, & populo innumerabili adfuit, iisque præſentibus, factæ ſunt exequiæ; in quibus Pater quidam ex Societate Jeſu Pagna cognomine verba fecit ad conſertum utriusque ordinis auditorem; ſepultumque tandem corpus eſt plurimis clarum miraculis, quæ per uegligentiam Fratrum ſcripto excepta non ſunt ſtatim ac patrata fuerunt; ſed deinde a Dima Serpio diligenter collecta. Vix autem ſepultus erat, quando ad tumulum delata mulier paralytica ex vicino Caſtello a ſepulchro ſic ſana ſurrexit, velut nullum unquam incommodum paſſa. Matronæ nobili poſt triduanos in pariendi niſu labores mortuus in utero fœtus eſt, quem quum nulla ars potuiſſet extrahere, Sacramentis extremis munita mater ipſa quoque ei commortua eſt. Poſtea autem omnibus ad exequias rite paratis, allatum eſt Beati Caputium, ventrique defunctæ impoſitum continuo foras prodire fecit putris abortivi cadaver, & ipſam matrem vitæ

tæ reſtituit. Alia biduo verſata iu diſcrimine ſimili, quam eductus e brachiis ſanguis ſecundum Medicorum conſilia ſpe facilitandi partus fruſtraverat, ſtatim ac idem caputium ventri ſuo imponi ſenſit, filium vivum, formoſumque enixa eſt. Puellæ etiam uni, amiſſa loquela, vitam deſperanti loquelam, & ſalutem reddidit chorda Beati devoto oſculo honorata.

XCVIII. Iſabellam Manzanam intercus aquæ ad deſperationem vitæ adduxerat; ſed animos addidit nuntiata Beati corporis e ſepulchro elevati tranſpoſitio in capſam, ad quam novem diebus Sancti preces imploratura acceſſit, poſitoque ſuper capſam ventre ſuo, incolumitatem reperit. Dominus Joannes Columna Vice-Regis Comitis Eldavi filius, ſublata loquendi facultate, magnis paſſibus tendebat ad mortem, ſed ab ea revocatus eſt, omnique febri, & malo miraculoſe liberatus ipſo illo momento, quo capſa ſanctum corpus continens in domum Infirmi illata eſt. Idem accidit Marchioni de Sorris Domino Hilarioni de Alagon Requeſens, & Cardona a Medicis depoſito, quum ſimiliter, rogante Marchioniſſa, importata ad ipſum ſacra Theca fuiſſet.

XCIX. Michael Fornellus ab Urgellana Civitate ad Borealem Sycoris ripam Hortam uſque ivit, ubi in Eccleſia orans dixit: O Sancte Salvator, etiam hodie, quum degis in cælis, recordare, quod hoc in loco Fratrem meum liberaris ab hernia. Me quoque ab eadem, ut liberes, obſecro; ſubitoque ſe fuiſſe perſanatum juravit. Admotus autem Beati habitus ſuper faciem Margaritæ Fonte Barcinonenſis tumorem ab ea omnem una cum intolerabili capitis, & dentium dolore abſtulit. Fratrem Petrum Martyrem ex Ordine S. Franciſci per octo menſes lecto tenebat inflata tibia, eademque exquiſitis remediis fruſtra curata, ignito ſexies peruſta ferro, & ex uno in alteram partem transforata. Huic quum quodam veſpere particulam habitus ab eodem Salvatore geſtati cum illius invocatione impoſuiſſent, proximo mane ſeſe perſanatum reperit, & expedite ſurrexit e lecto.

C. Inſanabili morbo in collo laborans Frater Joſephus Homs ſubito ſanus exſtitit eodem habitu ad collum circumpoſito. Cyprianus Flaguer Catalanus navim ſuam, cui Præfectus præerat, a duabus Anglicanis perſequentibus certo capiendam videns, e ſinu extulit particulam ex habitu Sancti, flexiſque genibus, ad ſocios nauticos dixit: Impoſſibile nunc eſt, hoſtium nos evadere naves. Ergo cuncti pariter oremus B. Salvatorem, ut hoc nos diſcrimine eximat. Parent illi, & dum *Pater* unum, & *Ave* recitant, viderunt inimicos adverſo vento repelli longius, & libertatem B. Salvatori acceptam referentes egerunt eidem debitas gratias.

CI. Sardus quidam Romam proficiſcens particulam ex habitu B. Salvatoris ſecum geſtabat. Tranſiens autem per viam magnum in vicina domo audivit tumultum, in eamque ingreſſus Ordinis ſui Fratrem cum aliis Presbyteris expellendo per ſacros exorciſmos Dæmoni adlaborantem reperit. Quum igitur aliæ Reliquiæ ab ipſis fruſtra applicatæ fuiſſent; & ipſe Sancti ſui volens potentiam experiri, quam dixi, particulam applicuit Energumenæ, per cujus os continuo Dæmon clamare cœpit: auferrent, auferrent procul pannum iſtum enormia ſibi tormenta facientem. Quæſivit Frater, quis eorum cauſa tormentorum eſſet? Salvator, inquit Dæmon, Salvator. Tum Frater: Ego in nomine Dei, & ipſius, qui te cruciat, Salvatoris, impero, ut ab hoc corpore

egre-

egrediaris, maligne Spiritus. Nec mora, egreſſus eſt Spiritus, & libera mulier remanſit.

CII. Petrus Teſſiſone Gerundenſis ætatis ſuæ anno duodecimo oculum prorſus corruptum habens, ſanum accepit, admota particula ex Coſtis Beati. Gerundæ quoque natus ante annum ſesquialterum puer Petrus Vignes nomine, tertio a nativitate menſe crepuit; ſed a matre ad ſacrum Beato huic Sacellum delatus, poſt fuſas inibi pro ejus ſalute preces, ſanus, & integer eſt inventus. Ibidem orta Margarita Unies nato ex ſe filio nomen impoſuerat Salvatoris in honorem Beati. Hic autem quatuor hebdomadas natus a ſugendo lacte quartum abſtinebat diem. Quamobrem de ejus vita deſperans mater apparari cuncta ad exequias jubet. Interim in ſpem venit, poſſe eum per merita B. Patroni ſalvari, magnaque cum fiducia dixit: Preces meas exaudi, o B. Salvator, cujus amore ducta nomen iſtud filio meo feci; nunc autem ut vivere pergat, ſupplex flagito. Quæ ut ipsa dixit, aperuit oculos jam pene in morte clauſos parvulus, mamillam ſuxit, & ſanus vixit.

CIII. Anna Eulalia ejusdem Gerundenſis Civitatis indigena annorum duodecim de tecto in plateam grandibus ſaxis ſtratam prolapſa utrumque brachium duobus in locis fregit; graviter item in pectore, fronte, & capite læſa ingentem copiam vomebat ſanguinis. Cui omnibus, quæ excogitari poterant, remediis adhibitis, dixere Medici ad afflictum illius Patrem, intra paucas horas certo expiraturam; curari enim non poſſe corpusculum tot locis fractum, contuſumque. Permanſit tamen in eo ſtatu totam illam noctem, & matutinam diei ſequentis partem, quando commendaturi animam Deo Fratres gemini ingreſſi ſunt domum, eorumque alter particulam ex habitu Beati portans, eam, præmiſſo *Pater*, & *Ave*, morienti Puellæ devote impoſuit. Quæ mox mirantibus cunctis viſa eſt brachium utrumque extendere, ſolidatis tribus illis rupturis. Frons quoque, quæ retro in caput acta miſerabiliter æque ac mirabiliter erat, erigi, & in debitam formam reſtitui. Loqui deinde incipienti qui adſtabant dixerunt: Dic, Filia, B. Salvator adjuva me. Quæ verba, ut juſſa erat, prompte repetivit, ſanaque deinceps ex integro remanſit. Eodem medio in vivis ſervatus eſt Jacobus Gottardus Barcinonenſis a Medicis depoſitus, mortique proximus. Joannes etiam Gomes ex Diœceſi Gerundenſi in pedes ſurrexit e lecto, cui paralyticus incubuerat, ſtatimque a Fratre ſuo partem ex eodem accepit habitu, dixitque: B. Salvator, rogo te, ut me digneris adjuvare, & multas gratias eidem retulit.

CIV. Suſanna Violalis ex oppido Horta tribus menſibus inflatam mamillam habens, & inſtar ſaxi induratam, nihilque auxilii in Medicorum arte reperiens ſcutellam aquæ plenam afferri juſſit, intinctumque eidem panniculum parti affectæ impoſuit dicens: O B. Salvator, auxilium mihi, precor, in hac mea porrige afflictione, ex qua, niſi moriar, voveo, novies adituram me Monaſterium tuum, in quo Coſtarum tuarum una ſervatur. Poſt quæ ad lectum ſe conferens obdormivit, & mane experrecta, mamillamque intuita veſiculam in ea vidit inſtar ciceris exiguam, eamdemque ſecundo die in duplum auctam, & tertio demum apertam reperit, atque expreſſa per eam magna putrefacti ſanguinis, ac puris copia, perſanatam ſe gaviſa eſt.

CV. Magdalena Comas *de las Cajetas* in Regno Aragoniæ filiolam habebat decem & octo menſium, cui ſuper caput, & circa col-

lum ſubnaſcentes cruſtulæ ſupra modum largæ multo pure manabant. Itaque ad Virginem Hortanam ſe contulit, ubi Coſtam Beati ſervari, ferente fama, intellexerat, quam fideliter deoſculata petiit imponi pelvi, & eam, qua tincta fuerat, aquam panuis excipiens collo, capitique filiæ ſuæ impoſuit, auxilium a B. Salvatore poſtulans. Proximo vero mane ne veſtigium quidem prioris in filia mali reperire ſe potuiſſe affirmavit.

CVI. Joanna Sellent in eodem Regno Aragoniæ filium habebat Auguſtinum nomine, qui lapſus ex arbore coxam ſibi utramque fregit. Ita debilitatum Hortam detulit in Eccleſiam ita orare exorſa: O B. Salvator, ubicumqne nunc terrarum degis, preces, obſecro, meas exaudi, & dilectum mihi filium ſanum effice. Mortuus jam tunc Calari Salvator erat. Exauditæ tamen preces ſunt, & puer perfectæ redditus ſanitati.

CVII. Hortanus erat Joannes Pelliciarius, idemque ex acuta febri graviter ægrotus. Sanus autem ſurrexit e lecto B. Salvatorem invocans, & Reliquiam ejus in Monaſterio honoraturus cum gratiarum actionibus advenit. Hortana quoque Joanna Gonora inflato enormiter collo graves tolerabat dolores; ſed poſt oſculum ſacræ Coſtæ reverenter datum, & fuſas pro ſanitate preces ultra ſequentem diem eam non deſideravit. Eidem Reliquiæ oſculum figens Dominus Dionyſius de Loris, & Graudeſa a colico cruciatu, qui mortem allaturus credebatur, liber evaſit. Joannes Genuenſis etiam ipse Hortanus modo brachio, modo pede, modo humero uno paralyticus poſt orationem Beato factam, particulam ex habitu ejus geſtandum aſſumpſit, & cito ſe ſanum expertus eſt. Similem particulam ex Beati Caputio habebat Frater quidam, & rogatus ingredi in domum Joannis Alis ad orationem ſupra infirmum faciendam, ipſam eidem impoſuit, & B. Salvatoris preces pro eodem popoſcit; eodemque momento temporis reducta in corpus ſunt quæ foris periculoſe propendebant inteſtina, & efficaciam invocati auxilii Joannes recognovit.

CVIII. Non omnia hæc miracula eiſdem temporibus contigerunt; referuntur enim a Dima Serpio, qui floruit Sæculo XVII., & de nonnullis fidem ipse facit teſtis oculatus, in quibus ſequens non eſt omittendum. Matronam Bonaguerram Barcinonenſem a Spiritu maligno vexatam ad Templum S. Franciſci adduxere ſui, cui quum variæ SS. Reliquiæ, nihil moto ad earum attactum Dæmone, applicarentur, ſupervenit Dimas Serpius Commiſſarius pro canonizatione Sancti, & ſupra caput infirmæ ponens Reliquiam Beati, quam ſecum habebat, imperavit ſpiritui iu nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Salvatoris, ut egrederetur, qui ſtatim perfecte liberam mulierem reliquit. Teſtatur ipse, fieri non poſſe, ut enumerentur ſingula miracnla, quæ Calari, ubi mortuus eſt, per ejus, & Sanctiſſimæ Virginis invocationem Deus operatur; quum nulla pene dies effluat, quin veſtis, aut caputium ejus in varia deferatur loca ad periculoſe infirmos, aut parturientes, quibus omnibus præſens auxilium infertur. Habet autem ibidem in Eccleſia S. Mariæ de Jeſu dicatum ſibi ſacellum, in quo ſacrum ejus corpus requieſcit in capſa interius damaſceno rubro panno veſtita ſuper cultricam ex ſimili ejuſdem coloris panno confectam, & bombacio ſartam. Exterius vero operta eſt capſa holoſerico nigro inauratis diſtincto clavis, & duplici firmatur ſerra, quarum alterius clavem Archiepiſco-

piſcopus, alterius Guardianus aſſervant. Eadem præterea capſa alteri ferreæ includitur, tribus clavibus reſerandæ, quarum duæ penes Conſules Civitatis ſunt, tertia in poteſtate Guardiani. Colitur Sanctus ſolemni feſto quavis Dominica ſecunda poſt Epiphaniam in prædicta Eccleſia; quando ad populum ſermo habetur de illius miraculis ſub Miſſam, quæ de omnibus Sanctis canitur, ad quam Clerus, & populus confluit univerſus Medicum ſuum, communemque Patronum honoraturus, cui devotæ perſonæ complures uſitatum de Confeſſoribus reſponſorium adaptant. Cætera, quæ ſpectant ad acta pro ejus Beatificatione, & Canonizatione ſuo loco, favente Deo, proſequemur.

CIX. In Cœnobio SS. Annuntiationis Tulucæ, ſeu Vallis de Tolocan, in qua invicem permixtis Mexicanis, Mataltzincis, & Ottomitis ſpiritualia obſequia præſtant Franciſcani, vitæ, & Apoſtolico zelo finem impoſuit hoc anno, ut teſtatur Torquemada, etſi Gonzaga ponat annum 1577., Andreas de Caſtro Provinciæ Burgenſis. Salmanticæ annos quinque Theologiæ ſtuduit probatus judicio doctiſſimorum Patrum Andreæ de Vega, Franciſci de Caſtello, & Alphonſi de Caſtro, quos Præceptores ſortitus erat. Expleto Magiſtri Novitiorum officio, juxta Torquemadam anno 1542., juxta Gonzagam anno 1540. ſequutus eſt in Mexicum Jacobum de Teſtera, ibique linguas Mexicanam, & Matlaltzincam tam perfecte didicit, ut recenſita opera in ea ſcripſerit. Diebus feſtis tres conciones habebat, Hiſpanis nimirum, Mexicanis, & Mataltzincis, apud quos pollebat exiſtimatione. Montanos, ſylveſtreſque Indos infideles quam plurimos in Chriſti fide inſtruxit, & baptizavit. Peragrabat deſertiora loca, etſi corpore admodum pinguis, & obeſus, victitabat herbis, & radicibus, cibo refectus ſemel binis diebus, cubabat humi, animarum lucro, & orationi intentus. Mectlaltzincici eum ut Parentem amabant, & venerabantur, quamvis acriter illorum vitia reprehenderet, nec paſſi ſunt, ut divergeret ad Mexicanos; eunti enim vim fecerunt lacrymis, & amplexibus viam magno numero occupantes, & ad Cœnobium reducentes, cujus præfecturam ex obedientia ſibi a Superioribus oblatam acceptavit quidem, ſed paullo poſt dimiſit. Fuit iterum Diffinitor Provinciæ S. Evangelii.

Torquemada lib. 20. cap. 65. pag. 607.

Gonzaga in Prov. S. Evangelii con. 32.

CX. Tullæ in Conventu S. Franciſci ejuſdem Provinciæ deceſſit die 5. Novembris Petrus de Caſtello Vallis de Guriezo in Montanis Minoriticam Regulam profeſſus in Conventu de Almaſan Provinciæ Conceptionis. Anno 1534. ex ardenti deſiderio converſionis Indorum ad Indias Occiduas profectus, multiſque laboribus linguas Mexicanam, & Ottomiticam aſſequutus longe lateque Catholicam Religionem propagavit cum quotidianis concionibus, vitæque exemplo, tum comitate, humanitate, & cura, quam impendit, ut Indis nulla inferretur injuria vel re, vel verbis. Chiragra, & podagra cruciatus, & oculorum lumine deſtitutus non ſecus ac Job in ſterquilinio divinas reſonabat laudes: *Dominus intulit, Dominus ita voluit. Sit nomen ejus benedictum in ſæcula*. Morbo interdum ſublevatus nec imbecille corpus reficiebat, nec otio vacabat, ſed vel Indorum confeſſiones excipiebat, vel aliquid de Evangelio ipſis proponebat, vel Pſalterium memoriter recitabat, vel conſocios Fratres Grammaticæ regulas a ſe diſpoſitas edocebat. Jacet ante gradus majoris Sacelli.

Gonzaga ibid. con. 25.

CXI. Quieverunt Cadafalſi in Conventu Dominæ Noſtræ de Angelis Provinciæ S. Joſeph Franciſcus ab Oliva, & Franciſcus a Magdale-

na. Ille ſpectavit ad Provinciam S. Gabrielis, quam reliquit, præfatumque Conventum fundatum a Marchione Villenico ob ſuſceptam S. Joſephi tutela prolem primus incoluit, & Deiparæ Virgini dicavit. Vixit innocentiſſimus, & incredibili charitatis in Deum, & proximum ardore ſuccenſus. Alter adhuc puer ivit in Americam, a qua reverſus in Hiſpaniam, aſſumptoque habitu Minoritico in Provincia S. Jacobi, ſtatum Clericalem a Fratribus oblatum renuit; *Magis enim*, inquiebat, *ollis abſtergendis ſum idoneus, quam ad Altaria Deo miniſtrando*. Statura puſillus, corpore debilis videbatur minus habilis ad labores, quos tamen ſuſtinuit, etiamſi forent paullo graviores. Americam repetiit, & aliquot annos in Miniſterio Apoſtolico inſumpſit. Deinde rurſus in Hiſpaniam feſtinavit, & ex Provinciis peragratis eligens Provinciam S. Joſeph in Conventu S. Andreæ Montis Arenarum Infirmis miniſtravit, nunquam charitate excidens, aut aliquod impatientiæ verbum proferens, aut inſuavem vultum oſtendens. Orabat genuflexus fronte in terram dejecta, vel brachiis in Crucis formam expanſis, & de amoris flamma, qua æſtuabat, ſuſpiria procedebant, quæ ſæpius diſſimulare nequibat. Quidquid a Fratrum menſa recolligebat, ad Cœnobii januam pauperibus largiebatur, paniſque, & obſonii ſui portionem reſervabat. Carnes, & vinum nunquam guſtavit, herbis, & aqua contentus. Facilis, comes, & urbanus in converſatione, auſterus, & rigidus in diſciplina regulari amorem pariter, & timorem Fratribus injiciebat. In poſtrema iufirmitate acerbiſſimos dolores patienter toleravit. Poſt tredecim annos, reſerato tumulo, ejus corpus apparuit tamquam ſi noviſſime ſepultum foret cum habitu intacto, quamvis ad genua Fratris tumulum ingreſſi aqua perveniſſet; crevitque erga ipſum Fidelium devotio.

Idem in Prov. S. Joseph con. 7.

Arturus die 5. Octobris.

Didacus de Fonsalita Chronica MSS. Prov. S. Joseph.

Arturus die 7. Aprilis.

CXII. Tumulatus eſt in Cœnobio S. Lucheſii extra Podium Bonitium in Tuſcia Bernardus Laicus de eodem oppido, quem anno 1536. alter Bernardus ejuſdem loci, & in eodem Cœnobio ſepultus præceſſerat ambo ſpectatæ pietatis. In Conventu S. Franciſci Coriæ Franciſcus a Belviſio, quem narrant ortum die S. Franciſco ſacra, poſtea eadem die habitum Minorum ſumpſiſſe, ac tandem eadem die, prout a Deo efflagitaverat, meritis cumulatum deceſſiſſe. Scribit Arturus, eum floruiſſe anno 1565. At etiam, teſtibus Baretio, & Rapinæo, duobus annis poſterioribus floruit. Refert idem Baretius ad hunc annum obitum Claudii Avenionenſis ſecundo Miniſtri Provinciæ S. Ludovici, prudentis, juſti, & devoti. Sed an epocham tradat accuratam ſuſpicio ex eò naſcitur, quod Gonzaga poſt narratum obitum Pauli a Soncino anno 1539. in Conventu S. Crucis Avenionis, ſubjungit: *Hunc comitatus eſt Pater Frater Claudius*; quod indicat, non multum temporis inter utriuſque funus interceſſiſſe. Waddingus de eo loquitur ad annum 1468., ſed nihil aliud dicit, præter ea, quæ habet Gonzaga, non determinato obitus tempore. Quod autem addit Gonzaga, *multum ipſum contuliſſe exſtructioni Conventus Avenionenſis*, niſi deſignet, a Claudio Conventum auctum, admiſſa Baretii epocha, verum eſſe nequit, quum juxta eumdem Gonzagam Conventus exſtructus fuerit ſub Pontificatu Pauli II. anno 1469. Arturus eum floruiſſe affirmat anno 1550. Hæ omnes confuſiones monumentorum penuriæ acceptæ ſunt referendæ.

Dionyſius Pulinari part. 2. pag. 255. Gonzaga in Prov. S. Gabrielis con. 20.

Arturus die 4. Octob.
Baretius lib. 5. cap. 9.

Annales Min. anno 1468. num. 12.

Arturus die 12. Martii.

CXIII. In humanis deſiit eſſe in Conventu S. Hieronymi Caxallæ, ſeu Caſſaliæ Alphonſus de la Quadra ex oppido Chillonii Diœceſis Hiſpalenſis ſingulari humilitate præditus, qui anno 1564. electus in Gon-

Conventu Bellalcazarii Miniſter Provinciæ Angelorum ſucceſſorem habuit hoc anno Joannem de Quacos. In Conventu S. Antonii Arcis Antiquæ Provinciæ Romanæ Antonius de Pozoſidone ex Tertio Ordine S. Franciſci ſæcularium Minoribus Reformatis adſcriptus, quibus fideliter inſervivit. Mechliniæ die 12. Decembris Hermes Hawart Brabantus Rotuacenus ejuſdem loci antea Guardianus, & Vicarius magni ingenii, & eruditionis, Theologiam legit in Conventu Lovanienſi, ſcripſitque commentarium in primum, & ſecundum librum Sententiarum, qui MSS. exſtat in Bibliotheca ejusdem Cœuobii. Loquitur Bonaventura de Faſano in Memorabilibus Provinciæ S. Nicolai Obſervantium de Clemente a Martina iterato Provinciali, Diffinitore, & Doctore Pariſienſi, qui univerſam Scoti doctrinam memoria retinebat, dictus propterea *Bocca di Salera*. Floruiſſe eum ſcribit hoc anno. Provincia S. Ludovici amiſit virum præclarum Ludovicum Columbum Provinciæ Miniſtrum conſtantiſſimum in adverſis, & Hæreticorum oppugnatorem. Quum ſtatuiſſent Judices Curiæ Toloſanæ, ut habita ipſum inter, & Bartam Calvinianum publica concertatione de Sacramento Euchariſtiæ, is, qui ab arena victus diſcederet, capitis pœna mulctaretur, Columbus alacriter cum adverſario congreſſus eſt, qui quamvis aſſeclarum ſibi opem ferentium multitudine ſtipatus, argumentorum tamen pondus, molemque eruditionis, & vim facundiæ Catholici Theologi non ſuſtinens, confuſus abiit, nullaque mora captus a militibus accenſo rogo uſtulatus eſt ex Judicum ſententia. Ea exiſtimatione gaudebat Columbus, ut in Gallia Narbonenſi, aliiſque Provinciis turmatim populi accurrerent ad eum audiendum, quum Regnum Cælorum pauperibus evangelizaret. Annos vigintiquinque Apoſtolicum Miniſterium exercuit, ſeque moriturum prædixit in opere Evangelico. Itaque quum in Oppido Mauræ concionaretur, phthyſi repente ſuffocatus animam Deo reddidit cum ingenti adſtantium mœrore præſtantiſſimam nominis, & ſanctitatis famam relinquens.

Andreas de Guadalupe lib. 10. cap. 2. pag. 478.

Arm. 3. Arch. S. Isid. num. 145 pag. 34.

Monumenta Prov. Flandriæ.

De Faſano part. 2. cap. 3. §. 9. num. 6.

Monumenta Provinciæ S. Ludovici.

CXIV. Columbo doctrina, & moribus parem ſe exhibuit, eodemque hoc tempore illum ſequutus eſt in Conventu Brulæ prope Coloniam ad Rhenum Servatius a Noetberg Juliacenſis, qui in Capitulo Provinciali celebrato per Franciſcum Zamorenſem Romanæ Curiæ, & Provinciæ Coloniæ Commiſſarium anno 1554. in Conventu Montis Calvariæ prope Embricam electus in Miniſtrum, unanimi Capituli conſenſu ſtatuit, ut in Laicis aſſumendis triennium probationis præcederet, antequam habitu Ordinis donarentur, profeſſiſque Laicis abrogavit votum in electionibus, & Clericis ad profeſſionem admittendis. Anno ſequenti obtinuit a Philippo II. Rege Catholico, ut Antuerpiæ, poſtulantibus etiam Miniſtris Germaniæ Superioris, & Inferioris, confirmaret Privilegia Trium Ordinum S. Franciſci, exemptiones, & gratias alio tempore conceſſas, & eoſdem Ordines a contributionibus eximeret. Excelluit extemporanea prædicandi facultate, multoſque annos Eccleſiaſtes Metropolitanus Coloniæ divinarum Scripturarum peritiſſimus, & incomparabilis pietatis, cui nec labor, quantumvis difficilis, Orthodoxæ Eccleſiæ tranquillitatis cauſa ſuſceptus gravis eſſe videbatur, fuit Cathedraticus Colonienſis, & Brulenſis *Murus Hæreticorum* dictus. Poſtquam Bonnæ, favente Hermanno de Weda, ſeu Witt, Archiepiſcopo Colonienſi, Bucerus Lutheranum virus diffudiſſet, & Templum Minorum Conventualium doloſe occupaſſet, Fratribuſque veniam abeundi, & nubendi datam eſſe declaraſſet anno 1543., Brulam ſe contulit, ut ſimilia perageret in Tem-

Arm. 3. Arch. S. Isid. num. 11. pag. 117. a tergo.

Monumenta Prov. Coloniæ.

Templo Minorum de Obſervantia. Sed Dei Vir ejus conatibus reſtitit ſic, ut nec Bucerus, nec Piſtorius, Sarcerus, Melanchthon, aliique Acatholici quidquam efficere potuerint; immo Hermanus de Weda hac occaſione exulavit, cui in Cathedra Epiſcopali ſucceſſit Comes de Scawenberg Ordinis Minoritici Patronus beneficentiſſimus. Exceſſit Servatius die 21. Januarii ſepultus in medio Domus Capitularis. Didaci de Zuniga, qui Parentem habuit Joannem de Zuniga Majorem Commendatarium Regni Caſtellæ, & Præceptorem Philippi II. Regis Hiſpaniarum ex ſanguine Regum Navarræ, elogium ita texit Gonzaga: „ Fuit ali-

Gonzaga in Prov. Caſtellæ con. 19.

„ quando Magiſter meus, atque Præceptor, de quo univerſus Ordo „ Franciſcanus ob ſingulares ejus dotes, atque eminentes virtutes plu„ ra ſibi pollicebatur. Qui quum nobiliſſimus eſſet, nihil magis, quam „ humilitatem affectabat, libenterque omnigenis humilitatis officiis ſe „ implicabat. Obiit quidem ætate juvenis, ſed maturitate, vitæque „ ſanctimonia ſatis ſenex, cujus corpus quum hic (nempe in Cœno„ bio Matris Dei Turris Lacunæ in Caſtella) ſepultum eſſet, ejus ute„ rini Fratres, quorum nobilitas, ſanguiniſque claritas omnibus in pro„ patulo eſt, ex Apoſtolica Pii V. Pont. Max. auctoritate ad paternum „ Sepulchrum in nobiliſſima Civitate Barchinonenſi conſtructum transtu„ lerunt „. Hæc etiam habent Lucas de Tangues in Chronicis Provinciæ Caſtellæ, & Alphonſus Barquez in Catalogo. Sed apud illum invenio, Ludovicum de Zuniga Didaci fratrem, qui Romæ Oratorem egerat Regis Catholici, poſt quatuor annos corpus defuncti, Pontifice indulgente, tranſtuliſſe integrum, & incorruptum ad ſepulchrum Majorum ſuorum. Invenio inſuper hæc verba: *Erat Vir Dei Cardinalis, dum obiit; Frater enim ejus Orator Regis Catholici in Aula Pontificia Cardinalitiam purpuram ei deferebat*. Gonzagam, qui Præceptorem ſuum laudibus extollit, alii namque Gonzagam exſcribunt, res hæc latuit, quam tamen vulgi rumore conſtitiſſe judico; ſolent enim plerumque homines id tamquam indubium venditare, quod volunt, aut ſuſpicantur.

Lucas de Tangues Chron. Prov Caſtellæ pag. 58. ad an. 1567.

CXV. E vita migravit inter Capuccinos Meſſapiæ Angelus de Caſtellaneta jam Vicarius Provinciæ S. Nicolai. In Conventu Ruſciani Bernardus Catacienſis Clericus adoleſcens in mortis limine Angelorum Reginæ adſpectu recreatus, viſusque poſt mortem a devota muliere, Alba, & Pluviali pretioſo indutus, medius inter S. Petrum Apoſtolum, & S. Franciſcum, & cum illa colloquutus. Venetiis Clericus Anonymus necatus a duabus feminis impudicis ab eo amoris repulſam paſſis. Firmi in Conventu S. Savini Bonaventura Picens Laicus, quem Signo Crucis miracula patraſſe, & Infantem mortuum nomine Carolum Camerini ſuſcitaſſe ferunt. Trainæ Ægidius Siracuſanus Laicus. Incerto loco Antonius de Potentia Laicus. In Provincia Calabriæ Vincentius Caſſinenſis, ſeu de Caſſano Sacerdos dignatus in obitus hora præſentia Jeſu Chriſti, B. V. Mariæ, S. Franciſci, S. Catharinæ, & S. Claræ.

Boverius ad an. 1567.

CXVI. Contigit beata mors Franciſci a Soriano Obſervantibus adſcriptus, apud quos, ut ait Bendictus Sanbenedetti. Boverius ſcilicet vernaculus, plures annos exegit magna cum virtutis, & ingenii laude, Concionatorque inſtitutus inter priſcos illos Patres, qui primo ſæculo reformationis virtutis, & perfectionis dono floruerunt, tam inſignis præluxit, ut præſtantiſſimum ſibi nomen in Chriſtiana Republica comparaverit. Quæret aliquis, cur virtutis, & ingenii laude vir illuſtris Obſervantium ſocietati valedixerit? *Quum audiviſſet*, inquit præ-

ſatus

fatus Scriptor, *Franciſcus reſonare per Orbem celebre nomen Capuccinorum, quod ſingulari ſtupore unumquemque percellebat, qui illos contemplabatur, ad eorum diſciplinam ſe contulit*. Quæ verba neſcio, utrum accuratam rationem contineant, cur Franciſcus Obſervantes deſeruerit, inter quos virtutis, & ingenii laude florebat; quiſque enim credet, eum non vulgari rumore permotum, ſed ſpiritu Dei ductum novam vitæ ſemitam arripuiſſe. Excelluit cæleſti charitate, & in præclarioribus Italiæ Urbibus Eccleſiaſtes ferventiſſimus multorum odia, & inimicitias placavit, obſtinatioribus ſubitaneam mortem prædixit, quam oppetiverunt. Oratione vehementiſſima propemodum tonabat propheticis phraſibus, & luminibus referta. Crucis ſigno Infirmos, & Energumenos liberavit. In freto Siculo vi tempeſtatis a navi prolapſum undæ ad litus ipſum, & ſocium incolumes detulerunt. Jacet Romæ in Cœnobio Capuccinorum. Ejus mortem Deus Bernardino Calabro ſocio revelavit.

CXVII. Signis aliis, quibus enituit B. Garcia Blandez defunctus anno 1332. in Cœnobio S. Franciſci Oropeſæ, & translatus inde ad Monaſterium S. Claræ Allaritii, ubi Confeſſarii munus obierat, in Provincia S. Jacobi Miniſter, & Violantis Reginæ Caſtellæ uxoris Regis Alphonſi X. a Confeſſionibus, ſequens accenſet Marcus Ulyſſiponenſis: „ Anno MDLXVII. Abbatiſſa hujus Monaſterii ſurditate laborans B. Garciam rogavit, ut ſana fieret, utque facilius Beato ſe commendaret, aperuit portam, per quam ingrediebatur in ejus ſepulchrum. Mane quodam, quum intenſius oraret, cecidit ab auribus ejus congeries, ſeu gluten cereum, & extemplo ſenſum recuperavit „. (Marcus Ulyſſip. part. 3. lib. 9. pag. 568.)

CXVIII. Corpus B. Martini de Valentia, quod triginta, & amplius annos integrum permanſerat, & tumulo ſæpius recluſo a quamplurimis viſum eſt tum Franciſcanis, & Patribus Ordinis Prædicatorum, tum ſæcularibus, hoc anno evanuit. Rem ita compertam narrat Gonzaga: „ Quum Tlalmanalcam perveniſſet Secretarius Miniſtri Provinciæ S. Evangelii, & audiviſſet ante unum annum recluſum tumulum fuiſſe, inventumque corpus integerrimum, Generali Commiſſario perſuaſit, ut ſepulchrum reſeraret. Eo aperto, ligni fragmenta aderant, quæ ex capſa ablati corporis eſſe videbantur. Facta eſt diligens ubique inquiſitio, nec quidquam vel ab Oppidanis, vel a Fratribus reperiri potuit ea de re, tametſi ſuper ea anno 1580. Literæ Pontificiæ fuerint publicatæ „. (Gonzaga in Prov. S. Evangelii con. 10.) Quum ſententia excommunicationis promulgaretur, puerulus elata voce in medium proſiliens dixit: *Ne conemini reperire corpus B. Martini, quod Deus depoſitum ſervat in loco abdito, donec redeat ad prædicandum in iſta regione contra Antichriſtum*. (Vetancur in menol. pag. 95.) Ita Bartholomæus de Latona apud Auguſtinum de Vetancur aſſerentem, factum hujuſmodi non authenticum humana ſolummodo fide conſiſtere.

CXIX. In Sacrario Cœnobii S. Franciſci Civitatis S. Jacobi, vel de Santiago, aſſervatur ſimulacrum æneum S. Antonii de Padua Eccleſiæ donatum a D. Lope de Mendoza Archiepiſcopo S. Jacobi, quia ejus interceſſione annulum pretioſiſſimum recuperaverat, qui ei ex digito per mare in navigio ſolatii cauſa ambulanti in undas ceciderat, die poſtero inventum in rete a piſcatoribus. (Monumenta Pro. S. Jacobi.) Hoc anno egeſtate preſſus Petrus de Carceres Guardianus mutuam accepit pecuniam ab homine divite, cui loco pignoris, vel ſyngraphæ tradidit ſimulacrum, quod ille in domum ſuam allatum arca incluſit, auro, argentoque referta. Mane poſtero Æditiuus reperit ſimulacrum in priori loco, miratuſque, ſciebat

enim

enim inde ablatum, Guardiano rem renuntiavit. Hic ad fœneratorem cucurrit, qui prodigio percitus ipſi debitum omne cum liberalitate remiſit. Miraculi veritatem examinavit, comperuitque Ferdinandus de Vera Epiſcopus Bugienſis in Regno Juliæ Cæſareæ in Africa, ad petitionem Fratris Ambroſii Commiſſarii in Provincia S. Jacobi anno 1616.

CXX. Deceſſit in Monaſterio S. Claræ de Andujar Iſabella de Torquemada ex Civitate de Andujar devotiſſima SS. Sacramenti, & mirabilibus a Deo viſionibus decorata. In morte hymnos decantavit Deo, & benedictæ ejus Matri. Inter alia dicebat: *Quam pulchra es, amica mea cæleſtis, & lætitia affluens!* In his verbis invocato nomine Jeſu, animam placidiſſime Deo reddidit die 4. Novembris. In Monaſterio de Eſperanza extra muros Ulyſſiponis Anna a Conceptione, quæ quum dies noctesque Deum precaretur, has voces ſæpius repetebat: *Domine, ſi Tu es, jube me venire ad te*. In Monaſterio de Andujar Iſabella Palomino toto ſpiritu, & corpore, quamdiu vixit, myſterium Paſſionis Dominicæ meditata, & ſenſibus plerumque in meditatione deſtituta. Oſtenſa ei eſt aliquando viſio B. M. Virginis, Angelorum, SS. Apoſtolorum, Martyrum, ac Virginum cum palmis, & thuribulis in manibus incenſorum thymiamatum odore fragrantium, & cæleſtis lucis radiis circum renitentium.

Arch. S. Iſid. arm. 3. num. 13. pag. 248.

CXXI. In Monaſterio S. Claræ Ovetenſi Provinciæ S. Jacobi Stephania de Arguilles fundatrix Monaſterii de Rivades, Abbatiſſa Monaſterii de Villalobos, & poſtea Ovetenſis, ubi prædicta mortis ſuæ hora, jacenſque ſupra nudam humum, & lapidem capiti ſubſternens animam Creatori ſuo placidiſſime reddidit, relicta poſt ſe magna ſanctitatis fama. In Monaſterio S. Claræ Villæ Comitum Diœceſis Braccarenſis Soror Guiomara de Tharſis, quæ victorias multas contra Dæmonem retulit ipſi apparentem nunc horribilibus formis, nunc lætis, in ecſtaſes divinas ſæpius rapta eſt, librumque ſcripſit valde devotum de favoribus ſibi a Deo communicatis, quem memorat Emmanuel de Spe. Reperio in Monumentis Provinciæ Portugalliæ, Guiomaræ ſociam fuiſſe hoc eodem anno in præfato Monaſterio Mariam de Sepulchro; ſed eam Emmanuel a Spe defunctam teſtatur anno 1565. In oratione, jejuniis, ciliciis, atque flagellis exercitata patientiæ dono excellens, & S. Eliſabeth viſione recreata, quamvis oculorum luce orbata, communis hoſtis aggreſſiones & ipſa devicit, devotiſſima SS. Michaelis Archangeli, & Georgii Martyris, & elevatiſſimæ fidei, qua maligni adverſarii inſidiis in extremo vitæ ſuæ certamine fortius reſtitit, victrixque ad Sponſum abiit.

Arch. Aracælit. tom 3. pag. 281.

Emmanuel a Spe part. 2. lib. 8. Hiſt. Portugal. cap. 19.

Ibid. cap. 18.

CXXII. Memoravimus Geuſiorum motus in Belgio adverſus Fratres Minores, ſed non omnes. Menſe Februario (non ſemper enim aperta vi eis agere dabatur) collectis ſtipulis, & paleis, diſpoſitiſque clam circa Antuerpienſe Cœnobium, flammas noctu ſuppoſuerunt; nemo tamen incendio periit, quamvis ædibus extrema ruina inferretur, exuſtis trabibus, & parietibus undique dehiſcentibus. Tempore Quadrageſimali carnis toſtæ fruſta, & oſſa ex recentioribus epulis reliqua in hortum Cœnobii noctu pariter conjecerunt, dieque altero evulgarunt, Fratres S. Franciſci auſteriorem vitam affectantes, uti cibis ab Eccleſia vetitis. Verum quum duo ex hæreticis anteacta nocte viſi fuerint circumire ſepta Monaſterii, audituſque fuerit ſtrepitus foliorum arborum, veluti ſi extrinſecus aliquid projectum ea percuſſiſſet, calumnia manife-

niſeſto patuit. Alio die honeſta, & nobilis mulier Antuerpiæ advena curioſitate ducta ingreſſa erat præfatum Cœnobium, animo damna inviſendi ab incendio patrata una cum ejuſdem conditionis Matronis; quamvis non defuiſſent qui dicerent, meretriculas a Sectariis fuiſſe immiſſas. Illi autem teterrimo in vulgus ſparso rumore, turpiſſimis verbis Religioſorum hominum, mulierumque honeſtatem inſectati ſunt, tamquam ſcorta deprehenſa forent, quum tamen illarum mariti teſtarentur, eo ipſo temporis momento illuc eas fuiſſe a ſuis domibus introgreſſas. Rodulphus lib. 1. pag. 258. a tergo.

CXXIII. Injuriarum, & criminum nullus erat finis, quamvis Hæretici etiam miraculis ediſcere potuiſſent, tantum abeſſe, ut Fratres Minores aliquo crimine culpandi forent, quin potius eorum opera Cælo gratiſſima obvenirent; ut accidit apud Harlingenſe Friſiæ Caſtrum, ubi Geuſius, qui, hæreſi abjurata, Franciſcano peccata ſua confeſſus erat, & ſacra Synaxi refectus, nullimode a carnifice occidi potuit iterum ad patibulum redeunte; funis enim veluti enſe disjectus repente cecidit; cujus rei acta rite examinata, & præſcripta fuerunt ad Margaritam Parmenſem. Abiturum, ut diximus, Angelum Averſanum Commiſſarium Generalem in Belgium hoc anno Pontifex commendavit Duci Albano, & conſtituit Inquiſitorem Generalem contra hæreticos, ut ex his literis. Bzovius ad an. 1567.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando a Toleto Duci Alva Chariſſimi in Chriſto filii Noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici Capitaneo Generali.

Pius PP. V.

QUum de aliquo ſpectato viro iſtuc mittendo cogitaremus, ſicut dilecti filii Franciſcus Cardinalis Paceco, & Commendator Major Caſtellæ Sereniſſimi Regis Catholici apud Nos Orator valde te cupere nobis declaraverant; delegimus dilectum filium Fratrem Angelum Averſanum Ordinis Minorum de Obſervantia Profeſſorem noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Commiſſarium, eximia cum probitate, prudentia, integritate, & Religione præditum, tum in aliis gravibus, arduiſque negotiis per Nos ei demandatis optime cognitum, atque probatum. Quocirca nobilitatem tuam plurimum hortamur in Domino, & ex animo requirimus, ut quemadmodum Nos ipſum pro rebus Catholicæ Religionis iſtic feliciter dirigendis prompte, ac libenter ad te venire juſſimus; ita Tu eum benigne excipere, & pro tua ſingulari pietate, flagrantique erga recta, & laudata opera ſtudio, ad ea, quæ ei mandavimus exequenda, omnem opportunum favorem, & auxilium alacriter præſtare, & a quibuſvis iſtarum partium magiſtratibus præſtari facere velis. Præterea Nobis gratiſſimum feceris, ſi ei in omnibus, quæ tibi noſtro nomine exponet, plenam, & indubiam fidem habebis, perinde ac Nobis ipſis haberes, ſi præſentes tecum loqueremur. Datum Romæ apud S. Petrum die II. Novembris MDLXVII. anno II. Lib. 1. Secr. Brev. an. 1567. pag. 34.

Cæſar Glorierius.

Dilecto Filio Fr. Angelo Averſano Ordinis Minorum de Obſervantia Profeſſori.

Pius PP. V.

QUum Tu nuper tam a Nobis, quam etiam a dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Minorum de Obſervantia ad Provincias Galliæ, Belgicæ, Inferioris Germaniæ, & Flandriæ, ac S. Andreæ dicti Ordinis viſitandum, Ibid. pag. 318.

dum, & reformandum, ac nonnulla alia per Nos tibi demandata faciendum, & exequendum Commiſſarius deputatus fueris, & ideo prope diem te illic concedente Domino conferre habeas. Nos de tua fide, prudentia, Religione, ac dexteritate per amplius in Domino confidentes, ac ſperantes, quod præter ea, quæ tibi dedimus in mandatis, etiam nonnulla alia, quæ Nobis magnopere cordi ſunt, feliciter, & diligenter tractabis, & adminiſtrabis, Tibi committimus, & mandamus per præſentes, ut ea, quæ tibi oretenus injunximus, ſedulo exequi ſtudeas; Nos enim tibi quum in Provincias prædictas perveneris, contra quoſcunque hæreticos, ac de fide Catholica male ſentientes, aut de hæreſi quomodolibet ſuſpectos cujuſvis dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentes, & quacumque, Eccleſiaſtica etiam Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, vel alia dignitate fulgentes, aut mundana, & temporalia, etiam Principis, Ducis, Marchionis, Comitis, ſeu quavis majori auctoritate, & excellentia præditos, eorumque complices, ſequaces, adhærentes, fautores, & defenſores diligenter, prout tibi expedire videbitur, requirendi, ac procedendi, eosque, ſi haberi poterunt, capiendi, & carceribus mancipari curandi; teſtes tibi beneviſos deſuper examinandi, eorumque dicta, & depoſitiones in ſcriptis redigendi, & quorumvis reorum ſubditos pro habenda veritate etiam a juramentis homagii, & Vaſſallagii abſolvendi, & totaliter liberandi, illaque eis relaxandi, & proceſſum ſuper his formandi, & conficiendi, nec non reos, & culpabiles repertos Curiæ Sæculari juxta Canonicas ſanctiones, & conſtitutiones, & Edicta Regia debitis pœnis, & ſuppliciis afficiendos dimittendi, & ad præmiſſa auxilii militaris brachium a magiſtratibus Sæcularibus, & præſertim a dilecto Filio Nobili Viro Duce Alvæ nomine noſtro invocandi, necnon eos, quos relicta via iniquitatis ab erroribus ſuis ex corde abſiſtere, & ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redire velle cognoveris, facta hæreſium deteſtatione, & ſuorum complicum revelatione, receptaque prius ab illis abjuratione publica, vel ſecreta, prout expediens eſſe judicaveris, coram tamen Notario, & teſtibus, ab hæreſibus, & erroribus hujuſmodi, ac excommunicationis, & quibusvis aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac corporis afflictivis in ipſo præmiſſorum occaſione quomodolibet latis, injuncta inde eis pœnitentia ſalutari, in utroque foro abſolvendi, eoſque dicto gremio, & fidelium unitati reconciliandi, cæteraque omnia, & ſingula gerendi, exercendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, & quæ Generales Inquiſitores in aliis Regnis, & Provinciis deputati gerere, & exequi tam de jure, quam de conſuetudine, aut privilegio quoquomodo poſſunt; plenam, liberam & omnimodam facultatem, ac poteſtatem, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impertimur, mandantes in virtute S. Obedientiæ, & ſub privationis pœnis quibusvis perſonis Eccleſiaſticis, quoſcumque veros ſæculares, & dominos temporales, & præſertim eumdem Ducem Alvæ Sereniſſimum Regis Catholici Capitaneum Eccleſiaſtem, alioſque Magiſtratus hortamur in Domino, ut pro Religionis cultu, & eorum erga S. Catholicamque fidem devotione quando, & quotiens a te fuerint requiſiti in præmiſſis exequendis omnem ſuum promptum, & benevolum favorem, opportunumque auxilium præſtent, & exhibeant, in quo rem Deo omnipotenti plane gratam, & acceptam, ipſi juſtitiæ conſonam, & Nobis, qui pro ſolliciti Paſtoris officio ad extirpandas ab agro Dominico hæreſes potiſſimum invigilamus, maxime optatam efficient. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Novembris MDLXVII. Anno II.

Cæſar Glorierius.

CXXIII.

CXXIV. Victi Hugonotti in ſuburbiis Pariſiorum, dum Urbem obſidione cingerent, vires ubique colligebant, captiſque arcibus Neaumugii, & Rupellæ, occuparunt tractus Provinciæ, Delphinatus, Regionum Ruthenarum, Fuxenſium, Cadurcenſium, Albigenſium, & Laudacenſium, ceciditque eorum armis Conventus Romanenſis, Romonis, vel de Romanis in Provincia S. Bonaventuræ Odoardi, & Guilielmi uterinorum Fratrum, & nobilis familiæ de Hoſtoduno expenſis fundatus. Fratres expulſi in ædem redierunt refectam ſolertia Fratrum Joannis Pictavienſis, Claudii Picquet Scriptoris rerum Minoriticarum, & Bonaventuræ de la Cloſtre. In Provincia Turoniæ Conventus Vaſtinii, in cujus ruinis monumenta ſuperſunt Gonzagæ ignota, ex quibus dignoſcitur, anno 1487. inhabitatum fuiſſe a Franciſcanis. Rurſus anno 1618. excitatus tranſivit ad Cuſtodiam SS. Trinitatis anno 1643., unitus deinde cum ipſa Provinciæ S. Mariæ Magdalenæ Recollectorum. Obierunt ibi peſte laborantibus opem ſpiritualem ferentes Edmundus Mareſchal Hebraici ſermonis gnarus, & Eccleſiaſtes, Franciſcus Perraut, Joannes Baptiſta, & Angelus Le-Vaſſeur Clericus, Auguſtinus Frayer, & Jacobus Pouſſet ambo Laici. Sepultus in eo eſt Pacificus Toubaux Conventus Redonenſis alumnus, Prædicator, Guardianus, & Diffinitor elector, qui a ſuo Superiore ad concionandum hyemis tempore miſſus, nocte ſuperveniente, in terram nive dealbatam proſtratus, omnique ſpe humana deſtitutus dum obedientiam præſtitam Deo offerret, juvenis inopinato apparentis manu ductus eſt cum ſocio ad proximum oppidum.

Monfaucon lib. 5. an. 1567.

Annales Min. an. 1400. num. 33.

Gonzaga in Prov. Turoniæ con. 12. & 13.

Monumenta Pro. S. M. Magdalenæ an. 1680.

CXXV. Martyrio affectus eſt in oppido Genulphi die 14. Aprilis Guido Germanus, & in medio itinere, quum forte in Hæreticos incidiſſet, Franciſcus Tarellus alumnus Provinciæ Franciæ. Apud Caſtrum prope Giennam in territorio Antiſiodorenſi Joannes Pariſottus, ſeu Pariſinus, religioſiſſimus, & doctiſſimus Maſconenſis Cœnobii accola, & Confeſſarius Monialium Giennenſium. Prope Charrerias in territorio Viennenſi Joannes de Tellio, vel de Sallio, proditus a famulo Conventus, dum ab hoſtium manibus elabi vellet, qui Conventum inſuper diripuerunt. Apud Montem Peſſulanum ex pleriſque Fratribus, qui, Cœnobio deſtructo, manebant in Eccleſia S. Pauli, Nicolaus Bermundus Guardianus, & diſertiſſimus Eccleſiaſtes vi ductus ad Tribunal Hæreticorum, poſtquam coram Judicibus de religione ſua diſſeruiſſet, vix evaſit ab illorum gladiis, noctuque ſuſceptus a viro Catholico latitavit in cryptis, ad necem quæſitus, quam in ejus oculis paullo ante oppetierat Andreas Roberti Laicus Barcinonia in Alpibus oriundus, ſphærula plumbea in os immiſſa, quum verba proferret: *Jeſus Maria*. In Diœceſi Bononienſi Veromandunorum ad Oceanum Ludovicus ſenex venerabilis, a Boſio laudatus, occiſus ab hæretico Stephano Martini.

Picquet. in Catal. Martyrum Ord.

Apollinarius de Conceic. pag. 125.

Boſius lib. 12. cap. 12.

CXXVI. Socios in certamine aliis in locis Chriſti Athletæ fortiti ſunt Antonium Valliotum, Hubertum a Curia, & Joannem Gibboſum, vel Boſſu, Guardianum Cœnobii Matiſconis in Burgundia. Hic poſtremus, die 28. Septembris captus, & compedibus revinctus in teterrimum carcerem detruditur. Die 1. Octobris inde extractus, fune ad collum injecto per Civitatem raptatur. Ad portam S. Antonii carnifices ei abſcindunt auriculam dexteram, ad portam Barræ auriculam alteram, & naſum in medio plateæ, vulgo Curia Præpoſiti, ad portam Burgi Novi extremitates digitorum manuum, ad pontem Confluentis Saonæ, olim Araris, virilibus eum mutilant, & chorda utrique manui alliga-

Iacobus A balestò Chronol. parva pag. 44.

ligata, quam ex oppoſitis extremitatibus diſtentam trahunt, iterato per flammas tranſire cogunt, uſque dum carnes, & crura uſtulata referret. Denique ſupra pontem Araris inteſtina gladio perfodiunt, & in undas excarnificatum projiciunt. Aquarum impetu delatus ad acervum arenarum prope Breſſam a Sicario, quaſi ſemivivi, & oblanguentis miſeretur, neci traditur. Aſt, juſto Deo vindice, verſus ille in rabiem, & occurentes canino more dilanians interiit.

CXXVII. Villæ Francæ in Aquitania Antiquiori Joannes Guilotus a pago reverſus, ubi conciones sacras habuerat, percuſſus ictu tormentario animam agens Deum pro inimicis deprecabatur, ne id ipſis peccati loco ſtatueret. In Diœceſi Lingonienſi Tuſſanum Fortinum, & Paulum Tonnelierum inter Caſtrivillanum, & Tanlajum Saranæ Miniſtri tru-

Waddingus de Martyr. Ord.

cidarunt die 5. Martii. Paulum Waddingus dicit Guardianum Conventus Caſtrivillani. At ſunt qui eum Conventui Tanlaji Guardianum præ-

Arturus die 5 Martii.

ficiunt. Eorum, reducta in Galliam tranquillitare, ſacras exuvias in Eccleſia S. Franciſci Fratres reponi curarunt. De Conventu Caſtrivillani ira Arturus: „ Dum perduelles Hæretici Conventum expilarent, &

Idem die 8. Martii an. 1567.

voracibus flammis traderent, Ven. Guardianus infirmitate depreſſus, cæteris aufugientibus, ſolus remanſit in domo. Hunc igitur jam ſenem, atque languidum apprehendentes tota die ligatum derinuerunt faciem pugnis cædentes, & ſugillantes, ac pilos barbæ vellentes, quæ omnia patientiſſime ſufferebat. Die ſequenti ligatum veſtibus denudarunt, ponenteſque ipſius genitale membrum ſuper parmam, lapidibus illud contundebant, dicentes: Abjura Chriſtum, Eccleſiam nega, abnega Hoſtiam conſecratam, & hæc minime patieris tormenta. Quibus in cruciatibus vox Martyris audiebatur: *O bone Jesu!* Poſtea digitos manuum, pedumque conquaſſantes ad petram tentabant Martyris conſtantiam; ſed fruſtra, indeque illum educentes foras per oppidi vias compulerunt ſic colliſum ignominioſe, & crudeliter ambulare. Nam & Crucis baculo, ut celerius iter feſtinaret, ſæpe percutiebant. Foras egreſſi in foveam projecerunt eum ſemiſepultum uſque ad capulas diverſimode illudentes, & bacillis caput ejus verberantes. Die altero cernentes ipſum minime mortuum ictu ſcopletarii cervicem terebrarunt. Tunc glorioſus Martyr ad cælos evolavit, cujus ſacrum corpus manſit ibidem ſepultum. Sed nonnullis annis elapſis, Clerus cum populo illud magna cum devotione exinde ſubſtulerunt, & in Eccleſia S. Franciſci, ubi colitur, honorifice tumularunt „. Nititur hæc narratio auctoritate Baretii, Thomæ Bouchier, & Fauſtini Taſſi. Oportet vero, ſi firma ea ſit, ut Paulus Tonnelierus fuerit non Guardianus Cœnobii Caſtrivillani, ſed Guardianus Cœnobii Tanlaji; hunc enim paſſum dicit Arturus die quinta Martii, alterum die octava, niſi fortaſſe in epocha erret, & ex uno martyre duos faciat, etſi circumſtantiæ duos deſignent.

CXXVIII. Omnia hæc mala ex Sanning addiſcimus prænuntiaſſe Minoritam Gallienum anno 1520. virum ſanctitate vitæ præſtantiſſimum, & prophetiæ ſpiritu a Deo donatum; non ſolum enim, cunctis au-

Sanning. apud Hueberum die 7. Maji.

dientibus, a ſuggeſtu loquutus eſt de imminentibus ærumnis, quas Hugonotti ferro, atque igne Galliarum Regno erant allaturi; verum eas eloquentiæ coloribus graphice pinxit, & omnium oculis adſpiciendas propoſuit. Præterea cives rogavit, ut non in Eccleſia cadaver ſuum ſepelirent, ſed in abjectiſſimo Cœnobii angulo; fore enim, ut Templum Dei circa hæc tempora abominatione repleretur, ſanguine Sanctorum

Alta-

Altaria reſpergerentur, illudque hoſtes deſolatum in equorum ſtabulum verterent; niſi fortaſſe prædictio ad noſtram ætatem verius pertineat.

CXXIX. Damnavit Pontifex propoſitiones Michaelis Baji Doctoris Lovanienſis: *Ex omnibus afflictionibus*. Kal. Octobris. Queſti ſunt Novatores Jeſuitarum, & Minoritarum fraude impulſum Pontificem, ut anathemate Baji placita feriret, veluti ſi ſeorſum ab illis proſcriptionis nota hæreſis fuiſſet indigna. Aſſerit Fleurius, Pontificem ad id adductum opera Cardinalis de Granvelle, & Patris Montalto. Res per ſe loquebatur. Utriusque Theologi conſilio uſus fortaſſe eſt Pontifex. Sed qui conſulit judicium non urget, nec ad effectum deducit. Harum propoſitionum ſeptuageſima tertia apud Poſſevinum eſt hujusmodi: „ Nemo „ præter Chriſtum eſt absque peccato originali. Hinc Virgo Maria mor„ tua eſt propter peccatum ex Ada contractum, omnesque ejus afflictio„ nes in hac vita, ſicut & aliorum fuerunt ultiones peccati vel actua„ lis, vel originalis „. Verum quidem eſt, hujus anathema quæſtionem de neceſſitate in Deipara contrahendi, vel non contrahendi pèccatum originale non attingere, neque controverſiam de primo, & ſecundo inſtanti, quæ tanta animorum contentione agitabatur, ut Pius V. incommodis, quæ exinde profluebant, mederi cupiens conſtitutionem ediderit referendam anno 1570. Nemo tamen inficias ibit, non parvum primi inſtantis propugnatoribus Franciſcanis ex Baji anathemate rationis pondus acceſſiſſe; ſi enim falſum eſt, B. Virginem mortuam eſſe propter peccatum ex Ada contractum, videtur, eam in nullo inſtanti peccatum contraxiſſe; ſecus peccato veluti cauſæ mors illius adſcribenda foret, quod falſum a Pontifice declaratur. Adverſus Bajum, qui alias ſubinde quæſtiones excitavit, antequam retractationem ederet, cum Philippo Marxinio S. Adegondi Abbate verbis, ſcriptisque contendens, calamum ſumpſit noſter Franciſcus Horantius, non tamen hoc anno.

Fleury tom. 34. pag. 420.

Poſsevinus in Appar. Sacr. tom. 2. verbo Mich. Bajus.

CXXX. Nonnulli Fratres Minores, qui cum Bajo, re anathemate non vulnerata, ſentiebant, eodem teſte Fleurio, Pontificiam conſtitutionem acceptarunt magna docilitate, Angelo Averſano Commiſſario rem ad exitum perducente in Provinciis Flandriæ, & Germaniæ Inferioris, ac Leodio Provinciæ Flandriæ Miniſtro in id incumbente, qui Nivellæ in Cœnobio SS. Conceptionis Guardianis, & Delegatis cujuscumque Conventus adeſſe juſſis denuntiavit legem Pontificis ſtatim in omnibus Provinciæ locis receptam. Id Leodii Succeſſor Julianus de Cheſne publico actu, & ſcripto confirmavit, præcipiens, ut in ſingulis Cœnobiis Bajanos articulos Sacerdotes, Clerici, ipſique Laici abjurarent, idque facerent Moniales Ordinis ſubjectæ.

Fleury ibid. pag. 584. & 588.

Ibid. pag. 594.

CXXXI. Per hoc tempus, ait Bzovius, veritatis oſores Hæretici Carolus Molinæus apud Gallos, Martinus Kemnitius, & Joannes Fabritius Montanus apud Germanos contra Concilium Tridentinum pernicioſe ſcripſerunt. Pro Concilii actis, & decretis Pius Pontifex duos Athletas fortiſſimos oppoſuit, Andream Vegam Minoritam, & Petrum Fontidonium Theologum, qui nebulas calumniatorum diſſiparent. Numquam ego recuſaverim laudes Ordinis mei præſertim ab alienis profectas. Attamen quoad Andream Vegam id verum eſſe nequit, anno 1560. Salmanticæ defunctum, ut patet ex lapide ſepulchrali, cujus epigraphem in Annalibus Ordinis relatam concinnavit Didacus Colomenarius. Novimus, Petrum Caniſium Presbyterum Societatis Jeſu anno 1572. dicaſſe Erneſto Comiti Palatino Bavariæ Duci, & Friſingenſis Eccleſiæ Adminiſtratori, poſtea

Bzovius ad anno 1566. pag. 265.

Digitized by Google

poſtea Principi Electori opus bipartitum Andreæ Vegæ. Prima pars inſcribitur „ De juſtificatione doctrina univerſa libris quinque abſolute tra„ dita, & contra omnium errores juxta germanam Orthodoxæ verita„ tis, & Sacri Concilii Tridentini præclare defenſi „. Altera inſcribibitur „ De eadem Juſtificatione, Gratia, Fide, operibus, & meritis, „ quæſtionibus quindecim abſoluti „. Primæ partis duo libri poſtremi reſpondent peſtilenti cuidam libro Joannis Calvini, cui titulus: *Antidotum in acta Concilii Tridentini*; in quibus doctiſſime agit Vega de peccato mortali, & veniali. Crediderim, Bzovium hoſce duos libros innuere velle, ſed Chronologiæ ordine eum decipi nemo non videt.

CXXXII. Florebat in Provincia S.Nicolai Stephanus de Rubis, ſeu Ruuo, eximius, & incomparabilis Philoſophus. Hilarius Coqui Guardianus Conventus Axuenenſis multiplici eruditione pollens typis edidit a ſe compoſitum Compendium Antiquitatum Axuenenſium laudatum a Jacobo Le-Long in Bibliotheca Gallica. De Joanne Naſs bis egimus. His diebus in lucem emiſit latino idiomate Catechiſmum in uſum piæ juventutis fide Catholica imbuendæ facili, & ordinata brevitate; Concionem pro Kal. Januarii, in qua genuinum Orationis Dominicæ uſum expoſuit; duaſque perſundatus Conciones de veteris, & novæ fidei diverſis fructibus, & proprietatibus in cap. 15. Matthæi; & de præcipuis articulis totius priſci Chriſtianiſmi.

Le-Long lib. 4. num. 15082.

CXXXIII. Confirmat Pontifex privilegia Ordinum Mendicantium, & nova ipſis concedit: *Etſi mendicantium*. XVII. Kal. Julii. Declarat, Ordines S. Dominici, S. Franciſci, Eremitarum S. Auguſtini, & Servorum B. M. Virginis eſſe proprie mendicantes, & eorum privilegiis gaudere, etiamſi bona ſtabilia in communi poſſideant: *Romanus Pontifex*. Kal. Octobris. Præſcribit modum ſolvendi Parochis quartam funeralem: *Etſi mendicantium*. VII. Kal. Julii. Injungit Philippo Epiſcopo Civitatis Aſſiſii, ut procedat adverſus Fratres aliquot Conventuales Cœnobii S. Franciſci reformationem detrectantes, & pueros indutos in eodem Cœnobio habitu Franciſcano ante annum ætatis decimum ſextum inde expellat, & ejiciat: *Non ſine animi noſtri*. Die 3. Maji. Quam poſtremam prohibitionem confirmat: *Nuper per noſtras*. Die 22. Maji. Abſolvit Obſervantes Cœnobii S. Mariæ de Campanea Placentiæ ab onere Legatorum, quibus erant gravati, eorum fundis deficientibus. Exponit mentem ſuam circa prohibitionem factam mulieribus ſæcularibus ingrediendi Monaſteria Monialium vivæ vocis oraculo, cujus teſtimonium dedit Clemens Monialianus Cardinalis de Aracæli hoc anno die 7. Junii. Exemplar exſtat in literis Cardinalis Alexandri Cribellii anni 1568., quarum alteræ prorſus ſunt ſimiles.

Arm. 3. Arch. S. Isid. num. 126. pag. 42.

Flaminius de Parma in Con. Placentiæ.

Rodericus in Bull. pag. 418.

CXXXIV. Approbat denique privilegia Ordinis Minoritici in foro conſcientiæ tantum, etiamſi ſint contra Concilium Tridentinum.

Ibidem.

Ego Frater Aloyſius Petrus (Puteus) *totius Ordinis Min.Gen.Miniſter fidem facio, quatenus SS. D. N. D. Pius PP. V. die 23. Menſis Martii MDLXVII., me ſupplicante S. Sua, conceſſit confirmationem, & conceſſionem omnium privilegiorum, & quarumcumque gratiarum, & vivæ vocis oracula Fratribus dicti Ordinis Minorum, prout de verbo ad verbum hic eſt inſerta, quæ talis eſt.*

Ex Roderico Bull. pag. 418.

Supplicatur SS. Domino noſtro Domino Pio Papa V. ut Sua Sanctitas dignetur confirmare, & concedere omnia privilegia, & quaſcumque gratias, & vivæ vocis oracula conceſſa per B. M. Paulum Papam IV., & alios Romanos

Collect. Societ. titulo Concilium.

Anno Christi 1567.	Pii V. anno 2.	Maximiliani II. anno 4.	Religionis Minorum anno 360.

manos Pontifices Prædeceſſores Sanctitatis ſuæ cum ſingulis clauſulis, decretis, & derogationibus iu eis contentis, Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, ita ut illis gaudere, & uti poſſint toties, & quotiee opus fuerit, & eis videbitur, etiam quoad illa ex iis, quæ ſunt reſtricta, ſeu derogata per Concilium Tridentinum, & uti poſſint in foro conſcientiæ tantum. Ita eſt.

Anno Christi 1568.	Pii V. anno 3.	Maximiliani II. anno 5.	Religionis Minorum anno 361.

ARGUMENTUM.

Congregationes Clarenorum, & Amadeorum extinguuntur. Fratree, & Sororee Tertii Ordinis ſubeunt regimen Minorum Obſervantium. Erigitur Provincia S. Antonii Portugalliæ. Decedunt Clemens Dolera Monilianus Cardinalis de Aracæli, aliique viri inſignes. Minores Conventuales celebrant Capituium Generale. Clarent Minores literis, & ſanctitate. Occumbunt Martyres. Diruuntur, & excitantur domus. Renuntiantur Episcopi. Leges nonnullas iu Ordine Pontifex praſcribit.

I. INjectus eſt metus non mediocris Capuccinis, ne Pontifex eorum Congregationem inſereret Ordini Minorum Obſervantium, quo in caſu Hiſpani illi Diſcalceati, qui Capuccinis adſcribi tantopere cupiebant, grates Deo reddere quam maximas tenebantur, quod rejecti fuerint, ne cum incommodo mox redirent ad Fratres ſuos, quos deſeruiſſent. Marius de Foro Sarſinio a Provincia Siciliæ, quam viſitabat, Romam continuo redux, conſuluit ea de re Cardiuales Amulium, Cribellium, Farneſium, & Sirletum, qui quum nihil ſe compertum habere responderent, Pontificem adiit, detexitque, eum id tantum animo verſare, ut Minores Conventuales, & Obſervantes mutuam unionem inirent. Opinor ego, æquivoco rem conſtitiſſe, & reductionem Amadeorum, & Clarenorum ad Obſervantes sumptam fuiſſe pro reductione Capuccinorum. Quod ſi etiam Conventualium, & Obſervantium unio locum habere potuiſſet, de ea namque actum eſt, ut dicemus, conſequens erat, ni fallor, ut, redactis etiam ad Obſervantiam Fratribus Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia, nullus diſtinctus, & ſingularis cœtus, quod optimum fuiſſet, in Religione Seraphica ſupereſſet. Hinc illud, quod Marium a Pontifice audiviſſe refert Boverius, metum non tollere, ſed potius firmare debebat. Boverius ad an. 1568.

II. Franciſcus Zamorenſis Miniſter Generalis in Comitiis Generalibus intermediis Sacri Montis Alvernæ ſtatuerat an. 1563. Clarenos, & Amadeos Obſervantibus unire, unitosque ex totius Diffinitorii Generalis conſenſu declaraverat, illis perpetuo contradicentibus, & reluctantibus. Hoc igitur anno negotium confecit Pontifex: *Beatus Chriſti Salvatoris*. X. Kal. Februarii, præcipiens, ut Clarenorum, & Amadeorum Cœnobia Obſervantibus darentur, ipſique, peculiari habitu depoſito, Obſervantium Miniſtris obedientiam præſtarent. Antonius de Terinca Theatro Etruſco-Minorit. decad. 3.

III. Clarenos, ſeu Eremitas S. Franciſci, inſtituit B. Angelus de Cingulo, quem Rodulphus nunc Angelum Clarenum Cingulanum vocat, nunc Joannem Cingulanum, ex quo immerito aliquis duas perſonas argue-

gueret, quum certum ſit, unum, eumdemque virum deſignari nominibus
Rodulphus lib. 2. pag. 155. Joannis Angeli Cingulani, Cinguli, a Cingulo, Clareni. Dictus eſt
Clarenus, ſive, ut ajunt Rodulphus, & Arturus, a Claro Monte, in quo
Arturus die 26. Aprilis. cum ſociis habitavit, ſive, ut cæteris Scriptoribus placet, a fluvio Clareno in Apenninis inter Nurſiam, & Aſculum, juxta quem Congregationem ſuam inſtituit. Verum hæc loci indicatio nimium vaga videtur; præfatæ enim Civitates XL. circiter milliaribus mutuo diſtant, & per totum montium tractum, ducta linea ab Aſculo Nurſiam verſus ad occidentem Solem, nullibi flumen Clarum excurrit; immo nullum aliud, niſi Truentum, quod in medio itineris ad Auſtrum declinat. Prope Aſculum ad plagam Borealem reperitur fluvius Clarus, qui proinde ad lineam nullam geometricam, vel phyſicam pertinet inter Nurſiam, & Aſculum; in cujus ripis an exſtiterit unquam aliqua Clarenorum domus incertus hæreo. In regione Auſtrali, duobus circiter milliaribus ab Aſculo, exſurgit etiam nunc Conventus S. Georgii in Granitis quondam Clarenorum. Sed fluvius proximus vocatur Caſtellanus. In tanta rerum obſcuritate arbitror, Clarenos initio domicilium habuiſſe prope Clarum; favent namque ſolitudini locus, monteſque ſylveſtres, inter quos amnis defluit; deinde vero ad locum commodiorem, & ampliorem ſe tranſtuliſſe. Aſſerit Cletus Calcagni, Conventum S. Georgii fundatum
Calcagni Sacra, & honorifica Regia. *Macerata* an. 1635. anno 1382., ſub Pontificatu Urbani VI. Gonzaga tamen uno, & amplius ſæculo antiquior fundatum ſcribit a Civitate Aſculana ære publico in gratiam Clarenorum incerto tempore, quum monumenta omnia
Gonzaga in Prov. Marchiæ con. 6. incendio perierint. Verum admiſſa etiam Calcagni epocha, optime ſtare poteſt, Clarenos XC. prope annos degiſſe juxta Clarum, & ad regionem de Granitis poſtea migraſſe. Hæ non ſunt niſi meræ conjecturæ paullo meliores indeterminata illa Topographia inter Nurſiam, & Aſculum.

IV. Quæ ſpectant ad Dei virum habentur in anteactis Annalibus, & apud Scriptores rerum Ordinis Minoritici, quæ non vacat repete-
Arturus ibidem. re. Adnotamus dumtaxat, erraſſe Arturum, qui ſcribit, eum deceſſiſſe apud Neapolim Regiam Urbem, quum conſtet, id contigiſſe in loco
Acta SS. ad diem 15. Junii. S. Mariæ de Aſpro ſex milliaribus a Marſico Novo Epiſcopali Civitate in Lucania. Indicem miraculorum, quæ poſt mortem patravit, exhibet Godefridus Henſchenius ex authentico Codice MSS., quem anno 1660. repetit in Bibliotheca Caroli Strozzi Senatoris Florentini una cum Epiſtolis 14. Beati Fratris Angeli de Clarino Ordinis Minorum, quarum unam, vel alteram, ſi occaſio dabitur, noſtris Annalibus inſeremus.

V. Mox ab ortu Clareni diviſim vixerunt a Fratribus Minoribus ſub Epiſcoporum cura ad annum uſque 1473., vel ſequentem, quo eo pacto Minoribus ſe aggregarunt, ut Miniſter Generalis confirmaret moderatorem, quem ipſi ſibi conſtituiſſent; licet plures veteri inſtituto inhærentes ab aliis ſejuncti permanſerint; quod quum non exigui ſcandali cauſa foret, præcipue ob nomina contumelioſa, quibus ſe mutuo compellabant, anno 1511., mandante Julio II., ut vel Fratribus de Communitate, vel de Familia nomen darent, poſtremis adhæſerunt.
Acta SS. ibid. Nonnullorum tamen pertinacia vinci non potuit, adeo ut, teſte Henſchenio in vita B. Guidonis de Cortona, Fratres dicti Eremitæ pauperes, Eremitæ Domini Cæleſtini, & deinde Clareni anno 1560. adhuc perſeverarent habitu diſtincto a cæteris Franciſcanis, quam, inquit, diſtinctionem licebit hinc cognoſcere, ſi vera eſt noſtra conjectura.

Cine-

Cinerei certe pallii color eſt, & ad fibulæ locum aſſuti panniculi duo coloris nigri. Scribit Waddingus, Clarenos aggregatos ſub Sixto IV. Minoribus; potuiſſe tamen aliquos obſiſtere ad annum uſque 1514., quando omnes aggregati tandem fuerunt Familiæ Obſervantium. Scribit alio in loco, Clarenos ſub Pio V. etiam exſtitiſſe. In his nullam video repugnantiam, ſi illud *omnes* non metaphyſice, ſed moraliter, ut par eſt, accipiatur. Henſchenius, qui aſſeruerat, Clarenos anno 1560. adhuc perſeveraſſe, dictorum memor certe non fuit, dum Waddingum ita carpit: „ Vereor, ne memoriale id ſphalma ſit, & Pius V. obrepſerit pro Sixto IV., quum Pius ſolum electus fuerit anno 1566 „.

Annales Min. an. 1473. num. 12.

Acta SS. ad diem 25. Junii §. 4. num. 36.

VI. Amadeis initium dedit B. Amadeus Luſitanus, natus, ut lego apud Waddingum, Roderico Gomeſio Sylvio arcium Campi Majoris, & Ouguellæ Præfecto, ejuſque conjuge Iſabella Meneſia filia Petri Meneſii Comitis Vianæ, primi Septæ Ducis, & Auctoris Villæ Regalis. Verum invenio in MSS. Tabularii S. Iſidori, quod Scriptores Actorum Sanctorum latine typis vulgarunt, Amadei progeniem alienis non fuiſſe patefactam, quia ipſe, dum vixit, licet a pluribus inſtantiſſime requiſitus illam nunquam detexit, quod multi ob id eum feciſſe arbitrabantur, ne ſi familiam ſuam, quæ quantum ex conjecturis percipi potuit, nobiliſſima erat, & perilluſtris, expreſſiſſet, arrogantiæ, vel jactationis crimine notari poſſet. Ipſe autem ſe ex Patre Caſtilienſem, & Hiſpanum, ex Matre Portualenſem difficulter quandoque fatebatur. Aliqui vero dixere, & magis in hoc communis inclinabat opinio, eum fuiſſe de Regali domo Caſtiliæ Hiſpaniæ. Alii affirmabant, eum fuiſſe Principem ejuſdem Regni. Alii fuiſſe Principem aliquarum Civitatum ibidem. Alii Principem regionis Hiſpaniæ, & alii aliter, prout unicuique placebat.

Annales Min. anno 1464.

Acta SS. ad diem 20. Auguſti.

VII. Joannem in baptiſmo fuiſſe appellatum docet Marcus Ulyſſiponenſis, ſed obſtat auctoritas Mariani Florentini, aliorumque, cum quibus concordat præfatum MSS. his verbis: „ Matrona quædam hortulana „ (ut a nutricibus ſuis ſibi narratum Amadeus ipſe teſtabatur) Matri „ ſuæ prægnanti, & de felicitate partus deſperanti, quia multos jam „ abortivos foetus produxerat, benedictione prius proli, quam in veutre „ habebat, impertita, dixit: Magnifica Domina, ſi vultis alere filium, „ quem in ventre habetis, quam citius peperiſtis, faciatis ſibi in baptiſmo „ apponi nomen, quod vobis nuncupabitur a primo paupere mendican„ te, qui poſt partum veſtrum ad domum veſtram veniet petere elee„ moſynam. Septima autem die poſtquam illa filium peperiſſet, ecce „ quidam pauper peregrinus pulſans januam petiit eleemoſynam, qui „ ab Ancilla requiſitus, quod nomen Infanti recens nato in baptiſmo „ imponi deberet, reſpondit: *Amador*; & ſtatim, non expectata elee„ moſyna, receſſit „.

VIII. Sentiunt cum Marco Ulyſſiponenſi Rodulphus, Gonzaga, Arturus ex noſtris; ex alienis autem Theophilus Raynaudus, & Vaſconcellus ambo Societatis Jeſu. Quod attinet ad alia, hi proculdubio nullam vim habent adverſus Auctorem memorati MSS. B. Amadeo coævum, qui præter illa, quæ viderat, multa collegit ex teſtibus oculatis, quique nonniſi ex conjecturis loquitur de Amadei Patria, & Parentibus. Waddingus, qui utrumque determinat, uſus eſt, ut fatetur, Amadei vita a Bartholomæo Cimarello conſcripta. Unde autem ſua hauſit Cimarellus? Nimirum a Biographis Luſitanis, aliiſque recentioribus. Un-

Raynaudus in Hagiologio Lugdunen. pag. 142. Vaſconcellus in Anacephal. Luſitan. pag. 305.

de iſti? Hæc non ideo dicimus, ut quæ Luſitani retulerunt, minus vera credamus; potuerunt enim poſtea detegi quæ antea latuerant. Sed quum nihil de iis habeat teſtis synchronus, ratio expoſtulat, ut judicium ſuſpendamus, donec veteri aliquo monumento res in lumine collocetur.

IX. Militaſſe juvenem adhuc annorum duodecim ſub vexillis Joannis II. (ut probabilius creditur) Regis Caſtellæ contra Mauros, hoſteſque inteſtinos, in pugna vulnus excepiſſe in brachio, relictoque ſæculo, ſe incluſiſſe in Monaſterio S. Mariæ de Guadalupe, ſeu Aquæ Lupiæ Ordinis S. Hieronymi, martyrii deſiderio æſtuaſſe, miracula edidiſſe; hæc, inquam, in ſuperius laudato MSS. fuſius narrantur; ubi etiam viſio deſcribitur ei oblata tripliciter in eodem loco Deiparæ Virginis, S. Patris Franciſci, & S. Antonii de Padua, ejus iter ad Civitatem Ubedæ in Vandalitia non longe a fluvio Beti, ingreſſus in Ordinem Minoriticum, peregrinatio in Italiam, & ſingulorum hiſtoria, quæ geſſit Aſſiſii, Brixiæ, Mediolani, Romæ, quæque legi queunt non apud
Ibidem loc. cit. Gonzagam, & Arturum apocriphis relationibus deceptos, ſed apud Waddingum, & Bollandi Continuatores.

X. Quamvis una cum Clarenis Amadei tempore Sixti IV., & Julii II. Minoribus accreverint, nomen tamen peculiare, domoſque proprias retinere cupiebant, opportunitatem expectantes, qua in omnimodam libertatem ſe vindicarent. Accedente vero Pontificis auctoritate, hoc anno & nomen, & Cœnobia amiſerunt permixti Obſervantibus, quamvis nonnulli eorum, ſicut & Clarenorum, ad Minores Conventuales tranſierint, quos inter licite permanendi nonniſi a Gregorio XIII. veniam obtinuerunt. Acrius omnibus Pontificiæ Ordinationi repugnarunt Amadei Conventus S. Mariæ de Pace Mediolani, quorum Capitulo, univerſæque Provinciæ Mediolanenſi, mandante Pontifice, paullo ante præfuit Carolus Cardinalis Borromæus Totius Seraphici Ordinis Protector cum ampliſſimis facultatibus: *Reformationi, & augumento*. Die 20. Ja-
Carolus a Baſilica in vita S. Caroli Borromæi cap. 5. nuarii. De ipſis enim, ait Carolus a Baſilica Epiſcopus Novarienſis, ne conſtitueretur, Principes viri multi primo ſe interpoſuerunt. Deinde, ne ſtatutum quod erat, efficeretur, plura, voluntaſque Amadeorum ipſorum in primis impediebat. Carolus Cardinalis Borromæus, qui Apoſtolicas literas executioni mandare ſatagebat, nihil a propoſito declinans minime deſtitit, donec rem bono exitu concluderet. Aggreſſus ad literas Pontificias, (*Exposcit commiſſi*. Die 30. Aprilis) quas ad eam rem proponi curaverat, in Conventu Pacis promulgandas, remque conficiendam, impedimenta plurima offendit, quibus tunc quidem ſibi cedendum, & re infecta diſcedendum clementer ſtatuit. Reduit tamen, remque totam confecit arbitratu ſuo. Tum vero eorum, qui reſtiterant, apud Pontificem ob ejus graviter offenſum animum deprecator fuit. Ea re peracta, Conventum habuit, in quo promiſcue Cœnobii cujuſque numero conſtituto, & Rectoribus electis, ſalutaribus Conſtitutionibus opportune renovatis, Provinciæ res compoſuit.

Conventus Clarenorum Obſervantibus traditi.

XI. In Provincia Marchiæ Conventus S. Mariæ de Sylva ſeſquimilliari ab Oppido Amanduiæ Diœceſis Firmanæ fundatus pro Clarenis in-
Gonzaga in Prov. Marchiæ Con. 19. certo tempore. S. Mariæ Magdalenæ de Specu tribus milliaribus a proxi-
Idem con. 26. miori pago Montis Alti Diœceſis Camerinenſis in acclivi montis jugo
Idem con. 38. fundatus incerto tempore pro Clarenis a nobilibus quibuſdam viris Camerinenſibus. S. Mariæ de Valceraſia, ſeu Valcenigia, in territorio Trejæ Dioe-

Diœceſis Camerinenſis, prope viam Romanam, quem antiquitus pauperes Eremitæ incoluerunt; anno vero 1447. Clareni occuparunt. Ajunt nonnulli, locum hunc fundatum pro Obſervantibus circa annum 1450. Obſtant tamen Conciliaria decreta in Tabulario Civitatis aſſervata, quibus ſub idem tempus aſſignantur eleemoſynæ Patribus Clarenis de Valceraſia. S. Joannis Matelicæ Diœceſis ejuſdem duobus circiter milliaribus a Civitate ſupra collem nemoroſum prope montem Sanvicini fundatus pro Clarenis incerto tempore. S. Mariæ Ceſſoloni juxta fluvium ejuſdem nominis ſeſquimilliari a Tolentino fundatus pro Clarenis incerto tempore. Puritatis Oppidi S. Juſti Diœceſis Firmanæ non hodiernus prope Oppidi mœnia, ſed alius remotior, & ignntæ fundationis, cujus ne veſtigia quidem ſuperſunt. S. Georgii in Granitis, de quo jam diximus, ſitus in alpeſtri jugo ſcopuloſi montis, clauſuſque exiguo Horizonte, & nihil ſingulare obtinens præter nemorum ſolitudinem, horroremque ſilicum præruptorum, qui tamquam deorſum ruentes Fratrum cervicibus imminent. S. Liberati tribus milliaribus ab Oppido Sarnani Diœceſis Camerinenſis fundatus juxta Cletum Calcagnum anno 1378. in loco aſpero, & ſylveſtri, & celebris ſepulchro S. Liberati, qui anno 1258. obiit in Conventu altero Fratrum Minorum Rivi Suffiani, & geatorum Humilis, & Pacifici. Natus erat vir Dei in oppido Lauri Diœceſis Firmanæ ex nobili, & potenti Familia de Brumfortis, publicumque poſt obitum Fidelium cultum obtinuit ad annum uſque 1697., quo calumniatoris cujuſdam malitia parumper ceſſavit, donec ex decreto Sacræ Rituum Congregationis, & literis Clementis XI. fuit reſtitutus.

Monumenta Provinciæ.

Gonzaga ibidem con. 15.

Idem con. 18.

Idem con. 16.

Idem con. 6.

Idem con. 25.

Lambertinus de BB. Canoniz. lib. 2. cap. 24 pag.: 65.

XII. Duas alias ædes obtinebant Clareni in eadem Provincia, S. Joannis Plagiarum de Phallerono, & S. Mariæ de Succurſu Montis Rubiani, ut liquet ex literis Fratris Antonii Mancini de Phallerono ad Fratrem Michaelem de Apiro, quibus eum conſtituit Guardianum, & a ſacris Confeſſionibus loci S. Mariæ de Succurſu in territorio montis Rubiani, & Procuratorem ad dicti loci bona mobilia, ſtabiliaque requirendi, & inventa retinendi ſecundum formam noſtrorum (ita dicitur in literis) privilegiorum a Summis Pontificibus noſtræ Congregationi, & Minoritanis Conventualibus conceſſorum. Literæ datæ ſunt die 5. Januarii hoc anno ex Conventu S. Joannis Plagiarum Phalleroni. Quid factum ſit de his domibus ignnro: in indice namque aliarum non ineniuntur.

Ex Arch. SS. Apostolorum de Urbe.

XIII. In Provincia S. Bernardini olim Pennenſi Conventus S. Nicolai Pepuli fundatus circa initium Sæculi XVI., de quo nullam invenio mentionem in Annalibus Ordinis, aut in Provinciæ monumentis. S. Mariæ de Pezzano, ſeu Venano, fundatus incerto tempore. Eum Obſervantes deſeruerunt cum ob horrorem, tum ob latronum inſolentias, ceſſitque Paſtoribus pro armentorum præſepe. Ferunt, illos una tantum nocte inibi ſtetiſſe territos accenſarum facum, quæ in aere apparuerunt, multitudine, & pecudum occiſione. Inde Fratres ſe receperunt in Conventum alterum S. Mariæ Stellarum, a quo excedere neceſſe fuit Regio mandato, quum ibi arx conſtrui deberet adverſus latrones, & contumaces. Conventum, quem modo incolunt Obſervantes, cum Eccleſia Conceptionis B. M. Virginis intra muros Oppidi Montorii in ripa fluvii Humanæ, Regalis munificentia Regis Caroli III. anno 1755. conſtruxit.

Gonzaga in Prov. S. Bernardini, con. 25.

Idem con. 18.

Bernardinus ab Ariſchia in Chronol. pag. 75.

Rodulphus lib. 2. pag. 259. a tergo.
Caſimirus Rom. cap. 13. pag. 164.
Gonzaga in Prov. Rom. con. 22. & 28.
Annales Min. an. 1500. num. 23.
Gonzaga in Prov. Marchiæ con. 7. Arturus die 23. Januarii.
Gonzaga in Prov. Rom. con. 32.
Annales Min. an. 1217.
Monumenta Provinciæ.
Gonzaga ibidem con. 3.

XIV. In Provincia Romana Conventus S. Mariæ de Lilio Civitatis Malliani, ſeu Maſſæ Mallianæ in territorio Sabinenſi, fundatus, ut ſcribit Rodulphus, anno 1521., vel potius, ut alii contendunt, ſub Sixto IV. Summo Pontifice in collis vertice uno circiter milliari a Civitate Mallianenſium, adjacentium populorum expenſis, & inſtante B. Amadeo Clarenis traditus. Ita Caſimirus Romanus, etſi Gonzaga affirmet, eum ipſos Clarenos fundatores, & Auctores habuiſſe. S. Mariæ Secundæ Morlupi Diœceſis Nepeſinæ fundatus anno 1500. juxta parvum Eremitorium ab Aldobrantino Urſino Epiſcopo Nicoſiano, & Oppidi Domino, auctus deinde piorum eleemoſynis, datusque anno 1595. Fratribus Strictioris Obſervantiæ. Circa finem Sæculi XVI. deceſſerunt in hoc loco cum ſanctitatis opinione Monricus Siculus, cujus meminit cum aliis Bonifacius Bonibelli; & Sanctus, ſeu Sanctes a Ripa Tranſona, Oppido non Umbrico, ut dicunt Gonzaga, & Arturus, ſed Piceno quinque milliaribus a mari Adriatico, medio inter Firmum, & Aſculum, & a Pio V. inter Civitates relato. Diem natalem adſpexit Sanctes anno 1550. Oliverius dictus in baptiſmate, & anno 1567. habitum Minoriticum ſumpſit in Cœnobio S. Franciſci Maſſæ Diœceſis Firmanæ, ubi hoc anno profeſſionem emiſit. Peractis pluribus muneribus, purioris Obſervantiæ regularis deſiderio Reformatis ſe adſcripſit in Provincia Romana. Sed de ipſo poſtea. S. Mariæ de Foreſta tertio circiter lapide ab Urbe Reatina fundatus a tempore vetuſtiſſimo, & devolutus ad Reformatos anno 1641. In Altari maximo colitur ſtatua teſtacea B. M. Virginis, quæ, ut narrant, adsportata a pia femina ad vicinum Oppidum Caſtri Franchi ſecuritatis gratia, vigentibus diſſentionibus inter populos conterminos Status Eccleſiaſtici, & Regni Neapolitani, die ſequenti in Eccleſia ſua miraculoſe reperta eſt. S. Bartholomæi in Inſula Tiberina, ſeu Licaonia, Romæ inter duos pontes Clarenorum primarius, & Caput Provinciæ S. Hieronymi, vel S. Bartholomæi. Habitaverant Clareni initio Sæculi XIV. in Eccleſia S. Joannis ante Portam Latinam, & anno 1473. tranſierunt ad Eccleſiam S. Hieronymi in regione Regulæ, hodie S. Hieronymi Charitatis, quæ pertinebat ad Fratres Tertii Ordinis Congregationis Feſulanæ.

Caſimirus Rom. cap. 21. pag. 304.

XV. Notat in Waddingo Caſimirus Romanus verum errorem, quod ſcribat, anno 1536., vel ſequenti Eccleſiam Parochialem S. Bartholomæi deveniſſe in poteſtatem Fratrum Obſervantium Clarenorum. In literis Pauli III., quibus Clarenis conceditur Eccleſia S. Bartholomæi, Clarenorum nomen non occurrit, ſed Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ S. Hieronymi. Quid igitur accurato Chronologo faciendum erat, ut innoteſceret, quinam iſti forent Fratres Obſervantes Provinciæ S. Hieronymi? Nimirum addere debebat Clarenos. Illud autem *olim* nihil aliud ſignificat, niſi, eo tempore, quo ſcribebat Waddingus, Clarenos una cum Provincia S. Hieronymi jam ſuppreſſos fuiſſe; ſolemne enim eſſe ſolet Hiſtoriographis, ut præterita majoris diſtinctionis ergo incidenter indicent. Non itaque Waddingus veri erroris nota inurendus, ſed vera diligentia laudandus. Nullius fere ſunt hæc momenti. At non tam facile ſummi viri cenſura ſunt taxandi. Eccleſia S. Bartholomæi gaudet Baſilicæ nomine, & titulo Cardinalitio, quem primus obtinuit Chriſtophorus Numajus Cardinalis antea tituli S. Mariæ de Aracæli, & Totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis. Gaudet etiam jure Parochiali non exercendo per Presbyteros ſæcula-

culares, ut decreverat Paulus III. *Sedis Apoſtolicæ*. Die 9. Martii; ſed per Presbyterum Religioſum abſque jure baptizandi, quo eam privavit Jacobus Cardinalis Sabellius Pii V. Vicarius anno 1569., die 23. Auguſti, decernens, ut Eccleſia S. Angeli in Foro Piſcium haberet limites intra Parochias S. Georgii apud Pontem quatuor Capitum, S. Bartholomæi in Inſula, & S. Joannis Colavitæ pariter in Inſula. Quieſcunt inibi Corpora SS. Theodoræ Matronæ Romanæ, Adalberti Martyris Pragæ Epiſcopi, licet non totum, cui dicata fuit Eccleſia ab Ottone III. Imperatore, Panlini Epiſcopi Nolani, Marcelli, & Superantii Martyrum, & Bartholomæi Apoſtoli. Loquitur Waddingus de Corpore S. Alberti Confeſſoris, quem eumdem eſſe ſuſpicor S. Adalbertum Martyrem; nullibi enim reperio Sanctum ejuſdem nominis Confeſſorem illic fuiſſe tumulatum. Non moror hic in quæſtione, quæ agitata eſt præſertim inter Franciſcum Dinum, & Annibalem Maſcambrunum Epiſcopum Stabienſem, circa exſiſtentiam Corporis S. Bartholomæi in eadem Eccleſia; extranea enim foret meo inſtituto, meque aliunde longius, quam par eſt, abduceret. Rationes hinc inde productæ videri poſſunt apud Scriptores Actorum SS., qui accuratiſſime his de rebus agunt.

Ciampinus de Vice Cancel. pag. 310.

Acta SS. ad diem 25. Auguſti cap. 1. §. 5. num. 258.

Annales Min. an. 1516. num. 13.

Acta SS. Ibidem §. 1. num. 134. & ſeq.

XVI. In Provincia S. Franciſci Conventus S. Hieronymi Peruſiæ fundatus anno 1502. juxta portam S. Petri ære publico pro Obſervantibus, & ab his ad Clarenos devolutus. S. M. de Plano Narniæ fundatus an. 1483. pro Obſervantibus non ab Angelo de Cæſis, ſed a Communitate Narnienſi, quæ Sixto IV. ſupplicavit: *Supplicari Nobis*. Die 25. Aprilis an. 1483., & poſtea Clarenis attributus. S. Catharinæ Hiſpelli fundatus anno 1502. publicis facultatibus pro Clarenis. Virginis Glorioſæ de Monte Sancto duobus milliaribus a Nurſia fundatus incerto tempore ſumptibus Civium Oppidi S. Pellegrini. S. Franciſci Spoletani in fundo Antonii de Cæciliis pro Clarenis piorum eleemoſynis. S. Simeonis, alias S. Hieronymi Stronconii, conceſſus Clarenis anno 1478. Prius erat Monaſterium Monachorum fortaſſis S. Benedicti, a quibus tranſivit in Collegiatam cum uno Priore, & ſex Canonicis, qui Clarenis locum ceſſeruut. Quare minus vere ſcribit Gonzaga, Conventum erectum in fundo a Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ Clarenis donato. Lite paullo poſt oborta, Clarenos inter, & Canonicos circa limites horti, et nemoris, Sixtus IV. ſcripſit Epiſcopo Narnienſi, & Salvatori de Marinis Abbati S. Benedicti Stronconii, ut litem componerent, quæ tamen poſt quinquennium abſolverunt Judices Arbitri Ser Baptiſta Colæ, Matthæus Michaelis, & Bernardinus de Matthiellis.

Gonzaga in Prov. S. Franciſci con. 3. & 19.

Idem con. 37. & 30.

Idem con. 8.

Idem con. 33.

Monumenta Provinciæ.

XVII. Memorat Waddingus Cœuobium Civitatis Oriæ, ſeu Uriæ, in Cuſtodia Tarentina, quæ ab Appiano Hyria vocatur, ſita in Mediterraneo Salentinorum quatuor milliaribus ab agro Meſapienſi, in quo deceſſit B. Franciſcus a Dyrrachio. Aſſerit Papebrochius, hunc locum anno 1516. nondum adnumeratum Conventibus Minorum Obſervantium; ſpectabat namque ad Clarenos, fundatus a Seraphico Patriarcha una cum duabus aliis ædibus, videlicet in Oppido Joiæ octo milliaribus a Civitate Licoteræ in regione Calabriæ introrſum a litore Maris Adriatici ad Sinum Sancteuphemiarum non nihil remotum, & in Civitate Lycii ſub Archiepiſcopo Hydruntino, ubi propriis manibus, ut fertur, malum medicam plantavit, quæ uſque hodie vireſcit, cujus fructus indigenis infirmis deſervit ad varios languores repellendos. Quid factum ſit

Annales Min. an. 1229. num. 13.

Acta SS ad diem 17. Maji: in vita B. Franciſci Dyrrachini.

Bonaventura de Faſano part. 1. cap. 3. num. 6. & ſeq.

ſit de Conventu Uriæ neſcio, ſi verum ſit Clarenos inibi habitaſſe; ſiquidem inter cæteros Minorum, Obſervantium recenſitum non video. Sed lego tantum, Minores Conventuales Uriæ Conventum obtinere.

Conventus Amadeorum Obſervantibus traditi.

XVIII. In Provincia Tuſciæ Conventus S. Jacobi ſuper Arnum, & S. Mariæ de Angelis Montis Ughi extra Florentiam, ambo ab Amadeis acquiſiti Florentiam vocati, ut ſpiritualia Officia præſtarent Sororibus Monaſterii S. Onuphrii, alias Fulginei ob Moniales Fulgineo accerſitas, ut illud fundarent. S. Mariæ Gratiarum Collis, quem Collenſes Obſervantibus obtuleruut conſtruendum, ſtatuta etiam die, qua loci poſſeſſionem acciperent. Sed illa adveniente, eo quod parum diſtaret a Conventu S. Lucheſii extra Podium Bonitium, promiſſa retractarunt, ex quo Collenſes indignati Amadeis locum dederunt, in quo ad hoc uſque tempus habitaruut.

Antonius de Teringa Dec.ad. Etrusco-Minor. an. 1568. pag. 57.

XIX. In Provincia Genuæ Conventus S. Mariæ de Pace prope Genuam traditus Amadeis anno 1489. a Laurentio de Fliſco, & Hibleto de Fliſco Lavaniæ Comitibus Monachis Benedictinis Parœciæ S. Stephani. S. Crucis Papiæ, ignotis Auctore, & tempore fundationis. Annuntiationis B. Mariæ Virginis Alexandriæ fundatus incerto tempore in ſuburbio Civitatis, continendiſque ſex tantum Fratribus aptus.

Gonzaga in Pro. Genuæ con. 3. 48. & 60.

XX. In Provincia Bononiæ Conventus S. M. Gratiarum prope Oppidum S. Secundi in Ducatu Parmenſi fundatus a Petro Maria de Rubeis in veteri Prætorio juxta Eccleſiam Parochialem translatam anno 1470. ad Eccleſiam SS. Annuntiationis. Annum fundationis recenſet Waddingus 1455., locum Oppidum Caſtri Franchi, literas inſuper Pontificias Calliſti III. ad Auguſtinum Epiſcopum Civitatenſem: *Pia deſideria* VI. Kal. Auguſti an. I. pro informatione, antequam domus conſtrueretur. Circa fundationis annum ſcimus tantummodo, Fratres in locum fuiſſe introductos anno 1474. At vero Oppidum Caſtri Franchi an unquam exſtiterit incertum eſt, ſilentibus monumentis, & traditione, quum e contra Oppidum S. Secundi vetuſtiſſimum ſit, eoque nomine vocetur in literis Henrici IV. & VI., Ottonis IV. Imperatoris, Arnolphi Regis, & Eugenii III. Summi Pontificis: *Piæ poſtulatis*. V. Kal. Martii anno 1114., ubi nominat Capellam S. Secundi, Capellam de Pizzo, & Capellam de Polaſone &c. Neque minus nos latet, quinam fuerit Auguſtinus ille Civitatenſis Epiſcopus, qui accepit literas Pontificias, quum neque in Catalogo Epiſcoporum Civitatis in Apulia, neque in altero Epiſcoporum Luceriæ, cui Eugenius IX. an. 1439. univit Eccleſiam Civitatenſem, reperiatur apud Ughellum Epiſcopus aliquis ejus nominis. Quare arbitramur, literas Calliſti III., in quibus Caſtri Franchi, & Epiſcopi Civitatenſis nomina occurrunt, vel ſuppoſititias eſſe, vel ſaltem in illis exſcribendis Amanuenſem genio ſuo indulſiſſe, aut in Gothicis characteribus interpretandis fuiſſe imperitum. S. Lucæ Cremonæ, quem Amadei obtinuerunt anno 1528. ab Apollonio de Salandis Rectore Eccleſiæ Parochialis ejuſdem nominis una cum Eccleſia, domibus contiguis, & horto, ſibi tantum titulo Præpoſituræ, & redditibus reſervatis, immiſſiſque in novum locum Fratribus Matthæo de Fontanella Guardiano Monaſterii olim dicti S. Mariæ Gratiarum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ S. Petri Montis Aurei, Evangeliſta de Caſale Majori, Joanne Baptiſta de Caſtro Lauro, & Angelico de Trigolo, ut ex ejus teſtamento liquet ſub die 15. Octobris an. 1528., quod confirma-

Idem in Prov. Bononiæ con. 32.

Annales Min. an. 1455. num. 92.

Flaminius de Parma in Prov. Bononiæ tom. 1. p. 537.

Ibid. pag. 525. & ſeq.

Ibid. pag. 534.

Gonzaga ibid. con. 31.

Flaminius de Parma tom. 1. pag. 385. & ſeq.

firmavit inſequenti anno Clemens VII. Summus Pontifex: *Quum ſicut nobis*. die 15. Februari 1529. Adſunt quoque ea de re literæ Antonii Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum Kal. Junii 1532., & Pii IV. Pont. Max. *Quum ſicut*. die 4. Junii 1561. Habitabant antea Amadei in Cœnobio S. Mariæ Gratiarum, vel S. Mariæ de Pace extra portam S. Michaelis conſtructo ex ſupremis tabulis Franciſci de Granellis, qui obiit anno 1479., in fundo Prioratus S. Ægidii pro Fratribus Minoribus, & conceſſione Sixti IV. ab Amadeis occupato, qui anno 1519. inibi Comitia Provincialia celebrarunt. Waddingus poſt relatas ſupremas tabulas Franciſci de Granellis, & conceſſionem Sixti IV., videtur dubitare de exſiſtentia Cœnobii Amadeorum extra Muros Civitatis. Qua de cauſa neſcio, præſertim quum in monumentis, quæ profert, & in literis Clementis VII.: *Alias pro parte veſtra*. Die 15. Februarii an. 1529., quas memorat, ſermo fiat de hujuſmodi Cœnobio.

Ibid. pag. 176. & seq.

Annales Min. an. 1479. num. 10.

XXI. Conventus alius Provinciæ Bononienſi ceſſit S. Bernardini Placentiæ, cujus Eccleſiam Waddingus donatam aſſerit B. Amadeo a quodam Fratre Jacobo Tertii Ordinis, qui eam ædificaverat ſub invocatione S. Bernardini. Adventus B. Amadei Placentiam in dubium revocari ſolet. Ex ſupplici libello ad Carolum V. Imperatorem pro deciſione litis inter F. S. Franciſci, & F. S. Bernardini, eruitur, Amadeos anno 1454. fuiſſe in Cœnobio S. Franciſci permixtos Minoribus Conventualibus, & anno 1481. die 6. Junii introductos in Cœnobium S. Bernardini a Flaminio Marliano Placentiæ Epiſcopo. Cœnobii hujus pene diruti cæmenta, ac disjecti Dormitorii rudera a Præfectis Fabricæ S. M. de Campanea novæ Domus conſtructioni hoc anno applicata fuerunt: *Apoſtolatus Officium*. Die 23. Auguſti, quibus literis permittitur, ut præter Eccleſiam, quæ integra remanere debebat, cætera Conventus S. Bernardini bona venderentur, & pecunia fabricæ inſerviret, ſuppellex, & vaſa ſacra Fratribus S. Mariæ de Campanea traderentur. Eccleſiam ſubinde Capuccini occuparunt. Ex quo illud manifeſtum eſt, quod Waddingus ſe ignorare autumat: „ Quid de Conventu hoc actum ſit, ne„ ſcio; etenim inter ædes Religionis recenſeri non conſpicio„.

Ibid. an. 1482. num. 16.

Flaminius de Parma tom. 1. pag. 106.

XXII. In Provincia Brixiæ Conventus *S*. Mariæ de Piſcibus Liſſis, ſeu Piceleſco, fundatus anno 1490. a Civibus Oppidi Calvatoni Diœceſis Cremonenſis, a quo milliari diſtat, & ſub Pontificatu Urbani VIII. adnumeratus domibus Provinciæ Mediolanenſis: *Sacri Apoſtolatus*. Die 28. Januaril anno 1624. S. Mariæ de Beſſanorio, vel Brixianore Caſtri Leonis, ſeu Caſtruelis, Diœceſis ejuſdem, fundatus circa annum 1461., ut ſcribit Waddingus, a Blanca Maria Duciſſa Mediolani prope Eccleſiam S. Marthæ in loco, ubi nulla erat domus Religioſorum per multa milliaria, qui populis verbum Dei annuntiarent. At in MSS. ſuperius memorato habemus, multo ante annum prædictum illic exſtitiſſe Cœnobium Fratrum Minorum ſub titulo S. M. de Breſſanorio, quod tradidit B. Amadeo anno 1460. menſe Auguſti Frater Stephanus de Caſtro Leone Ordinis S. Franciſci Guardianus, & Cuſtos, inſtante eadem Blanca Maria. Hinc non eſt audiendus Clemens Fiammenus, qui in hiſtoria typis edita conſtructionem Conventus acceptam refert Blanchæ Mariæ, licet ex ejus quoque verbis error patet; dicit namque, Duciſſam Pontificia diſpenſatione ſolutam a voto, quod emiſerat, viſitandi Eccleſiam S. Mariæ de Guadalupe in Hiſpania cum onere aliam Eccleſiam illi ſimilem erigendi, dum de hac re ſecum conſuleret, Conventum pro

Monumenta Provinciæ.

Gonzaga in Prov. Brixiæ con. 21. & 25.

Annales Min. an. 1459. num. 44.

Acta SS. ad diem 10. Auguſti cap. 8. pag. 587.

Mino-

Minoribus exſtruxiſſe prope Eccleſiam S. Marthæ; quod verum eſſe nequit; non enim Conventus, ſed Eccleſia illi erat conſtruenda. Nec obſtat marmorea Inſcriptio in altero ex duobus Clauſtris, facile enim quiſque intelligit, eam poſteriori ætate fuiſſe exaratam jnxta receptam opinionem ex Gonzagæ verbis. *Sereniſſima Blanca Maria Duciſſa Mediolani ob ſummam in Deo pietatem, & in Franciſcanos benevolentiam Sacrum hunc B. Mariæ de Brixiadoro Conventum, quem decem, & octo Fratres frequentius inhabitant, ex Pii II. facultate anno 1461. erigendum, & perficiendum curavit. Hujus loci accola aliquando fuit B. Amadeus. Hic duplicem Eliæ ſpiritum imbibit, prout ejus Oratorium, & Eremiticæ quædam Cellulæ, quæ adhuc ſuperſunt, indicant.* Obierunt in hoc loco B. Laurentius, & B. Franciſcus, quorum ſacræ exuviæ, ſub Pontificatu Urbani VIII., translatæ ſunt ad Eccleſiam S. Mariæ de Pace Mediolani.

XXIII. In Provincia Mediolanenſi Conventus S. Martini, ſeu Annun-
Gonzaga in Pro. Mediol. con. 19. tiationis B. M. Virginis Clarellæ in Inſubria fundatus poſt aliquot an-
nos a fundatione Conventus S. Mariæ de Angelis Antignati, quæ con-
tigit circa annum 1487. S. Michaelis Laudæ, quem ſub titulo S. Pe-
tri fundaverat B. Amadeus, & hoc anno Summus Pontifex venumdari
juſſit una cum aliis domibus ab Amadeis poſſeſſis, ut Conventus S. Fran-
Acta SS. ibid. cap. 15 num. 314. ciſci ejuſdem Civitatis reſtauraretur, datis propterea literis ad Carolum
Cardinalem Borromæum: *Ex injuncto Nobis*. Die 20. Auguſti. S. Mariæ
Gonzaga ibidem con. 30. Sabioncelli fundatus circa annum 1541. ex conſenſu Abbatis, & Mo-
nachorum S. Dionyſii juxta ædiculam B. Mariæ Virginis, quam poſſi-
Ibid. con. 2. debat Claudius Eremita devotiſſimus, ſitam inter plura oppida. S. Ma-
riæ de Pace Mediolani fundatus juxta Gonzagam anno 1446. At repu-
gnat præfatum MSS., in quo hæc lego: „ In præſentia Illuſtriſſimi Prin-
„ cipis D. Ducis Galea-Mariæ Vicecomitis tunc Mediolani, & majoris
„ partis Aulicorum ſuorum, in præſentia Stephani de Forolivio (ſeu
„ melius de Forojulio) Archiepiſcopi Mediolanenſis, & etiam in præſen-
„ tia, & conſenſu Rev. D. Fratris Franciſci Mariæ de Septara tunc Mi-
„ niſtri Generalis, & Fratrum Conventus S. Franciſci Mediolani....
„ Eccleſiam S. Mariæ de la Pace fundavit (P. Amadeus), ſeu funda-
„ re cœpit, & primum lapidem imponi fecit an. D. 1469. die 29. Octo-
„ bris. Et relictis ipſis domunculis a ſæcularibus in eis habitantibus,
„ ipſum locum ex Fratribus Societatis ſuæ laudabiliter communivit,
„ procedendo, ſeu procedi faciendo ad fundamenta conſtructionis Ec-
„ cleſiæ prædictæ, & ædificiorum pro ipſo Couventu „. Archiepi-
Ughellus tom. 4. pag. 266. ſcopus Mediolanenſis erat Stephanus Nardinus, qui Collegium Romæ
ſuo cognomine appellatum inſtituit, ſepultus an. 1484. in Baſilica Va-
ticana cum Epitaphio: *Stephano Nardino Patria Forojulienſi*.

XXIV. Franciſcus I. Rex Galliarum conceſſit Fratribus hujus Cœnobii exemptiones circa ſolutionem Decimarum, diplomate dato Mediolani die 17. Martii anno 1519. Quieſcunt in Eccleſia BB. Laurentius, & Anſelmns. De hoc poſtremo extant literæ Sixti IV. *Supplicari nobis feciſtis*. Die 23. Novembris anno 1481., quibus indulget Fratribus, ut viri Dei corpus *in præcipua habitum devotione in Civitate Mediolani non ſine manifeſta oſtenſione miraculorum*, ex humili loco, in quo jacebat, transferrent ad alium decentiorem.

XXV. Deceſſit ibi Fundator die 10. Auguſti anno 1482. Videtur
Bzovius an. 1478. num. 58. Bzovius ejus Sanctitatem in dubium vertere inquiens, Minoritas Ob-
ſervantes S. Petri Montorii apud ſuam Eccleſiam ſepulcrum illius oſten-
dere

dere, ubi neque ulla miracula, neque alia invocatio, neque ſanctitatis inditia exhibentur, quæ Vaſconcellus memorat. Hæc ille. At Vaſconcellus aperte dicit, B. Amadeum non Romæ, ſed Mediolani, ubi eſt ſepultus, miraculis clarere. Quod ſi Vaſconcello Bzovius non credebat, primum inutile erat, ut ejus uteretur teſtimonio; deinde poterat ipſe, qui Romæ Annales Eccleſiaſticos exarabat, nullo negotio certior fieri de rei veritate. Neque hoc contentus, poſt contractum elogium B. Amadei a Marco Ulyſſiponenſi addit: *Hæc Marcus Scriptor domeſticus de Amadeo ſuo*; quaſi Marcus ſtudio partium aliqua falsa, vel exaggerata narraverit. Donatus Boſius non Minorita, ſed Cauſidicus Mediolanenſis meminit Amadei non ſui his verbis: „ B. Frater Amadeus „ Ordinis S. Franciſci Mediolani moritur, multiſque miraculis in vita, „ & poſt mortem clarus „. Raphael Volaterranus ſcriptor coævus non Minorita ſcribit de Amadeo non ſuo: „ Amadeus Hiſpanus, quem ego „ magnopere obſervabam .... Sola amictus tunica nudis pedibus ambula- „ bat, pane, & aqua ſemel die veſcebatur poſt horam nonam ſtatim „ poſt ſacrificium, quod Sixti conceſſione Pontificis differebat. Duas poſt „ hæc horas adeuntibus audiendis, reliquum tempus precibus divinis „ ſub caverna montis immorando vivebat „. Theophilus Raynaudus non Minorita, ſed Societatis Jeſu de Amadeo non ſuo: „ Ibi (ideſt in „ in Cœnobio S. Petri iu Monte Aureo, quod conſentiente Sixto IV. „ fundavit) Angelicam in terris vitam duxit Amadeus Pontifici, & Ro- „ manæ Curiæ acceptiſſimus „. Petrus Paulus Boſca Archipresbyter Modoetiæ non Minorita de Amadeo non ſuo: „ Mediolani B. Amadei Con- „ feſſoris genere, & virtutibus illuſtris, qui ibidem Amadeorum Or- „ dinem, ædificato ad Eccleſiam S. Mariæ Pacis Cœnobio, inſtituit, „ ubi obdormivit in Domino „. Cornelius a Lapide non Minorita de Amadeo non ſuo: „ Nomina ſeptem Angelorum jam recenſita divini- „ tus fuiſſe revelata B. Amadeo Viro ſanctitate, miraculis, & pro- „ phetiis illuſtri legi in Chronicis S. Mariæ Angelorum, idque conti- „ giſſe ſub annum Domini 1450. „. His addere poſſemus Gluſſanum, & Carolum a Baſilica utrumque in Vita S. Caroli Borromæi, Merulam in Sanctuario Cremonenſi, Valerianum Madium in Synopſi Clericorum Regularium S. Pauli, Raynaldum iu Annalibus Eccleſiaſticis, Carolum Gregorium Roſignolum Societatis Jeſu in Vita Comitiſſæ Ludovicæ Torellæ, aliosque multos; ſed prolixiores eſſe nequimus; quorum ſane exterorum teſtimonio effuſa illa, & effrænis, ut ſcribit Waddingus, Bzovii in carpendis viri ſancti factis licentia ſatis, ut ſpero, refellitur.

Ibid. num. 37.
Donatus Boſius Chron. an. 1492.
Raphael Volat. lib. 21. Com. Urban. pag. 242.
Theophilus Raynaudus loc. cit. pag. 142.
Petrus Paulus Boſca in Martyrolog. Mediol. an. 1695.
Cornelius a Lapide iu Apocalyp. cap. 1. v. 4.
Annales Min. an. 1464. & ſeq.

XXVI. In Provincia Romana Conventus S. Petri in Monte Aureo in Janiculo fundatus, ut dictum eſt, ab ipſo B. Amadeo, & habitatus per decem annos, quibus Romæ fuit honorifice retentus ad quædam obſequia Pontificis Sixti IV., ideſt, ut ait laudatus Cornelius a Lapide, in ejuſdem Sixti Confeſſarium electus, acceptiſſimus ipſi Pontifici, Cardinalibus, Prælatis, Romaniſque Civibus, ut retulit conſocius ejus Frater Joannes de Alemania. Ædificium perfecerunt Ferdinandus, & Iſabella Hiſpaniarum Reges ex voto, quod B. Amadei conſilio nuncupaverant S. Petro Apoſtolo, pro maſculina prole a Deo obtinenda, & auxit Ludovici XI. Galliarum Regis munificentia. Teſtibus Pancirola, & Alvero, locus vetuſtiſſimus eſt pertingens ad tempora uſque Conſtantini Magni, qui Eccleſiam ædificavit ſub invocatione S. Mariæ, additis titulis S. Angeli, & S. Petri; ubi S. Petrus non Caput, ut ait Vaſcon-

Acta SS. ibid. cap. num. 116.
Gonzaga in Prov. Rom. con. 1.
Vaſconcellus loc. cit. pag. 515.

cellus, ſed vitam pro Chriſto poſuit actus in Crucem, unam ex viginti Abbatiis Urbis Romæ a Sixto IV. Cardinalitio titulo decoratam. Ajunt, B. Amadeum ab hac æde ſæpius petiiſſe Conventum S. Mariæ Gratiarum Scandriliæ, & ab hoc ſolitariam ſpeluncam ad radices montium Cruſtumerorum 25. milliaribus ab Urbe, duobus ab oppido Montorii, ibique aſperiori vivendi modo, ſanctiſque meditationibus liberius ſtuduiſſe, & quamplures ab Archangelis Michaele, & Gabriele cæleſtes revelationes habuiſſe. Exſtat etiam nunc juxta hodiernum Scandriliæ Cœnobium fons ab ipſo Amadeo, ut creditur, appellatus, cujus aquam bibunt ægroti non ſine utilitate; & in Ara maxima Eccleſiæ S. Michaeli Archangelo ſacræ viſitur antiqua Tabula cæleſtem gloriam exhibens, prout B. Amadeo fuerat oſtenſa. Ante præfatam ſpeluncam aliquas Cellulas exſtrui curarunt, parvamque Eccleſiam Viri Dei aſſeclæ, quibus inde diſcendentibus, Eremitam ſubſtituerunt vicini populi. At ſedem recuperavit Frater Bonaventura Barcinonenſis Receſſuum fundator ſibi conceſſam a Quintiliano Gentilucci Epiſcopo Salaminæ, & Sabinenſis Eccleſiæ Suffraganeo an. 1666., eamque incoluerunt nonnulli Fratres ſub cura Præſidentis, donec multiplicato circa annum 1682. eorum numero, declarata eſt Conventus formalis, ad quem ſicut ad alios duos S. Bonaventuræ de Urbe, & SS. Coſmæ, & Damiani de Vicovaro Innocentius XI. *Debitum Paſtoralis officii*. Die 20. Aprilis anno 1682. extendit literas Prædeceſſoris ſui Alexandri VII. in favorem Cœnobii Scandriliæ.

Leopoldus Taurinenſis in Chron. Prov. Reformatorum.

XXVII. Tranſivit Conventus S. Petri ab Obſervantibus ad Reformatos an. 1636. ſub Miniſtro Generali Benigno de Genua. Uſque ad tempora Pauli V. totus mons Janiculus ad ipſum pertinebat. Non modicam partem Pontifex impendit ad conſtruendum, & ornandum fontem aquæ Paulæ. Aliam partem Alexander VII. attribuit Horto botanico Collegii Phyſicorum; aliam Innocentius XI., tribus molendinis frumentariis ibi conſtructis. Quare Fratres anguſtiis preſſi aream quamdam contiguam impetrarunt a Monialibus SS. Coſmæ, & Damiani. Cœnobium, & Eccleſia deſcribuntur in anteactis Annalibus. Verum in ipſis nonnulla ſupprimuntur memoria digna.

Annales Min. an. 1472. num. 82., & seq.

XXVIII. Aram maximam exornat Tabula Transfigurationis Domini expreſſa a Raphaele Urbinate pro Julio Cardinali Mediceo S. R. E. ViceCancellario, poſtea Clemente VII., qui ad Narbonenſem Eccleſiam, cujus erat Archiepiſcopus, illam mittere deſtinaverat. Sed quum non modis omnibus abſolutum opus Artifex moriens reliquerit, hinc Julius in prædicta Ara Tabulam collocavit cum Inſcriptione: *D. Petro Principi Apoſt. Julius Mediceus Card. Vicecancellarius DD. anno D. MDXXIII.* Exhibet Chriſtum in Monte Thabor nivei coloris veſtimentis indutum, apertis brachiis & fronte ſurſum erecta, quaſi trium divinarum Perſonarum gloriam oſtenderet, ejuſque lumine colluſtrati Moyſes, & Elias ab ipſo veluti vitam, motumque mutuantur. Petrus, Jacobus, & Joannes humi procumbunt, & variis, pulcherrimiſque geſtibus, aut frontem demittunt, aut palmis ad ſupercilia aptatis, umbram oculis faciunt, ut vividiorem radiorum lucis copiam ab obtutu prohibeant. Ad montis radices adſtant undecim Diſcipuli exſpectantes reditum Chriſti a monte, qui juvenem Energumenum illuc adductum menti ſuæ reddat, in terram provolutum, ululanti ſimilem, oculoſque diſtorquentem, qui membrorum contractione, totiuſque corporis agitatione, & vultus pallore

lore internam maligni ſpiritus vim, atque impetum prodit, quo miſere divexatur. Mediam imaginem amplectitur, & ſubſtentat ſenex, qui ſublatis ſuperciliis, & fronte corrugata fidentiam ſimul, metumque præſeferens Apoſtolos intuetur, intentis oculis, immotiſque pupillis, a quibus ſpem, atque animum deſumit. Mulier ad Apoſtolorum pedes vultu in illos defixo, & manibus energumenum indicans, triſtem ejus vicem dolet, dum illi partim ſtantes, partim ſedentes, partim genuflexi fortunæ vexati juvenis miſereri videntur. Alias preterea imagines, ſigna, formaſque varias, & peregrinas Tabula complectitur, quæ ut poſtrema penicillo immortalis Artificis elaborata, ita omnium judicio cæteris, quas effinxit, præſtantia antecedit, & celebritate. Eam Julius Cardinalis appoſuit ad defuncti caput in cubiculo, ubi pingere conſueverat, quo factum eſt, ut nemo illum mortuum, & Tabulam vivam, ſpirantemque intuitus a lacrymis temperaret. Vasarius in Biograph. Pictorum tom. 3. part. 3. pag. 216. Aliæ picturæ haud cum hac comparandæ, ſed induſtriorum virorum exornant Sacella circumpoſita, ſtatuæque, & marmora cum elegantia, & venuſtate diſpoſita in loculamentis, ſeptis, & mauſoleis. Ibid. pag. 226. Georgius Vaſarius, Franciſcus Baratta, Daniel Volaterranus, Eques Berninus, Michael Angelus Bonarota, aliique plurimum contulerunt ad Eccleſiæ ornamentum. In Clauſtro exſurgit parvum Templum figuræ Ellypticæ, fultum ſexdecim columnis ex lapide Numidico ordinis Dorici pedum XXVI. cum ſtatuis, & erecta teſtudine. Opus hoc Bramantis adeo nobilem exhibet Architecturam, ut ſuperbioribus veterum Imperatorum ædificiis Gamuccius comparare non dubitet. Ibid. pag. 95. Ipſum magnopere etiam Vaſarius commendat pulchrius futurum, ſi Clauſtrum ad typum perductum foret.

XXIX. Extinctis peculiaribus Congregationibus Clarenorum, & Amadeorum, Cœnobiorum, Fratrumque numero Obſervantia augebatur; meritoque id egit Pontifex, ne Ordo ex S. Inſtitutoris mente unicus, & indiviſus, in partes ſciſſus videretur diverſis veſtium formis, & nominibus, quæ nihil aliud plerumque faciunt, niſi animos, qui conjunctiſſimi eſſe deberent in eodem Charitatis ſpiritu, mutuo dividere; ſæpe enim fit, ut qui auſteriorem vivendi modum affectant, (homiues namque ſunt) cæteros ſpernant, & ſpernantur. Accedit, ut præclare, ad rem præſentem quod attinet, animadvertit Carolus a Baſilica, plerumque contingere in Religioſorum ſocietatibus, Carolus a Baſilica cap. 5. pag. 58. ut primo ardore ſpiritus cum optima diſciplina paullatim pro humana miſeria refrigeſcente, quoniam univerſi moveri nequeunt ut ad priſtinos mores ſe referant, pars tantum id faciat, & a cæteris ſeparata veteribus, perfectioribuſque utatur inſtitutis, quæ quum item ſpatio temporis remittantur, eo res tandem recidit, ut nomine ſolum, & præterea diſſidio relicto, ea veluti disjuncta membra expediat reliquo ejuſdem conditionis corpori iterum conjungere.

XXX. Sub idem tempus Ordini Minorum Obſervantium ſubjecit Summus Pontifex Tertium Ordinem S. Franciſci de Pœnitentia Virorum, & Mulierum in Congregatione viventium, & ſub tribus votis ſubſtantialibus. Tertium Ordinem generatim inſpectum inſtituit anno 1221. Seraphicus Pater, multumque illi favit Honorius III. vivæ vocis oraculo, ut teſtatur Gregorius IV. diplomate dato anno 1228., & confirmato a Nicolao IV., ut ex ejus literis ſub plumbo, quæ aſſervari dicuntur in Toloſano Tertiariorum Cœnobio; plureſque alii Summi Pontifices eorum ſucceſſores approbationem addiderunt. Antonius de Sillis in prælud. 3. §. ultimo Auctor eſt Antonius de Sil-

de Sillis, illius alumnos votis ſe obſtringere cœpiſſe anno 1421. Fulginei ſub auſpiciis B. Angelinæ de Teramo Civitellæ Aprutii Comitiſſæ, neque ante hoc tempus relatum eſſe inter Religiones approbatas; licet ſint, qui ſcribunt, Regularia Monaſteria fuiſſe conſtructa vivente Seraphico Patriarcha, ſeu paullo poſt ejus mortem. Acceperunt Tertiarii privilegia Pontificum Eugenii IV. anno 1446., Nicolai V. anno 1447., Pauli II. anno 1467., Sixti IV. anno 1471., Innocentii VIII. anno 1487., Julii II., Leonis X., Clementis VII., Pauli III., Clementis VIII., Pauli V., Gregorii XV., & Urbani VIII., quorum diplomata reperiuntur in tomo ſecundo præfati Antonii de Sillis.

XXXI. Cauſæ, quæ Pontificem impulerunt ad redigendum Tertium Ordinem ſub cura Obſervantium, extinctis in ipſo Officiis Miniſtrorum, & Viſitatorum, continentur in literis Pontificiis: *Ea eſt officii noſtri ratio.* V. Nonas Julii, quas damus in Regeſto.

XXXII. Id egerunt Fratres Tertii Ordinis in Sicilia, ut huic legi parere recuſarent, non omnes quidem, ſed illi, qui Drepani manebant, ea freti ratione, quia eorum Congregatio immediate militabat ſub protectione Cardinalis Borromæi, neque proinde illam comprehendebant literæ Pii V. recenſitæ. Res hic per ſe loquitur. Quilibet alius, ſi id fieri potuiſſet, immunem ſervare poterat Congregationem Tertii Ordinis Drepanenſem, præter Cardinalem Borromæum, cui exequendi literas Pontificias partes commiſſæ fuerant; ſecus enim nihil aliud feciſſet, quam Pontificis voluntati aperte contradicere, ejusque non exequutorem eſſe, ſed deſtructorem.

Bordonus in Chronolog. de Prov. Siciliæ cap. 25. num. 60 pag. 450.

XXXIII. At, inquit Bordonus, Miniſter Provincialis Obſervantium, qui Drepanum advolavit, ut a Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis obedientiam exigeret, rationem ab illis adductam nihili faciens, ſtatim illos excommunicavit tamquam contumaces, inconſulto Summo Pontifice, & ſic jus prætenſum præcipitavit. Ideo re delata ad ſupremum Judicem, ea cenſuræ pœna declarata fuit nulla, & invalida; neque enim Collegium, Congregatio, aut Communitas excommunicari poteſt; quum ea feratur tantum contra inobedientes, & contumaces, & proinde in omnibus ſupponat peccatum mortale, quod non eſt veriſimile reperiri in omnibus, quum aliquis, immo plures ſint ſemper in Communitate parati obedire, non quærentes, an teneantur, necne, & an Prælatus ſit eorum competens ſuperior.

XXXIV. Nemo unus hic profecto non intelligit, præfatum Miniſtrum Obſervantium, ſi ſtatim excommunicavit, nullam Fratribus Tertii Ordinis injuriam irrogaſſe, licet præcipitaverit jus ſuum non tantum prætenſum, ſed liquidum etiam, atque infallibile, & non controverſum, niſi cavillo; nam conſulere Romanum Pontificem de re, circa quam ſatis ſuperque mentem ſuam declaraverat, tum inutile, tum ſtultum, & inſipidum fuiſſet. Quod ſi conſuli debuiſſet Pontifex, non ab illo conſulendus erat, qui jus ſuum urgebat, ſed ab iis, qui illud declinare conabantur. At cenſuræ declaratæ ſunt nullæ a ſupremo Judice. Quis eſt iſte ſupremus Judex? Summusne Pontifex, aut Cardinalis Borromæus, aut ſaltem Epiſcopus loci? Non dicitur; neque mea valde intereſt, ut dicatur; novi enim, a plerisque non raro occultiores cuniculos tentari ſolere ad cauſam quocumque modo obtinendam. Quod additur de cenſuris non ferendis contra collegium, totum id extraneum eſt cauſæ; ut enim ipſe Bordonus fatetur, eo temporis Fratres Tertii Ordi-

Ordinis Conventum Drepani non habebant, degentes in hoſpitiolo, ſeu domo privata tres, vel ad ſummum quatuor ſpiritualibus obſequiis Monialium addicti. Numeroſum vero Collegium, in quo aliquis, vel plures parati eſſent obedire, aut præſumi poſſet, eos id facturos.

XXXV. Miſſus Drepanum (ſequitur Bordonus) Viſitator de Obſervantia a Summo Pontifice nihil in Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis contrarium reperit bonis moribus, aut adverſum Regulari diſciplinæ. Hinc, iis ad obedientiam receptis, mandavit primo, ut Frater Jacobus, quem paullo poſt Summus Pontifex remiſit ad Capuccinos, ad quos pertinebat, a Cuſtodia, cui mancipatus fuerat, dimitteretur; deinde, utque Fratres Tertii Ordinis, qui Conventum intra Drepanum non habebant, in Conventu Martognæ ſimul habitarent. Ibid. num. 61. Ibid. num. 67. Ibid. num. 64.

XXXVI. Fratres Drepanenſes a bonis moribus, & regulari diſciplina non fuiſſe alienos facile quiſque concedet, dummodo firmum ſit, eos Pontificia juſſa detrectaſſe. Bordonus eorum texens Apologiam, dicit, Fratrem Jacobum, qui aliis præerat, ab Obſervantium Miniſtro in carcerem conjectus illic pro ſuis perſequutoribus ad Deum preces effudiſſe, quaſi in illum aliquid actum fuiſſet, quod non meruerit ob inobedientiam; eademque odioſa uſurpans verba addit: „ Non obſtantibus tot „ perturbationibus, moleſtiis, & perſecutionibus, Fratres cum ſuo Pa„ tre ſemper conſtantes perſeverarunt in ſervitio Dei, & obſervantia „ regulari, & quo plus fluctibus peſtiferi hujus ſæculi agitabantur, eo „ magis augebantur, & propagabantur, de quibus dici poteſt: In in„ cude, & malleo dilatavit nos Dominus. Et cum S. Auguſtino: Ec„ cleſia Dei magis, magiſque dilatata eſt non reſiſtendo, ſed perfe„ rendo „. Ibid. num. & 66.

XXXVII. Nihil aliud mali video in his rebus, quam quod nobilis quidam Drepanenſis cognomine de Ferris, ut idem Bordonus narrat, in Fratrem Jacobum, & ſocios infenſum animum nutriret, ad quem referri queunt laudata verba ſacræ Scripturæ, & S. Auguſtini; Miniſter enim de Obſervantia, nihil egit, quod incudem ſaperet, & malleum; neque ejus cauſa aliquid pertulit Tertius Ordo; tantumque abeſt, ut aliquid pertulerit, quin potius reſiſtere tentaverit, quod impedit, ne in re præſenti ei conveniat Scripturæ textus mox adductus. Habemus, ut dictum eſt, Fratrem Jacobum, Pontificio mandato, ad Capuccinos ſuos redire debuiſſe, & id quidem triginta tribus poſt annis, quibus inter Fratres Tertii Ordinis vixerat, eoſque rexerat. Cur autem id mandaverit Pontifex, ſilentio premitur. Sed niſi mea me fallit opinio, nemo non perſpicit, commodiſſimum Fratri Jacobo fuiſſe, tam longo temporis ſpatio morari extra Conventum in hoſpitiolo Drepanenſi; & non Fratres Tertii Ordinis, ſed ipſum ſub mentita aliorum veſte Pontificiæ ordinationi reſtitiſſe. Quod autem, ut inquit Bordonus, pie credendum eſt, eum mercedem ſuorum operum cum Beatis nunc poſſidere in Regno cæleſti, id profecto tribui debet prompto regreſſui ad ſuos, ſanctæque vitæ inter illos actæ. Ibid. num. 64. Ibid. num. 67.

XXXVIII. Minorem Obſervantem facit Rochus Pirrus in Sicilia Sacra quemdam F. Jacobum de Augubio, qui, a Paulo III. impetrata facultate Conſtantinopolim petendi ad Infideles convertendos, adverſa tempeſtate primo Panormum appulit, deinde Drepanum, ubi in fundo Jacobi Fardellæ nobilis Drepanenſis conſtruxit Oratorium ſub aſpero colle Montis Erycini, ibique conſtituit Congregationem ſub inſtituto Tertii Ordi- Sicilia Sacra tom. 2 notit. 6. Eccleſ. Mazar. pag. 880.

Ordinis S. Francisci dictam *degli Scalzi*, quia F. Jacobus Discalceatus incedebat, & a Paulo III. approbatam die ultima Maji anno 1541. Inde commigravit ob aeris inſalubritatem, & domus anguſtias ad locum aptiorem Martognam, ſeu Vallis Clarum nuncupatum, in radicibus montis tribus milliaribus a Drepano ad Occidentem. Addit Pirrus, hunc
pag. 881. F. Jacobum fundaſſe Drepani auno 1542. Monaſterium SS. Trinitatis Tertii Ordinis S. Franciſci, nunc *Abbatia Grande*, Collegium S. Spiritus Puellarum Orphanarum ſub protectione Montis pietatis, & Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ *delle Convertite*. Omnia ſuadent, F. Jacobum, de quo hic loquimur, eumdem eſſe cum illo, quem Bordonus memorat. Quod ſi verum eſt, vel errat Bordonus, qui eum Capuccinis, vel Pirrus, qui Obſervantibus adſcribit. Sed in hac re Bordono potius credendum, ne ſi in ea deceptus ſit, alias querelas immerito congeſſiſſe videatur.

XXXIX. Gravius vero Bordonus queritur, Minores Obſervantes eri-
Ibidem cap. 10. num. 22. puiſſe præcipuos Conventus Tertiariorum in Provincia Andaluſiæ, asportaſſe Bibliothecas, coegiſſe Tertiarios ad profitendum in Ordine Minorum, facultatem eis abſtuliſſe recipiendi Novitios, multaque ſimilia patraſſe hoc tempore, & ſubſequenti. Non hic de facto agitur, ſed de jure, quod ſi Minoribus Obſervantibus præſto erat, omni crimine liberantur. In literis Pontificiis: *Superioribus menſibus*. Die 16. Aprilis anni ſuperioris, hæc leguntur: „ Quum in dictis Hiſpaniarum Regnis non-
„ nulli Ordines, & quamplurima Monaſteria exſiſtant, quæ reformatio-
„ ne indigere noſcuntur, prout ſunt Monaſteria Tertii Ordinis S. Fran-
„ ciſci, in quibus degunt Fratres diſſolute, & perverſe viventes, ma-
„ lumque exemplum, & varia ſcandala præbentes, qui ſi a ſuis non
„ probatis inſtitutis, & a ſolito vivendi modo non removerentur, diffi-
„ cilius poſtea reformari poſſent. Nos pro horum Fratrum reformatio-
„ ne illos ad Obſervantiam Fratrum dicti Ordinis S. Franciſci ſupradi-
„ ctos eo modo, & forma, quibus ſunt reducendi Fratres Conventua-
„ les, omnino reducendos eſſe decernimus, & declaramus „. Hinc Gon-
Gonzaga in Prov. Bæticæ con. 2. zaga de Cœnobio Hiſpalenſi Tertii Ordinis hæc habet: *Fratribus Tertii Ordinis ex mandato Pii V. ad inſtantiam Philippi II. in ordinem redactis, atque ad Franciſcanam Regularem Obſervantiam coactis; octava die Septemb. an. Domini 1566. Domus S. Mariæ de Valle in jus Franciſcanorum Minorum de Obſervantia tranſiit*. Arbitror, hic errorem latere in numeris; niſi enim ſpeciale aliquod maudatum pro hujuſmodi Conventu dederit Pontifex, non prædicto anno, ſed poſteriore Pontificis literæ expeditæ fuerunt. Breviter noto, de nulla alia Tertiariorum domo, quæ Obſervantibus hac occaſione obvenerit, Gonzagam loqui. In literis: *In eminenti*. Die 30. Octob. anni ejuſdem: „ Conventualium, inquit Pontifex,
„ ſeu Tertii Ordinis Fratrum, & Sororum Eccleſias, Monaſteria, ſeu
„ Domos Religioſis Ordinis de Obſervantia per ipſos perpetuo habendas
„ aſſignent, (Henricus videlicet Cardinalis Portugalliæ, cæterique Epi-
„ ſcopi) ac in Domos, & Monaſteria hujuſmodi alios Fratres, & Mo-
„ niales de Domibus, & Conventibus ipſorum Fratrum, & Monialium
„ de Obſervantia de ſibi aſſiſtentium Fratrum conſilio reſpective tranſ-
„ ferant, & ex ipſis Domibus de Obſervantia Guardianum, & alios
„ Officiales ad Domos prædictas regendum, & gubernandum idoneos,
„ auctoritate prædicta deputeut, atque conſtituant: ipſos vero Fratres,
„ & Sorores, ſeu Moniales Conventuales, & Tertii Ordinis prædictos
„ alio-

„ aliorum Fratrum de Obſervantia conſortio aggregent, atque uniant, „ nec non ex domibus, quibus antea vitam Conventualem egerant, „ transferant in Religioſorum de Obſervantia Domos, & per illas diſ- „ tribuant, ut poſthac ipſi de Obſervantia ſimiliter nuncupentur, & „ ſub ejusdem Miniſtri Generalis de Obſervantia obedientia perma- „ neant „. Eadem repetit Pontifex hoc anno in literis ad Henricum Cardinalem Portugalliæ: *Licet alias*. Die 4. Julii; eisdemque ferme verbis rem conficit, ipſi injungens, ut omnimode Fratres, & Sorores Tertii Ordinis cogat ad ea adimplenda, quæ alias ſtatuta fuerant, & bona Cœnobiorum Conventualium aſſignet pauperioribus Monialium Monaſteriis.

XL. Incuſet modo Bordonus Minores Obſervantes, quod ea geſſerint, quorum poteſtas erat illis a Pontifice attributa. At Pontificis mens eo non ſpectabat, ut Tertium Ordinem extingueret. Id, inquam, probant poſtremæ Pontificis literæ ad Joannem Baptiſtam Archiepiſcopum Boſanenſem Nuntium Apoſtolicum: *Generalem*, *&* *alios*. Die 15. Julii. Quod ſi, omnibus rite perpenſis, nihil aliud ſibi Pontifex propoſuit, quam errantium emendationem, quam ſi iniiſſent, priorem ſtatum eſſent ſervaturi, ad Bordonum evincere pertinebat, in illis Cœnobiis, quæ Obſervantes occupaſſe affirmat, quæque ab ipſo non nominantur, Fratres Tertii Ordinis præſcriptam reformationis regulam fuiſſe amplexatos. Jam ſi iis reformationem detrectantibus, Obſervantes jus habebant occupandi Cœnobia, eodem quoque jure potiebantur in Bibliothecas, plenamque auctoritatem habebant condendi leges circa receptionem Novitiorum, & cætera hujusmodi.

XLI. Hoc anno Cuſtodia S. Antonii Portugalliæ erecta eſt in Provinciam, unam ex quatuor, quas Luſitani *Capuchas* vocant: *Sacra Religionis*. Die 8. Auguſti; rem ad exitum deducente Antonio Alvarez Inſulano jam Miniſtro Generali Ordinis, & renuntiato in primum Miniſtrum Antonio de S. Vincentio æmulo veterum illorum Patrum, qui anno 1393. a Gallæcia in eas regiones ſe contulerunt ad reformandum Ordinem Franciſcanum, quorum nomina ſunt Didacus Aſtur eruditiſſimus, & optimus Eccleſiaſtes, Gonſalvus Morignus Gallæcus in ſæculo Dominus Oppidi Altamiræ, & aliorum, Petrus de Alemancos, & Alphonſus Salus. Idem in Prov. S. Antonii Portug. part. 3. pag. 1154.

XLII. Domos Provinciæ quiudecim Gonzaga recenſet. Sunt autem viginti duæ. Harum quatuor ſpectant ad tempora poſteriora, nimirum Conventus S. Franciſci prope Turrim a Mencorvo ad annum ſequentem; Conventus S. Antonii Ulyſſiponenſis, & Dominæ Noſtræ Lauretanæ prope Tancos ad annum 1570; Conventus S. Franciſci de Oppido Regio, ſeu Villa Regali ad annum 1573. Reliquæ ſunt. Monumenta Provinciæ.

1. Conventus S. Antonii a Caſtanheira Diœceſis Ulyſſiponenſis fundatus a Petro de Alemancos inter Oppida Caſtanheira, Villæ Franchæ, & Pouos, reſtauratusque a Fratre Georgio de S. Bernardino eleemoſynis Joannis III. Regis Portugalliæ, rem etiam juvante Antonio de Attayde nobili viro, qui in Sacello propriis expenſis conſtructo tumulari voluit. Ex Provinciæ compromiſſo eſt Domus Capitularis. Eccleſia gaudet plenaria Indulgentia conceſſa a Pio IV. iis, qui ſtatis anni diebus eam devote viſitaverint. Georgius de Attayde ex Comitum ejusdem nominis familia, & Regis Sacellanus Eccleſiam multis muneribus auxit, Chorum conſtrui fecit ex lapide jaspide, & Altaria collateralia magnifice exornavit. Jacent inibi tumulati Fratres Joannes ab Outeiro, Fran-

Franciſcus a Talavera, & Didacus Peregrinus. Continet XXIV. Fratres.

2. S. Antonii Viannæ in tractu Iteramnenſi Diœceſis Braccarenſis ad oſtium fluvii Limæ. Continet eumdem Fratrum numerum.

3. S. Antonii Pontis Limæ in eiſdem tractu, & Diœceſi juxta oppidum ejus nominis in ripa Limæ. Habet XXVI. Fratres, & Patronos Comites Villæ Novæ a Cerveira. Sepulti ſunt illic Fratres Petrus de Carnota Miniſter Provinciæ Portugalliæ, & Salvator Laicus.

4. S. Antonii Viſenſis prope Civitatem in tractu Beirenſi. Habet XX. Fratres, & Patronum Epiſcopum.

5. S. Franciſci Lamacenſis, ſeu Jamaei in eodem tractu Beirenſi, de quo diximus anno 1567.

Gonzaga in Prov. S. Ant. Portugalliæ con. 13. 6. S. Catharinæ a Carnota Diœceſis Ulyſſiponenſis juxta altiſſimam rupem nemoribus undequaque conſitam cum Sacellis in ſaltu, in quibus Chriſti Domini myſteria a Nativitate uſque ad Aſcenſionem picturis exprimuntur. Fundum, in quo conditus eſt anno 1408. duobus milliaribus ab Alanquerio, emiſſe ſcribit Gonzaga Joannem I. Regem Luſitaniæ a Sororibus Monaſterii de Odivellas; & anno 1455. expugnata Urbe Septæ, ſeu Exiliſſæ in Africa, aſportaſſe illuc duodecim columnas, quæ periſtylium Cœnobii conſtituunt; quod poſtremum veritati non eſt conſentaneum; Jacobus enim primus non regnavit, niſi ad annum 1433. Vixit in hoc loco aliquot annos Marcus Ulyſſiponenſis Hiſtoricus clariſſimus Ordinis Minoritici. Continet XVI. Fratres, & Patronum olim habebat Petrum Principem Portugalliæ.

Petavius Rat. Temp. tom. 2. pag. 232.

7. Dominæ Noſtræ de Patrocinio, ſeu Auxilio dictus ab incolis de Emparo, a Fratribus vero *Cazanova*, ſub titulo Viſitationis fundatus duobus milliaribus a pago Alvercæ anno 1546. in prædio, & pomario Ferdinandi ab Alcazova Carneiro, qui pecuniam pro ædificio conſtruendo ex ſupremis tabulis reliquit Petro de Alcazova Fratris ſui Filio Comiti Egitanenſi, & a ſecretis Joannis III. Regis. Eccleſia pretioſis Reliquiis ditatur, & præſertim Spina Coronæ Dominicæ, & fragmine Ligni S. Crucis. Ajunt, ibi in theca aſſervari unum ex denariis, quibus Judas Chriſtum vendidit; quod abſurdum quidem non eſt, ſed ſola nixum opinione. Imago Redemptoris a Cruce pendentis per Civitatem Ulyſſiponenſem quondam deportata peſtem diſpulit, qua totum Regnum laborabat. Floruit in hoc Cœnobio Bartholomæus primus Guardianus inſignis pœnitentiæ, & charitatis maxime erga homines elephantiaſi infectos. Continet XVI. Fratres.

8. S. Mariæ a Moſteiro in tractu Iteramnenſi Diœceſis Braccarenſis fundatus anno 1392. in loco ſolitario a primis Fratribus, quos reformationi Ordinis Franciſcani in Luſitania ſtuduiſſe diximus, & reſtauratus a Fratre Didaco de Anſede eleemoſynis Joannis III. Regis, & piorum. Sepultus ibi quieſcit F. Joannes a Baſto Laicus. Marchiones Oppidi Villæ Regalis obtinebant juspatronatus, devolutum poſtea ad Petrum Principem Portugalliæ.

Annales Min. an. 1392. num. 19.

9. S. Antonii Caminienſis, ſeu de Cominha, in eodem tractu, & Diœceſi fundatus a Ducibus de Cominha, & Marchionibus Villæ Regalis, quibus in jure patronatus ſucceſſit præfatus Princeps. Continet XII. Fratres.

10. S. Antonii de Penela in tractu Beirenſi Diœceſis Conimbricenſis, ad quem translatus eſt Conventus de Monte Ovens, de quo agit Gonzaga. Sed tum tempus, tum motivum translationis latet. Habet XIII. Fratres, & Patronos Duces de Aveiro oppidi Comites.

Gonzaga ibidem con. 9.

11. Do-

11. S. Antonii de Pino, ſeu Pinheiro, in tractu Tranſtagano ad Tagi ripam media fere leuca ab Oppido Chamuſca fundatus a Rege Emanuele, & regiis ſumptibus iterum a fundamentis excitatus. Habet XIII. Fratres, & Patronum Regem. Ob aeris inſalubritatem, quum in regione illa nulla foret opportunitas curandi infirmos, Rex Sebaſtianus conceſſit Fratribus circa hæc tempora commodum Valetudinarium juxta Xenodochium Regium Scalabisci.

12. S. Antonii a Merceana Diœceſis Ulyſſiponenſis fundatus a Damiano de Aguilar Cancellario Regni Portugalliæ. Habet XIII. Fratres, & Patronos Dominos a Rolim Dynaſtas Azambuſæ Fundatoris hæredes.

13. Dominæ Noſtræ Angelorum de Soveral ejusdem Diœceſis. Habet XIII. Fratres, & Patronos ejus Fundatores Nobiles viros Familiæ Souſarum, cujus Primogenitus in Aula Regum Luſitaniæ de jure Majorem Pincernam agit. In Eccleſia aſſervari dicuntur duo integra brachia SS. Martyrum Thebæorum.

14. S. Antonii Seremienſis in tractu Beirenſi Diœceſis Conimbricenſis in clivo Montis fluvio Vaccæ, ſeu Vajæ imminentis fundatus a Didaco Soares Philippi IV. Hiſpaniarum Regis a Secretis, cujus poſteri juspatronatus obtinent. Soli ſtudentes ſunt ibi ferme XVI.

15. S. Antonii de Sartagine in Prioratu Ocratenſi Ordinis Melitenſis nullius Diœceſis. Continet XII. Fratres, & Patrono caret; attamen piorum eleemoſynis commode ſubſtentatur. Gens circumvicina ante adventum Fratrum ruſticitate, & ſacræ diſciplinæ imperitia laborabat.

16. S. Antonii de Cantanhede in tractu Beirenſi Diœceſis Conimbricenſis fundatus ab Antonio Ludovico Meneſio Oppidi Comite, & Marialuæ Dynaſta. Habet XII. Fratres, & Patronum Primogenitum Gentis Meneſiæ.

17. S. Antonii Arcuenſis in tractu Iteramnenſi Diœceſis Braccarenſis juxta oppidum de los Arcos, & fluvium Vez. Habet X. Fratres. Hæredes Benedicti a Sylveira, qui plurimum contulit ad illius conſtructionem, gaudent jurepatronatus majoris Sacelli.

18. S. Antonii Lapidicenſis, ſeu de la Pedreira, in Civitate Conimbricenſi. Continet XX. Fratres. Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudiis deſtinatus Collegii nomine decoratur.

XLIII. Addenda his ſunt tria Oratoria Clauſuræ legibus & ipſa ſubjecta, in quorum ſingulo ſex degunt Fratres preſſius meditationi vacantes in locis a populorum frequentia ſejunctis, proximorum Conventuum eleemoſynis ſubſtentati. Primum eſt S. Mariæ ab Inſula Diœceſis Braccarenſis in oſtio fluminis Minii, quod Gallæciam a Luſitania dividens duabus faucibus ſe in Oceanum exonerat. ipſumque æſtuantibus undis rebibit, & Inſulam efficit pari intervallo ab utroque Regno diſtantem. Hinc translata eſt principalis Communitas ad Conventum S. Antonii de Cominha. Loci juspatronatus ſpectabat ad Marchiones Villæ Regalis, & Duces Caminienſes; modo autem ad Regem pertinet, qui circa Oratorium arcem conſtruxit ad reprimendas irruptiones Maurorum. Secundum S. Franciſci de Vianna ejusdem Diœceſis in prærupto montis ſcopulo. Hinc tranſiit Communitas principalis ad Conventum S. Antonii Viannæ eumdem cum Conventu S. Franciſci Mirtilli, quem Gonzaga memorat. Poſtremum S. Franciſci Montis Viſenſis, ſeu de Orgens, media leuca a Viſeo Civitate Epiſcopali in ſylveſtri, & nemoroſo collis jugo. Ibid. con. 3.

XLIV. Poſſidet eadem Provincia Domum Valetudinariam juxta Oppidum Bemfica una leuca ab Ulyſſipone fundatam a Gavardo Gomeſio de Mata Villenovæ de Cerveira Archidiacono, & jurepatronatum pertinentem ad ejus conſanguineos. Inſuper Cœnobia in Braſilia, alterum in Provincia, ſeu Capitanatu de Para, & Civitate ejusdem nominis ſupra marginem orientalem fluvii Mujn ad oſtium alterius fluvii Capin undis a Guama mutuatis excrescentis; atque hinc nonniſi improprie dici poteſt, præfatam Civitatem ſitam eſſe ad oſtium orientale fluvii Amazonum. Aliis fluminibus regio irrigatur, ſcilicet Paranaiba, Para, & Tocantino, ſeu de Toccantinis, habens ab Oriente Provinciam Maranhoenſem, ab Occidente regionem Amazonum, a Septentrione Oceanum, & fluvium de Maranhao, ab Auſtro ignotos terrarum tractus. Alterum Cœnobium eſt S. Antonii de Maranhao in Metropoli S. Ludovici, & Provincia Maranhoenſi, quæ terminatur ab Oriente Provincia de Siara, ab Occidente Provincia de Parà, a Septentrione Oceano Atlantico, ab Auſtro nationibus Americanis Tupies, aut Tapuyes dictis, & comprehendit Inſulas Sipotuba, S. Annæ, Yagaſopotac, & Maranhoenſem quadraginta tres leucas in peridromo protenſam. Horum Cœnobiorum fundatio non contigit, niſi circa initium ſæculi XVII., quo primum Cosmus de S. Damiano, & Emmanuel de Pietate Fratres Minores Hieronymo de Alburquerque maritimæ claſſis Luſitanorum in Braſilia Præfecto comites a Braſiliæ oris ſolverunt, ut Infidelibus Evangelium prædicarent; quibus anno 1617. acceſſerunt a Provincia S. Antonii Portugalliæ Antonius de Merceana Commiſſarius, Chriſtophorus a S. Joſeph, Sebaſtianus a Roſario, & Philippus a S. Bonaventura, quorum opera innumeri Indi Chriſtianam fidem receperunt. Quæ ſubſequuta ſunt anno 1623. ſub Pontificatu Urbani VIII., & anno 1652. ſub Joanne IV. Portugalliæ Rege ad hunc locum non pertinent.

XLV. Sibi adscribit præterea Cœnobium S. Mariæ ad Nives in Civitate Pernambuci, ſeu Ollindæ, metropoli Provinciæ ejus nominis Oceanum Atlanticum ad Orientem reſpicientis, ad Occidentem barbaros Mariquites, ad Septentrionem Provinciam Tamaracam, & ab Auſtro Provinciam Seregippe. Gonzaga fundatum aſſerit in domo honeſtæ cujusdam Tertiariæ Franciſcanæ a ſeptem Fratribus, quos ipſemet Miniſter Generalis ad inſtantiam Philippi II. Regis miſit Pernambucum ſub Cuſtode Fratre Melchiore a S. Catharina aſſumptos a Provincia S. Antonii Portugalliæ. Cœnobium Civitatis S. Salvatoris fundatum ab Hiſpano quodam Minorita in Provincia Bajæ omnium SS. finitima Provinciæ Seregippe ad Septentrionem, Provinciæ Rivi dos Ilheos, ſeu Inſularum ad Auſtrum, Oceano Atlantico ad Orientem, & ſylveſtribus nationibus Tupinambenſium ad Occidentem. Item Cœnobium Civitatis Ilheos in Provincia Rivi dos Ilheos ſejuncta a Baja Omnium SS. fluvio Serenim. Cœuobium Civitatis Spiritus Sancti in Provincia Spiritus Sancti inter Provincias Portus Securi, Rivi Janeiro, Oceanum Atlanticum terrasque incognitas nationum barbararum, aliasque domos, quæ Cuſtodiam efficiebant, in tota illa regione magis orientali Americæ meridionalis, magisque proxima veteri continenti, quum ab oris Africæ removeatur dumtaxat per 1200. milliaria inter Æquatorem, & Tropicum Capricorni, detecta a Petro Alvarez Cabral Luſitano tempeſtate illuc delato a Capite Bonæ Spei, & protenſa in latitudinem ab Occidente in Orientem 17. gradus, inter 328. & 345. gradus longitudinis, & a

Gonzaga in Cuſtodia Brasilis part. 4. pag. 1359.

Ibid. pag. 1362.

& a Septentrione ad Auſtrum conficiente 35. gradus a linea Æquinoctiali ad 30. uſque gradum latitudinis Auſtralis. Sacchari ferax eſt, lignisque ad tingendum aptis; dives præterea venis auri copioſiſſimis, cujus particulas & ipsa flumina advehunt, & in alveis veluti hamulos relinquunt ad diſtantiam etiam quinque leucarum, fodinisque adamantis præſertim in Montibus *Serra do Frio*, fodinas Aſiaticas Indoſtani, Inſulæ Bornei, Golcondæ, & Raolcondæ longe ſuperantibus. Hujusmodi Ædes Minoriticæ anno 1675. ex Decreto Clementis X. erectæ ſunt in peculiarem Provinciam ſub titulo Immaculatæ Conceptionis Diſcalceatorum in Braſilia.

Carolus Maria Perusinus in Chronol. tom. 3. pag. 203.

XLVI. In Provincia Siciliæ reformationis fundamenta jacta circa annum 1533. a B. Simone de Calataxibeta Laico in Cœnobiis S. Mariæ a Jeſu Plateæ, & S. Annæ Julianæ, dilapsaque poſt ejus obitum, qui contigit circa annum 1546., (in Chronologia Michaelis Angeli de Neapoli legitur annus 1550.) reſtauraverat Paulus Bonus de Palatiolo in Conventu S. Mariæ de Jeſu Palatioli, cui alterum adjicere cogitavit de novo exſtruendum in Civitate Ferlæ; ſed nonniſi præterito anno, vel hoc ipso, ut ſcribit Arturus, adſcito ſibi ſocio Fratre Bonaventura Sciaſcia Agrigentino Laico, obtinuit a Patribus in Capitulo Provinciali S. Mariæ de Jeſu Civitatis Nari, cui adſuit ut Provinciæ Diffinitor, prædictum Conventum S. Mariæ de Jeſu Plateæ, Miniſtro exſiſtente Antonino de S. Angelo, & anno inſequenti in Capitulo S. Mariæ de Jeſu Pactarum Conventum alterum S. Nicolai Agrigenti. Conventum Plateæ ſemidirutum piorum eleemoſynis refecit, in eoque deperditam jamdiu bonam Civium de Fratribus opinionem, inducta regulari obſervantia, ſanctisque moribus, & exemplis reſtituit. His duobus Conventibus quatuor alii deinde adjuncti ſunt anno 1578. erecti in Cuſtodiam ſub cura Fratris Bonaventuræ de Agrigento; eo enim anno Paulus Bonus vita exceſſit.

Petrus a Panormo Parad. Seraph. part. 2. pag. 6. & seq. Chronol. Ord. tom. 2. pag. 245. Arturus ad diem 22. Octob.

XLVII. Habitam non eſſe hoc anno intermediam Congregationem Generalem ſcribunt de Gubernatis, Michael Angelus a Neapoli, cæterique Chronologi Ordinis Noſtri. Nemo tamen ejus rei cauſam adducit a nobis jam patefactam. Ita fit, ut Scriptores noſtri plerumque dormitaverint, & recentiores, qui tandem aliquando expergiſcuntur, non ut aliquid agant, ſed ut vivi eſſe videantur, nihil ferme aliud referant, niſi quod typis commiſſum reperiunt, & ubi impreſſa monumenta deficiunt, notitias conſarcinent in ampliſſimis voluminibus partim exoticas, partim ita mutuo contextas, ut miſerorum pannorum laciniæ. Neque ſolum bellorum tumultus, ut diximus, impediverunt hoc anno, ne Fratres Comitia celebrarent; verum etiam tempora minus fauſta Ordini obvenerunt, multis obortis turbis, graviterque apud Sedem Apoſtolicam accuſato Aloyſio Puteo Miniſtro Generali; quo factum eſt, ut Pontifex Commiſſarios delegaverit in ſingulas Provincias, qui inquirerent de vita, moribus, & rerum adminiſtratione ejusdem; quumque nihil contra viri integritatem repertum foret, ad accuſatorum malitiam, & inſolentiam coercendam præcepit, ut in Provinciis Ciſmontanis Miniſter extraneus eligeretur; quod, ut accidere ſolet in rebus optimis, paucis annis exitum obtinuit.

Frater Gratia de Francia in Ind. Cap. Prov. Marchiæ cap. 15.

XLVIII. Ludovico Simonettæ Mediolanenſi Cardinali S. Cyriaci in Thermis, quem Carolus Borromæus renuntiatus ſub Pio IV. totius Ordinis Minoritici Protector, ſibi in munere Collegam aſſumpſerat, e vi-

vis ſublato, idem Carolus Borromæus ſubſtituit Alexandrum Cardinalem Cribellium Ordinis ejusdem amantiſſimum, præcipue quum Mediolani degens propriæ Diœceſis negotiis impediretur, quominus Minoribus, ut optabat, præſto eſſe poſſet.

Chronol. tom. I. part. 2. in Catal. Cardin. Protect. pag. IV.

XLIX. Clemens Dolera Monilianus jam Seraphici Ordinis Miniſter Generalis, a Paulo IV. anno 1557. creatus Cardinalis tituli S. Mariæ de Aracæli, Epiſcopus Fulginei, & in Urbe Generalis Inquiſitor diem clauſit extremum hoc anno in Cœnobio S. Petri in Monte Aureo. Lego in monumentis Martinelli Cæſenatis: „ Anno MDLXVIII. die Mercu- „ rii, VII. Januarii, hora XXI. viginti quatuor Cardinales acceſſerunt „ ad Eccleſiam S. Petri in Montorio, in qua feceram poni Cardinalem „ de Aracæli, ubi nos Clerici fecimus ſervari cæremonias conſuetas in „ aulis Cardinalium decedentium. Cardinales ſteterunt in Choro, do- „ nec Clerici, & Religioſi ſecundum morem dixerunt Veſperas, & Ma- „ tutinum. Deinde corpus Cardinalis fuit per Fratres Obſervantes ſem- „ per delatum ad Eccleſiam S. Mariæ de Aracæli, quod ſequuti fue- „ runt Magiſter Domus, & Prælati Domeſtici, & Officiales ſecundum „ morem „. In Diario Corradi Firmini: „ Die ſexta Januarii, die Lunæ, „ hora XVII. obiit in Conventu S. Petri in Montorio Rmus Cardinalis „ de Aracæli, qui fuerat Generalis Obſervantium S. Franciſci. Iſte re- „ liquit omnia ſua bona, exceptis quibusdam Legatis, Hospitali Incu- „ rabilium; & dicta hæreditas, ut audivi, aſcendit ad ſexdecim millia „ ſcutatorum. Conſanguineis, & Familiæ parum reliquit, & omnes val- „ de murmurarunt. Nos Clerici cæremoniarum habuimus ducata L. auri „ de Camera „. Apud Ciacconium invenio, eum deceſſiſſe die Martis; ut ſcilicet obitus annum ſciamus, dies nos lateat.

Ex Biblioth. Chiſiana.

L. Defuncti Corpus conditum ante ſeptum Aræ maximæ ſub lapide marmoreo indicat epigraphe æneis characteribus exarata.

D. O. M.

Clementi Moniliano Cardinali Araceli ſumma doctrina, & Religionis viro, prudentia documento per omnes honorum gradus ad ſummam in Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia dignitatem elato, a Paulo IV. Cardinali creato, liberalitatem, quam ſemper vivens exercuerat, moriens comprobavit. Pauperes incurabiles Hoſpitalis S. Jacobi ex teſtamento Heredes, beneficii accepti ergo, B. M. P. P. Vixit annos LXVI. menſes V. dies XVI. Obiit Octavo Idus Januarii MDLXVIII.

LI. In Eccleſia S. Jacobi Incurabilium, & Sacello S. Jacobi hæc ſculpta leguntur in marmore.

F. Clementi Dolera Moniliano Generali Ordinis S. Franciſci Pres. Cardinali de Araceli, viro doctrina, & bonitate inſigni. Quod ejus teſtamento ad Hoſpitale S. Jacobi hereditas perveniſſet, Sodales illius Collegii pro tanta pietate hac lege ſi ſe in perpetuum obligaverunt, uti poſtridie ejus diei, quo die deceſſit e vita, qui fuit VIII. Id. Januarii MDLXVIII. anniverſaria commemoratio ejus fiat, & Sacerdos Sacrum ſolemne faciat, univerſis Sodalibus ad eam rem convocatis, hoc amplius, uti ſingulis diebus, qui dies feſti non erunt, Sacerdos ſacrum faciat ad ipſius, Gentiliumque ejus animas, qui mortui erunt, expiandas. Quod ſi dies feſtus inciderit, ſacrum fiat ejus Divi, cujus dies Sacer erit, in eoque Sacro commemoratio Cardinalis, Gentiliumque ejus, qui mortui erunt, ſeparatim fiat.

LII. Ligurum omnium laudator ſplendidiſſimus Ubertus Folieta in uno Clemente liberalitatem remittit: „ Humani ingenii, inquit, imbecilli-

,, cillitate, naturæque dona ſua inter mortales partientis decreto fieri Theſaur. Antiq. Ital. tom. 1. part. 2. pag. 847.
,, videmus, ut idem, quamvis excellenti ingenio præditus vir, & ad res
,, gerendas natus, non omni negotiorum generi aptus ſit, neque ſatis
,, feliciter ſe variis hominum ingeniis, & ſtudiis accommodet. Quam
,, rem Clementi Doleræ ex oppido Monelia uſuveniſſe conſtat. Is vir,
,, quum Franciſcanorum Ordinem, cui multos annos ſummus Miniſter
,, præfuit, in quo ad faſtigium ab inferioribus muneribus ad ſuperiora
,, ſibi deinceps gradum faciens cum ſumma omnium approbatione con-
,, ſcendit; is igitur vir, quum eum Ordinem ſumma cum prudentia,
,, ingenii, probitatis laude rexiſſet, Cardinalis creatus famam tot me-
,, ritorum, & officiorum momentis diu collectam nihil ſane auxit, ut
,, ſacræ Purpuræ inſignis titulus plus honori, & amplitudini adjeciſſe,
,, quam priori gloriæ, & exiſtimationi addidiſſe videatur.

LIII. Fatendum tamen eſt, Scriptorem hic paullulum dormitaſſe. Patet, neminem laude fraudandum, qui munus ſibi commiſſum, ut debet, exequitur. Concedit Folieta, Clementem Ordinis Minoritici præfecturam optime geſſiſſe, quia ſummam ad illam attulit prudentiam, ingenium, & probitatem. Quid horum ei defuit Purpura condecorato? Officium Cardinalis eſt adeſſe a conſiliis Summo Pontifici, Eccleſiam Dei doctrina, & ſanctitate vitæ ſedulo tutari, morum, & virtutum ſe cunctis normam præbere eo expreſſiorem, quo præ cæteris dignitate excellit uno ſupremo Chriſti Vicario inferior. Si in nulla harum rerum Clemens offendit, immo ſi partes ſuas omnes rite explevit, profecto non honorem tantum, & amplitudinem extrinſecam ei addidit Purpura, ſed pondus etiam, & incrementum exiſtimationi, quam ſibi antea comparaverat. Nec ſolliciti ſumus, an id vulgus animadverterit injuſtus, ut plurimum, rerum judex, qui niſi videat exteriora ſigna magnificentiæ, ſplendoris, faſtus, divitiarum, neminem præſtantem arbitratur, hebes in detegendo veræ, ſolidæque famæ principio, quod nihil aliud eſſe poteſt, quam virtus; dummodo Clemens famam ſuam auxerit in opinione ſapientum, quorum unus, vel alter infinitæ ſtultorum multitudini longe præſtat. An oportebat, ut homines conducere, qui tuba canerent ante ſe ad hoc, ut nomen ſuum longe, lateque propagaret, ſtrepituſque Genuam uſque perveniret? Vidit Ciacconius Folietæ objectionem, eamque refellit, doctrina, & ſanctiſſimis moribus, quibus Clemens enituit in Purpura hoc pacto: Ciacconius tom. 3. pag. 861. ad an. 1555.
,, Singularis doctrinæ,
,, qua præditus erat, non obſcura teſtimonia poſteritati conſecravit,
,, quorum exſtant Catholicarum Inſtitutionum compendium, quod Theo-
,, logicarum diſputationum volumen vocat Manutius, ab ipſo Cardinali
,, locupletatum, Chriſtianis hominibus ad pie, ſancteque vivendum ne-
,, ceſſarium. Innumeris fere ſparſa voluminibus in unum ipſe collegit,
,, confuſis, ut cum Manutio ſcribam, ordinem, obſcuris lumen, cer-
,, tam cognitionem dubiis attulit. Nihil uberius eo libro, ſi res ſpecta-
,, re velis; nihil brevius, ſi verba; in brevitate nihil planius, & cla-
,, rius eſſe poſſe judicabis. Totum opus his conſtat tractatibus, quos
,, diviſim Aldus Manutius recenſet, ac ſummopere commendat, & ſunt:
,, De Symbolo Apoſtolorum. De Sacramentis. De præceptis divinis.
,, De conſiliis Evangelicis. De œcumenico Concilio. Quod opus pri-
,, mo Fulginei an. 1562. impreſſum eſt, deinde Romæ anno 1565., ad-
,, ditis duobus opuſculis, uno de peccatis, & eorum differentiis, alio
,, de Sacerdotum Cœlibatu. Pietatem ſingularem expreſſit moribus. Sua

,, omnia

„ omnia ſtudia, curaſque ad Apoſtolicæ Sedis dignitatem tuendam, & „ ad animarum ſalutem procurandam retulit. Fulginatenſis Eccleſiæ „ oves ſibi concreditas verbo, atque exemplo docuit; unde illum Poe- „ ta ſic introducit loquentem:

„ Quam pius, & doctus, tam ſuavis moribus exſto,
„ Mente probus, vita ſanctus, honore gravis.

Poſſevinus tom. 1. pag. 317.

Ughellus tom. 1. de Epis. Fulgin. pag. 714.

LIV. Operum Clementis meminit etiam Poſſevinus in Apparatu Sacro. Libenter autem alienorum teſtimonia colligimus, ne ſi ex noſtris aliquid adduceremus, ſtudium partium in nobis quiſpiam argueret. Ughellus de ipſo hæc habet: „ Inter Purpuratos adlectus eſt a Paulo IV. Fa- „ ctus Epiſcopus, quum in Fulginatium curam animum intendiſſet, „ nihil antiquius habuit, quam ex Tridentini Concilii inſtituto colere „ pietatem, corrigere mores Eccleſiaſticos, jugulare abuſus, pauperes „ recreare, Ordinum Religioſorum extendere fines. Igitur Capuccinos „ Civitati propiori ſub titulo S. Franciſci Monaſterio excepit, quum „ interim S. Joſeph de Vignole Templum Prædicatorum Fratribus at- „ tribuendum curaſſet anno 1567. Cæterum in privata fortuna, cura- „ que Epiſcopali haud ſivit torpere ingenium; ſcripſit enim de Cælibatu tractatum unum, alterum ſupra præcepta Decalogi; inſtitutionem „ compilavit Canonicam, multaque alia aggreſſus eſt, quæ ejuſdem „ ingenii inexhauſtas vires prodere poſſe viderentur. Excellit Romæ, „ quum Fidei Cauſarum ſupremus Quæſitor eſſet, ſacrique Imperii Pro- „ tector „.

Rodulphus lib. 2. pag. 280.

LV. Vitam explevit Octavianus Præconius Archiepiſcopus Panormitanus, patria Caſtri Regalenſis, licet ipſe in Concilio Tridentino Meſſanenſem ſe ſubſcripſerit, quod in errorem induxit Rodulphum, Hieronymum Ghilinum, Morerum, Stephanum Maurum, aliosque. Patrem habuit Præconium de Præconio, adſcriptuſque Minoribus Conventualibus Provinciam Siculam rexit annis 1534., & 1541., & Generalem Viſitatorem egit in Provincia Valentina, & cæteris Ultramontanis. In Hiſpania apud Carolum V. maxima nituit exiſtimatione, ipſi proiude Regi, & Imperatori a Confeſſionibus, Concionibus, & Conſiliis, & ſacris lipſanis ab illo donatus, præſertim ligno SS. Crucis, & aliquibus Capitibus Sociarum Virginum S. Urſulæ. In Ordine ſuo doctrinæ, & probitatis ornamenta aſſequutus, in omnibus fere ſcientiarum generibus primas tenuit. Excelluit eloquentia admiranda, & in præcipuis Civitatibus nobilis Eccleſiaſtes ea eminuit dicendi vi, ut in objurgandis vitiis metum incuteret, & quoquo vellet animos inflecteret; atque in ſe omnium oculos, & corda attrahere videretur; tantaque majeſtas, ac auctoritas in eo fuit, ut ſingulæ ejus ſententiæ teſtimonii loco haberentur.

Biblioth. Sicula L. O. pag. 105., & ſeq.

Ibidem

LVI. Paulus III., non IV. ut ſcribit Auctor Bibliothecæ Franciſcanæ, eum anno 1546. præfecit Epiſcopum Eccleſiæ Monopolitanæ. Anno 1561. electus eſt Epiſcopus Arianenſis, & a Rege Philippo II. ducentis aureis in ſingulos annos a proventibus Abbatiæ SS. Petri, & Pauli de Itala in Sicilia donatus, non Abbas renuntiatus fuit, ut adverſus Cagliolam obſervat Antonius Mongitore Auctor Bibliothecæ Siculæ, ubi etiam contendit, Octavianum non obtinuiſſe Abbatiam S. Michaelis de Troyna, refellens Bartholomæum Carandinum, qui Octavianum confundit cum altero Octaviano Præconio ejus Nepote, qui eum marmoreo tumulo honeſtavit, Epiſcopo Cephaludenſi electo anno 1578. a Gre-

a Gregorio XIII. Deinde ad Eccleſiam Cephaludenſem, ac demum ad
Panormitanam eum tranſtulit Pius IV., ut ſcribit Juſtinianus in Indice
PP. Concilii Tridentini, anno 1560. die 14. Martii; ut vero Pirrus,
aliique aſſerunt, anno 1562. die 20. Martii. Eodem anno Præconius
cum Pacteuſi, Mazarenſi Epiſcopis, & Deſiderio de S. Martino Car- Sicilia Sacra tom. 1. pag. 202.
melita, ſapienti ſane homine ad Tridentinam Synodum inter lectiſſimos
quoſque, quos Rex Philippus II. illuc mittendos præceperat, adnume- Annales Min. an. 1562. num. 316.
ratus eſt. Contradicit Waddingo poſtremus Annaliſta, quod in libro de
Scriptoribus Ordinis rem hanc narret „ Neſcio, inquit, quo funda-
„ mento nixus Waddingus ſcribat, Octavianum a Philippo II. ad Con-
„ cilium miſſum, quum in ſerie Oratorum, quos Philippus II. ad Con- Sicilia Sacr. ibid.
„ cilium miſerat, deſideretur „. Si in ſerie Oratorum Octavianus de-
ſideratur, adſunt certe Regiæ literæ datæ Matriti die 14. Julii an-
no 1562., quibus ipſi id muneris a Rege committitur; nec miror,
Annaliſtam argumento uti negativo, quum ex multis operibus ab Octa-
viano in lucem editis vix unum, vel alterum memoret, ipſique adhuc
vegeto, ac viventi lapidem ſepulchralem ponat, non quod exiſtimet,
illum obiiſſe anno 1562., ſed, opinor, ut moleſtia nos liberet Epigra-
phem referendi; in quo nullam ſedulitatem oſtendit in iis narrandis,
quæ narrari debent.

LVII. Tridento reverſus D. Garciam de Toleto die 2. Maji anno 1564.
in Proregis Magiſtratu ſtatuit, accepta, ut ſolet, de tuendis Siculis le-
gibus fide, & Regni Comitiis præfuit Meſſanæ coactis ut Archiepiſco-
pus Panormitanus. Diœceſanam Synodum celebravit an. 1565. Nondum
Epiſcopus intulit in Eccleſiam S. M. Annuntiationis Minorum Conven-
tualium Caſtriregalis caput S. Cordubæ ab Hiſpania allatum, & Cœ-
nobium ditavit. Patriam ſuam Imaginibus affabre depictis, doniſque
aliis illuſtravit, & Monaſterium S. Mariæ Angelorum inibi exſtruxit.
Multis quoque muneribus auxit Cœnobium Meſſanenſe, ubi honorifi-
ce vixit. Locum Baidæ pluribus ornavit. Sylvam muris circumſeptam
condidit. In Monaſterii Clauſtris fontem excitavit, in quo adhuc le-
gitur: *Publicæ Commoditati F. Octavianus de Præcone Arch. Panorm. Anno
MCCCCCLXVII.* Aquam, quæ ad radices Montis Aenti erumpit e loco,
quem Laurum vocant, ad fontem haud multum a dicto Monaſterio diſ-
ſitum deduxit; ibique hæc habetur Inſcriptio.

*F. Octavianus de Præcone A. Caſt. Reg. Meſſanen. Or. Mi. Con. Archiepi-
ſcopus Panormitanus a loco, qui dicebatur de Lauro, hanc, quam guſtas,
aquam huc uſque perduxit; ut Aqua Præconia deinceps nuncuparetur in ævum.
A. D. M. D. LXVII.*

LVIII. Inſigni religione Eccleſiæ ſuæ præfuit, ac regularem vitam
adamuſſim ſervare ſtuduit, quoad ei permiſſum fuit a munere Archie-
piſcopali. Charitate excelluit. Conciones ad populum habere conſue-
vit in Cathedrali, & Sacello Imaginis D. Mariæ Virginis a Crypta,
vulgo *Piè di Grotta* in litore Portus Panormitani, quæ eo temporis mi-
raculis clarere cœpit. Ultimo ſui Præſulatus anno concionatus eſt per Biblioth. Sicula
quadrageſimam in Eccleſia Cathedrali, & inſtituit Societatem SS. Eu- ibid. pag. 106.
chariſtiæ, vel ſaltem fideles excitavit ad eam inſtituendam. Vitiis pu-
blice involutis adverſabatur, quos minis, & punitionibus coercuit; oc- Sicilia Sacr. ibid. pag. 202. & seq.
cultos paſtorali charitate admonuit. Humilitate enituit. Chorum fre-
quentavit. Viros virtute, ac literis inſtructos unice dilexit. Religioſos,
Sacerdotes, vel Canonicos quotidie menſæ comites admittebat, quam
lectio-

lectione Sacræ Scripturæ, doctiſque ſermonibus condiebat. Paupertatem coluit; ideoque Palatii parietes nudos oſtentabat. At in aula ejuſdem Palatii nonnullos proficuos libros catenulis alligatos, expoſitos tenebat, ne ad negotia pertractanda adventantes tempus tererent otioſi. Magnificentiſſimo funere cohoneſtatus eſt, & de ejns laudibus orationem habuit Aloyſius Suppa Catanenſis Ord. Præd. Epiſcopus Agrigentinus. Jacet Panormi in æde majori ad lævam Aræ maximæ.

LIX. Auctor Bibliothecæ Siculæ mox laudatus meminit trium Concionum, quas Octavianus habuit ad Patres Concilii Tridentini, die 11. Januarii, die 25. ejuſdem, & die 4. Octobris anno 1561., eaſque exſtare dicit in Catalogo Orationum, & Concionum ad Patres Concilii Tridentini in calce Bibliothecæ Angeli Rocchæ. Sed ſi, ut aſſeruerat antea, utque a Rocho Pirro retulimus, nonniſi anno 1562. Octavianus abiit ad Concilium Orator Regis Hiſpaniarum, Conciones haberi non potuerunt anno 1561; quamvis, rebus rite perpenſis, potuit ipſe Concilio intereſſe ut Epiſcopus Cephaludenſis; aur verum eſt quod tradit Juſtinianus, eum renuntiatum eſſe Antiſtitem Panormitanum an. 1560. Ejus opera ſunt: Præconium Sacramenti, hoc eſt diſpoſitio & præparatio ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum, Panormi editum an. 1566. Latine, & Italice. Hiſtoria S. Imaginis Dei Genitricis a Scalis Meſſanam inſigni miraculo advectæ cum officio de eadem. Panormi anno 1565. Officium Septem Angelorum. Summa de Sacramentis. Decreta habita, & acceptata in Congregatione Diœceſana in Cathedrali Eccleſia felic. Urbis Panormi. Ibidem anno. 1565. Tractatus de SS. Euchariſtiæ Sacramento. Conciones plures. Expoſitio Reſponſorii: Libera me, Domine &c. Panormi anno 1566. Italice. Expoſitio Orationis ad Offertorium in Miſſa Defunctorum. Italice. Diſcurſus de Sacramento Extremæ Unctionis, Neapoli anno 1567. Italice. De Peccatore converſo Meditationes. Italice. Fructus de Paſſione Chriſti. Italice. Præterea in Bibliotheca Marchionum de Aſtorga in Hiſpania ſervatur opuſculum MSS. ſub hoc titulo: *Adhortatio conſolatoria pariter, & devota ad Ill., & Excell. D. D. Joannem a Vega Sicilia Pro-Regem pro obitu Sua Illuſtriſs. Conſortis*. Incipit: *Paulus Apoſtolus vas electionis*.

LX. In Civitate Poſnaniæ obiit Jacobus Dziaduski Epiſcopus Ennenſis Suffraganeus, Canonicus Poſnanienſis, Obſervantis Provinciæ Poloniæ alumnus, in Ordine jam Cuſtos Cuſtodum, & Conventus Poſnanienſis Guardianus. Quos habebat redditus egenis largiebatur, modi-
Monumenta Provinciæ Poloniæ. co ipſe contentus victu; atque hinc veluti Sancto omnes benedicebant. Quieſcit in Eccleſia Cathedrali. Eodem loco Chriſtophorus de Hilia Confeſſor emeritus, qui licet XXXVII. annos podagra, & aliis morbis torqueretur, hilari tamen fronte, & ſerena Domino gratias reddebat. In Conventu Caſimirenſi ad Sanctos quinque Martyres Polonos Petrus de Koshzyn vir laborioſiſſimus, obedientiſſimus, devotus, atque exemplaris de Conventu ipſo optime meritus. In Conventu Pinciano
Caldera in Chro. Prov. Concept. part. 2. Provinciæ Conceptionis Bartholomæus Fenorius, quem, teſte Caldera, ſola traditione novimus, magnam Sanctitatis opinionem apud Fratres, & Concives ſuos reliquiſſe. Florentiæ in Conventu Omnium SS. Ale-
Decad. Etrusco-Minor. ad ann. 1568. xander Bambi, qui in bonitate dies ſuos inter Obſervantes tranſegit morum, & honeſtatis exemplar, & Zenobius Florentinus Theologus, Eccleſiaſtes, & Cantor egregius, optimus Scriptor librorum membranaceorum Choro inſervientium. In Conventu S. Franciſci Villæ Franchæ ejuſdem

ejuſdem Provinciæ Tuſciæ Bernardinus de Molazzo Lunigianæ Marchionum Familiæ Malaſpinæ municipio, Laicus ſuper omnia devotus B. Mariæ Virginis, Frater Roſarius vulgo appellatus, quia ſanctam precationem quotidie recitabat, & quia omnibus illam commendare ſatagebat ea, qua pollebat, mirabili dicendi facundia.

LXI. Hoc eodem anno in territorio Gaditano apud Calpem vita functus eſt in Cœnobio S. Franciſci Didacus Guzmanus ex nobiliſſimo genere Ducum Methymiæ Sidoniæ. Peractis graviſſimis muneribus in Aula Ferdinandi I. Bohæmorum Regis, nuptiiſque valedicto ab ipſo ineundis, ætatis XL. annorum inter Minores cooptatus annos alios XL. vixit in Ordine in paupertate, humilitate, abſtinentia, oratione, & ſimplicitate. Audita ejus morte Calpenſes tanto impetu, & contentione ad feretrum accurrerunt, ut, niſi Fratres obſtitiſſent, vix aut veſtimentorum, aut corporis pars relicta foret. In Conventu S. Franciſci Murciæ Lucas de Villa Nova de los Eſcuderos Diœceſis Conchenſis devotiſſimus S. Didaci de Alcala, valde pœnitens, & converſatione jucundus. In Noſocomio S. Franciſci Oropeſæ adnexo Conventui Dominæ Noſtræ de Roſario Provinciæ S. Joſeph, Hieronymus de Yelues Luſitanus. Etiamſi infirmitate premeretur, incedebat nudis pedibus, quorum ſic obcalluere plantæ, ut ſine ſenſu prunam accenſam extinguerent, & tritico molendo aptæ forent. Baculo innixus dies, noctesque ad Chorum aſſiſtebat, utque ſingularitatem vitaret, ſancta ſua diſſimulabat opera. Affligebat corpus ciliciis, & jejuniis, librorumque piorum lectioni vacabat. Egit Guardianum, & Magiſtrum Novitiorum. Ejus corpus translatum eſt ad Cœnobium de Roſario.

Gonzaga in Prov. Betica con. 12.

Didacus de Fonsalita in Chron. Prov. S. Joseph.

LXII. De Franciſco Szegedino ſingulare habemus ex Iſtwanffio anecdotum. „ Anno 1550, inquit, Lippa Urbs Temeſvarino quinque ad Aquilonem milliaribus ſejuncta, muriſque, & propugnaculis a Georgio Marchione Brandeburgenſi egregie olim munita, & turpiter a Chriſtianis deſerta Turcarum juri ceſſerat: Mahumedes, expugnata Urbe, & arce, dum eam perluſtraret, & in Templo Franciſcanorum, quod Carolus I. Hungariæ Rex S. Ludovico Toloſano Epiſcopo dicaverat, prægrandes plumbeas fiſtulas, quibus inter obeunda ſacra modulari ſolent Religioſi, conſpexiſſet, & cuinam uſui eſſent, percontaretur, eas inflari juſſit; quumque ſonum gratum auribus ederent; inſtrumentum collaudavit. Franciſcum tamen Szegedinum Monachorum Patrem, & Templi ejus curatorem, virum pium, doctumque, a Lutheranis falſo inſimulatum, & innocentem, quod abſconditos in locis Templi ſecretioribus theſauros haberet, extractis quinque dentibus, totoque corpore male mulctatum barbarica feritate excruciavit „. Iteratis poſtea vicibus Provinciæ S. Mariæ Hungariæ præfuit Miniſter, vixitque adhuc longiori tempore, ut apparet ex ejus Regula, & Conſtitutionibus in tabulario Provinciæ, ubi aliena manu ſignatur ejus obitus die 31. Maji an. MDLXVIII., hora tertia poſt prandium.

Iſtwanffius Hiſt. lib. 17.

LXIII. Occurrunt plura nomina Capuccinorum, qui hoc ipſo anno ſancte deceſſerunt, nimirum Franciſci Recalenſis, Joannis Baptiſtæ a Cherio, Antonii de Spinatiola, Pacifici a Foro Sempronii, Pauli de Piſtorio antea Monachi Camaldulenſis, quem Antonius de Terrinca obiiſſe ſcribit non in Oppido S. Severi, ut dicit Arembergius, ſed apud S. Severinum in Tuſcia, Pacifici Luganenſis flammis, dum oraret, ita circum-

dati, nt ab Eccleſiæ tecto prodierint, quarum adſpectu Brigorii Cives Eccleſiam comburi arbitrati ad illam feſtinarunt, ubi Virum Dei cæleſti igne ſuccenſum inveneruut; Amadei de Ateniato ex Amadeorum Congregatione, qui Provinciam Mediolanenſem ſapienter adminiſtravit, ſpiritu prophetico clarus. Hos ſequuti ſunt in Conventu Montis Ulmi Antonius Lochienſis ſepultus a ſuperiori Annaliſta an. 1560. non aliam ob cauſam, niſi quia apud Arembergium eumdem annum per errorem notatum invenit, quum tamen in indice ad libri calcem Chronologica ſerie diſpoſito legere potuiſſet annum 1568, eumdemque apud Boverium. In Conventu Cardani Angelus a Ferno ab Obſervantibus ad Capuccinos translatus, cujus ſermones ad triginta millia excreviſſe auctor

Biblioth. Franciſcana lit. 4.

eſt Arembergius. Eum Carolus Borromæus inſtituit Viſitatorem quarumdam Eccleſiarum Diœceſis Mediolanenſis. Edidit ſermones plurimos de tempore, & pœnitentia. Piſauri Franciſcus a Macerata bis Ordinis Minorum Obſervantium, & bis Capuccinus, quod ex ejus ſimplicitate factum docet Boverius. Quum enim primo ab Obſervantibus migraſſet ad Capuccinos, audiens, Capuccinos Apoſtatas eſſe, & excommunicatos, reverſus eſt ad Obſervantes; audiens poſtea, falſum eſſe illum rumorem, ad Capuccinos remeavit, quos inter, in virtutum omnium exercitio ſanctiſſime vixit.

LXIV. Lenzfridæ in Monaſterio Tertii Ordinis S. Franciſci Provinciæ Argentinæ tumulatæ ſunt Ottilia Wideman, & Anna Straubin.

Monumenta Provinc. Argentinæ.

Illa licet oculis orbata vidit puerulum Jeſum ſibi apparentem, & tenerrimo amplexu illius frui meruit. Alteri devotiſſimæ SS. Trinitatis diem obitus prænuntiavit candida Columba, quæ Sororibus orantibus in chorum penitus clauſum penetravit, & in illius ſubſellio reſedit. Mox inde diſceſſit, quam brevi ipſa ſequuta eſt ad æterna tabernacula. Monaſterium S. Claræ Beneventi in Hiſpania decoravit mors Annæ de S. Hieronymo ex eadem Civitate, quæ clauſtrum ſub teneris annis in-

Monum. Prov. S. Jacobi. Ex Arch. Aracæli tom. 32. pag. 290.

greſſa, & ibidem vota emittens ad finem uſque vitæ perſeveravit, humilitati, orationi, & pœnitentiæ dedita, & a Monialibus paſſim appellata *S. Matris Claræ Imago*. Tranſitum Deiparæ cum Joſeph, & Puero Jeſu in Ægyptum ſolebat meditari, vitæque rigorem augere non

Ibid. pag. 318. & ſeq.

dierum tantum, ſed annorum ſpatio, quibus ne in ſolemnitate quidem Reſurrectionis Dominicæ aliquid præter caſtaneas paucas comedebat. Aldonſa Rodriguez de Lancos deceſſit in Monaſterio S. Claræ Regiæ in Civitate S. Jacobi, moribus, & religione prædictæ non diſſimilis. Conſueverat in feſto Aſcenſionis Domini, cujus erat devotiſſima, diſtribuere Monialibus panem, & cerasa. Partito inter illas pane, quodam anno ob ſterilitatem cerasa habere non potuit, quumque triſtaretur, ſtetit ante illam juvenis venerabilis, qui eam interrogavit: *Eſne Tu Aldonſa Rodriguez?* Sum, inquit illa, ſtatimque ab eo accepit caniſtrum optimorum ceraſorum, quæ lætabunda monialibus obtulit neſciens, undenam inſperati fructus adveniſſent, & Deum cum gratiarum actione collaudans. Prænuntiata mortis ſuæ hora, coram adſtantibus Monialibus, dum Symbolum Apoſtolorum recitaret, in illis verbis: *Et homo factus eſt*, ad Sponſum ſuum advolavit. Provinciam S. Jacobi regebat hoc tempore Antonius de Aguilar.

LXV. Iſabella de Attayde Vidua D. Ignatii de Noronha Filii hæreditarii Comitis de Linares, cum ſanctitatis opinione obdormivit in Monaſterio S. Claræ Ulyſſiponis, quod hoc anno Obſervantibus traditum

eſt

eſt Summi Pontificis mandato ſupra recenſito. Bona ſua piis legatis addixit ex teſtamento. In Choro ante Altare Conceptionis legitur: *Hic jacet D. Iſabella de Attayde filia Comitis Almirantis, qui Indias detexit, hoc Monaſterium ſua devotione ingreſſa. Obiit die 17. Martii MDLXVIII.*

Emmanuel a Spe lib. 7. cap. 14. num. 5. pag. 213.

LXVI. Mariæ a Burgo, & Urſulæ Volaterranæ in Monaſterio Clariſſarum S. Lini Volaterræ, quæ virtutum ſuarum coronam ſub idem tempus in Cælis acceperunt, commune hoc facinus recenſet Dionyſius Pulinari. Poſt mutuo conſertum colloquium de Regno Dei, orationi inſtabant, atque in ecſtaſim factæ, & ſurſum ſpiritu, & corpore elevatæ mirabili ſplendore coruſcabant, cujus radii nedum Eccleſiam replebant, ſed ſupra laqueare erumpebant; eodemque modo, quo eveniſſe diximus Pacifico Luganenſi, Volaterrani ad ſpectaculum accurrentes innoxium phænomenon repererunt. Addit Dionyſius, extra ſenſus raptas Dei famulas nec vulgi ſtrepitum, nec aliud quidquam animadvertiſſe.

Pulinari part. 2. pag. 227.

LXVII. In Monaſterio SS. Conceptionis de Almeria Provinciæ Granatenſis ad Sponſum Cæleſtem abiit Maria de Morales reformatrix Monaſterii SS. Conceptionis de Torrijos religioſa multarum virtutum, multisque donis a Deo locupletata. Antequam obiret, Abbatiſſæ Monaſterii oſtenſæ ſunt in viſione albis veſtimentis indutæ Virgines, quæ canebant: *Maria de Morales, gaude gaudio magno*. Hieronyma autem de las Fleras eam adhuc vivam adſpexit curru ignis in Cælum properantem. In Monaſterio S. Claræ de Andujar Iſabella de Valdivia virtutibus, & familiaritate conjuncta cum Maria de Cruce, & Iſabella Palomino, quam ſuperius recenſuimus.

Monumenta Provinciæ Granatenſis.

LXVIII. Celebrata ſunt Comitia Generalia Minorum Conventualium in Cœnobio SS. Apoſtolorum Romæ, ſupremamque Ordinis Præfecturam iniit Joannes Tancredus a Colle in Tuſcia S. Theologiæ Magiſter, cujus majores, teſte Antonio de Ferrinca, CCC. & amplius annis ejuſdem oppidi dominio potiti ſunt; modo nullus tantæ proſapiæ ſupereſt. In Diario Conradi Firmini reperio ſequentem ſchedulam: *Anno MDLXVIII. die VI. Junii, Dominica Pentecoſtes Fratres Conventuales SS. Apoſtolorum cum novo Generali electo iverunt cum magna pluvia ad Palatium, & in Aula Conſtantini oſculati fuerunt pedes Suæ Sanctitatis, præſentibus quinque Cardinalibus. Deinde SS. dixit quamdam orationem; & confirmationem, ſeu electionem novi Generali per ipſos factam confirmavit. Fuere dicti Fratres numero DCCCC.* Sed etiam ſpecialibus literis electionem Pontifex confirmavit: *Quum Tu in vigilia*. Die 11. Junii.

Antonius de Terrinca Dec.ad 5. Etrusco-Minorit. an. 1568.

LXIX. Hac occaſione exemit eoſdem Fratres *a ſolutione gabellæ triginta vegetum vini in Ripa emptarum pro uſu Capituli Generalis, non tamen quatuor juliorum pro qualibet vegete nuper impoſitorum*, ex decreto Vitellotii S. R. E. Camerarii die VI. Maji. MDLXVIII. De his Comitiis hæc Rodulphus: „ Edicto Pii V. congregatum eſt Capitulum Generale; „ quum enim vidiſſet, Religionem noſtram aliquantulum decidiſſe a „ perfectione, multa decrevit, ac præſertim reducere tentavit prudenter „ Conventuales ad obedientiam Obſervantium, ut Eccleſiæ Sanctæ vinea novis quotidie eximiis colonis illuſtraretur. Non defuerunt quo- „ que viri graviſſimi, quos zelus Domini comedebat, qui variis ſermo- „ nibus ultro, citroque habitis, variis argumentis, & rationibus illud „ ſuadere niſi ſunt, ne fieret talis unio, quæ profecto fuiſſet ſubſe- „ quuta, impigre ad hoc urgente Summo Pontifice, niſi multis ratio- „ ni-

Div. Cam. S. Pii V. tom. 232. pag. 250. 2.

Rodulphus part. 2. pag. 292.

Google

„ nibus perſuaſiſſent, quod antiqua hæc Religio Conventualium, quæ
„ perpetuam ſtationem ſemper obtinuit, multum in dies acciperet de-
„ trimenti, periculumque imminere videretur, ut hæc Franciſcana Fa-
„ milia toto Orbe celeberrima ſenſim evaneſceret. Horum hortatu Sum-
„ mus Pontifex a propoſito deſtitit. Inter fautores noſtræ Religionis fuit
„ Martinus Navarrus omnium Doctorum ſuffragiis eruditiſſimus; & ita
„ imminenti periculo ſubventum eſt, & communi conſenſu fœdera
„ unionis irrita declarata. Obiit autem Magiſter Joannes inter tot tur-
„ bines dolore confectus in vigilia B. P. N. Franciſci. Duravit vero
„ menſes quatuor in Generali Præfectura „. Eo defuncto, declaravit Pontifex Vicarium Generalem: *Quum ſicut accepimus*. Die 6. Octobris, Joannem Picum de Camerino, ſeu ex oppido Serræ Petronum Diœceſis Camerinenſis, S. Theologiæ Magiſtrum, virum liberalis ingenii, doctum, mitem, & blandum, qui anno 1571. renuntiatus eſt Generalis.

LXX. Ea, quæ Rodulphus Pontificem decreviſſe ſcribit, hæc ſunt. Prohibuit Conventualibus proprietatem bonorum in particulari, & ambitum Officiorum: *Ad extirpandos*. Kal. Junii, & ne juvenes, qui ſaltem decimumquintum ætatis annum non compleverint, ad religionem admittant: *Ex rationalibus cauſis*. Die 3. Juniii. Tranſtulit Moniales eis commiſſas ad curam Epiſcoporum: *Quum ſicut accepimus*. Die 3. Junii. Infraſcriptas leges ab eis obſervandas confirmavit.

Conſtitutiones R. Patris Generalis Ord. Fratrum Min. Conventualium, & Patrum Provincialium totius Capituli Diffinitorum ex SS. D. N. D. Pii V. voluntate perſcriptæ, inviolate omnibus obſervandæ.

1. *Novitii etiam oblati ante decimum octavum ætatis ſuæ an. completum ne recipiantur, neque ante decimum nonum item completum ad profeſſionem admittantur.*

2. *Qui hactenus recepti, etiam oblati, quintum decimum annum non expleverint detracto habitu Religionis, domum ad Parentes, vel neceſſarios, etiam inviti, remittantur, vel alias omnino ejiciantur, nec poſtea in ædibus unde exierint, aut in aliis ejusdem Ordinis domibus verſari ullo modo poſſint.*

3. *Laici, qui vigeſimum quintum annum non attigerunt, ad ſerviendum ne recipiantur, & qui recepti etiam nunc ea ætate minores ſunt, ejiciantur.*

4. *Novitii ne recipiantur, aut educentur, niſi in Conventibus inſignioribus, in quibus Dormitorium, & Capitulum habeant ſeorſim ab aliis fratribus.*

5. *Nullus deinceps Provinciæ præficiatur, qui ejuſdem Provinciæ ſit, ſed Provinciales ex aliena Provincia ſemper aſſumantur, qui tamen idonei ſint ad id officium, & cultores regularis obſervantiæ.*

6. *Guardianatus inſigniores, & ut Roman., Aſſiſien., & hujusmodi triennio privilegiati biennio diuturniores ne ſint, in quo tamen habenda eſt ratio Provinciarum exterarum. In illis enim locis hæc officia juſta de cauſa in longius tempus arbitrio ſuperioris protrahi poterunt.*

7. *In Paternitatibus hactenus conceſſis, & poſt hac concedendis ea moderatio adhibeatur, ut nemo Paternitatis titulo, vel privilegio fruatur, niſi qui Provincialatus officium obtineat, vel obtinuerit, vel quadrageſimum annum agat, & alias etiam eo titulo, & privilegio dignus exiſtat.*

8. *Nulli in eodem Conventu plus biennio manere liceat, exceptis ſexagenario majoribus, quibus aliquid ex cauſa ſuperioris arbitrio condonari poterit.*

9. *In Conventu, vel domo pauciores ne ſint duodecim fratribus. Si qua autem domus hunc familiæ numerum alere non poſſit, vel tota Provincia victum, & quæ præterea neceſſaria ſunt, ſuppeditet, vel fratres cum bonis ex ea domo in aliam transferantur: proviſione tamen adhibita, ne Eccleſia de-*

ſtruan-

ſtruantur, ſed ad ejus populi commoditatem conſerventur. Permittimus tamen, ut in Conventibus, qui Fratribus iter facientibus commodi ſint, ſaltem quatuor fratres, non minores quinquaginta annis, conſtanti, & probata vita maneant, ſi plures ea domus alere non poſſit.

10. *In majoribus ſtudiis Regentes duas lectiones Theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti de Sacramentis, vel de vita recte, ſancteque inſtituenda, ex Magiſtro ſententiarum, ac S. Bonaventura; alteram ſpeculativam ex Scoto; in minoribus vero ſtudiis una lectione ex Theologia practica contenti ſint.*

11. *Curent autem ſuperiores, ut in ſingulis Conventibus Fratres maxime in conſcientiæ caſibus, & reliquis, quæ ad audiendas Confeſſiones pertinent, ob rei gravitatem, & neceſſitatem ſummo ſtudio, ac diligentia exerceantur.*

12. *Fratres, etiam ſi ſuperiores ſint, nihil proprium habere poſſint, ſed omnia in commune conferantur, diſtribuenda ſingulis, ut unicuique opus fuerit: ita ut ex communibus cujuſque Conveneus facultatibus, & eleemoſynis, pro viribus domus unicuique Fratri, quæ ſunt neceſſaria, præbeantur.*

13. *Fratres omnes, & ſuperiores, & quomodocumque privilegiati, ægrotis tantum exceptis, in Refectorio cibum capiant, & communi menſa utentes communibus epulis veſcantur.*

14. *In primis autem ægrotorum, & ſenum cura habeatur. Quod ſi propriæ facultates domui non ſuppetant ad ſubveniendum neceſſitati ægrotantium, vicini Conventus ditiores ſuppleant, aut etiam tota Provincia contribuat.*

15. *In omnibus Conventibus, vel domibus locus communis theſauri, vel capſa ſit tribus clavibus clauſa, quarum unam habeat Guardianus, alteram Procurator, tertiam Depoſitarius; quo in loco, vel capſa, aurea, argentea, ac alia, & quæque pretioſa, pecunia item Conventus, cum inventario earumdem rerum condita cuſtodiantur: ſervata tamen diſtinctione ſacrarum, & profanarum rerum.*

16. *Nullus ex fratribus, quamvis Magiſtratus, & ſuperioris titulo fungatur, privatas ædes aut in Clauſtro, aut alibi uſquam habeat, ſed ſinguli unica Cella in communi Dormitorio, nullo ornatu, nudis omnino parietibus, lectulo, & menſa humillimis contenti ſint, quemadmodum pauperes Religioſos decet.*

17. *Cameræ, ſive Ædiculæ, quæ extra Dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, vel alios uſus toto Conventui communes redigantur, vel ſi Cellæ communis Dormitorii pro Fratrum numero non ſufficiant, & illæ Cameræ, vel Ædiculæ, quas diximus, ad formam communis Dormitorii, redigi poſſint, in Dormitorium commune redigantur, ſin minus, deſtruantur, ac materia, & cæmenta ad reparandam fabricam Conventus, ſi opus fuerit, convertantur, vel vendantur, & pretium ad communem uſum Conventus conferatur.*

18. *Nullus ex Fratribus privatum hortum habeat, ſed horti ſint totius Conventus communes: verum tamen Novitii, & Infirmaria hortum, ſeu viridarium a communi viridario ſejunctum, habere poterunt, quo cæteri ingredi nullo modo liceat.*

19. *Veſtes, libri, & reliqua a Superioribus cuiquam Fratri ad uſum, & neceſſitatem conceſſa, quæcumque apud eos mortis tempore reperta fuerint, nulli Fratrum privatim aſſignentur, ſed ita diſtribuantur, ut dimidia pars ſit nativi Conventus, altera ejus, ubi mortuus fuerit.*

20. *Generalis a Provincialibus, Cuſtodibus, & aliis Religionis Miniſtris quovis illi nomine appellentur, Provinciales item a Guardianis, aliiſque Officialibus, ob eorum deputationem, vel confirmationem nihil omnino neque ma-*

gnum

gnum, neque parvum exigant, ac ne ſponte quidem oblatum accipiant, neque Concellario, aut Scribæ pro Sigillo, ſive ſcriptura quicquam detur, ſed omnia gratis fiant, ac dentur. Neque Generalis, neque Provincialis Miniſter, neque Cuſtos, neque Guardianus a quovis fratre ſui Ordinis, aliquid etiam ſponte oblatum, ſive dono datum acceptet, val recipiat.

21. *Pro communibus autem impenſis, quas neceſſario ad commodum totius Ordinis, vel alicujus privata domus fieri contigerit, Generali, Provinciali, & aliis eo modo conſulatur, quo in literis Sanctiſſimi D. N. Pii V. proxime editis, cautum eſſe conſtat.*

22. *Quo vero ad promotiones, & gradus attinet, id omnino ſervetur, quod Alexandrinis conſtitutionibus ſancitum eſt, ut nihil a promovendo exigatur, aut quovis modo ſponte oblatum accipiatur. Quod voluerit, quicquid id ſit, Procuratori detur, ut ad levationem onerum, & communium ſumptuum Religionis conferatur, ac Procurator omnium acceptorum, & expenſorum rationem reddat.*

23. *Fratres omnes quocumque gradu, & honore ſint, camiſis laneis, & reliquo veſtitu honeſto, ac religioſo, omnique ſupellectile, & inſtrumento paupere, atque humili, quemadmodum aliis etiam conſtitutionibus cautum eſt, utantur.*

24. *Reliquum eſt, ut Conſtitutiones omnes ad diſciplinam regularem reſtituendam conſervandam, & augendam, (quæ tamen iis contrariæ non ſint) præcipue vero ea, quæ a SS. Domino noſtro Pio Papa V. ad reformationem hujus Ordinis proxime ſunt edita, ab omnibus ſancte, inviolateque ſerventur.*

Antonius de Terrinca loc. cit.

Vincentius Mut lib. 8. Hiſt. Majoric cap. 6. pag. 356.

Biblioth. Francis. L. J.

Juſtinus Kaltprunez Soazenſis pag. 845.

Monumenta Provinciæ Raguſinæ.

Waddingus de Scrip. Ord. L. 8.

LXXI. Auguſtinus Millius de Cetica Cluſentini Provinciæ Tusciæ doctrina, & pietate præſtans edidit in lucem Florentiæ in Typographia Ducali eruditum, accuratumque dialogum de S. Alvernæ Monte Cosmo I. Mediceo, ejusque filiis dicatum. Joannes Jubinus Majoricenſis, & Epiſcopus Conſtantienſis, teſte Vincentio Mut, (Waddingus enim, & Andreas Scottus Eccleſiæ nomen reticent) ſcripſit librum de contemptu mundi ob receſſum in vitam privatam Caroli V. Imperatoris, impreſſum hoc anno Barcinone apud Claudium Bornat. Alia insuper exaravit opera, nempe ſacro carmine, & eleganti Latino Sapphico de Sacramento Euchariſtiæ ad Regem Philippum II., & elegiaco de B. M. Virgine, & S. Hieronymo. Joannes Nass publici juris fecit idiomate Germanico ſex centurias veritatum Evangelicarum. Tertia oppugnat hæreticum Heshuſium. Quarta deſcribit vitam Lutheri contra Spongembergium, & Joannem Matthæſium. Aliarum argumentum non exhibemus; libri namque omnes ab ipſo editi non ſunt ad manus, & quorumdam nomina nos fugiunt. Bonifacius de Stephanis, alias Craſſa ab Inſula Media, ſeu Elephantina, Episcopus Stagnenſis edidit Venetiis librum de ortu Clericorum in Eccleſia dicatum Chryſoſtomo Calvino Archiepiſcopo Raguſino; eodemque tempore a Pio V. ablegatus ad Regem Hispaniarum, cui ea occaſione detulit SS. Crucis particulam, pro gravibus Terræ Sanctæ negotiis, librum alterum conſcripſit de perenni cultu Terræ Sanctæ, & fructuoſa ejus peregrinatione. Hieroſolymis iterato Guardianus Dominicum Sepulchrum marmore incluſit, ejusque particulam non parvam Raguſino Senatui dono dedit, quæ quotannis, die octava Paſchatis, ad Eccleſiam S. Franciſci ſolemni ſupplicatione defertur. In ipſo Sepulchro tria SS. Crucis fragmenta reperit, quæ diſtribuit inter Pium IV. Cardinalem de Carpo, Cardinalem Monilianum, Philippum II. Regem, & Eccleſiam ſuam Cathedralem. Partes aliquas ſacræ Columnæ obtulit Paulo IV., Ferdinando Imperatori, & Reipublicæ Venetiarum.

LXXII.

LXXII. Nata eſt hoc anno in Oppido Sambucæ olim Zabuth a Saracenis dicto Diœceſis Agrigentinæ in Sicilia, & dominio quondam gentis Bardæ, modo gentis Bolognæ, Abundantia Carnimolla parentibus Leonardo Carnimolla, & Onuphria conjugibus. Multas, & ſingulares a Domino gratias promeruit, de inferualibus ſcilicet inimicis ſæpe triumphare, Jeſum in sacra Synaxi intueri, vocemque ejus a Cruce pendentis audire ſibi dicentem: *Veni ad me*. Inclytæ Dei famulæ, quæ, aſſumpto Mariæ nomine, Tertium Ordinem S. Franciſci illuſtravit, mentionem hic nos feciſſe ſit ſatis. Petrus a Panormo Paradis. Seraph. part. 2. pag. 84. & ſeq.

LXXIII. Florebant, uti dicebamus, his temporibus, cæteros inter, Paſchalis Baylon, & Nicolaus Factor. Notavimus, illum inter Laicos relatum, quamvis literas noſſet, nec omni eruditione deſtitutus foret; quæ verba eumdem cum iis habent ſenſum, quæ leguntur apud Joannem Ximenez auctorem syncronum, qui, ut autumant Bollandi Continuatores, ſcripſit ſibi cognita partim propria experientia, ſcientiaque de viſu, partim aliorum eadem ſic ſcientium, & in judicio Archiepiſcopali rite deponentium relata. Act. SS. ad diem 17. Maji in proœm. num. 8. Inquit Ximenez: ,, Mox in ipsa pueritia futuræ indolis ſuæ dedit inditia, licet enim a ſuis parentibus, Ibid. cap. 2. nu. 2.
,, velut alter David, fuerit paſcendis gregibus adhibitus; non ideo ta-
,, men præclusam ſibi ad diſcendas literas viam credidit. Librum enim
,, in pera circumferens, & modo ab hoc, modo ab illo inſtrui petens,
,, ac privatim ſecum in illa ſolitudinis commoditate ruminans quæ di-
,, dicerat, partim diligentia ſua propria, partim Dei gratia ſingulari
,, adjutus, legendi, ſcribendique mediocrem peritiam acquiſivit; quo ſci-
,, licet ſolum contendebat, ut libris ſanctis frui poſſet, & recitare
,, Officium B. Virginis, cujus Horas penes ſe habebat aſſidue, ſæpiſſi-
,, me viſus eſt, eas perſolvere, eaque de cauſa ab aliorum conſortio
,, paſtorum ſecedere ,,. Similia aliis in locis habet Ximenez: ,, Tempus,
,, ait, quod ei in Ordine vacuum ſupererat, impendebat legendis libris
,, ſanctis, aut ſcribendis sententiis ſuæ devotioni aptioribus, quas legendo Ibid. cap. 2. nu. 18.
,, notarat ,,. In duobus libris Theologicis a Paſchale relictis hæc verba ſe Ibid. cap. 3. nu. 30.
inveniſſe teſtatur: *Ego Frater Paschalis Baylon natus ex oppido Turris Formosa S. Maria de Horta ſcripſi hanc farraginem pro mea spirituali recreatione ex multis ſanctis libris fideliter collectam*. Ex Guardiani mandato ſcripſit aliquando ad Miniſtrum Provincialem, ſcripſit jaculatorias orationes pias, & fervidas; libellum de tempore, & loco, quo natus eſt Chriſtus; libellum contra hæreticos, aliaque hujusmodi, quæ Ximenez copioſe refert, & legi poſſunt apud Henschenium, & Papebrochium. Ibid. cap. 8. num. 75 & seq. Ibid. cap. 9. num. 86 & seq.

LXXIV. Quæ priori loco adduximus Ximenez verba evincunt, ut reor, Paſchalem ad Ordinem attuliſſe literas, & non omni eruditione deſtitutum illi ſe adscripſiſſe ut *Laicum, non ut Sacerdotem*, quod Biographi magis aperit mentem, atque oſtendit, potuiſſe Paſchalem inter Clericos referri, ideſt iis omnibus præditum fuiſſe, quæ ad Clericalem ſtatum ſunt neceſſaria, nimirum literis, & aliqua eruditione. Quæ ſubſequuntur ab eodem excerpta idem confirmant. Quæret aliquis, quorſum hæc? Optamus equidem, ut nemo nos cenſura inurat, idque ne accidat, cavemus. Nonnulli vero ſunt, qui opus hoc nos ſuſcepiſſe ægre ferant, cui ſe impares fuiſſe ſuſtinendo confiteri nolunt, etiamſi multis intervallis respirare, & otioſis occupationibus, quas unice in deliciis habuiſſe videntur, ex animo indulgere potuiſſent. Hos viros mehercule ingenio, & doctrina præſtantes, quandoquidem a ſuis ſimilibus ita appel- Ibid. cap. 1. nu. 10.

pellantur, adverſarios vehementer formidamus, ne repente ex ergaſtulis proſiliant, & inclamitent, ut in anteceſſum minitantur, nos falsa venditaſſe. Inquient, ut amicus, & familiaris noſter nos admonet, Paſchalem omnino rudem, & illiteratum fuiſſe, & Breviarium Romanum nobis legendum veluti victores lubentiſſime aperient. At antequam Paſchalis vitam exordiremur, millies Breviarium recitavimus, nec nos latebat, eadem rudis, & illiterati vocabula haberi in literis Alexandri PP. VIII. de ejus canonizatione. Quid itaque? An non ſtandum ſacris his monumentis? Abſit, ut ab ipſis vel minimum diſcedamus. Sed quum veritas veritati opponi nequeat, nihil aliud dicendum ſupereſt, niſi, ut Paſchalis neque rudis, neque illiteratus fuerit in iis, quæ aſſequi potuit, & reipsa aſſequutus eſt partim diligentia ſua propria, partim Dei gratia ſingulari adjutus, teſte Biographo syncrono, qui ſecum una vixit, & converſatus eſt; fuerit autem rudis plane, & illiteratus in aliis, quæ nulla ſua diligentia, ſed ſola Dei gratia ſingulari didicit, in rebus ſcilicet Theologicis, altiſſimiſque, de quibus cum omnium admiratione diſſeruit. Pontificiarum Literarum verba diſtinctionem hanc ſatis obviam, ut arbitror, in aprico collocant: *Qui sapientiam præbet diligentibus ſe juſto huic, quem deducebat per vias rectas, absconditos ſapientibus, & prudentibus hujus ſæculi ſapientia, & scientia ſua theſauros cælitus revelavit. Homo enim literarum plane rudis, nulloque mortalium magiſterio eruditus adeo excelso ſapientiæ dono meruit illuſtrari, ut altiſſima Catholicæ Fidei myſteria de Trinitate, Incarnatione, Prædeſtinatione, Gloria cæleſti, SS. Euchariſtiæ Sacramento, & alia hujusmodi, nec non difficillimos S. Scripturæ ſenſus etiam disputando cæleſti sublimitate tractaret, parique dilucidatione explicaret arduas quæſtiones a doctiſſimis etiam Theologis propoſitas; quos tamen non tenebat admiratio, quomodo literas ſciret, quum non didiciſſet, quia in eo infusa divinitus scientiæ donum ad evidentiam dignoscebant. Prophetico etiam spiritu afflatus nonnulla futura, & præſertim ægrotis integram valetudinem, ſanis infirmitatem, ſibique, & aliis mortem prædixit.* Hæc ſane Paſchalis non e Scholis hominum, ſed ex cæleſtis ſapientiæ fonte hauſit, ideoque respectu eorum plane rudis, & nullo mortalium magiſterio eruditus merito dicitur. De cæteris, quæ propriis viribus ſibi comparare potuit, non loquitur Pontifex, neque quidquam determinat, an antequam Ordinem Sanctus ingrederetur, legere, & ſcribere noſſet, aptusque foret ſtudio, & meditationi librorum ſanctorum, ac proinde an eſſet eruditus, vel ineruditus; quamvis, ut animadvertit Ximenez, in his quoque Divina gratia ei non defuit.

LXXV. Petrum Nicolaum Factor hoc anno renuntiatum fuiſſe Guardianum Cœnobii de Valle Jeſu tribus leucis a Civitate Valentiæ ſuperius diximus. Tunc nondum ad nos pervenerat ejus vita Hispanice edita Valentiæ anno 1787. typis Joſeph, & Thomæ de Orga, eleganti ſtylo, accurato rerum ordine, & juxta ſeveriores Criticæ canones exarata a Reverendiſſimo Patre Joachim Company totius Ordinis Minoritici Miniſtro Generali, cujus opere eo libentius utemur, quo ſapientiorum omnium judicio abſolutiſſimum eſt, ac tale, ut aliorum ſcriptis non mediocrem afferat lucem, & veritatem, ea, quæ in illis ſejuncta continentur, ſynthetice colligens, atque complectens. Obedientiæ votum, inquit doctiſſimus Scriptor, & profunda humilitas, quæ vir Dei profitebatur, illum in his circumſtantiis certamini exponebant, qui ne a viis Providentiæ deflecteret, quotidianis precibus Deum conſulebat,

Vita B. Nicolai Factor lib. 1 cap. 8. pag. 39. & seq.

ut

ut ſanctiſſimam ſuam voluntatem ſibi notam faceret. Quare in Choro perſtitit poſt Completorium, ubi in oratione poſitus Dominum exoravit, ut dignaretur oſtendere quidquid gratum, acceptumque ei foret; dulci autem vi amoris Divini factus eſt continuo in ecſtaſim. Accurrerunt ad ſpectaculum omnes ferme Fratres Cœnobii S. Franciſci Valentiæ, in quibus Franciſcus Guzmanus Commiſſarius Generalis Familiæ Ultramontanæ, qui iis diebus Valentiam iverat, ut Provinciali Capitulo præſideret. (Hæc antea dictis non opponuntur; fortaſſe enim Antonius Fabri, qui Franciſco Guſmano ſuccedere debebat hoc anno, nondum erat in officium immiſſus). Varia tentarunt adſtantes, quibus Nicolaum excitarent a cæleſti ſomno; ſed fruſtra, ſolumque bas voces repetentem audiebant: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Hinc ſtupore perciti abeuntes Ecſtaticum illic reliquerunt dulcia colloquia cum Domino Deo ſuo continuantem. Perſeveravit totam noctem in oratione, & mane poſtero, Miſſæ Sacrificio celebrato, petiit cubiculum Superioris valde lætus, ſuſceptoque humillime Guardiani munere, ad Cœnobium de Valle Jeſu feſtinavit, ut obedientiam exequeretur.

LXXVI. Admirationem excitat vitæ methodus, quam Sanctus tenuit in hoc miniſterio. Ter in die flagellis ſe cædebat, donec ex laceratis membris ſanguis efflueret; præcipue vero antequam Miſſam inchoaret, in ſe tam rigide ſæviebat, ut pietate moti Fratres pulſarent ad oſtium ejus cellulæ, cauſam aliquam prætexentes, quo illius operam parumper interrumperent. Veſcebatur pane, & aqua, quibus perraro addebat parum juſculi. Induebat ſimplicem tunicam, nudiſque pedibus incedebat. Somnum captabat breviſſimum ſupra duram tabulam, ſubſtrato capiti pro pulvinari ligno, vel lapide. Media nocte ſemper ad Matutinas aſſiſtebat, utque paucis omnia complectar, exemplo ſuo ſubditos excitabat ad perfectam Obſervantiam Inſtituti Seraphici.

LXXVII. Quodam die poſt recitatum *De profundis*, ut moris eſt, ante prandium, expectavit, ut Fratres menſæ accumberent; ipſe autem prope januam aliquantulum ſubſiſtens, veſtibus abjectis, relictiſque pannis minoribus, nudus intravit Refectorium genibus reptans, præcincto ad collum fune, Crucem manu ſiniſtra bajulans, & dextera graviter pectus ſuum percutiens, profuſiſque lacrymis a Fratrum quolibet poſtulabat, ut ſibi auxilio foret ad impetrandam a Deo ſuarum culparum veniam, pro quibus ſe dignum cunctis Inferni ſuppliciis dicebat. Oſculabatur interea ſingulorum pedes, fletuque madefaciebat, attonitis omnibus ad inſuetum ſpectaculum, & a lacrymis non abſtinentibus, quum Superiorem Angelici prorſus ſpiritus adeo contemptum, & abjectum conſpicerent, & ſceleſtis, quotquot forent, ſe pejorem vocitantem audirent. Hinc fiebat, ut ſtupore ſimul & pietate ne loqui quidem poſſent, ipſeque ab illorum taciturnitate occaſionem deſumeret in eo ſtatu perſeverandi a Deo ſimul, & ab illis magnis affectibus ſuorum criminum veniam precatus; donec Cœnobii Vicarius voce, ſuſpiriis, lacrymiſque permixta: Quid agis, inquit, Nicolae? Ingratiſſimum ſane mihi, & his omnibus negotium faceſſis tua hac inopportuna agendi ratione, quæ nec loco, nec tempori convenit. Quare rogo te per amorem Domini noſtri, qui ignominiam Crucis pro nobis ſuſtulit, ut tragœdiæ huic finem imponas, hinc abſcedas, & habitum tuum reſumas, & ne meritum deſit, id tibi præcipio in virtute S. Obedientiæ. His auditis, ſtatim abiit, nudusque, & genuflexus, ut erat, deambulato

Ex proceſ. Valent. num. 40. pag. 164.

clauſtro, in ſummo hyemis rigore, cubiculum repetiit; atque inde veſtibus indutus ad refectorium deſcendit, ubi nihil aliud guſtavit, niſi modicum panem, & aquam, obſonii ſui portione in pauperes ad januam diſtributa.

LXXVIII. Paullo aliter rem hanc narrat, in proceſſu Valentino Petrus Pallares Civis Valentinus ex teſtimonio Fratris Ferruppi Guardiani Conventus de Valle Jeſu, Magiſtri Novitiorum, aliorumque, qui ibidem rei præſentes adfuerunt: „ Frater, inquit, Nicolaus Factor tentatus una „ vice a ſenſualitate, ad illam reprimendam ſe nudum projecit in ſta- „ gnum, ſeu aquarum congeriem valde plenam, ac valde frigidam cum „ Cruce in manibus, & fune ſparti cinctus. Exiens autem ex aqua „ ita madidus, & nudus, uti exiſtebat, rediit ad Conventum, & ma- „ nentibus Religioſis in Refectorio, ad manducandum ingreſſus eſt illud „ genuflexus, & inceſſit deoſculando illorum pedes, quod accidit men- „ ſe Januarii, factumque publicatum fuit in Oppido de Morviedro, „ & loco de Puzol, & aliis locis circumvicinis „.

Ibid.num.36.pag. 154.

LXXIX. De eadem carnis moleſtia loquuntur Fratres Joannes Grau, & Joſeph Ferrer. Teſtautur alii, nempe Fratres Ludovicus Pellicer, & Joannes Ximenes, aquam ferbuiſſe. Tribus autem horis, juxta biographiam ſuperius laudatam, in ea Sanctus permanſit, divini amoris igne, quo totus æſtuabat. Nec mirum; ſpiritu enim cæleſti actus ſemper de Deo loquebatur, & in Deo, & pro Deo erant ejus ſermones flumini aquarum ſimiles ex altis jugis magna cum copia, & impetu decurrenti. Frequentius dicebat: *Vita mea, gloria mea, ſponſe meus, Jeſu dulciſſime, quis non ſe perderet ſequendo Te, & oblitus omnium terreſtrium in Te ſe transformaret?* Incedenti per Cœnobium cum maximo deſiderio tenendi Dominum apparuit Chriſtus, & dixit: *Quieſce, & humilia animam tuam. Jam enim tecum maneo. Sed de hac re nemini loquere, dum vives.* Alio die vocavit eum Jeſus, & ait: *Veni ad me.* Cui ille: *Ego ad Te, Domine? Non reſpicias in me, ſed inſpicias in Te, quia in me non invenies dignitatem ad poſſidendum illud, quod tibi promiſi.* Et hæc fatus ecſtaſim ſubiit longo intervallo. Quum aliquando Divinos animæ ſuæ ſenſus efferre verbis nequiret, uti cupiebat, accepit papyrum, & atramentum, ut poſtquam illas ſcripſiſſet, melius exprimeret; ſed ſcribere incipiens audivit de cælo hanc vocem, *Nicolae, quanam dicere de me potes, prout ego ſum? Tace, & quieſce, deſine, quia ego tibi meam dabo gratiam.* Hic ille in ecſtaſim cecidit; quam etiam aliis vicibus paſſus eſt in eodem Cœnobio de Valle Jeſu, dum Sacra perageret, dum in Cubiculo oraret, dum Chorum ingrederetur, in Clauſtro, in viis, atque etiam dum in Cœnaculo buccellam panis in os immitteret. Præſertim vero dum ſolemni ſupplicatione deferret SS. Euchariſtiæ Sacramentum, & ante Altaris gradus de illo colloqueretur, & de gratiis a Domino noſtro S. Joanni Baptiſtæ collatis. Tunc oportuit, ut Sacerdos alius S. Synaxim acciperet; ipſe enim extra ſenſus illic perſtitit ab hora quarta de ſero uſque ad horam noctis octavam. Rurſus meditatus ibidem dolores Chriſti in Cruce, vehementius optavit, ſe illorum eſſe participem, & invocatis Domino noſtro, & S. Joanne Evangeliſta, talem expertus eſt cruciatum, ut in proximum montem aſcenderit, magniſque vocibus clamaverit: *S. Joannes Evangeliſta, dimitte me; quia jam debilitas mea minime ſufferre poteſt tam immenſum dolorem.* In eodem monte mundi vanitates conſiderans, divitias, dignitates, & finem rerum omnium,

Ibid.num.18.pag. 68, & ſeq.

Ibidem.

Ibid.num.17.pag. 65.

Ibid.num.32.pag. 139. & ſeq.

Ibid. num. 8.pag. 91., & num. 16. pag. 59.

omnium, ex tunica faſciculum compoſuit, & humi projectum pedibus calcavit, teſtatus, ſe mundo nuntium remiſiſſe, & nihil velle aliud, niſi Deum.

LXXX. Guardianus pariter Vallis Jesu affixit ad januas Cubiculorum quasdam Imagines Deiparæ Virginis, in quibus ſcripserat hæc verba: *Ave Filia Dei Patris. Ave Mater Dei Filii. Ave Sponſa Spiritus Sancti. Ave Templum totius Trinitatis.* Imagines hujusmodi manu ſua ſæpius pingebat Seraphinis decoratas, dictisque canentium, ſicuti, & Imagines Crucis Chriſti, & Paſſionis cum ornamentis, & carminibus, quæ ipsemet componebat.

Ibid.num.12. pag. 45.

LXXXI. Iter faciens Valentia ad Vallem Jeſu cum ſocio Fratre Joſepho Baniuls, juxta Crucem lapideam Pontis de los Serranos, unde detegitur mons, ad cujus radicem exsurgit Cœnobium, cœpit Sanctus pallere, & tremere, tanquam ſi ingens periculum immineret, aut viribus deficeret, rogatusque a ſocio quid rei eſſet: *Non vis*, inquit, *quod tremem, quum videam montem de Valle Jeſu, ubi me expectant inimici mei Dæmones ad me torquendum? Sed nihilominus eamus, illosque ſufferamus amore Dei*. Illis autem circa porticum Conventus rumorem cientibus: *Venite*, ajebat. *Quid me quæritis? Quid mihi cruciatus infertis? Hic adsum valde tutus; & aliud in me facere non poteritis ultra id, quod Dominus meus Jeſus Chriſtus vobis permittet*. Hæc dum diceret, agnovit, non procul eſſe F. Simeonem Casanova, qui curioſitate ductus in ſecretiori loco Virum Dei spectabat, & audiebat, illumque reprehendit, & ad cubiculum remiſit.

Ibid.num. 5. pag. 24. & nu. 38. pag. 160.

LXXXII. Civis quidam Valentinus dederat illi duos panes bonos, & teneros, quos in manica reconditos ſic, ut videri non poſſent, lætus deferebat ad Vallem Jesu. Pauper in via illi occurrens: Da mihi, inquit, Frater Nicolae, unum panem ex his duobus, quos defers. Et ambos pauperi porrexit, ejus pedes deoſculatus, reputans eum vel Angelum, vel Dei Filium in forma pauperis. Hoc tamen parum eſt respectu eorum, quæ quotidie gerebat in Noſocomio S. Lazari in via de Morviedro, ſeu Muri Veteris, olim Sagunti; ſiquidem leproſis ibidem recumbentibus portionem deferebat, quæ ſibi in Refectorio obtingebat, tractabat illorum ulcera, ungues tondebat, tergebat ſrontem, & non ſemel bibebat aquam putridam, & immundam, qua laverat eorum ſaniem purulentam. Illis vero, qui eum impedire conabantur, ne id faceret, dicebat: *Sinite, ut bibam; cognitis enim sordibus, & horrore peccatorum meorum, hæc aqua mihi videtur balsamum ſatis odoriferum*.

Ibid.num.29.pag. 222.

LXXXIII. Accidit, ut dum ad ægrotos concionem haberet, Eccleſiam ingreſſa Gallina cum pullis ſtrepitum excitaret in circumſtantibus, quibus Sanctus ſilentium imperavit: *Sunt enim*, inquit, *Creaturæ Dei, quæ veniunt ad audiendum ejus verbum*. Poſtea dixit: *Soror Gallina, quieſce cum tuis pullis, audi Dei verba, & ne nos turbes*. Quibus dictis alas ſuas illa aperuit, & pulli ſe recollegerunt ſub alis matris, quorum aliqui interdum exponebant capita respicientes Fratrem Nicolaum concionantem, ibique taciturni quieverunt, donec ille peroravit. Concione absoluta dixit: *Soror Gallina, jam abire potes cum tuis pullis ad paſcendum*. Nec mora disceſſit illa, cunctis, qui aderant, admirantibus, in quibus Melchior Grau Notarius, ejus Mater, duæ Sorores, & tres Ancillæ, Magdalena ſcilicet, Hieronyma, & Dominica Gramage, ut ex teſtimonio hac de re tradito apertum eſt in Proceſſu Valentino.

Ibid.num.24.pag. 50. & seq.

Gabriel Bucelinus Annal. German. an. 1568. tom. 1. pag. 118

LXXXIV. Fœderatos Hæreticos in Belgio Dux Albanus duplici memorabili prælio ſudit prope Groningam, altero ſupra octo millibus hoſtium ſerro obtruncatis, altero, non minore gloria, Principis Auraſii copiis deletis; & perduellium ſautores securi percuti juſſit; præterea Gallos, qui Duce Billæo Geuſiis auxilium allaturi erant, profligavit, miſſis in eos Lodronio, & Sancio de Avila Hiſpano, in Agro Juliacenſi juxta Dalenum. Hinc enſem, & pileum ſolemni ritu conſecratum a Pontifice dono accepit. Sed non quieverunt impiorum tumultus, quos inter invenio, quodam quaſi martyrio conſumptum Dionyſium a Moeſtere Laicum Cœnobii Gandavenſis ex Calchene pago territorii Terceromontani squallore carcerum tabeſcentem, ſepultumque in Eccleſia Parochiali S. Nicolai. Invenio quoque alium Minoritam ignoti nominis gladiis hæreticorum percuſſum. In oppido Honoscoth, inquit Baretius, Geuſii cunctos ſerme occiderant Sacerdotes ſæculares, & Religioſos, nec qui ſacra in templis perageret, reperiebatur; pauci namque crudelitati ſuperſtites clam vivebant, commutatis veſtibus, ne agnoſcerentur. Religioſi quamplures maledictam hæreticorum ſectam in concionibus deteſtebantur, & dicebant, necandos eſſe ejus aſſeclas (quod etiam Pius V. ſentiebat, quæſtus idcirco cum Comite S. Floræ, quod Uticenſem Principem Hugonottum in bello captum non occidiſſet, & juſſa ſua inſecta reliquiſſet, qui dudum imperaverat, necandos protinus hæreticos omnes, quoscumque ille habere potuiſſet, ac inſuper partus eorum conjugum impediendos, ut hæreſeos ſemina evellerentur.) Quum itaque Franciſcanus quidam vitæ spectabilis, & ſanctæ in concione oſtenderet, quantum tum a Dei lege, tum a politico, honeſtoque vivendi genere hæreſis abluderet, Satelles irruit in dicentem, abſciſſumque enſe caput haſtæ affixit publico in loco.

Waddingus de Martyribus Ordinis. Baretius lib. 5. cap. 11. pag. 376.

Gabutius in vita S. Pii V lib. 2. cap. 6.

LXXXV. Idem animorum ardor res Galliæ miſcebat. In Urbis Caritatis obſidione, ut reſert Thuanus, pene exciſum eſt Cœnobium Franciscanorum, prope quod Sanſacus milites diſpoſuerat, ut admotis ſcalis in mænia irrumperent; fruſtratus enim ſpe ſua tormentis bellicis locum concuſſit. Alterum, eodem teſte Thuano, Cœnobium juxta Autricum Carnutam Bleſiæ Civitatem una cum Joannis Phano penitus arſit. Ceciderunt pariter Cœnobia Olonæ in Pictavia Inferiori Diœceſis Luxovienſis, Miliacenſe, & Lautricenſe in Recentiori Aquitania, Caſtridunii in Turonia, Montis Guiscardi in Aquitania Antiquiori, Carnotenſe, S. Crucis Vezeliaci, & S. Michaelis Sezanii in Provincia Franciæ. Tria hæc funditus everſa ſunt, aut igne omnino conſumpta. Carnotenſe iterum excitavit intra mænia F. Petrus Morſellinus Cœnobii Pruvinenſis alumnus ſumptibus Domini de Verrigniaco, & Dominæ de Villabona, aliorumque. Poſtremum F. Ludovicus Privey Theologus, & Præſes Cuſtodiæ Campaniæ circa annum 1580. In choro ante altare majus cernitur ſepulchrum Ven. Juliani Formont religioſiſſimi, & sacrarum literarum peritiſſimi cum Inscriptione: *Magis Angelus, quam homo*.

Thuanus lib. 46.

Idem lib. 42.

Gonzaga in his Provinciis.

LXXXVI. Magna interea Religioſorum ſtrages edita eſt. Fratres aliqui in Gallo-Provincia reperti in Paſtorum tabernaculo, ubi officium divinum recitabant, dimiſſi ſunt ab Hæreticis veſtibus exuti, manibusque ligatis, quos vir nobilis in via offendens, cauſamque nuditatis ſuſpicatus, vinculis ſolvit, novisque indumentis texit. Gladiis neſariorum occubuit in Conventu Meldenſi S. Mariæ Magdalenæ Ludovicus Ballejus,

Baretius ibid. cap. 10.

Waddingus de Martyr. Ordinis.

in

in Conventu Stampenſi S. Joannis Baptiſtæ Ludovicus Panætius, & Ludovicus de Plana genere nobilis ejusdem ædis alumnus, in Territorio Bleſenſi Joannes Vicinus, ſeu Voiſinus, Guardianus Cœnobii Turonenſis, & Confeſſarius Monialium S. Mariæ Guiſchiæ, cujus corpus projectum in Ligerim, inventumque prope Urbem Turonenſem conſanguinei anno 1577. in Eccleſia Minoritica condiderunt. Lautrici in Aquitania Alexius Sanſon, Franciſcus Pelicerius Theologus, & Concionator, Hieronymus Graiſſetus, Antonius de Rupe Guardianus, Rogerius Viguerius, & Joannes Richardus. In eadem Aquitania Humbertus Gouritius, Ludovicus Elvæus, & Joannes Paule. Apud regionem Occitanam Antonius Abbas Guardianus Cœnobii Montis Guiſcardi, comprehenſus ab hæreticis ſeptem leucis a Toloſa, dum proximum oppidum peteret alimenta Fratribus quæſiturus; paremque ſortem experti ſunt Gregorius Bourniſſet, Matthæus Matthæi, Joannes Lazarius, & Stephanus Mauguſius, ſeu Maugis, a Conventu S. Catharinæ Antiſiodorenſi Verziacum profectus, ut ſacras conciones haberet, ab hæreticis vagabundis ſuper Yonam necatus, & in profluentem dejectus.

Daza part. 4. lib. 3. cap. 58.

LXXXVII. Sagii in Neuſtria paſſus eſt Stephanus de Barguello genere, & doctrina conſpicuus, alumnus Provinciæ Franciæ Pariſienſis ad ſecundum a Civitate lapidem vulneribus confoſſus, ſepultusque in Capitulo Cœnobii Sagienſis S. Leonardi, diſcipulus quondam Joannis Bourgii, qui ipſum æquali morte præceſſerat. Mirabelli in territorio Pictavienſi Nicolaus Clementellus innumeris plagis ad necem percuſſus, & Joannes Torigneus fractus extra oppidi mænia, & in patenti campo ex arboris ramo ſuſpenſus, globisque plumbeis transverberatus, quum ambo conſtantes in fide, & confeſſione realis præſentiæ corporis Chriſti in Altaris Sacramento perſtitiſſent. Viriæ in Conventu S. Michaelis Archangeli Diœceſis Bajonenſis Oliverius Julianus, Julianus Maigneſius, Petrus Goſſetus, qui dum Miſſæ Sacrificium perageret, ab Altari amotus ab hoſtibus irrumpentibus, & ſic, ut ſacris veſtibus erat indutus, impios, qui eum ad abnegandam Miſſam, & Romani Pontificis auctoritatem hortabantur, argumentis redargens, laqueo ſuſpenſus eſt in arce ad feneſtræ cancellos hoc annos die 13. Septembris. Joannes Bunius, Guilielmus Montanus, vel de Monte Magno, ille in Comitatu Aſtenſi, hic in Liguria nobiliſſimis familiis procreati Mongomerii militibus confoſſi ſunt una cum Joanne a Meer Diacono poſt deteſtabiles contumelias, manuumque, narium, & maxillarum amputationem.

Boſius de signis Eccleſiæ tom. 2. lib. 12. cap. 12.

Fernandus Hiſt. Eccles. lib. 3. cap. 29.

Paulus Britius Epiſcopus Albenſis de viris illuſtr. lib. 1. pag. 327.

LXXXVIII. Comes Montis Gomerii damnatæ ſectæ fautor inſtructis militibus Viriæ Urbem dolo malo occupavit, & Cœnobium Minoritarum funditus evertit, flammis etiam immiſſis, ne quidquam reſidui foret, ea tantum ex cauſa, quia plures ejus incolæ Verbi Dei Miniſtri liberius in concionibus exagitaſſent homines ſanguinarios, & Fidelibus ſuaſiſſent, ut ab eorum doctrina, & commercio caverent. Præterea ambuſtis SS. Reliquias argenteas, aureasque thecas, & Calices pretioſos in profanum uſum convertit; quorum tamen ſcelerum pœnas dedit, quum ipſe, & adſtipulatores ſatellites aut fame, aut gladio, aut ſuſpendio ad unum omnes perierint.

Gonzaga in Prov. Franciæ Pariſien. con. 19.

LXXXIX. Non anno inſequenti, ut ſcribit Andogus, ſed hoc ipſo, die 16. Octobris, ut tradunt omnes ferme hiſtorici Ordinis noſtri, contigit Martyrium Balthaſaris a Prato, & ſociorum. Oriundus a Civitate Brianconenſi Diœceſis Ebredunenſis in Delphinatu, mirisque ornatus

Andogus in hiſt. Linguæ Occitanæ pag. 527.

tus animi, & corporis dotibus, poſt bis expletam Provinciæ S. Ludovici Præfecturam, ætate adhuc florens, multis annis Eccleſias Arelatenſem, Narbonenſem, Carcaſſonenſem, & Lemoſienſem Evangelii verbo aluit. Hinc Epiſcopus, Clerus, & Cives Nemauſenſes, dum inducias cum hæreticis agerent, eum a Provinciæ Patribus in Capitulo apud Aquas Sextias habito petierunt; a quibus proinde requiſitus, num vellet Nemauſum ire, & pro ſalute animarum vitam diſcrimini exponere, annuere non dubitavit. Arelatem itaque profectus, ubi quinque annos egerat Eccleſiaſtem, populo valedixit in feſto Aſcenſionis Domini, affirmans, ſe Nemauſum iturum, & Arelatenſes non amplius faciem ſuam viſuros. Et ſic flentibus omnibus Nemauſum properavit, ubi reſtituendis Religionis rebus manum admovit, Sacramentorum adminiſtratione, concionibus, & pietatis exercitiis. Solemnem ſupplicationem indixit ad puteum paullo ante trucidatis Catholicorum corporibus oppletum; eaque inde eruta ſtravit ſuper faciem campi, loquutusque ad numeroſiſſimas turbas de patientia, & martyrio, illos beatos prædicavit, qui pro Catholica fide mortem oppetierant, & illos, qui ob eamdem cauſam mox gravia eſſent paſſuri. Hæc dicta ſunt menſe Junio, & menſe Novembri in Civitatem Hugonotti irruperunt.

Severtius in Anti-Martyrolog. Hæreticorum cap. 3. Sect. .. pag. 3.

XC. Conjectus in vincula Athleta Chriſti nec blanditiis deliniri, nec promiſſis capi, nec minis deterreri, aut laboribus frangi potuit; quum enim interrogaretur, vellet ne palinodiam canere, & Reformatis pro Miniſtro ad altaria inſervire, uxorem ducere, divitiisque cumulari, reſpondebat: *Vade poſt me Satana. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Quare hoſtiam viventem ſe Deo offerens plenus fide, & ardore charitatis, pugionibus toto corpore confoditur, apertoque gutture, & abſciſſo capite in præfatum puteum dejicitur. Antequam tamen moreretur, Fratribus ſuis, quorum Nemauſi erat Guardianus, benedixit, illos hortatus ad bellandum pro Dei cauſa; nec fruſtra; nam poſt martyrio ſociatus ei eſt Joannes Chalvetus conſobrinus ejus ætate, & canitie venerandus, Guilielmus Scofre, & Joannes Lantret Sacerdotes igneis ſphærulis expoſiti, aliusque ignoti cognominis Joannes. Jacent in eodem puteo, quem hæretici exoneratis civium ſordibus compleverunt, quia nocturno tempore flammæ ex illo prodire videbantur. Alii Conventus Nemauſi Fratres fugæ ſe commiſerunt. Arſit omnino tunc Cœnobium olim religioſiſſimum, & a triginta Fratribus inhabitatum.

XCI. Sub idem tempus Michael Grelet Cuſtodiæ Xantonicæ Præfectus, & Conventus S. Franciſci Engoliſmenſis Guardianus, ac Domini de Rupeſocaldio majoris Monaſterii Abbatis Concionator, & Confeſſarius ad ſuſpendium, quo occubuit, ductus Gaſparo Collinio prædixit mortem Jezabelæ ſimillimam; quod ita contigit Pariſiis; adhuc enim ex vulneribus palpitans per feneſtram præcipitatus eſt, & per Urbis fora, atque angiportus a pueris etiam ipſis raptatus. Engoliſmæ pariter laqueo vitam finivit Petrus Bonneau Eccleſiaſtes ejus loci, doctor S. Theologiæ in Academia Pictavienſi, ubi Ordini Minorum nomen dederat. Ipſius corpus poſt duos annos integrum repertum ex loco patibuli, in quo jacuerat, ad Capitulum Conventus magna populi, & Cleri frequentia Fratres tranſtulere. Joannes Virolant, ſeu Hieroleau, Lector, & Eccleſiaſtes Martyr exceſſit, verendis abſciſſis, omnique crudelitatis genere laniatus. Joannes Aprilis Lector item, & Eccleſiaſtes, cui cervicem

Elzearius lib. 3. Sacti Mont. Olivet. cap. 6.

vicem in fruſtra Carnifices comminuerunt. Horum duorum Martyrum memoria his verſibus continetur.

Felices animæ, quarum per vulnera, Chriſti
Creſcit Evangelium! Veſter pro Sanguine Sacro
Eſt cruor. Ille piis inoleſcit mentibus ultro,
Ut quanto magis innocui profunditur uſquam
Sanguinis; hoc vernat magis, augeſcitque premendo
Sancta Fides, vireſque novas calcata reſumit.

Theat Crudelitatum Hæretic. pag. 32.

XCII. Rerum omnium inopia, & injuria Lutheranornm adactis Religioſis omnibus, Civitatis Imperialis Norimbergæ Franconiæ Metropolis, ut in exilium anno 1520. ultro commigrarent, ſoli Minores Obſervantes Provinciæ Argentinæ extrema quæque perpeſſi in Cœnobio permanſerunt, donec inedia, quaſi lento martyrio conſumpti e vivis exceſſerunt. Hoc tandem anno unicus ſuperſtes F. Janitor Petrus cum clavibus nulla vi a manibus ſuis extorquendis tumulatus eſt. Orto ſubinde incendio, exuſtisque ædibus, Sacras Imagines B. Mariæ Virginis, & S. Franciſci, quæ a parietibus adhuc pendent, in medio flammarum illæſas perſtitiſſe ferunt.

Monumenta Provinciæ Argentinæ.

XCIII. Cœnobium Lahenſe, ſeu Laaenſe, Provinciæ Auſtriæ in Cuſtodia Danubiana fundatum anno 1237. in exigua Civitate Moraviæ adjacente juxta Fluvium Tajam a Dominis de Chiinring, tribusque argenti libris ditatum ex teſtamento Eliſabethæ Friderici Romanorum Regis Uxoris anno 1328. una cum Cœnobio Neoſtadienſi, hoc anno Fratres deſeruerunt, Lutheranis damna inferentibus, & inſequenti ætate vix ejus rudera ſuperfuerunt. Eadem damna, bellumque, & ingraveſcens peſtilentia Minoritas ejecerunt a Cœnobio S. Nicolai Bythomii in Sileſia Superiori, & Poloniæ finibus Diœceſis Uratislavienſis. In quibusdam Catalogis domus occurrit ſub nomine Bethlem, in aliis ſub nomine Bithi ad S. Nicolaum. Minores Conventuales illic degentes anno 1453. ſponte ſusceperunt reformationem S. Joannis de Capiſtrano. Hinc minus vere Gonzaga affirmat, Conventum a Catholicis Bithenſibus anno 1453. eleganter ſatis, communibusque ſumptibus erectum, in quem errorem incidit etiam Waddingus. Peſchel quoque corrigendus ſcribens, Cœnobium, Fratribus circa annum 1486. peſte extinctis, ad Obſervantes fuiſſe devolutum. Novos alumnos in eo collocavit Provincia Bohemiæ Conventualium; Rodulphus enim circa annum 1586. illud recenſet. Sed paullo poſt etiam iſti ceſſarunt.

Greideret lib. 3. num 215. & lib. 5. num. 64.

Gonzaga in Prov. Bohemiæ Con. 15. Annales Min. anno 1453. num. 51.

XCIV. Ædibus in Provincia Flandriæ dirutis, accrevit hoc anno Conventus Romberti Curiæ, ex quo lapis ſupra lapidem non remanſit. Ejus meminit Waddingus, qui fatetur, nullam de eo ſe inveniſſe apud noſtrates mentionem, niſi forte, ait, idem ſit cum Conventu Curiano; quamvis diſſideant Fundatores, & SS. Invocationes. Reperio, illum fundatum uno milliari ab oppido Romberti Curiæ Diœceſis Tullenſis in Provincia Lotharingiæ ab Antonio Duce Lotharingiæ, & Renata de Borbonio ejus uxore anno 1447., Nicolai V. Pontificatus anno I., qui fundationem approbavit; atque ita operi inſtiterant Fratres Obſervantes, ut uno anno abſolutum fuerit, & Eccleſia pulcherrimis ornamentis ditata. Sedatis Hæreticorum tumultibus, F. Chriſtophorus Conart cum ſociis Pontio Clerico, Joanne Reginaldo, & Jacobo Lanfforge, impetrata facultate ab Henrico II. Lotharingiæ Duce, cui erat a ſacris Confeſſionibus, apud Caſtrum Ducale prope pagum Romberti Curiæ novi

Ibid. anno 1447. num. 73.

Monumenta Provinciæ Flandriæ.

Cœ-

Cœnobii fundamenta poſuit, primum lapidem ſolemniter jacente Deſiderio de Reims. Ita Inſcriptio: *D. O. M. B. M. V. S. Franciſco, & S. Martino, Henrico II. Duce Lotharingiæ Fundatore, R. P. Deſiderius de Reims Abbas de Inſula hunc primarium lapidem poſuit anno MDCXVI. IX. Auguſti*.

XCV. Franciſcus Papacoda propriam domum in oppido Maſſafræ, cujus erat dominus temporalis, in Diœceſi Motulana tranſtulit in Conventum Minoriticum ſub titulo S. Mariæ de Conſtantinopoli, Pontifice ei concedente translationem cinerum Majorum ſuorum ab Eccleſia S. Rochi ad Eccleſiam erigendam: *Sane exhibita*. Pridie Kal. Junii. Fundata ſunt inibi ſodalitia B. Virginis de Monte Carmelo, & S. Antonii de Padua. Pertinet ad Provinciam S. Nicolai, cui hoc ipso anno Joannes Carolus Bovius Brunduſii Archiepiscopus addidit Conventum S. Mariæ de Caſali Brunduſii fundatum olim a Regibus Galliarum, & habitatore vacuum. Deceſſit inibi Ludovicus Galatinus Sacerdos altiſſimæ contemplationis, & paupertatis, qui reſormationem in Provinciam introduxit, de quo plenius anno 1591.

Gonzaga in Prov. S. Nicolai con. 41. & 42.

XCVI. Acceſſerunt Fratribus regionis Mechoacani in Indiis Occiduis Couventus Queretari, & Vallis Guadianæ de Xalisco, qui deinde ſpectavit ad Provinciam de Zacatechas, ſundatus a Hyacintho a S. Franciſco, cujus meminimus. Cuſtodiæ SS. Trinitatis de Chile Conventus S. Mariæ ad Nives Civitatis Divitis, quem Fratres inviti acceperunt ab inquilinis civibus, compulſi ad ineundam cum illis familiaritatem; & Conventus S. Franciſci Caſtri, ſeu Chiloæ, quem Gonzaga ædificatum aſſerit anno 1560.; quum tamen ex authenticis Monumentis Archivi S. Iſidori non arithmeticis cifris, quæ fallere poſſunt, ſed diſtinctis literis hic annus notetur, loci poſſeſſionem, ſicuti & præcendentis recipiente mense Novembri quodam Religioſo nomine Conſtantino.

Theatr. Mexicanum part. 4. num. 15. pag. 19.

Gonzaga in Prov. SS. Trinitatis de Chile Con. 9. & 8.

XCVII. Dimidio milliari a Civitate Maſsæ in Tuscia aderat balneum, ſen aquarum receptaculum, ad quod juvenis puella gregem ſuum ducere ſolebat. Quodam die ſupra ſcopulum balneo imminentem vidit formoſiſſimam Matronam, quæ ei dixit: Perge, Filia, & dic Parocho Maſſæ, & oppidanis, ut domum mihi ædificent hic, ubi ſedeo. Cui puella: Quænam es, o pulcherrima mulier? At illa: Mater ſum Domini Jeſu Chriſti. Cui iterum puella: Illi mihi non credent. Respondit Virgo: Abi, Filia, ne dubites, tibi fidem præſtabunt. Hinc ex oculis evanuit. Illa interea abiens prodigium narravit Parocho, qui tunc erat Joannes Boni, qui ad locum acceſſit cum oppidanis, & Eccleſiæ fundamenta jecit, qua ad culmen perducta, domum quoque prope ipsam condidit, quam poſtea Fratres Observantes incoluerunt. Feſtum apparitionis Deiparæ celebratur quotannis Dominica prima Auguſti.

Monumenta Provinciæ Tusciæ.

XCVIII. Habitarunt Obſervantes hoc anno, & duobus, vel tribus ſubsequentibus in Conventibus Amadeorum ſupra memoratis Provinciæ Tusciæ; deinde illos ſimul reliquerunt. In Conventu Collis ſucceſſerunt Eremitæ Ilcitani S. Auguſtini. In Conventu Montis Ughi Capuccini, & in Conventu S. Jacobi Canonici Regulares de Scopeto. His, ut diximus, hoc anno acquiſitis, & proviſis, decreverunt Obſervantes duas ædes dimittere in Cuſtodia Senenſi, videlicet Maſſæ Maritimæ, ſeu Veternenſis, & Montis Ilcini, illam ob aeris inclementiam, hanc ob illata bellorum damna anno 1554. ſub Garcia de Toleto Præfecto exercitus Caroli V. adverſus Gallos, quorum tutelæ ſe commiſerant ci-

ves Montis Ilcini, & ſubſequentibus temporibus, quum in prædictos Cives Florentini arma moverent.

XCIX. Cœnobio S. Mariæ Gratiarum Collis Obſervantibus tradito, Moniales Tertii Ordinis *Mantellatæ* dictæ hoſpitium S. Hieronymi ſpectans ad Conventum S. Lucheſii Podii Bonitii petierunt ſibi dari in Monaſterium erigendum; quod & obtinuerunt, tum quia Fratres inibi locum habebant, tum quia ipſæ jam eumdem locum poſſederant. Hujusmodi Moniales B. Angelæ de Fulgineo veſtigiis adhæſerunt. Primo autem Obſervantibus, ac tandem, Epiſcopali ſede in Civitatem inducta, Ordinario paruerunt.

C. Hoc anno ædes S. Franciſci Minorum Conventualium Salmanticæ, concedente Pontifice: *Ex injuncto Nobis*. Die 18. Auguſti, ut vendi licite poſſet cum omnibus juribus, & pertinentiis, ceſſit in utilitate Fratrum. Obſervantium pro fabrica Cœnobii S. Franciſci ejuſdem Civitatis, eorumque neceſſitatibus. Joſeph de Citerna Miniſter Provinciæ S. Franciſci. reſtituit, & ampliavit Conventum (parvam prius, et pene collapſam Clarenorum domum) S. Mariæ Montis Sancti prope Nurſiam, & quinque Fratres in eo collocavit. In Provincia Marchiæ Conventus S. Franciſci Corinaldi Diœceſis Senogallienſis juxta portam S. Joannis in jugo collis fundatus, agente adhuc in vivis Seraphico Patriarcha, tranſivit a Minoribus Conventualibus ad Obſervantes: *In ſede Beati Petri*. Die 15. Octobris. Translationem præcepit Pontifex, teſte Vincentio Maria Cimarello Ord. Præd., ob nonnulla facta, quæ ibi contigerunt, & non exprimuntur. Gonzaga Pontificem ſatisfeciſſe ſcribit inſtantiſſimæ Corinaldenſis Communitatis ſupplicationi.

Cimarellus in Hiſt. de Gallis Senon. lib. 3. pag. 264.

Gonzaga in Prov. Marchiæ con. 43.

CI. Jacet Oppidum in Mediterraneis Gallorum Senonum inter veteres Umbros juxta Suasæ Urbis rudera, habens ad Orientem Bodianos, & Æſinos, ad Occidentem Mondavium, ad Auſtrum Rocchigenas, & Montes, a Septentrione Senogalliam, ſinumque Adriaticum, a quo diſtat decem milliaribus, Eccleſiis, Cœnobiis Religioſorum, & magnificis ædificiis refertum, inſuper & vetuſtate nobiliſſimum, quum ferant, conditum ſtatim poſt deſtructam anno 409. ab Alarico Suaſam, in ſummitate collis inter fluvios Cæſanum, & Miſarum. Eximii Franciſcani ex ipſo prodierunt, nimirum Ludovicus Pianta Commiſſarius Provinciarum Germaniæ, Stephani Bathorii Tranſylvaniæ Principis his temporibus Theologus, a Conſiliis, & Confeſſionibus. Senex reverſus in Provinciam, & inveniens Conventum Patriæ ſuæ ab Obſervantibus occupatum, Recinetum abiit, ubi Conventum ad meliorem formam redegit, impluviumque conſtruxit. Philippus Pamieri Magiſter Provinciarum Apuliæ, & Dalmatiæ amicus Sixti V., a quo Romam acceſitus, dum virtutum ſuarum ſplendidiſſima præmia ſuſcepturus foret, occubuit. Quare Pontifex cum lacrymis: *Amici*, inquit, *mei ſortem non ploro, quia mortalis erat; ſed meam, qui eum amplius nequeo remunerari*. Bartholomæus Vetoli, qui S. Theologiæ Lector procul a patria audiens Conventum ceſſiſſe Obſervantibus, navigavit in Sardiniam, ubi electus Magiſter Provinciam ſanctiſſime adminiſtravit. Tempore autem Sixti V. rediit in Italiam, & auxilio Cardinalis de Sarnano Conventum recuperavit. Alexander Bartoli, qui Eccleſiam auctam anno 1538. a fundamentis iterum elegantiorem excitavit circa medietatem Sæculi XVII. Bartholomæus Cimarellus, quem præfatus Hiſtoricus Gallorum Senonum appellat Conventualem Obſervantem. Edidit quartam partem Chroni-

Rodulphus lib. 2. pag. 256.

Cimarellus ibid. pag. 264.

Ibid. pag. 176.

corum S. Franciſci in quinque tomos diſtinctam, quorum tres ſolum typis commiſſi ſunt. Commoratus in Hiſpania annos quinque munera accepit a Rege Catholico. Erexit Bibliothecam Cœnobii Fanenſis. Commiſſarius in Provincia S. Franciſci hoſpitio excepit in Conventu S. Mariæ Angelorum Aſſiſii Vincentium II. Mantuæ Ducem, quem Mantuam ſequutus eſt Theologus, & Conſiliarius, eumque Dux in tanta habuit exiſtimatione, ut pro graviſſimis negotiis Legatum miſerit ad Senatum Venetum, & a Pontifice poſtulaverit, ut illum Epiſcopum renuntiaret, quod eveniſſet ſeorſum ab artibus, & fraudibus invidorum. Gratiſſimus fuit Mariæ VI. Urbini Duci. Obiit in Conventu S. Franciſci de Vinea Venetiis an. 1628. Marcus Cimarellus prædicti Frater, Muſices, & Politicæ peritiſſimus, qui annos XLV. Fratribus optime præfuit, defunctus anno 1631. Recineti.

Rodulphus lib 2. pag. 255. & 280.

CII. Data eſt Minoribus Conventualibus ædes S. Pauli de Toci, annexa Cœnobio S. Mariæ Amatricis in Cuſtodia Regni, a loci Univerſitate. In Cuſtodia Meſſanæ ædes S. Fradeli, in quam B. Tecla loci Comitiſſa intulerat Reliquias SS. Philadelphi, & Cyrini. Conceſſa fuit primo F. Joanni Leontino, qui inibi habitabat parietibus incluſus, ex quibus oblata alimenta deſumebat; ſed ſemel omnibus raptis aufugit per feneſtram, quo exemplo ſuam hypocriſim oſtendit. Receſſerunt iidem Fratres a Cœnobio S. Mariæ de Monte ad Pertuſium, a Fratribus Tertii Ordinis deinde occupato.

Michael a Tugio in Bullario Capuc. to 2. in indice Conventuum.

Franciſcus Severini in Chronicis.

CIII. Familiæ Capuccinorum domus hoc anno fundatæ ſunt Urbe veteri, Montoni Diœceſis Tiphernatis, Nuceriæ, Montis Granarii, & Montis Sancti Diœceſis Firmanæ, Placentiæ, Rhodigii Diœceſis Adrienſis, Colonearum Diœceſis Brixienſis, Turriculi Diœceſis Piscienſis, S. Severini Diœceſis Salernitanæ ſub titulo S. Hieronymi, Turris Græci Diœceſis Neapolitanæ, & Caſtri Veterani, ſeu Caſtri Entellici ab Antello Aceſtis ſocio ſic antiquitus dicti Diœceſis Mazarenſis. Locum Capuccinis tradidit Princeps Carolus Aragonius una cum *Velo S. Annæ*, cujus nomini dicatum eſt Templum, Reliquiis plurium Martyrum, & S. Emphrem ab Alamania. Floruit ibi F. Joannes Maria Luna a Caſtro Veterano, virtutibus, literis, ac in rebus agendis inſignis, anno 1600. Provincialis Siciliæ. Sunt in veneratione corpora F. Petri la Rocca a Mazara Sacerdotis, inventum, teſte Pirro, cum Cruce in carne impreſſa; & F. Pacifici Laici a Calabria prophetico ſpiritu donati.

Sicilia Sacra tom. 2. pag. 893. n. 6.

Monumenta Provinciæ S. Franciſci ex Archivo Cœnobii S. M. Angelorum.

CIV. Juſſit Pontifex, ut ædicula S. Mariæ Angelorum prope Civitatem Aſſiſii includeretur magnifico fornice, & Templo longitudinis palm. Rom. 450., latitudinis 330., aſſignatis pro ſumptu mulctis pecuniariis, quæ maleficiorum nomine ſolverentur in Diœceſi Vallis Spoletanæ. Archetypum delineavit Galeatius Alexius Peruſinus pretio 58. florenorum aureorum, quæ ei numeravit Felix de Peruſia Guardianus, accurate examinatum a Vignola, & Julio Dante Peruſino. Ædificium inceptum eſt anno inſequenti.

Franciſcus M. Angeli lib 1. tit. 49. pag. 96.

CV. Loquitur de hoc opere Franciſcus Maria Angeli Magiſter Minorum Conventualium in *Amœnitate Collis Paradiſi, ubi triplici Iconiſmo exhibet* primo *Plantam Novi Templi, & Conventus S. Mariæ de Portiuncula*; ſecundo *Templum S. Mariæ Angelorum cum interiori proſpectu, & Novi Conventus parte*; tertio *Proſpectum, & Plantam S. Cappellulæ B. Virginis*. Poſtremum tamen hoc ſchema non eſt effigies Portiunculæ, ſed Oratorii S. Mariæ Zaccardi, ſeu hodierni Rivitorti. Quæſtionem deinde agre-

greditur explicandam, an Eccleſia S. Mariæ Angelorum ſit Caput, & Mater totius Ordinis Minoritici. Ante dubitaverat, an potius Oratorio apud Rivumtortum titulus conveniret. Sed dubium ſolvendum remiſerat Romanis Pontificibus, qui ſolam Eccleſiam S. Mariæ Angelorum ſic appellatam voluerunt; additis quibuſdam allegoriis de corpore myſtico, de capite, de pede, affirmans, Baſilicam Collis Paradiſi eſſe caput Ordinis, Oratorium Riviflexi eſſe pedem, ſeu fundamentum; & Eccleſiam S. Mariæ Angelorum ſilentio tranſigens, adeo ut nec ad caput, nec ad pedes, nec ad ullum corporis membrum pertinere illa videatur; præcipue quum, conſcientia ſua tutus, concludat, *ſe jus ſuum unicuique tribuiſſe*.

CVI. Hæc Scriptor titulo 48. Titulo ſequenti admittit, aliquos devotione potius ſingulari erga ſanctum locum, quam attentione ad temporum, locorumque realem, *& invertibilem curſum*, huic Sanctuario initium, & fundamentum Ordinis conceſſiſſe: „ Horum, inquit, pietati adhærerem, ſi meæ mox exprimendæ diſtinctioni conſentirent. „ Quodcumque temporale in partes diviſibile multipliciter dici poteſt „ inchoatum. Mundus ab æterno in mente divina conceptus poteſt dici „ in æternitate idealiter initiatus. At realiter poſitus in eſſe primo temporis inſtanti dicitur incœpiſſe. Omnium partium ſucceſſive in eo „ poſitarum completa productione, adhuc dici poteſt creatus ſex dierum curſu. Similiter diſcurro de Ordine Minorum, qui fuit primo ideatus in mente S. Inſtitutoris, ubi, & quando primam habuit inſpirationem, ſecumque cogitavit de eo fundando, & erigendo. At hæc „ idealis, non vera, & actualis incœptio fuit; exſtitit hæc in loco, „ & tempore, ubi, & quando primos Religioſos coadunavit, cum eis „ regulam profeſſam jure emiſſi voti ſervavit. Si velimus aliud nobis „ magis amplum præfigere principium, dicamus, comprehendi etiam „ propagationem, & dilatationem Ordinis, Fratrum, & locorum additionem complectentem; adeoque demus aliquod initium partiale „ habuiſſe in hoſpitio S. Mariæ Angelorum, quod illi primo proxime adjunctum fuit. Idealis autem inchoatio non eſt ad noſtrum propoſitum; nam nec mundus realiter ab æterno fuit, nec Ordo Minorum, quando S. Franciſcus illum futurum mente concepit „.

CVII. Video, me tam ſublimi metaphyſicæ intelligendæ imparem. Aliunde vero, ne in his diutius immorer, vetant anguſtiæ *invertibilis curſus temporis*; ſeu, ut candide dicam, metus incidendi in aliquam capitis vertiginem, quam difficulter vitarem, ſi in his abſtractionibus me immiſcerem. Summa omnium huc recidit. Agitur de loco, ubi Ordo Minorum non poſſibilis, ſed actualis eſſe cœpit. Quinam ſunt aliqui illi, qui Eccleſiam S. Mariæ Angelorum vocarunt Caput, & Matrem Ordinis *ſine attentione ad invertibilem curſum temporum, & locorum*? Nimirum homines ſimplices, & idiotæ. Numerantur in his præter Summos Pontifices S. Antonius Epiſcopus Florentinus, cujus hæc ſunt verba: „ In iſto lapide „ fundamentali Ordo Fratrum Minorum initium, & fundamentum accepit „. S. Bonaventura „ Hic eſt, ait, locus, in quo Fratrum Minorum Ordo a „ S. Franciſco per Divinæ revelationis inſtinctum inchoatus eſt „. Petrus Rodulpus Toſſignanus Minor Conventualis: „ Hic Minorum Ordo ſumpſit „ initium, & Franciſcanæ Familiæ origo an. 1210. Primus locus (Fratrum de Familia) eſt S. Mariæ ab Angelis prope Aſſiſium, ubi Sacer „ Ordo Minorum initium ſumpſiſſe in Portiuncula „. Hieremias Buchius

S. Antoninus Hiſt. tit. 24. cap. 7.

S. Bonaventura in Legenda maj. cap. 2. de Portiuncula.

Rodulphus lib. 2. pag. 252. & 291.

Piſanus Conform. 18.

Minor Conventualis in nova editione Conformitatum Piſani dicit in margine, Portiunculam eſſe caput Eccleſiarum Fratrum Minorum.

CVIII. Solemniter benedixit majori Sacello S. Mariæ Angelorum in Monumenta Provinciæ Burgenſis. Civitate S. Dominici Calciatenſis Bernardus de Freſneda ſupra memoratus; eodemque hoc anno comitatus eſt Regem Catholicum proficiſcentem in Aragoniam ad Civitatem Monſonii, ejuſque gratia ad Urbem Conchenſem divertentem. Alexander Guidiccionus Epiſcopus Lucenſis die 12. Octobris conſecravit Eccleſiam S. Franciſci Lucæ, Cœnobii Guardiano Fratre Cornelio Lucenſi. Franciſcus de Salazar Ordinis Minorum Provinciæ Bæticæ Epiſcopus Salaminenſis conſecravit Eccleſiam S. Franciſci Ponſevii, ſeu Pontis Aſſevæ, in Provincia Tuſciæ, ut ex membrana affixa tabulæ ligneæ in Sacrario aſſervatæ, & ex altera membrana, manu ejuſdem Epiſcopi firmata, incluſa vaſculo plumbeo in Ara maxima Eccleſiæ una cum Reliquiis SS Vincentii, Zenonis, B. Joannis de Alverna, & Tunicæ S. P. N. Franciſci. Similiter die quinta Septembris conſecravit Eccleſiam S. Petri in Balneo, & varia loca S. Alvernæ Montis, ut prodit ſequens monumentum.

Anno MDLXVIII. die Peregrini, ex licentia, & facultate SS. D. N. Pii P. V. conceſſa ad inſtantiam Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Chriſtophori Madrutii Cardinalis, & Epiſcopi Tridentini, Reverendiſſimus F. Franciſcus Sala- Ex libro Salvatoris Vitalis de S. Alvernæ Monte pag. 6. *zar Ord. Min. S. Franciſci Hiſpanus Provinciæ Bæticæ Epiſcopus Salaminenſis ad requiſitionem Adm. Rev. P. F. Pauli a Sovaggio Min. Provincialis Tuſciæ, & Ven. P. F. Gregorii de Raſſina Guardiani Alvernæ conſecravit hanc Eccleſiam novam, & hoc Altare majus cum Cimiterio, & vocavit ipſam Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, concedens, ut ibi Chriſtifidelium corpora ſepeliri poſſent, & gauderemus Indulgentiis, quas SS. Pontifices conceſſerunt viſitantibus Eccleſias conſecratas. Et in hujus fidem prædictus Prælatus de Salamina ſubſcripſit hoc ſua manu, cui apponi fecit ſigillum, & ſubſcriptionem ſui Secretarii. Similiter conſecravit duo Altaria hujus Eccleſiæ, omniaque fecit gratis &c.* Sequuntur ſubſcriptiones ejuſdem Epiſcopi, Pauli de Sovaggio, Gregorii Raſſinenſis, & Marci Antonii de S. Severino Notarii Apoſtolici.

CIX. Reperio in MSS. S. Montis Alvernæ, eumdem Epiſcopum die 22. Aprilis conſecraſſe tria Altaria parvæ Eccleſiæ S. Mariæ; & die nona Maji Sacellum Sacrorum Stigmatum, & S. Sebaſtiani.

CX. Provinciam S. Jacobi, aliaſque duas defeciſſe hoc anno ab obe- Rodulphus lib. 2. pag. 283. dientia Generalis Conventualium ſcribit Rodulphus, qui illius Cuſtodias hoc ordine recenſet: *Cuſtodia S. Jacobi, Aurienſis, Legionenſis, Zamorenſis, Salmaticenſis, Conimbricenſis, Ulixipponenſis, Eborenſis.* Agit Emmanuel a Spe de Conventu S. Pauli de Monte, fundato a F. Gundiſalvo Emmanuel a Spe lib. 10. cap. 34. pag. 448. & ſeq. Marinho, ejuſque ſocio anno 1392. in Eremitorio S. Pauli non procul a Conventu de Moſteiro ad latus maris in editiſſimo monte, qui Gallæciam reſpicit, prope Villam Novam de Cerveira in valle ſitam. Vocabatur S. Paulus de Serra, vel de Penhas, vel de Miraculis. Ceſſit hoc anno Obſervantibus. Quieſcunt inibi Petrus Didacus, vel Dias, unus ex primis Obſervantiæ reſtauratoribus in Luſitania, & Antonius de Conimbria defunctus anno 1600. dictus communiter *Frater Sanctus*.

CXI. Regium Cœnobium S. Jacobi Septæ Africanæ oræ Civitatis Ibidem. lib. 11. cap. 18. pag. 592. fundatum anno 1420. a Petro Infante Portugalliæ in ipſo Maurorum delubro, habitarunt Fratres SS. Trinitatis, locum eis aptiſſimum ad Captivorum redemptionem, concedente Sebaſtiano Rege Portugalliæ, & Hen-

Henrico Cardinali. Incoluerunt Obſervantes Conventum S. Franciſci
Civitatis Guardiæ ſex leucis a Villa Cavæ Julianæ, Covillianio, ſeu de Ibidem lib 4. cap. 17. pag. 435.
Couilham, ex orientali latere Serræ de Eſtrella in montanis conſtructæ Gonzaga in Prov. Portugal. con. 19.
a Rege Sancio II. ad reprimendas Maurorum irruptiones. Scribit Gon-
zaga, domum ad Templarios ſpectaſſe; ignorari autem ſub quonam Re-
ge Franciſcanis obvenerit. At icimus, initio anni 1246. recenſeri ejus Emmanuel a Spe ibidem pag. 432.
Guardianum una cum Guardiano de Couilham; quod oſtendit, Regem Petavius Rationarium Temporum tom. 2. pag. 232.
fuiſſe prædictum Sancium, qui Civitatem fundavit circa annum 1236.,
regnumque produxit ad annum uſque 1247. Ex his etiam Waddingus
corrigitur, aſſerens, Cœnobii vetuſtatem ultra annum 1320. ex proba-
tis monumentis deduci non poſſe, quod neſcio, quomodo conciliari Annales Min. an. 1268. num. 11.
poſſit cum iis, quæ refert de Domina Oppidi Linhares Lupa nuncu-
pata in Templo Minorum Urbis Guardiæ ſepulta anno 1275. Florue- Ibidem an. 1275. num. 5.
runt ex hoc loco præter Petrum Guardienſem, cui iu Conventu S. Bernar-
dini Maderæ exſtructum eſt Sacellum, & Altare, de quo auctoritate
Summorum Pontificum bis ſolemnes informationes pro ejus Canoniza-
tione factæ ſunt; alter Petrus de Guardia Laicus Botelho nomine ſe-
pultus & ipſe in Inſula Maderæ; Sixtus de Guardia tumulatus in Con-
ventu Vimarani; & duo Martini de Guardia Martyres in Indiis, quo- Emanuel a Spe lib. 4. cap. 11. pag. 422. & ſeq.
rum unius tantum meminit Arturus.

CXII. Laudatus Emmanuel a Spe coævum dicit Cœnobium Guar-
diæ alteri S. Franciſci de Couilham, fundato circa annum 1235., &
hoc item tempore Obſervantibus tradito, qui Regularem Diſciplinam in Arturus die 24. Decembris.
illud induxerunt. Jacet in hoc loco Emmanuel de Azevedo vir perfe-
ctiſſimus, magnæque apud omnes exiſtimationis. Populus ad ejus funus
anno 1599. frequentiſſimus confluxit, nec permiſit, ut in communi
tumulo conderetur. Ejuſdem domus alumni fuerunt Bartholomæus de
Bracara, de quo ad annum 1634., quo obiit in Cœnobio Dominæ No-
ſtræ Ville de Sardoal, & Joannes de Tavira defunctus anno 1545. in
Cœnobio S. Eulaliæ de Marchena, vir magnarum virtutum, admirabi- Gonzaga in Provincia Bæticæ con. 7.
lis pœnitentiæ, & devotionis, doctus Eccleſiaſtes, & linguarum exoti-
carum peritiſſimus. Clemens VII. ad inſtantiam Mercatorum Portugal-
liæ, & Hiſpaniæ, qui Metelburgi, vel Middelburgi in Zelandia ne- Annales Min. an. 1418. num. 10.
gotiabantur, eum inſtituit eorum interpretem, & Sacramentorum Mi-
niſtrum: *Dilectis in Chriſto*. Die 29. Januarii 1527. Functus laudabili- Monumenta Provinciæ.
ter munere, redivit ad Cœnobium ſuum de Couilham, priſtina ſtudia
reſumens optimarum virtutum, quibus mox populo innotuit. Ut igi-
tur in ſilentio, & humilitate Deo famularetur, abiit in Provinciam Bæ-
ticam, ubi Cœnobio S. Eulaliæ abſconditus in oratione, abſtinentia,
& ſuaviſſimis ecſtaſibus vitam perpetuo duxit, & explevit.

CXIII. Sex Religioſi ſub Præſidente Antonio Pinto ex Conventu
SS. Conceptionis de Matozinhos Reformationem peregerunt in Conven-
tu Regio S. Franciſci Portus prope Navale Civitatis ad oſtium fluvii Du- Emmanuel a Spe ibid. cap. 5. & ſeq. Pag. 411.
rii nobiliſſimæ, quem Clauſtrales incolebant, inſtituto in primum Guar-
dianum Antonio de Santarem, ingenio, & pietate præſtanti, ipſiſque
Clauſtralibus ſeveriorem diſciplinam cupidiſſime amplexantibus, quos
inter Chriſtophorus Portnenſis Provincialis, & Antonius Cabrito Guar-
dianus. Eum Fratres Minores fundarunt circa annum 1233. non ſine Annales Min. an. 1568. num. 13.
multis contradictionibus ex parte Chriſtiani Decani Capituli Portuen-
ſis, ad quem, ut inquit Waddingus, Gregorius IX. literas dedit, ut a
moleſtiis ceſſaret. Verum Pontifex ad Capitulum, & D. Petrum Sal-
vador

Digitized by Google

vador Epiſcopum ſcripſit, non ad Decanum Capituli: *Attendentes dilecti Filii*. Die 20. Maji anno 1233.; etſi in literis Decanus nominetur his verbis: *Decano Portugalenſi in ipſis* (Fratribus) *Chriſtum adeo damnabiliter perſequenti*. Aliæ exſtant Gregorii literæ circa idem negotium: *Non eſt induſtria Paſtoralis*. Die 24. Maji, adverſus Epiſcopum. *In honore ſubditis impenſo*. Die 23. Junii adverſus Capitulum, ambæ anni 1237., quarum executio commiſſa fuit Archiepiſcopo Bracarenſi, & Epiſcopis Viſenſi, & Lamacenſi. Aliæ etiam: *Dilecti Filii*. Die 4. Auguſti, ad Archiepiſcopum Bracarenſem, Decanum, & Cantorem: *Quos dilecti*. Die 7. Auguſti, ad Capitulum Bracarenſem. Præterea Innocentius IV. ſcripſit ad Epiſcopum Portuenſem: *Dolentes accepimus*. Die 1. Junii, ubi hæc habet: *Religionis æmulus, turbator quietis, ac bonorum operum impugnator in offenſam Dei non modicum, in Fratres Minores Portugalliæ commorantes, Patris charitate deſerta, ſæviens veluti hoſtis*. Claruerunt inibi Paulus de Azevedo Apoſtolus Indiarum Occidentalium, Gundiſalvus de Vallebona Miniſter Generalis, Ægidius Epiſcopus Folienſis, Andreas de Portu fundator Conventus S. Bernardini de Atougia, Pantaleo, Antonius, Amadeus, & Martinus de Portu, Antonius de Padrão, Franciſcus de Chagas Ulyſſiponenſis, Pacificus de Viſeu, & quamplures alii.

CXIV. Domus recenſitæ ſpectant ad Provinciam Portugalliæ, in qua etiam reformata ſunt hoc anno Monaſteria Monialium, inter quæ Monaſterium S. Claræ Amarantii, introductis in illud Reformatricibus ex Monaſterio Villæ Comitis Joanna de Matre Dei, & Joanna a Jeſu, utraque ex familia de Ataydes, & Coſma Pinta muliere ſæculari, quæ ibi emiſit profeſſionem. Regium Monaſterium S. Claræ Conimbricæ, cujus tamen Moniales ægre paſſæ ſunt reformari. Henricus Cardinalis Portugalliæ ex mandato Pii V. in eo conſtituit Abbatiſſam D. Mariam de Chagas filiam Ducum Brigantiæ Jacobi, & Joannæ de Mendoça profeſſam in Monaſterio des Chagas Villæ Vitioſæ, Druzianam Evangeliſtam Chori Vicariam, Roſam a Conceptione Oſtiariam, Monicam de S. Auguſtino Magiſtram Novitiarum, Angelam, & Iſabellam, omnes ex Monaſterio Villæ Vitioſæ, & D. Cæciliam de Menezes Vicariam Domus ex Monaſterio SS. Conceptionis Pacis Juliæ, ſeu de Beja.

[Margin: Emmanuel a Spe lib. 9. cap. 5. pag. 214.]

[Margin: Ibidem lib 6. cap. 28. pag. 67. & seq.]

CXV. Clauſtrum Monialium Tertiæ Regulæ S. Franciſci de Pœnitentia Cracoviæ, Provinciali Miniſtro Nicolao Roxolano, reſtauravit Joannes Corcbachius Canonicus Cracovienſis maximo ſumptu ab incendio, quo penitus arſerat. Moniales Clariſſæ Regularis Obſervantiæ ſub habitu Capuccinorum Eugubii dictæ de Bono Jeſu obtinuerunt a Pontifice facultatem emittendi profeſſionem in manibus Cardinalis Protectoris Capuccinorum, aut alterius ab eo delegati, ejuſque regimini ſubeſſe cœperunt: *Prudentium Virginum*. Die 30. Junii.

[Margin: Monumenta Provinciæ Poloniæ.]

CXVI. Reformatrices accepit Monaſterium Tertii Ordinis S. Claræ Caxallæ a Monaſterio S. Claræ Palmæ Blancam de Columna Præfectam, Franciſcam de S. Maria, Franciſcam de Angelis, Mariam de Spiritu Sancto, Iſabellam ab Incarnatione, Mariam de S. Franciſco, & Leonoram de Angelis, quæ brevi tempore inibi Regularem Obſervantiam reſtituerunt. Ex Monaſterio SS. Coſmæ & Damiani, alias S. Coſmati de Urbe Ordinis S. Claræ de Obſervantia electæ ſunt Reformatrices Monaſterii S. Sylveſtri de Urbe Ordinis S. Claræ Conventualium Damiana, Chriſtina, Gabriela, Catharina, Antonia, & Archangela, prima in Abbatiſſam renuntiata cum facultate ex aliis Vicariam conſtituendi

tuendi, & Officiales: *Cupientes*. Die 7. Julii. Quum vero Damiana morbo impediretur, deputata eſt in Abbatiſſam ex literis Cardinalis Cribellii ad Cæſarem Glorierium die 19. Julii, Soror Seraphina, quæ ſecum ducere debebat Gabrielam, Catharinam, Martham, Cherubinam, & Euphroſinam ex eodem Monaſterio S. Coſmari. Verum ne hæc quidem diſpoſitio locum habuit, Chriſtina in Abbatiſſam electa.

CXVII. Vincentio Epiſcopo Montis Regalis commiſſa eſt reformatio Monaſterii S. Claræ Ordinis Conventualium Oppidi Cunii, & facultas illud, ſi expediret, uniendi Monaſterio SS. Annuntiationis Ordinis S. Claræ de Obſervantia: *Intelleximus*. Die 14. Julii. Friderico Epiſcopo Bergomenſi reformatio, & cura Monaſterii Bergomenſis S. Claræ Ordinis S. Franciſci de Obſervantia: *Exigit tuorum*. Die 19. Januarii. Julio de Ruvere Cardinali, & Archiepiſcopo Ravennati ſuppreſſio Monaſterii S. Pauli Ravennæ, ejuſque unio cum Monaſterio S. Claræ, quæ ad Minores Conventuales ſpectabant: *Poſtquam Dominus*. Die 28. Februarii.

CXVIII. Circa hoc tempus Monaſterium S. Claræ Juliæ Pacis Clariſſarum Conventualium reformationis legibus ſe ſubmiſit; fatetur enim Gonzaga, tempus, quo id contigit, ignotum eſſe, & aliunde valde veriſimile eſt, hoc anno id factum. Moniales Oppidi S. Stephani in Tuſcia Apoſtolicum privilegium impetrarunt exeundi ſtatis diebus ad eleemoſynas conquirendas; ſed non multo poſt ſe illo abdicarunt. Abbatiſſæ munus obeundum ſuſcepit, ſeu potius in eo munere confirmationem Pontificiam obtinuit Catharina de Ponze tranſlata a Monaſterio SS. Conceptionis ad Monaſterium S. Joannis de Pœnitentia Ordinis S. Claræ ſub regula S. Franciſci de Obſervantia fundatum in oppido Belviſii a Beatrice de Monroy, & Ayala Comiriſſa de Oropeſa, & Seytola: *Exponi Nobis*: Die 23. Octobris. Joanna Barartuccia a Monaſterio de Jeſu Capuæ Ordinis S. Claræ ſe tranſtulit ad arctius Monaſterium ejuſdem Ordinis S. Claræ Capuccinorum S. Mariæ de Hieruſalem Neapolis: *Exponi Nobis*. Die 25. Maji. Joanna Frocs indulto Pontificio recepta eſt in Monaſterio Ulyſſiponenſi B. Mariæ de Spe Ordinis Minorum S. Franciſci, etſi obſtarent anteactæ ordinationes: *Exponi ſiquidem*. Die 7. Decembris. Datæ ſunt literæ ad Archiepiſcopum Neapolitanum, ut procedat contra Iſabellam quondam Fabii Capiſcii, quæ egreſſa a Monaſterio S. Hieronymi Tertii Ordinis S. Franciſci matrimonium contraxerat: *Quum nuper*. Die 8. Maji. *Gonzaga in Prov. Algarbiorum Mon. 12.*

CXIX. Tertii Ordinis Moniales S. Apolloniæ de Oliva, & S. Margaritæ de Scala prope Templum S. Mariæ Tranſtiberinæ de Urbe emittere cœperunt quartum votum Clauſuræ. Moniales Tertii Ordinis, quæ habitabant in Monaſterio S. Eliſabeth, & in aliis duobus Monaſteriis, privatiſque quatuor domibus, tranſlatæ ſunt ad Monaſterium S. Jacobi de Maractis juxta fontem Trei, ſeu Aquæ Virginis, & unitæ cæteris Sororibus hujus incolis. Ex duobus Monaſteriis, ſeu parvis Tertiariarum ædibus ſibi contiguis in Monte Citorio non longe a Curtio Lacu, & Antonini Pii Columna, exſtitit unum ſatis amplum ſub titulo S. Crucis. Monaſterium Metellini in Provincia S. Michaelis deſertum decem ſeptem ab hinc annis a Sororibus Tertii Ordinis occuparunt Moniales Conceptioniſtæ, Ludovico Zapata Provinciæ Miniſtro id curante. *Gonzaga in Prov. Romana Mon. 4. 5. & seq.* *Idem in Provincia S. Michaelis Mon. 17.*

CXX. Neapoli tranſlata ſunt a cura Minorum Conventualium ad Obſervantes Monaſteria S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Egyptiacæ, utrum- *Idem part. 1. pag. 141. & seq.*

trumque ſub Regula S. Auguſtini; & Corporis Chriſti, ſeu S. Claræ, in quo primus Guardianus inſtitutus eſt Joannes de Vicis jam memoratus. Exſtant de hoc loco ſequentes literæ.

Diletto Filio Ludovico Puteo Tertio Ordinis Fr. Min. de Observantia Miniſtro Generali.

Ex lib. I. Secr. Brevium B. III. pag. 58.

PIUS PP. V.

Dilecte Fili ſalutem. Ex dignis, & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus volumus, ac tibi in virtute S. Obedientiæ mandamus, ut aliquos tui Ordinis profeſſores ex partibus Lombardiæ oriundos, provectæ ætatis, exemplaris vitæ, bona fama, atque doctrina Neapolim proficiſci jubeas, eiſque mandes, ut curam, & regimen dilectarum in Chriſto Filiarum Monialium Monaſterii S. Claræ ejuſdem ſuſcipiant, eamque habeant, ac deinceps, ſicuti ſperamus, laudabiliter exerceant. Quod a te diligenter, & ſecreto fieri cupimus, ita ut operam, & dexteritatem in eo tuam merito collaudare poſſimus. Contrariis non obſtantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum die XVII. Julii MDLXVIII. An. III.

Cæſar Glorierius.

CXXI. Nonnullæ Sorores Tertii Ordinis in Hiſpania moleſte tulerunt, ſe ad perfectioris vitæ normam revocari, præcipue quoad Clauſuram. Hinc Pontifex non ſolum ſcripſit Antonio de Toleto Priori Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani in Regno Legionis: *Quum conſtitutionem noſtram*. Die 15. Januarii, ut Moniales Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, & Sorores Tertii Ordinis recluderet; ſed inſuper ſcripſit *Dilectis Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterii Matris Dei Oppidi de Alva Tertii Ordinis, ſeu de Pœnitentia Salmaticenſis Diœceſis; Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterii S. Eliſabeth Tertii Ordinis, ſeu de Pœnitentia Salmanticæ; Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſteriorum S. Marthæ, & S. Mariæ Tertii Ordinis de Pœnitentia Zamoræ. Quibus omnibus ſcriptum fuis ſub eadem data, ut ſupra, ſuper conſtitutione de Clauſura Monialium ab eis obſervanda.*

Ex Regeſto Vaticano.

CXXII. Intra mænia Baruli, ſeu Barlettæ Diœceſis Tranenſis exſurgit Monaſterium S. Mariæ de Victoria, Tertii Ordinis a Gonzaga appellatum. Et revera Sorores Tertiariæ, & nobiles in quadam domo conjunctim vivebant, abſque voto Clauſuræ, quæ in Eccleſia Cœnobii S. Andreæ Sacramenta frequentabant, ibique earum corpora ſepeliebantur. Hoc anno eamdem domum propriis expenſis amplificantes, & votum perpetuæ Clauſuræ emitteutes ſecundam Regulam S. Claræ amplexæ ſunt, primaque omnium ſacrum velum accepit Soror Antonia de Roſellis de Barulo. Moniales XLII. exemplaris vitæ inibi commorantur.

Gonzaga part. 2. pag. 407.

De Faſano part. 1. cap. 8. pag. 70.

CXXIII. In Civitate Melphis intra mænia fundatum eſt Monaſterium Monialium, quæ licet ex Pontificia conceſſione ſub Regula S. Benedicti militarent, tamen habitum S. Claræ, ex alia Pontificia conceſſione, acceperunt, & usque hodie deferunt. Subjectæ ſunt Epiſcopo numero LVIII., quarum Fundatrices, ſeu Magiſtræ fuerunt Soror Felix Minerbina, Soror Olimpia de Paſchale a Matera, Soror Clara Giacina de Tricarico, quæ fuit prima Abbatiſſa, aſſumptæ a Monaſterio Materenſi.

Ibidem pag. 71.

CXXIV. Benigna de Romano Matrona religioſiſſima, & Tertiaria Capuccinorum ædificavit Siracuſis Cœnobium S. Crucis Mulierum Pœniten-

tentium, ſeu Repentitarum, illudque, Epiſcopo Joanne de Arze indulgente, die quarta Maji ingreſſæ ſunt ſeptem feminæ ſub Abbatiſſa Sorore Deodata de Galeco Moniali Monaſterii S. Benedicti.

Rochus Pirrus to. 1. Sicil. Sac. pag. 658.

CXXV. Hoc anno profeſſionem emiſit inter Min. Obſervantes die 25. Martii Aſtolphus Servantius de S. Severino ſub nomine Fratris Valentini, olim Scriptor in Concilio Tridentino. Exſtat ejus Diarium MSS., teſte Cardinali Garampi Epiſcopo Montis Faliſci. Eligitur Epiſcopus S. Joannis Portus divitis, ſinus Mexicano, ad Orientem Hiſpaniolæ ſexdecim circiter leucis Hiſpanicis, & ad Auſtrum Americæ Meridionalis centum triginta circiter leucis, F. Andreas de Caravajal præſentatus a Rege Catholico: *Apoſtolatus officium*. IV. Non. Junii. Julius II. ad inſtantiam Reginæ Joannæ, quæ Hiſpaniam moderabatur una cum Patre ſuo Ferdinando, Eccleſiam in Epiſcopalem erexit anno 1511. Exinde Andreas translatus eſt ad Eccleſiam Archiepiſcopalem Inſulæ S. Dominici, & ſucceſſit Alphonſo de Fuente Major.

Saggi d'oſſervazioni sul valore dell' Antiche monete Pontificie Append. pag. 307.

CXXVI. Reverſus a Gallia Angelus Juſtinianus, præclariſque laboribus functus renuntiatur Epiſcopus Eccleſiæ Gebenneſis, ſeu Genevæ, vacantis per obitum Franciſci Epiſcopi: *Apoſtolatus Officium*. III. Idus Octobris. Viri hujus laudes exſcripſimus ex Uberto Folieta. Sixtus Senenſis, poſt enumeratos ſermones varios in Pentateuchum, quos habuerat ab Ambroſio Mediolanenſi Monacho Caſſinatenſi, indicem ſubjicit aliorum ſermonum in cætera Pentateuchi volumina, & ait: „ Subjectos ſermones vidimus in vetuſtiſſimo Græco Codice ſcripto, quem „ nobis ſuppeditavit Angelus Juſtinianus Chyus Minorita inſignis Theologus, qui nuper ex Græciæ ruinis Bibliothecam antiquiſſimorum „ Orientalium Eccleſiæ Patrum monumentis inſtructam multo ære, & „ labore collegit, eamque ſecum veluti ſacrum quemdam theſaurum „ in Italiam advexit „. Meminit etiam ejus alibi his verbis. „ Catena „ Græca in totum Evangeliorum corpus habetur Genuæ in Bibliotheca Angeli Juſtiniani Minoritæ in membranis vetuſtiſſimis, conſcripta „ ab incerto Auctore, ex diverſis Græcis Patribus collecta „. Antonius Hortenſius de ipſo ſic elegantiſſime cecinit.

Sixtus Senenſis Biblioth. Sancta tom. 1. lib. 4. pag. 354.

Ibidem pag. 348.

Prodiit ecce alios inter velut Heſperus ignes
  Abs te Heros alius, Juſtiniana domus.
Qui lolio avulſo, divinæ ſemina frugis
  Ad Rhodanum larga ſpargit opima manu.
Quanto ille eloquio, quantis virtutibus Orbem
  Illuſtrat! quales edidit ore ſonos!
Sive minis populum terret, ſeu laudibus urget,
  Nititur obliqua ſeu revocare via.
O Paſtore tuo Rhodani nimis accola felix!
  Felix tam ſanctum Gallia nacta virum!

CXXVII. Non prætermittemus hic elogium, quod de eo texit S. Franciſcus de Sales, excerptum ex ejus præfatione inſerta Rituali Sacramentorum ad præſcriptum S. Romanæ Eccleſiæ juſſu ſuo Lugduni edito anno 1612. Sic autem inquit: „ Quo vehementiori conatu, ac uberiore intemperantia in Sacramentorum numerum, dignitatem, cul- „ tumque hoſtes Eccleſiæ aciem converterunt, eo fortius, ac firmius „ pro ſacro illo ſeptenario numero, pro rituum religioſa ſolemnitate, „ ac rerum Sacramentalium ſanctitate ab omnibus primum Antiſtitibus in Auguſtiſſimo Concilio Tridentino conjunctim, deinde vero

,, etiam a plerisque ſere omnibus in ſuis Provinciis ſeorſum majore ſem-
,, per alacritate certatum eſt. Inter hos autem ex noſtris prædeceſſo-
,, ribus magnum Angelum Juſtinianum incomparabilis doctrinæ, & in-
,, genii virum, e Concilio, cui interfuerat, redeuntem maximam ope-
,, ram huic rei impendiſſe meminimus; ſed cum recenti, ac miſeranda
,, Gebennenſis Civitatis defectione hanc Diœceſim univerſam tantiſper
,, exagitatam reperiſſet, primam laborum ſuorum partem in aſſerenda
,, fide Catholica collocandam cenſuit. Quamvis enim inter populares
,, noſtros nemo palam hæreſim profiteretur; aliqui tamen hæreſis cri-
,, men non ita (ut par eſt) execrandum exiſtimabant: homines non
,, frigidi quidem, ſed certe neque etiam calidi in fide. Pauci quoque
,, aliquot Scioli rerum, literarumque humaniorum ſectatores ritus
,, catholicos non ſane damnare; ſed tamen ad cenſuram, & in diſcri-
,, men ſuo judicio examinandos revocare contendebant. Quibus om-
,, nibus animorum ægritudinibus eximia, qua pollebat, de rebus Di-
,, vinis dicendi, ac diſſerendi virtute, frequentiſſimis concionibus, pri-
,, vatiſque colloquis remedium præſentiſſimum attulit Optimus Pontifex;
,, effecitque tandem ut paſſim in Diœceſi, ſed in hac maxime Civi-
,, tate (nempe Anicienſi) hæreſeos, hæreticorumque nomen infame,
,, horrendum, ac abominandum omnibus videretur, & eſſet. In his
,, ergo curis, nec non variis, difficillimiſque nodis diſſolvendis, qui-
,, bus temporum, hominumque malitia optimorum Patrum conatus im-
,, pedire ſolet, diſtentus, & implicatus non potuit Antiſtes, quantumvis
,, vigilantiſſimus, & fortiſſimus, brevi duodecim annorum ſpatio, qui-
,, bus Epiſcopatum geſſit, externum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Sacramen-
,, torumque ſplendorem penitus reſtituere. Porro igitur in ejus locum
,, ſucceſſit Claudius de Granier ,,.

CXXVIII. Occurrunt literæ Regis Catholici, quibus nota fit Indis erectio veteris Eccleſiæ S. Marthæ, quæ exſtabat in Civitate S Fidei, in Eccleſiam Metropolitatam, ut diſpoſuerat anno 1564. Pius IV., rem in Conſiſtorio promovente Cardinali Gonzaga; & mittitur Pallium ad novum Archiepiſcopum Joannem de los Barrios.

R E X

Admodum Rev. in Chriſto Patres Archiepiſcopi Civitatis Regum, Provinciarum Peruviæ, & Civitatis S. Dominici Inſula Hiſpaniola, & veſtrum quilibet. Noveritis, quod Sanctitas Sua ad noſtram ſupplicationem conceſſit, & ordinavit, quod Epiſcopatus Provinciarum S. Marthæ, & Novi Regni Granatenſis ſit Archiepiſcopatus; ac propterea expedivit Bullas, & Pallium dicti Archiepiſcopatus in perſona D. Fratris Joannis de los Barrios, quumque, ut perſpicietis ex præſatis Bullis, Sanctitas Sua mandet, ut Provinciæ Carthagena, & Popayan, in eo, quod attinet ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, ſint ſubjectæ dicto Archiepiſcopo, & ad eum recurrant in caſu appellationis; hinc volumus, ut omnia in dictis Bullis contenta obſerventur; & ſic neceſſe eſt, ut fiat, ad ſervitium Dei Domini Noſtri, bonum, & decus illius regionis, & Indorum Naturalium, Hiſpanorumque, qui illic degunt. Vos rogo, vobiſque committo, ut quiſque veſtrum pro parte ſua id obſervet, in quo opera veſtra mihi gratiſſima obveniet. Ex Pardo die XXX. Januarii MDLXVIII. Ego Rex. De mandato Majeſtatis ſuæ Franciſcus de Eraſo.

CXXIX. Conceſſit Pontifex Guardiano Conventus S. Franciſci Hiſpalenſis, ut teſtamentum Joannis Fernandez de Reboledo libere exequeretur: *Exponi Nobis*. Die 4. Novembris. Fratribus de Obſervantia, qui mino-

Minoribus Conventualibus in Hiſpania ſucceſſerunt, jus iis omnibus privilegiis tam in proceſſionibus, quam in publicis actibus fruendi, quibus Conventuales ipſi fruebantur: *Accepimus nuper*. Die 6. Octobris. Miniſtris Provincialibus Minorum in Indiis vivæ vocis oraculo indulſit, ut eligerent duos Fratres doctos, qui poſſent absolvere a caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ. Prohibuit, ne libri extraherentur ſine licentia Prælati a Bibliothecis Minoriticis: *Quum ſicut accepimus*. Die 4. Novembris. Dedit Indulgentias Clariſſis Monaſterii Bituricenſis: *Salvatoris Noſtri*. IV. Nonas Januarii, & Clariſſis Monaſterii S. Claræ extra muros Pariſienſes: *Unigenitus Dei*. IV. Nonas Martii. Permiſit Minoribus de Obſervantia recitationem Officii Corporis Chriſti extra tempus Quadrageſimæ, & Adventus, qualibet feria quinta, in qua non occurrat feſtum duplex, vel ejus octava: *Exponi Nobis*. Die 8. Januarii. Quod etiam extendit ad Moniales.

CXXX. *Nos Alexander miſeratione divina tituli S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Cribellius nuncupatus vice Protector Ordinis S. Franciſci. Omnibus, & ſingulis praeſentes literas inſpecturis, lecturis, & audituris fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter SS. in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Pius Divina Providentia Papa Quintus viva vocis oraculo nobis facto ad inſtantiam Reverendi Patris Fratris Joannis de Aguilera Commiſſarii Curiæ Romanæ Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ omnibus, & ſingulis Monialibus etiam Tertiariis, & earum Cappellanis, & Confeſſoribus, propter maximam devotionem, quam ad Sanctum Sacramentum Euchariſtiæ habent, conceſſit, & indulſit, quod in qualibet feria quinta Officium corporis Chriſti ſecundum uſum S. Romanæ Eccleſiæ infra octavam ipſius Feſti recitari ſolitum, in qua tamen non incidat aliquod feſtum duplex, aut octava Domini Sabaoth, aut octava B. Mariæ Virginis cum commemoratione Feſti, quod in eadem feria quinta inciderit, recitando ſatisfaciant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi officium aliquod recitandum ex regularibus ipſius Ordinis inſtitutis tenentur, recitaſſent, & Officium Corporis Chriſti hujusmodi in dicta quinta feria recitando, ad alaud Officium recitandum minime teneantur; nec propterea aliquas cenſuras, aut pœnas incurrant; non obſtantibus privilegiis, & literis Apoſtolicis, ac quibuscumque in contrarium facientibus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, in ædibus noſtræ ſolitæ Reſidentiæ ſub anno a Nativitate Domini MDLXVIII. Indictione undecima; die vero menſis Maji Pontificatus prælibati SS. D. Noſtri Papæ Pii V. anno III.*

CXXXI. Varietatem, & novitatem in perſolvendis Divinis officiis amovere cupiens Pontifex approbavit Breviarium Romanum, in quo pro Feſto Conceptionis aſſignatur Officium Nativitatis B. M. Virginis, mutato Nativitatis nomine in nomen Conceptionis, & ſuppreſſis Officio: *Sicut lilium*, & Miſſa: *Egredimini*, diſpoſitis a Leonardo de Nogarolis Ordinis Minoritici, approbatisque a Sixto IV. per Conſtitutiones: *Quum procelloſa*, & *Grave nimis*. Ex monumentis repertis in Bibliotheca Chiſiana, quæ ipsemet vidi, colligitur, Patres Concilii Tridentini prædictis Miſſa, & Officio uſos fuiſſe; quod etiam patet ex Miſſali Romano, edito Venetiis anno 1558., in quo pagina prima charactere antiquo legitur: *Pro uſu S. Concilii Tridentini*. Exſtat in Bibliotheca Barberina. In veteribus Miſſalibus nulla fere alia Miſſa reperitur, idemque contingit in Breviariis, quoad Officium. Fatendum tamen eſt, rem abuſu non caruiſſe; in Miſſali enim anni 1556. habetur Miſſa *Egredimini* paullo diversa a con-

Marcus Antonius Gravois de ortu Immaculati Conceptus art. 7. num. 35. & seq.

Anno Christi 1568.	Pii V. anno 3.	Maximiliani II. anno 5.	Religionis Minorum anno 361.

a conſueta, in qua ad *Gloria in Excelſis* dicitur: *Tu ſolus Sanctus Maria fabricaſti. Tu ſolus Dominus ab Originali peccato præſervaſti*. Verſiculus Gradualis: *Qui mundum poteſt facere de immundo conceptum ſemine, me formavit Deus meus ſine ullo crimine*. Communio: *Beata, & Immaculata Conceptio Glorioſiſſima Virginis Mariæ, quæ a Filio ſuo præſervata neſcivit labem Originalis peccati*. Hæc non parum redundantia videntur.

CXXXII. Mulieres ſæculares in Regno Portugalliæ obtinebant paſſim licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium a Prælatis Ordinum Regularium, inter quos a Fratribus Minoribus. Id ut impediret Pontifex ſcripſit Henrico Cardinali Portugalliæ: *Invaluiſſe*. Die 26. Maji. Declaravit ſimiliter vivæ vocis oraculo facto Cardinali Cribellio die 27. Januarii, ut in aliquibus tantum caſibus, ſcilicet quando in Monaſteriis, & locis Regularium Miſſa, & Divina Officia, vel proceſſiones celebrantur, vel Chriſtifidelium cadavera ſepeliuntur, & ſuffragia fiunt, vel Divinum verbum in Eccleſiis proponitur, vel propter aliam quamcumque cauſam eſt tantus populi concurſus, ut per portam Eccleſiæ ingreſſus, vel egreſſus non pateat, mulieres, aliæque ſæculares perſonæ poſſint ingredi, & egredi recto tramite per portam clauſtri Monaſteriorum, & regularium locorum.

Rodericus in Bull. pag. 448.

Anno Christi 1569.	Pii V. anno 4.	Maximiliani II. anno 6.	Religionis Minorum anno 362.

ARGUMENTUM.

Vitam dant Minoritæ pro fidei Catholicæ confeſſione. Heretici Cœnobia diruunt. Decedunt viri docti, & Sancti. Creſcit Conventuum, & Monaſteriorum numerus. Ponitur fundamentum Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum prope Aſſiſium. Eriguntur Provinciæ in Indiis Occiduis. Nonnulla ſtatuit Summus Pontifex. Incipiunt Acta S. Franciſci Solani. Expenditur teſtimonium Abrahami Bzovii, & Jacobi de Laderchio. Notantur conceſſiones Summi Pontificis.

I. MAxima bonorum omnium gratulatione Catholici in Gallia de fœderatis Hugonottis triumpharunt, publicaſque idcirco, & ſolemnes Supremo Numini gratiarum actiones reddidit Sanctiſſimus Pontifex, indictis tribus ſupplicationibus, die 19. Octobris, a S. Maria ſupra Minervam ad Baſilicam Liberianam, a S. Maria de Aracæli ad Baſilicam Lateranenſem, & a Baſilica Vaticana ad S. Ludovicum Gallorum. Lego apud Gabutium, ſigna militaria ab hoſtibus erepta, quæ anno inſequenti illata ſunt in Baſilicam Lateranenſem, ad Urbem detuliſſe Paulum fratrem Comitis S. Floræ, poſt cæſos, profligatoſque Hugonottos Nonis Octobris in Moconturii, ſeu Mongunturcii planitie in Pictonibus. In Epiſtolis vero Pontificiis editis a Franciſco Goubau reperio Epiſtolam XVII. cum hoc titulo: *Signa militaria ab hoſtibus victis in Gallia accepit Pius V. die 27. Aprilis*. Hic ſane vel error latet in numeris, vel de aliis ſignis agitur, præſertim quum duæ pugnæ hoc anno in Gallia commiſſæ noſtris feliciter ceſſerint, una ſimul ac Comes S. Floræ advenit Rupembellam, & Andegavenſis Ducis copiis ſuas junxit

Bonan. tom. I. Numis.Pont.pag. 302.

Gabutius in Vita S. Pii V. cap. 6.

junxit a Pontifice acceptas, altera in præfato Moconturii loco, qui Menſe Octobri inimicorum Catholicæ fidei ſanguine redundavit.

Montfaucon monument Monarchiæ Gall. tom. 5. pag. 168. & 178.

II. At Hydra illa multorum capitum, quæ miſerrimis hiſce temporibus rediviva cruore paſcitur, & ſtragibus, fortuniſque, & viſceribus etiam alienorum imminens impotenti rabie in Europam fremit univerſam, terribilium Dei judiciorum brevi exemplum futura; licet calcata, & preſſa victorum pedibus, animos tamen extemplo, & ferociam reſumpſit. Ejus veneno acti filii iræ in ſola Aquitania Recentiori diruerunt Minoriticum Cœnobium Neracenſe, & Caſtrogeloſianum fundata a Comite Abretenſi, Fratribus carceri mancipatis, verberibus affectis, fame, ſiti, & opprobriis vexatis, ſuſpenſiſque ex arbore Joanne Moreto, & Petro Veronenſi Sacerdotibus, Divini Verbi Concionatoribus, ante fores B. Mariæ Virginis; Cœnobium Martellenſe voracibus flammis traditum, Vociferrutenſe, & Nontronianum, ubi poſt everſam cunctam ſuppellectilem, excisſaque monumenta, die 16. Aprilis Satellites trucidarunt Joannem Borſerianum, Joannem Broſerium, & Matthæum Monfaionium Guardianum, Præſidem Cuſtodiæ Lemovicenſis, & Eccleſiaſtem, ob Catholicæ Religionis, & Pontificiæ auctoritatis confesſionem.

Gonzaga in Provinciæ Aquitaniæ Recent. con. 17. & 18.

Ibid. con. 41. 48. & 42.

III. Non abſimili furore concidit Cœnobium Marmandæ Diœceſis Aginnenſis in Aquitania Antiquiori, occiditque Joannes Goſſonius ſeptuagenarius in medio foro ad palum alligatus, & igneis balliſtis transverberatus, ac Raymundus Roiſſellius gladiis confoſſus pergens ad locum Belpuy ſacris operaturus rogatu D. de Vajamont Aginnenſis, & Condomienſis Seneſcalli. Hos duos Martyres, licet diſſentiente poſtremo Annaliſta, qui prioris tantum meminit pro arbitrio ad annum 1560., recenſent cum Waddingo Provinciæ monumenta, eiſque addunt Fratrem Predufour Conventus Guardianum, quem, expleto ſermone de ineffabili Myſterio Nativitatis Domini in oppido Gountant non longe a Marmanda, comprehenſum, coactumque fruſtra ad palinodiam recantandam, absciſſa tunica ad nates, & verendis nudatis, vulneribusque confectum Hæretici dimiſerunt.

Annales Min. anno 1291. num. 27.

IV. Combuſſerunt eædem flammæ Cœnobium S. Franciſci Inſulæ Diœceſis Lingonenſis in Provincia S. Bonaventuræ, uno tantum ſuperſtite Sacello, in quo octo Fratres poſtmodum divina perſolverunt. Cœnobium Crollai Diœceſis Turonenſis in Provincia Turoniæ Pictavienſis ad oram ſtagni Crolajani, Germanis militibus, quos *Reiſtros* vocant, flammas ſubjicientibus, quæ omnia abſumpſerunt. Cœnobium Tarbienſe in Provincia Aquitaniæ Antiquioris, & Aureliacenſe, quod direptione, & incendio in acervum lapidum abiit; ac demum Monaſterium Clariſſarum Montis Marſanici, ex cujus ruinis Moniales incolumes vix evaſerunt. Bertrandus a Lazanoba vir piiſſimus, & in fide defendenda conſtantiſſimus, profligata ab Hæreticis per omnem ditionem Bearnenſium Catholica fide, dum illam tueri vult, occiſus eſt, & quieſcit in Conventu S. Franciſci Orthefii inter ruinas, & pulverem.

Gonzaga in Prov. S. Bonaventuræ con. 25.

Idem in Prov. Turoniæ Pictavien. con. 18.

Idem in Provinc. Aquitaniæ Antiquioris con. 25. & 26.

Ibid. Mon. 4.

Chronicon Prov. Aquitaniæ Antiq. pag. 62.

V. Margarita Parva ex Rothomagenſi agro oriunda incidit in hoſtium manus, qui duce Gaſparo Collinio Mauritaniam vaſtabant; quumque illorum libidini reſiſteret, cecidit mucrone interempta die 27. Septembris in Monaſterio Primæ Regulæ S. Claræ apud Unellos, ſeu Uxellos. Baretii Interpres Joannes Blancona in verſione Gallica ſcribit, B. Margaritam Bajocis natam, quod in Baretii Chronicis habetur, non apud Gonzagam,

Gonzaga in Prov. Franciæ Pariſien. Mon. 4.

Baretius part. 4. lib. 7. pag. 23.

gam, cujus verba Baretius uſurpat. Corrigit deinde Hiſtoricum, qui ſignat Mauritaniæ oppidum prope Unellos, hac nota: *Dicendum eſt a Mortaigne petite Ville au Perche*. Sed Mortaigne idem eſt ac Mauritaniæ oppidum, & Perche, ſeu Perticum, eſt Galliæ Provincia, in qua exſiſtit oppidum Mortaigne, ſeu Mauritaniæ. Annum vero Martyrii aſſignat 1579., nec animadvertit, Gaſparum Collinium peremptum Pariſiis anno 1572. in cæde S. Bartholomæi. Alia Chriſti Sponſa eodem die, & loco ſphærulis plumbeis occiſa eſt, ſcilicet Joanna Parva, ſic dicta ob corporis exiguitatem. Diverſum Martyrii genus ſatis indicat, eam cum Margarita Parva non eſſe confundendam; & præterea Scriptores omnes vetuſtiores de illa ut diverſa loquuntur.

Boſius de Signis Eccleſiæ lib. 12. cap. 12. Gravina in voce Turturis part. 2. cap. 24.

VI. Sanguine in Gallis profuſo, & exitialibus damnis uon expleti Hugonotti triremibus etiam mare infeſtum tenebant circum curſitantes, & piraticam exercentes. Appuliſſe hoc tempore eorum claſſem mille militibus inſtructam igneis balliſtis armatis ad Inſulam Maderæ in Oceano Atlantico tradunt Chronicæ MSS. Provinciæ Portugalliæ, etſi Emmanuel a Spe id referat ad annum 1566. Reſtiterunt acriter Inſulani moleſtiſſimis hoſpitibus, eorumque Ducem, & quamplures milites levibus in pugnis neci dederunt. Hoſtes tamen armis, & numero longe ſuperiores nocturno impetu Funchalam, vel Funhialium, Inſulæ Metropolim aggreſſi triplici ex latere, expugnatamque, imparatis civibus ad defenſionem, more grandinis populati ſunt, in adultos, fæminas, atque ipſos pueros immaniter ſævientes, & a nullo ſceleris, & crudelitatis genere temperantes; Templaque Deo ſacra diruerunt, abreptis vaſis ſacris, combuſtis, deletiſque Imaginibus, Statuis Aris, & omni ſuppellectile, ut nemo dubitare queat, Nepotes ætate noſtra Parentum ſuorum facta ad unguem æmulari.

Emmanuel a Spe lib. 12. cap. 16. pag. 682.

VII. Moderabatur Cœnobium S. Franciſci Funchalæ Leobinus Gallus Secretarius Miniſtri F. Dionyſii ab Anſede, & Commiſſarius Provinciæ Portugalliæ, qui captus, vexatuſque cum cæteris Fratribus, quum mortis periculum immineret, ut malo, ſi poſſet, remedium aliquod afferret, patrio idiomate loquutus eſt ſic, ut Hæretici intelligerent, magis filiorum ſuorum ſaluti, quam ſuæ proſpiciens, ut cum lacrymis pluries affirmavit. Nihil aliud tamen obtinuit, quam dimitti; reliqui namque omnes ſceleratorum hominum ferro interierunt, videlicet Alvarus de Miranda, Ignatius de Leiria, Petrus de Eça, Pantaleo, Rodericus de S. Jacobo, Emmanuel a Cruce, F. Cuſtodius Choriſta, Franciſcus Cartaxo, F. Simon Choriſta. Dum hi cæderentur, F. Gaſpar Tertiarius, qui in Cœnobio ſerviebat, ad crudele ſpectaculum viribus deficiens, non expectato gladio, animam Deo reddidit, ut accidit olim S. Demetriæ Filiam ſuam S. Bibianam in mediis tormentis mactandam intuitæ. In tabula quadam Provinciæ Portugalliæ, quæ exhibet nomina Fratrum defunctorum ab anno 1544. ad annum 1636., decem hi Martyres diſtincte numerantur. Frater Joannes Mendes de Miranda eorum ſepulchrum lapide clauſit in loco Capituli, ex quo ſuaviſſimum odorem quandoque effluere narrant. Hinc minus vere Religioſa quædam Monaſterii Conceptionis de Alaquer, in ſuis miſcellaneis exaratis poſt XL. annos a Martyrio virorum Dei, ſcribit: *Ajunt, hic Martyres occubuiſſe quinque Fratres Noſtri Ordinis*.

VIII. Bruxellis die 7. Decembris obiit Alphonſus Contreras Provinciæ Conceptionis, Albani Ducis, ut dictum eſt, Theologus, & a Sacris Con-

Confeſſionibus, qui Concilio Tridentino interfuerat, ablegatus a Rege Catholico Philippo II., in eoque orationem habuit diſertiſſimam de Eccleſiæ reformatione: *Si umquam alias &c.* Singulari modeſtia, humanitate, & ingenio præditus eam poſt ſe reliquit opinionem, ut ſi aliquot annos ſupervivere potuiſſet, rebus Belgicis conſultum foret. Vigilius Conſilii Præſes coràm adſtantibus Minoritis laudationem in ejus funere ita eſt exorſus: *Cecidit corona capitis veſtri*. Jacet in choro Cœnobii Bruxellenſis ante Presbyterium. Epitaphium Elegiacum ſtylo ſatis barbaro, ſi duos vel tres verſus ultimos excipias, ejus laudes complectitur.

Labbæus tom. 10. Oratione 111.

Qui lingua potuit quondam ſuadere diſerta
Hiſpani rutilans gemma, decuſque poli,
Alphonſus doctis ſtuduit convincere verbis
Hæreticum, ut vigeat candida, & alma Fides.
Claruit eloquio. Tali Oratore Tridentum
Gaudet, dum doctam mittitur ad Synodum.
Otia Pieridum coluit non ſegnis in ævum,
Zelotes docuit Religionis opus
Seraphicæ, Albanique Ducis Confeſſor, & ecce
Jam duro mortis ſubjacet imperio.
Conditur hoc tumulo; virtus non clauditur orbe.
Virtus poſt cineres vivere ſola facit.

IX. In Cœnobio S. Mariæ de Caſtello Provinciæ Genuæ hoc anno, non ſubſequenti, ut ſcribit Bzovius, occubuit Sixtus Senenſis annum ætatis agens quadrageſimum nonum, ſatiſque notus eximio opere Bibliothecæ Sanctæ, quæ una Lectori pio, atque erudito infinitorum pene voluminum loco ſit, & opportunior. Viri hujus meminimus, quia antequam Ordini Prædicatorum nomen daret, pertinebat ad Fratres Minores, inter quos profeſſionem emiſerat. Jacobus Echart in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum, pluribus narrat, Sixtum Senenſem adhuc Minoritam lapſum in graviſſimos errores capitis, & rogi ſententiam non evaſiſſe, niſi opera Michaelis Ghislerii tunc Commiſſarii Generalis S. Officii in Urbe, qui eum ad ſaniorem mentem reduxit, & cooptavit Prædicatorum in Ordinem. Diem natalem adſpexerat Senis in Tuſcia Judæis parentibus, & Judaica ſuperſtitione a puero imbutus, qua abjurata, & ad Chriſti fidem converſus Minoriticam Regulam profeſſus eſt. In Bibliotheca Chronologica Ord. Præd. Provinciæ Lombardiæ hac de re nullum verbum, ſolumque narratur ejus ingreſſus in Ordinem S. Dominici ſtatim poſt abjuratam Hebraicam perfidiam. Similia habet Fleurius, qui ſcribit, fuiſſe Cathecumenum Michaelis Ghislerii, quum eſſet Miniſter Generalis, & ab ipſo baptiſmum ſuſcepiſſe. Manifeſtum eſt, utrumque abludere a veritate.

Jacobus Echart Biblioth. Ord. Præd. tom. 2. pag. 206.

Andreas Rovetti Bibliotheca Ord. Præd. Prov. Lomb. an 1569. pag. 135.

Fleury tom. 34. pag. 624.

X. Sylveſter de Kiernozye egregius Eccleſiaſtes, qui ſtatum ſæcularem, & opulenta Parochialia beneficia cum Seraphica paupertate commutavit, hoc anno in Conventu Coſtenſi, ſeu Coſtenii S. Mariæ de Angelis in Pvovincia Poloniæ ſanctiſſime deceſſit. In Conventu Omnium SS. Florentiæ Dionyſius Florentinus Juvenis Clericus, qui a Dionyſio Pulinari in Conventu S. Michaelis prope Feſulas habitum ſuſceperat, brevique tabe conſumptus, eodem teſte Pulinari, inter Beatos vivere exiſtimatur. Memorat Antonius a Terrinca Joannem a Florentiola doctrina, & prædicatione clarum hoc anno pariter defunctum, loco tamen non indicato.

Pulinari part. 2. pag. 956.

Antonius a Terrinca Theatr. part. 5. tit. 2. pag. 111.

Gonzaga in Pro. S. Gabrielis con. 14.

Gravina in voce Tutturis part. 2. cap. 24.

XI. Alphonſus de Manzaneta alumnus Provinciæ S. Gabrielis ea enituit virtute, ut herbis tantum pulvere conſperſis vitam ſubſtentaret, nudis pedibus incederet, ferreisque ciliciis carnem maceraret; pauperibus vero quicquid poterat, ultro largiretur. In domo nobilis Mulieris Alconcelii Servum, qui flagris cædebatur, conatus eſt eripere a manibus percuſſorum, inclamans: *Me me, quæſo, non iſtum afficite verberibus*; irrumpenſque inter ipſos voluit tunicam abjicere, nudoſque lacertos præbere. Tunc mulier: *Quid agis?* inquit. At ille: *Ego plectar pro Servo; utque mihi inferant plagas impera, obſecro, ſervis iſtis; ipſe enim multo ſum noxior*. Nec niſi mulier Servo ſuo pepercisſet, alia via Alphonſum ab incœpto potuiſſet retrahere. Tranſactis aliquibus annis, maritimo itinere tranſiens Alphonſus in Italiam recognovit in navi hujuſmodi Servum catena alligatum, & remo addictum. Hinc ad inſtar S. Paulini Episcopi Nolani, ad genua Gubernatoris, ſeu Præfecti, cum fletu provolutus: *Domine*, ait, *quidam hic adeſt in vinculis, qui domi ſuæ habet uxorem, & filios. Sine, ut diſcedat, & ego pro ipſo remum apprehendam*. His verbis Præfectus hominem libertati reſtituit, eo tamen pacto, ut Alphonſus per ſex menſes, quibus ille operam præſtaturus erat, ſibi adeſſet in navi a Sacris Confeſſionibus, & Sacellanus. Quod ille lubens onus ſuſcepit, libentiuſque dimiſſi loco, ſi permiſſum fuisſet, remigaſſet. In Italia ad Capuccinos tranſivit, quibus poſt aliquot annos vale dicto, ad Obſervantes remeavit, in Hiſpaniam profectus. Conſcripſit parvum librum de exercitio Orationis, de quo Duciſſa Seſſæ, & Marchioniſſa de Gibraleon in literis ad Religioſum virum, a quo illum acceperat, hoc judicium tulit: „ Monumentum ex auro finiſſi-
„ mo, quod ad me miſiſti, maxima me lætitia complevit; in eo ſi-
„ quidem comperio præſtantem virtutem, & ardentiſſimum ſpiritum
„ Servi Dei, qui ipſum exaravit „. Senex, & debilis, tibiisque, & cruribus inflatis, in Cœnobio S. Mariæ de Jeſu Salvaterræ ſingula, & minuta quævis charitatis exercitia, tamquam ſi optime valeret, nunquam intermiſit. In poſtrema infirmitate, qua correptus eſt in Cœnobio S. Gabrielis Alconcelii, a lectulo ſæpe exſurgens baculo innixus ad Eccleſiam pergebat, ut Sacramentorum adminiſtratione, & ſpiritualibus colloquiis Fidelium pietatem foveret. Renuntiatum ei eſt aliquando, populum in Eccleſia frequentiſſimum exoptare ipſum intueri, antequam moreretur; nullaque mora illuc ſuper ſcamnum delatus, cum incredibili adſtantium gaudio, omnibus benedixit. In mortis limine dicebat: *Alphonſe, ſexaginta, & amplius annos natus es, & quadraginta in Religione inſumpſiſti. Quinam ergo ſunt fructus, quos refers?*

Monumenta Pro. S. Gabrielis.

XII. Urbis Mexicanæ Cœnobium S. Franciſci hoc anno die 9. Auguſti decoravit obitus Toribii Motolinii, ſeu de Benevento, ad cujus funus aſſiſtens Petrus de Ayala ex Guadalaxara Franciſcanus Episcopus in regione Xaliſci particulam ex tunica ſibi pro Reliquia aſſumpſit. Vitam ejus cum Gonzaga, & Arturo deſcribit poſtremus Annaliſta, & dicit, mutuatis ab Arturo verbis, inter duodecim primos Patres, qui in Indias trajecerunt, quintum locum eum obtinere, ſed omnium ultimum mortuum eſſe. Quod ſi verum eſt, non intelligo, qua ratione potuerit ejus obitum memorare anno 1560., & deinde aſſerere, Joannem de Ripa alterum ex duodecim Patribus deceſſiſſe anno 1562. Iis prætermiſſis, quæ intempeſtive Scriptor ibidem congerit de Viri Dei Sanctitate, auctor fuit Toribius una cum cæteris Minoritis, ut creſcente populi

Vetancur in menologio die 9. Auguſti.

Annales Min. an. 1560. num. 16. & anno 162. num. 406.

Vetancur in tract. de Civ. Angelorum cap. 1. num. 1. & ſeq.

puli multitudine Sebaſtianus Ramirez de Fuenſalida Præſes Regalis Audientiæ Angelopolis, ſeu Populæ de Angelis, exſtruendi conſilium caperet, ipſeque improbo labore octo millia Tlaxcalenſium ad opus excitavit, incolas Huexotzingo, & Tepeacæ adduxit lætitia geſtientes mediis in choreis, cantibus, & muſicalium inſtrumentorum modulatione, Urbis ambitum funiculis circumductis deſignavit, ſitum delegit in valle fertiliſſima, temperata, & aquis irrigua ad Occidentem Rivi de Atoyac, ſeu de Guijarros fluentis a montibus Tlaxcalæ, quatuor leucis a Tlaxcala, ſex a Tepeaca, duabus a Cholula, & tantundem ab Huexotzingo, & Valle de Atriſco. Die 16. Aprilis anno 1530. Octava Reſurrectionis Dominicæ, in feſto S. Turibii Epiſcopi Civitatis Aſturigæ in Regno Legionis, Miſſæ Sacrificio ſolemniter celebrato, auſpicatus eſt novæ Civitatis fundationem cum D. Joanne de Salmeron, quem operi præfecerat memoratus Sebaſtianus Ramirez, ſeptemque dierum ſpatio inter cæmentarios verſatus domos ex palea, & argilla conſtruxit, quas Artifices inhabitarent.

XIII. Ejus cum laude mentionem facit Poſſevinus. Opera reliquit Doctrinam, ſeu Catechiſmum de moribus, & ritibus Indorum. Tractatus diverſos de rebus ſpiritualibus. Hiſtoriam XII. primorum Patrum Franciſcanorum, qui in India prædicaverunt. Guilielmus Robertſon producit ejus MSS., cui titulus: *Decem plagæ*, in quo numerantur decem cauſæ populorum infrequentiæ in Regno Mexicano. Prima adſcribitur introductioni variolarum, quas in Novam Hiſpaniam intulit Æthiops mancipium D. Narvaez, quæque ſub initium dimidia ex parte Mexicanos exitio dederunt. Secunda ingenti numero interfectorum fame, & bello præcipue in obſidione Civitatis Mexici. Tertia annonæ caritati poſt Mexicum expugnatam; major enim hominum pars agriculturam neglexerat. Quarta enormi quantitati vectigalium, quæ victoribus ſolvebantur. Quinta gravibus oneribus, quæ victis victores imponebant. Sexta multitudini Indorum auro colligendo deſtinatæ abſque cibariis, aliiſque ad vitam neceſſariis. Septima labori in exſtruenda Civitate Mexici, quam Ferdinandus Corteſius præcipiti animi ardore ædificari juſſit, ſic ut incredibilis Indorum numerus perierit. Octava numero hominum, qui ardenti ferro notati mancipia agere, fodinaſque argenteas excolere coacti fuerunt. Nona indoli laborum, quos exercere debebant, noxiis vaporibus fodinarum, rigori climatis, paucitati cibi; quæ omnia adeo fuerunt fatalia, ut regiones fodinis proximæ, & potiſſimum Guaxago mortuorum cadaveribus operirentur, aer fœtidiſſimis exhalaxionibus inficeretur, & vultures, aliæque volucres ſupervolitantes Solis faciem obſcurarent. Decima ſervitiis, quæ præſtare neceſſe erat Hiſpanis in expeditionibus, belliſque civilibus, in quibus onuſti ſarcinis eos ſequebantur, magnoque numero in itinere deficiebant.

Poſſevinus in Apparatu Sacro Lit. T.

Robertson Hiſt. Americæ tom. 4. pag. 316.

XIV. Socius Toribio fuit in Conventu S. Franciſci Angelopolis Didacus Olarte ex Oppido Medellini in Bethuria. Transfretavit in Indias Occiduas cum Ferdinando Corteſio, ſub cujus ſignis militans ſtipendium meruit, & arma duxit in expugnatione Mexici, aliarumque Civitatum. A Deo vocatus Franciſcanis ſe adſcripſit in Conventu Mexicano, verſatus in Indorum ad Chriſti fidem converſione. Cubabat ſuper tabulam jejuniis intentus, & orationi, eamque vitam XL. circiter annos produxit. In itineribus, quæ peragebat, nudis plantis ſemitas terebat ſylveſtres lapidibus, ſpiniſque conſitas. Anno 1564. per-

Vetancur in Menologio die 18. Septembris.

functus munere Diffinitoris, & Guardiani in Conventu Mexici, electusque Miniſter Provinciæ S. Evangelii, verbum Dei Indis annuntiare non deſtitit Mexicana lingua, quam apprime callebat. Refert P. Mendieta, tranſeuntem per regiones Huzitlalpan, & Tentitlan in via ita defeciſſe, ut amplius moveri non poſſet, neque interea adduci potuiſſe, ut jumentum conſcenderet, quod Incolæ ei detulerunt. Nonnullas moleſtias ſubiit, quum, Gaſtono de Peralta Pro-Rege Mexici, Judices, qui Idem in tract. de Civ. Mexici num. 17. pag. 9. ab Hiſpania advenerant, Muños, & Carrillo (Jaraba enim in mari occubuerat) quæſtionem inſtituerent adverſus Martinum Corteſium Ferdinandi filium Marchionem de Valle. Quare in Hiſpaniam amandatus, coram Rege ita ſe de objectis ſuſpicionibus purgavit, ut Rex ei Epiſco- Torquemada lib. 20. cap. 41. patum offerret, quem præ humilitate recuſavit. Iterum, mandante Rege, Mexicum ivit, titulo Commiſſarii Generalis Indiarum inſignitus anno 1568., quo in munere vitæ terminum impoſuit.

XV. In Cœnobio S. Laurentii Civitatis S. Jacobi Ægidius de Conſue- Monumenta Provinciæ S. Jacobi. gra, ad habitum admiſſus in Conventu Zamorenſi S. Franciſci, magnæque ob egregiam indolem, & mores exiſtimationis apud omnes. Ab eo adhuc Novitio Magiſter poſtulavit, ut pro ſe brevi morituro Deum exoraret. Hinc Ægidius corpus extenuabat jejuniis, ciliciis, vigiliis, humi cubans, & in oratione dies, noctesque tranſigens, donec defunctum Magiſtrum conſpexit pulcherrima luce fulgidum ad cælos properantem, qui ei gratias reddidit, pollicitus, ſe apud Deum ſuum fore advocatum, & affirmans, quod Dominus peculiare donum illi conceſſiſſet, ut, dum viveret, nunquam triſtis, ſed hilaris ſemper videretur. Ex illa autem hora tam ſancta, & ſpirituali lætitia Ægidius affluit, ut circumſtantes eadem afficerentur, Sanctumque prædicarent, & de domibus paſſim exirent, ut ejus tunicæ oſcula inferre poſſent. Pergebat ſæpe ad Virum Dei viſitandum Gaſpar de Zuniga Archiepiſcopus S. Jacobi, ſociatisque ſermonibus delectabatur, & illum conſulebat in majoris momenti negotiis. Semel accedens ad ejus cubiculum vidit parietes veteri ſuppellectile ornatos, pannis obſoletis, tibialibus, larvis, thoracibus, & pileis, quæ utpote inutilia abjiciuntur. Admiratus itaque ab eo quæſivit: *Dic mihi, Frater Ægidi, ad quid tam pulcrum armarium deſervit?* Ille autem: *Domine mi, notum tibi ſit, quod in Domo Domini omnia ſerviunt. Hæc per Civitatis vias diſperſa colligo, & ad Nativitatem Domini ſervo. Quamplurimi ſervi Dei deſiderant, ut reſarciam eorum veſtes, utque his rebus illos induam, & ſic cum jucunditate hanc feſtivitatem celebramus, mundum contemnentes, quia æſtimamus quod mundus deſpicit, & deſpicimus quod ille æſtimat.* Tunc Archiepiſcopus: *Melius*, inquit, *Camera hæc, quam mea ornata eſt.* Ad feſtum Nativitatis Domini miro ſtudio corpus, mentemque præparabat, omneſque, quotquot poterat, ad agendam in Domino lætitiam excitabat. Bacchanalium diebus ingreſſus eremitorium Dominæ Noſtræ Anguſtiarum, in eo tunicam depoſuit, panniſque minoribus indutus curſitavit una cum ſocio per vias, & fora Civitatis, verberibus interim ſeipſum percutiens. Spectaculo commoti Cives, omnes ferme poſt ipſum abierunt ab orgiis procul, & profanis feſtis, de viri Dei ſanctitate tantummodo invicem colloquuti, qui quum ad Cœnobium rediret, lætabundus dicebat ſocio: *Saltem hodie ſpem populi feſellimus. Sed Frater Ægidi, patientiam habe, quia veram flagellationem ſuſtinebis, quæ majori merito tibi cedet, nam a Guardiano tuo vapulabis.* Guardianus rei certior factus ipſum flagellis ſubjecit.

XVI.

XVI. Adventante mortis hora, celeriori gradu per virtutis, & pœnitentiæ viæ feſtinabat. A ſenſibus ut plurimum alienus in ecſtaſes rapiebatur, & aliquando in Choro a ſubſellio interioris vi ſpiritus dejectus, ecſtaticus permanſit, etſi libri una cum pluteo decidentes ingentem ſtrepitum ederent. Longa, & moleſta laboravit infirmitate. In feſto Conceptionis, cujus erat devotiſſimus, cuique cereum accendendum quærere ſolebat, e lecto ſurrexit, dixitque Guardiano, ſe velle Dominæ Noſtræ, ejuſque Filio valedicere, Miſſam celebrare, quum poſtrema hæc foret. Poſt hæc, triduo elapſo, e vita migravit, Miniſtro Provinciæ Antonio de Aguilar; corpuſque defuncti pulcrum, flexibile, & ſuavi odore fragans apparuit.

XVII. Inventa ſunt hoc anno, humo fortuito effoſſa, dum Ædicula S. Michaeli Archangelo ſacra ab ipſo Seraphico Patriarcha fundata, & pertinens ad Cœnobium S. Franciſci Burgenſis reſtauraretur, corpora BB. Lupi, Lope, ſeu Lopezj ſocii ejuſdem Seraphici Patriarchæ, & primorum Cœnobii fundatorum Antonii, ac Juliani. Eorum nomina Gonzaga reticet, Gonzaga in Prov. & Pater Arze in Chronicis Provinciæ Burgenſis Gonzagæ coævus, quæ Burgenſi con. 1. a Prieto diſtincte indicantur. Haroldus in Epitome Annalium Waddingi ſolius B. Lupi mentionem facit. Exciti Cives ad ſacra corpora in- Prieto cap. 4.§.8. corrupta, nerviſque, muſculis, & membranis ſuperſtitibus, maxima de- pag. 181. votione feſtinarunt. B. Lupi corpus Guardiano Cœnobii Balthaſſarre de Epitome Wadin- Hoz anno 1614. miro odore fragrans translatum eſt in locum decentio- gi an 1291. num. rem, & anno 1615., Guardiano Antonio de Villalacu, in Tabernacu- 7. lum prope Sacellum S. Franciſci.

XVIII. Ex Ordine Minorum Capuccinorum ad Dominum migravit Caneæ in Inſula Cretæ Ignatius ab Apiro miraculis clarus, ad cujus tumulum populorum devotio lampades accendit. In Conventu Laertiæ Provinciæ Baſilicatæ Franciſcus de Matera, ſeu, ut ſcribit Arembergius, a Matteola, quem aquam in optimum vinum vertiſſe tradunt. In Provincia Marchiæ Angelus de Tipherno Metaurenſi ex Minoribus Obſervantibus Capuccinus, &, ut phraſi Boveriana utar, in navicula Reformationis inter vortices, undarumque procellas ſtabilis alios metu perculſos verbis, & exemplis ad perſeverantiam hortatus, micuit radiis aurearum virtutum aureo illo ſæculo, quo nova Reformatio coruſcabat plurium perfectionum ſplendoribus. Poeſi ſepoſita, certum eſt, ea mentis ſimplicitate Angelum fuiſſe donatum, ut nihil unquam mali in aliquo ſuſpicaretur. Devotus Sacramenti Euchariſtiæ, teſte Boverio, ab extremis Eccleſiæ foribus ad Altare fulguri ſimilis volitavit. In eadem Provincia Arſenius de Corinaldo Clericus Novitius, S. Joannis Baptiſtæ, aliorumque SS. ſibi adſtantium in mortis limine præſentia recreatus. Simon de Monticulo, cujus acta temporum injuria interciderunt, & Laurentius de Sarnano humillimus, & patientiſſimus, cui in patrio Conventu intuendam ſe præbuit Deipara, animamque Creatori reddidit in illis verbis: *Mater, Mater mea, dulciſſima Maria*. In Conventu Scapetiani Euſebius de Ancona ex nobili Fardinorum familia inter Obſervantes initio profeſſus, & non anno 1553., ut dicit Arturus, ſed anno anteriori Vicarius Generalis, quo in officio confirmatus eſt anno 1555. in Capitulo Generali Firmano. In Civitate Forilivii anno 1564. iterum electus fuiſſet Generalis, niſi curvus, & baculo innixus, gemituſque interruptos edens lumbarem infirmitatem ſimulaſſet. Metuens, ne a Paulo IV. inter Purpuratos cooptaretur, profugit in Siciliam. Animam

in Purgatorio degentem, quæ cubiculi ſui ter oſtium pulſaverat, oratione a pœnis eripuit. Filamenta ejus tunicæ Oropiti cuidam feminæ ubera lacte redundantia reddiderunt, funiſque, quo præcingebatur, facilem partum alteri feminæ, quam intolerabiles in pariendo dolores cruciabant. Verba faciens populo ejuſdem Civitatis, obortam repente tempeſtatem compeſcuit, ſtatim ac Dæmonibus imperavit, ut ad Tartara ſe reducerent. Multa prophetico ſpiritu prædixit, in quibus mortis ſuæ horam, brachiiſque in modum Crucis compoſitis, poſtquam ad Regulæ observantiam Fratres hortatus eſſet, quievit in illis verbis: *Deus, propitius eſto mihi peccatori*. Cubiculum jucundiſſimo odore fragravit, & poſt annum demortui corpus visum eſt incorruptum ſolis veſtibus putredine conſumptis.

XIX. Idem ad patriam iter ingreſſi ſunt Pacificus Materenſis, Joannes Andreas, & Matthæus Veneti, ac Honorius a Monte Granario, quem Ivo Magiſter appellat *Honorium a Tuſcia Provinciæ Romandiola*, non alia, ut arbitror, ex causa, niſi quia Honorius bis exercuit officium Provincialatus in Tuſcia; nam quod addit de Provincia Romandiolana ſimile prorſus eſt erroribus aliis, quæ congerit, ſcribens *Joſephum Mediolanum*, *Hieronymum de Piſtoja*, *Graſſam Bononiam*, & Miniſtrum Provincialem Provinciæ Romanæ Fratrem Tielmanum; ac neſcio, an ei credendum ſit aſſerenti, Honorium antequam Capuccinus fieret, pertinuiſſe ad Fratres Regularis Obſervantiæ, vel Conventuales. Fuit etiam Vicarius Provincialis in Provinciis Veneta, & Bononienſi, & Viſitator Generalis Provinciæ Corſicæ ab Evangeliſta de Canobio inſtitutus. Tempore Hungarici belli contra Turcas militaverat in exercitu Caroli V. Pertæſus rerum terrenarum, cæleſtibus nomen dedit. Jam jam animam exhalans dulciſſimis verbis Deum ita ſe alloquentem audivit: *Honori, mihi oves curandas relinque. Tu te ad viam univerſæ carnis peragendam præpara; hæc enim te ægritudo tuo principio reddet*. Cardinalis Paleottus Antiſtes Bononienſis, & Inquiſitor S. Officii Bononiæ proceſſum pro ejus canonizatione inſtituere cogitarunt, idque, ut ait Arembergius, præſtitiſſent, niſi Fratres ſua conſueta humilitate utrumque a propoſito revocaſſent.

Manipul. Fratrum Min. part. 2. cap. 8. §. 21.

XX. Tragicum ſane caſum contigiſſe narrat Boverius in Conventu Minorum Obſervantium Montis Prandoni Provinciæ Marchiæ prope Truentum. Erat ibi Guardianus, (nomen reticet honoris, & reverentiæ cauſa) qui jugo auſteritatis Capuccinorum excuſſo, ad Obſervantes transierat. Immemor obligationis ex voto contractæ unice ſtudebat texendis ventilabris ex pennis pavonum, teſſeriſque ſericis, & auratis, quibus non modicam argenti quantitatem ſibi comparaverat. Quum ita ſe gereret, fœtidum odorem emittere cœpit toto corpore, vultumque adeo deformem, & humanæ ſpeciei diſſimilem præbuit, ut veluti monſtrum omnes illum horrerent. Phænomeni cauſam miſer ignorabat, ſed ab Amico admonitus, & verecundia ſuffuſus abiit ad cubiculum, ubi Diabolus ſub forma Æluri, seu felis incredibilis magnitudinis guttur ejus unguibus fortiter apprehendit, horribilibus vocibus, ceu mugitibus ululantis. Ad rumorem exciti Fratres accurrunt, videntque Guardianum, demiſſo capite e lectulo, in quo jacebat, animam emittentem inter unges ferociſſimæ belluæ. Conantur ſemianimi opem ferre; ſed fruſtra; Ælurus ſiquidem ingens ſcintillas ex oculis jaculatus adſtantes fronte ita truci intuebatur, ut ingenti pavore deficerent, geli-

dusque

duſque curreret ad oſſa tremor, & tamquam ad Meduſæ caput obſtupeſcerent. Guardianus interea ad eos ſic eſt concionatus: „ Sinite fruſtra, & inopportune miſero auxiliari. Non cum fele, sed cum Dæmone vobis res eſt. Quid cum Deo contenditis? Hæc Dei omnipotentis judicia ſunt, quæ me juſtiſſime premunt. Huc me ſcelera mea, vitaque omnis turpitudinis labe conſperſa, huc peſſumdata paupertas, huc rerum concupiſcentiæ fræna laxata, huc tandem ſpreta Regularis Obſervantiæ norma infeliciter compulere. Diſcite vos meo ſaltem exemplo a ſupremis vos hiſce malis eripere. Heu miſer! En ad Tartara rapior. Dicentem Diabolus ſuffocavit, & ſtridore horrendo animam in ejus manibus emiſit „. Boverius ad annum 1569.

XXI. Ut ſibi Annaliſta fidem adſtruat, octo Fratres Obſervantes teſtes adducit, qui rem geſtam Generali Capuccinorum retulerunt, petentes Capuccinis adſcribi, quod & impetrarunt. Verum neſcio, cur etiam iſtorum nomina ſilentio premantur; nam ſi Boverii modeſtiæ viſum eſt, damnati illius nomen occultare, ſinceritati certe conſonum videbatur, ut quinam ipſi forent, indicaret, reſque poſtulabat, ut ſtrenui viri, qui tutos se a felis unguibus inter Obſervantes fore diffiſi ad Capuccinos convolarunt, debito honore non fraudarentur; nemo enim dubitat, quin in Heroum numero a poſteris fuiſſent computandi tam illuſtre facinus aggreſſi. Factum habemus, in quo locus tantum indicatur. Aſt ego, qui quatuor circiter milliaribus ab illo ſum natus, novi, inſalubritatem aeris æſtivo tempore ob tellurem nimis depreſſam circa flumen, & adjacentes paludes talem ibi eſſe, ut populares croceum colorem referant, & ventribus tympanorum more inflatis incedant. Aliquis fortaſſe ſuſpicabitur, huic cauſæ Guardiani morbum tribuendum, neque inficias ibit, illum artibus ludicra effingendi a Fratribus ſuis ad Obſervantes tranſiviſſe optime inſtructum; reliqua enim Homerica prorſus ſunt. Lepidiſſimum vero eſt, Guardianum Æluri unguibus tamquam forcipe ſtrictum in gutture conciunculam ad Fratres habere potuiſſe hortatoriam, atque devotam, in quam quidem ſe non de ventilabris, & teſſeris accuſat, ſed de peccatis turpibus, de quibus in anteceſſum nulla fit mentio. An oportebat, ut ab amico Guardianus ediſceret, ſibi male eſſe, si, inconſulto etiam ſpeculo, ægritudo ſatis erat ad eum perſuadendum, ut aliorum conſortia vitaret, ne ſtomacum faceret? Ego, inquam, illius regionis limitrophus probe novi, Cœnobium Montis Prandoni noviſſime redactum ad formam ampliorem vix eum numerum Fratrum continere, qui Ælurum timuerunt. Cæterum Diabolus viſibilis gutturi infixus; adſtantes Fratres, quorum nemo aquam benedictam afferre cogitat; Guardianus, qui libere, & pathetice ſermocinatur; Diabolus item, qui illum palam interficit; portenta ſunt hæc, quæ tantum in Boverianis Annalibus ab Eccleſia proſcriptis locum habere poſſunt. Verum Annaliſtæ parcendum, qui ne Obſervantibus injuriam facere videatur, aliud addit de Capuccino, quem Diabolus publice ad Infernum rapuit, quia furatus erat Breviarium. Quod ſi verum eſt, patet, Deum tam in Minoribus Obſervantibus vanitatem, & pecuniæ conquirendæ ſtudium, quam in Minoribus Capuccinis alias culpas miris, & exemplaribus ſuppliciis plectere. Non hic ego, ut patet, quemquam lædo; ſed meos, ut debeo, defendo. Atque utinam Boverius, ne hanc Provinciam ſuſciperem, caviſſet, tum hic, tum aliis in locis non ſane jucundam.

XXII.

Gonzaga in Prov. S.Antonii Portugalliæ con. 7.

XXII. Prope Turrim a Mencorvo in tractu Ultramontano, & Diœceſi Braccarenſi, uno circiter milliari ab oppido Lamacenſi exordium ſumpſit Cœnobium S.Franciſci, cura, & diligentia Autonii de S. Vincentio Provinciæ S. Antonii Portugalliæ Miniſtri, & Henrici Cardinalis, ad quem propterea Senatus Oppidi legatos miſerat, adducti ſunt Fratres ad ædem recipiendam; metuebant enim, ne ab aliorum conſortio longius disjungerentur. Ut fabrica perfectionem attingeret, idem Senatus aſſignavit certam pecuniæ ſummam quotannis ſolvendam. Reliqua confecta ſunt Regis, & piorum eleemoſynis. Habitant ibi XV. Fratres, qui nullum Patronum recognoſcunt.

Monumenta Provinciæ.

XXIII. Ejusdem Cardinalis liberalitate exſtructum eſt a fundamentis ad ultimum usque lapidem in Provincia Arrabidorum Cœnobium S. Michaelis Archangeli uno milliari cum dimidio ab Oppido Obbidi, ipsumque. cæterorum catalogo adscripſit Fr. Damianus, Cardinali a ſacris Confeſſionibus, & ob vitæ aſperitatem, optimosque mores familiariſſimus, qui ex Pontificia diſpenſatione Provinciam ſecundo Miniſter regebat. Continet decem Fratres cum maxima circum adjacentium populorum ædificatione.

Gonzaga in Provincia Arrabidorum con 11.

XXIV. Non longe a Civitate, quam Oporto dicunt Luſitani, in margine fluvii Durii, & fundo Blaſii Pereiræ Sacræ Chriſti Militiæ Equitis, & in Aula Eduardi Luſitaniæ Infantis Cubicularii, fundatum eſt Cœnobium S. Antonii Portus de Valle in Provincia Pietatis. Eduardus Infans Eccleſiæ donavit particulam SS. Crucis, quam Portuenſes eximia veneratione colunt. Blaſius Pereira, & Mentia ejus uxor non ſolum pecunias erogarunt; quin etiam hortum, vineas, & domum Fratribus conceſſerunt, Provinciali Miniſtro Mazeo Elvas. Floruerunt in hoc loco Antonius de Aveyro Sacerdos, qui anno 1599., graſſante lethali peſtilentia, in ægrotorum cura occubuit, & Franciſcus de Esponeſente Laicus victor malignorum ſpirituum viſibili ſpecie ei apparentium, & a ſanctis operibus illum avocare conantium.

Idem in Provinc. Pietatis con. 18.

Monumenta Provinciæ.

XXV. Conſtrui cœpit in Provincia Carthaginenſi Cœnobium Conceptionis B. Mariæ in Oppido Parriliæ Diœceſis Conchenſis, jacto primo lapide die 12. Decembris expenſis Didaci Hurtado a Mendoza Canneteníium Marchionis, & Oppidi Domini, qui 400. aureos coronatos ad fundi emptionem erogavit. Ferdinandus a Mendoza Matricis Eccleſiæ Archidiaconus erogavit alios 200., Rodericus a Mendoza alios octingentos, & inſuper quatuor coronatorum millia, & 200. pro Eccleſiæ conſtructione a ſuis hæredibus ex ſupremis tabulis ſolvenda, omnemque ſacram ſuppellectilem Eccleſiæ largitus eſt. In Sacrario aſſervatur Caput unius ex 11000. Virginibus, & Os S. Euſtachii Martyris.

Gonzaga in Prov. Carthaginenſi con. 28.

XXVI. Aliud Cœnobium Angelorum juxta Vallum Oppidi Alcozerii ejusdem Diœceſis, & Provinciæ publicis, privatisque Civium facultatibus hoc anno fundatum acceperunt Minoritæ Obſervantes, relicto veteri Cœnobio S. Michaelis de Monte ob deſertum locum, & nimiam ab Oppido diſtantiam, quod ab anno 1373. ad præſentem usque cum magna ſanctitatis opinione incoluerunt. Continet XVIII. Fratres, qui ex diplomate Henrici II. in Tabulario Cœnobii aſſervato, gaudent privilegio præcidendi ligna neceſſaria ex Regio nemore, quod adjacet loco S. Michaelis de Monte.

Ibidem con. 4.

XXVII. Iidem Fratres, Fidelium eleemoſynis non ſine maximo sudore congeſtis, ad Cœnobii formam redegerunt Ædiculam prope mænia

nia Oppidi Villæ Robledo Diœceſis Toletanæ, & ad Villenicum Marchionem ſpectantis, ipſis donatam a Confratribus Sodalitii S. Quiteriæ, ſub invocatione Dominæ Noſtræ de Spe, quamvis vulgo S. Franciſci nomine appelletur. Continet XV. Fratres, nec tempore Franciſci Gonzagæ Miniſtri Generalis adhuc erat ad complementum ædes adducta. Recedentibus Minoritis de Obſervantia a Conventu S. Antimi Paganicæ in Provincia S. Bernardini, illum occuparunt, teſte Bordono, Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci; nulla tamen aut receſſus cauſa, aut novæ occupationis circumſtantiæ ab eo exprimuntur.

Ibidem num. 27.

Bordonus in Chronol.num. 8. pag. 305.

XXVIII. Quinque leucis a Civitate de Angelis Indi regionis S. Joannis de Quauhtinchan elegantiſſimam Eccleſiam lapideo fornice inſtructam adjunxerunt Cœnobio S. Joannis Baptiſtæ, cujus Religioſi incolæ olim adminiſtrabant propinquas Eccleſias S. Thomæ, & S. Annæ, relictas Clericis ſæcularibus. Parum abfuit, quin Indi prædicti anno 1554. Fratres Minores amiſerint, quum Joannes de S. Franciſco Miniſter Provinciæ S. Evangelii Conventum libenter ceſſerit Bernardino de Alburquerque Miniſtro Provinciali Ordinis Prædicatorum, & poſtea Epiſcopo Oaxacæ, qui ſedem inibi obtinere cupiebat. Indi tamen non permiſerunt, ut Minores abirent, a quibus, ut ajebant, primum lac ſuxerant Religionis Catholicæ, nec precibus proinde capti, nec minis territi, ipſiſque carceribus, donec Martinus Sarmiento Oxacaſtro Franciſcanus Epiſcopus Tlaxcalenſis, Philippus de Mendoza Præſes, Dominicus de Soto, & Hieronymus Garcia Regii Miniſtri in Civitate de Angelis ab incœpto deſtiterunt, & Indis libertatem retinendi Minoritas indulſerunt. Hinc illi lætitia geſtientes præfato Joanni de S. Franciſco, qui ad eos ſe contulit, arcus feſtivos in viis exſtruxerunt, obviam euntes cum tripudio, & canticis. Rebus compoſitis, Fr. Franciſcus de Mendieta circa annum 1558. regularem Conventum inibi fundavit.

Theatr. Mexic. part. 4. tom. 2. cap. 8. num. 348.

Ibidem cap. 2. num. 28. & seq.

XXIX. Magnifici Templi S. Mariæ Angelorum de Portiuncula hoc anno poſita ſunt fundamenta, ut ex ſequenti memoria Tabularii Civitatis Aſſiſii.

Fundatio Eccleſiæ Divæ Mariæ Angelorum.

In Dei Nomine Amen. Cunctis pateat evidenter, & notum ſit, quod anno Domini MDLXIX. Indict. XII. tempore Pontificatus SS. in Chriſto Patris, & D. N. Pii Div. Prov. P. V. die vero XXV. menſis Martii, quæ fuit in die veneris, in qua dies ſolemnis Annuntiationis B. Mariæ Virginis agebatur, Reverendiſſimus D. Philippus Gerius Nobilis Piſtojenſis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aſſiſienſis Pontificali habitu indutus, more ſolito, & conſueto cum interventu, præſentia, & aſſiſtentia Nobiliſs. virorum, vid. magnifici Domini J. U. D. Domini Nicolai Confidati Militis Pii Confalonerii, ac etiam Bedini, Raynaldi, Mancini de Mancinis, Hieronymi Vignati, & Cicchi Martorelli magnificorum DD. magnificæ, Nobiliſs. & præclariſs. Civitatis Aſſiſii, benedixit primum lapidem ſignatum cum Cruce in quolibet latere, & illum poſuit cum multis præcedentibus Ceremoniis in fundamentis Eccleſiæ magnæ erigendæ in honorem Divæ Mariæ Angelorum. Et ſtatim in dicto primo lapide poſito in dictis fundamentis dicti Magnifici DD. Priores, ad futuram rei memoriam, poſuerunt quamdam medagliam cum inſignis magnificæ Communitatis prædictæ, vid. ab uno latere apparet Leo cum infraſcriptis literis in Sigillo dictæ Magnificæ Communitatis impreſſis, vid. Civitatis Aſſiſii. *Et ab alio latere apparet Crux cum infraſcriptis literis, vid.* Anno Domini MDLXIX. Sedente Pio V. Pont. Max. *Quibus peractis Reveren-*

verendiſſimus Dominus Epiſcopus benedixit loca omnia, in quibus fundamenta dicta Eccleſia poſita ſunt; & poſtea contulit ſe ad quamdam Logiam, qua nunc reſpicit Peruſiam verſus, & more ſolito, & conſueto quidam egregius Concionator Ordinis S. Franciſci oſtendit populo ibi in magno numero Velum B. Glorioſiſs. Virginis Mariæ, præſentibus Domino Chriſtiano Oliverio de Civitate Nuceriæ, Domino Galaſſo Beni de Eugubio, & Domino Jo. Andrea ...... de Macerata, ac etiam Magiſtro Galeno Vigilanti, Domino Padovano Caroli, Domino Cecchono Coſta, Magiſtro Sulpitio Paterno Medico Civitatis Aſſiſii.

XXX. Ex hoc autographo monumento ediſcimus, immerito Scriptorem Actorum SS. in dubium revocare fidem Gronweli, qui inquit *Anno MDLXIX. die XXV. Martii poſita fuere fundamenta Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum prope Aſſiſium*, illis verbis: „ Hæc ibi (nimirum in Hiſtoria „ Critica Indulgentiæ Portiunculæ anno 1721. Antuerpiæ edita part. 2. „ cap. 1.) An rectius, haud equidem ſcio. Certe Gronweli Epocha „ non concordat cum ſuperius ab eo aſſignata: Sacello, inquit, Por„ tiunculæ jam deſcripto eleemoſynis Principum ab anno 1559. (*hic* „ *error eſt manifeſtus in numero*) ſuperædificata eſt prægrandis Eccle„ ſia, in cujus medio pulcherrima exſiſtit lanterna, ſub qua idem Sa„ cellum illæſum perſeverat, quemadmodum Lauretanum in ſua „.

XXXI. Senatus Requenæ Diœceſis Concheſis ære publico aliquantulum a muris ejus Oppidi ad meridiem fundavit Cœnobium B. Mariæ de Gratia, quod XV. Fratres incolunt Provinciæ Valentiæ, in eodem loco, in quo antiquitus conſtiterat Eremitorium ſub eadem invocatione. Ære item publico Cives Rulianenſes in Provincia Calabriæ initium dederunt Cœnobio S. Mariæ de Angelis non longe ab Oppido, perfectumque tradiderunt octo Fratribus, qui Deo ibidem famulantur.

Gonzaga in Prov. Valentiæ con. 2.

Idem in Provinc. Calabriæ con. 10.

XXXII. Cœnobium S. Franciſci Cacciæ in Inſula Corſicæ deſertum poſt ejus conſtructionem, quæ contigit anno 1510. ob bella, & tumultus, quæ Inſulanos agitarunt, reſtauravit hoc anno Auguſtinus de Populaſca Jovellinæ prædicti loci Guardianus, ut prodit vetus Inſcriptio, quam Petrus ab Arce Roſtini exſtare aſſerit ſupra januam parvæ Porticus in proſpectu Chori juxta Sacrarium. Cœnobio Amatricis Minorum Conventualium in Cuſtodia Regni acceſſit Ædicula S. Mariæ de Filetta ex conceſſione Univerſitatis, quam hoc anno die 29. Januarii confirmavit Capitulum S. Joannis Lateranenſis, ſolvuntque Fratres cenſum annuum.

Petrus ab Arce Roſtini lib. 1. cap. 16.

Rodulphus lib. 2. pag. 255.

XXXIII. Derelicto veteri Cœnobio conſtructo circa annum 1431. opera Fratris Martini a Zerezeda S. Theologiæ Magiſtri in Eremitorio S. Michaelis Archangeli de Barrieta 1500. paſſibus ab Oppido Laredi in Provincia Cantabriæ, eleemoſynas largientibus Comite de Haro, aliiſque Chriſtifidelibus, Fratres denique ad Oppidum ſe tranſtulerunt. Quum ſenioribus, ait Gonzaga, immo & cæteris oppidanis ad Cœnobium acceſſus præſertim hyemali tempore difficillimus eſſet, cuperentque, ſibi Fratres viciniores fieri, a Leone X., cui & Clemens VII. anno 1525. ſubſcripſit, anno 1516., ut hujuſmodi Conventus ad ipſum Oppidum Laredo transferretur, pro votis impetrarunt. Quæ tamen translatio, ſæcularibus Sacerdotibus pro virili reſiſtentibus, exequutione caruit. Sæviſſima vero peſte, quæ circum quamque regionem, præcipue Laredum Oppidum majori ex parte depopulata eſt, exorta, quum ſæculares Sacerdotes, arrepta fuga, nihil minus, quam commiſſum ſibi gregem

Gonzaga in Prov. Cantabriæ con. 14.

Digitized by Google

gem curaſſent, Pater præfati loci Guardianus Joannes Caſtaneaceus cum cæteris ſibi ſubditis Fratribus oppidum petens tanta cura, tantaque ſollicitudine peſte ictis die, noctuque adſuit, ut tandem tum ipse, tum quoque ejus Fratres, unico Fratre Novitio dempto, peſte ex obſequio infirmis præſtito contracta, occubuerint. Quibus Laredana Communitas debitas gratiarum actiones pro receptis beneficiis redditura, Conventum S. Mariæ Magdalenæ, licet ſæcularibus Sacerdotibus adhuc contradicentibus, non longe a Laredi communis Oppidi vallo erigendum, perficiendumque curavit; cui nihilominus, quod fundus a Provinciæ Patribus ex eleemoſynis aliunde acquiſitis emptus fuerit, juspatronatus minime debetur. Commorantur ibi XXIV. Fratres. Exſtat in Eccleſia caput unius ex 11000. Virginibus, quod in eam intulit Eliſabeth a Prato Annæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ, & Maximiliani Imperatoris filiæ Ancilla.

XXXIV. Invenio etiam hoc anno literas Pontificias ad Cardinalem Borromæum pro venditione ædium Eccleſiæ S. Michaelis, ſeu S. Petri Amadeorum jam veterum bellorum injuriis dirutæ in Civitate Laudæ ad augendum, reparandumque Cœnobium S. Franciſci de Obſervantia ejuſdem Civitatis: *Expoſcit commiſſi*. Die 30. Aprilis. Inſuper literas pro venditione Capellæ B. Angeli cum domibus, & terris contiguis in favorem Capuccinorum Gualdi: *Decet Romanum Pontificem*: Die 19. Novembris. Aſculani cives locum Capuccinis concedunt apud S. Mariam de Soliſtano extra mænia, ubi poſtmodum Conventum fundarunt inſignem ob ſacrum corpus, quod ibi quieſcit, S. Seraphini de Monte Granario. Obtinent iidem Fratres Conventum Amatricis Diœceſis Aſculanæ, Cinguli, Montis Philotrani, Argentiæ Diœceſis Ravennatis, Canobii Diœceſis Mediolanenſis, & Prati Diœceſis Florentinæ.

XXXV. Sub hoc tempus conſecrata eſt Eccleſia S. Franciſci Plebis Centi Minorum Obſervantium. Gonzaga, & Waddingus conſecrationem rejiciunt in annum 1519. die 17. Octobris, nomine Epiſcopi non expreſſo. Rei memoriam Epiſcopi ipſius charactere exaratam producit Flaminius de Parma. (Gonzaga in Prov. Bononiæ con. 15. — Annales Min. an. 1452. num. 53.)

MDLXIX. die XVII. Octobris. Ego Thomas Furnus Epiſcopus Hieropolitanus Suffraganeus Mutinæ habens licentiam a Reverendiſſimo Legato Bononiæ, conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc in honorem S. Franciſci, & Reliquias BB. Martyrum, & Confeſſorum, vid. S. Ubaldi Confeſſoris, Dionyſii Mart., & Cataldi Epiſcopi, & Conf. in eo incluſi. Singulis Christifidelibus hodie unum annum, & in die anniverſario conſecrationis hanc ipſam viſitantibus 40. dies de vera Indulgentia in forma conſueta concedimus. Loco Sigilli.

XXXVI. Quemdam Epiſcopum Parmenſem Bernardinum Roſſi Mazalappus recenſet apud Flaminium de Parma, qui Clauſtrum hoc anno conſecravit die 18. Octobris. Verum de hac re nullum ſupereſt ſcriptum, neque in ſerie Epiſcoporum Parmenſium occurrit Epiſcopus ejus nominis. Sed neque inter Epiſcopos Mutinenſes reperitur Thomas Furnus, quem tamen inter annos 1564., & 1571., quibus nullus legitur Mutinæ Epiſcopus, Eccleſiam eamdem adminiſtraſſe oſtendit præſatum monumentum. (Flaminius de Parma in Prov. Bononienſi Con. Plebis Centi. — Ughellus tom. 2. pag. 190. — Ibidem pag. 156. & 157.)

XXXVII. Angelus Averſanus muneri ſibi commiſſo operam navabat in Belgio. Reductis ad Obſervantiam Cœnobiis Ruremundæ, Daventriæ, & Harderwich, coegit Amſtelodami Capitulum, in quo Fratres Tertii Ordinis ſubierunt regimen Obſervantium juxta Pontificium man- (Gonzaga in Prov. Germaniæ Inferioris con. 52. 50. & 51.)

datum, cujus exequutionem Patres Provinciæ Colonienſis abſolverunt Neomagi, Aldenſaliæ, aliiſque in locis, cæteri vero in reſpectivis Provinciis. Nullum ex parte Geuſiorum impedimentum Angelus offendit. At vero die 18. Junii, ut habemus in Actuario SS. Belgii Arnoldi de Raiſſa, vel die 19. ut ſcribit Waddingus, Joannes Amicus Concionator inſignis ob id ſolum, quia erat Franciſcanus, ignea balliſta ſauciatus ab Hæreticis, dum a Conventu ſuo Bergæ proficiſceretur, paullo poſt Lovanii ex vulnere occubuit.

Monumenta Provinciæ Coloniæ.

Waddingus de Martyribus Ord. L. 9.

XXXVIII. Ægræ in Diœceſi Ratisbonenſi Lutherana hæreſis hactenus occulta, in apertum ſe protulit, duce Hieronymo Tileſio Malhuſano, & Eccleſiam B. M. Virginis aſſeclis Novatoribus adjudicavit. Conventus tamen Fratrum Obſervantium, & Monaſterium Clariſſarum contagium evitarunt; fuitque Conventus ille hoc tempore commune aſylum Religioſorum ex Saxoniæ finibus profugientium. Aliquando centum uovi incolæ, & ſeptuaginta exules numerati ſunt, immiſſi poſtea in domos Provinciæ Argentinæ. Indultum eſt exerçitium Religionis Lutheranis in Eccleſia S. Crucis Minoritici Conventus Viennenſis, poſtquam Minores Conventuales notabile Conventus ſpatium Lutherano Paſtori, ejuſque Uxori, & familiæ tradidiſſent anno 1560. Sed Acatholicis in Monte Albo devictis, totum Cœnobium, & Eccleſia ad priſtinos Dominos rediere. Conventus S. Mariæ Magdalenæ Enzerſtorffenſis in pago ejus nominis Diœceſis Viennenſis nobilitato caſtris, arcibus, & oppidis per gyrum conterminis vetuſtate, & venuſtate ſpectabilibus fundatus ſub arce Liechtenſteinenſi circa annum 1454. in area Udalrici Ciliæ, Slavoniæ &c. Banni, & Præſidis, & anno 1533. poſt Turcarum inſultum, & invaleſcentem Hæreſim Lutheranam a Fratribus relictus, & a Lutheranis occupatus. Eum Marcus Prunner hæres Matthæi Gurr ſibi vindicavit integrum a Cæſare ſubreptitiis artibus, (eum non parum promoventibus Lutheri ſectariis aliunde Ecelefiaſticorum bonis inſidiantibus) ut ex contractu venditionis Andreæ Krebſerii conſtat; donec anno 1632. noſtris fuit reſtitutus non abſque litigiis cum Sebaſtiano Schratti, qui eum poſſidebat.

Greiderer lib 5. cap. 7 num 500.

Placidus Herzog in Coſmographia Auſtriaco-Franciſcana de Con Enzer cap. 1. pag 150. & ſeq.

XXXIX. Habebant Sorores Tertii Ordinis Hinoioſæ in Provincia Angelorum duo Monaſteria Minoribus Conventualibus ſubjecta, quibus reſormatis, Ludovicus de Soto Major, antequam Regulam Minoriticam profiteretur in Conventu S. Mariæ de Angelis de Hornachuelos ſub nomine Fratris Ludovici a Cruce, ex ſupremis tabulis decrevit, ut Monaſterium conſtrueretur, relictis propterea ſexdecim mille ducatis aureis, congruiſque redditibus. Teſtamenti exequutor Franciſcus de Zuniga Comes Bellalcazarii, & Dux de Bexar, obtenta a Pontifice licentia, & inſtrumento confecto cum D. Brianda de la Cerda, & Fratre Joanne de Hieruſalem, prædictas Tertiariarum ædes ruinæ proximas erexit in pulcherrimum, & capaciſſimum Monaſterium hoc anno, non poſteriori, ut ſcribit Gonzaga, licet non erret de Monialium in novam domum introductione anno 1570. ſub regula Immaculatæ Conceptionis. Floruerunt ibi cum ſauctitatis fama Ximena a Trinitate, Franciſca a S. Maria, Maria de Columna, Maria de Jeſu, Anna a Jeſu, Catharina de S. Marco, Iſabella de Purificatione, Paula de Plagis, Anaſtaſia de Trinitate, Angela de S. Franciſco.

Andreas de Guadalupe libro 12. cap. 8. & 9. pag. 577. & ſeq.

Gonzaga in Prov. Angelorum Monument. 8.

XL. Sorores Tertii Ordinis S. Hieronymi Paupercularum Cortonæ in Tuſcia Clauſuræ leges acceptarunt; hactenus enim in Eccleſia S. Mar-

S. Margaritæ Sacramenta recipiebant, & tumulabantur. Sed tumulum multis annis poſt Clauſuram in eadem habuerunt. Commiſſa eſt Vicario Generali Archiepiſcopi Florentini, & duobus aliis viſitatio, & reformatio Monialium S. Pauli ſuper platea B. Mariæ Novellæ Ordinis S. Franciſci Florentiæ, quæ irregularem vitam ducebant: *Exponi Nobis*. Die 4. Maji. Epiſcopo Carthaginenſi reformatio Monialium Tertii Ordinis Monaſteriorum S. Antonii, S. Eliſabeth, & B. Mariæ de Conſolatione Murciæ, & de Lorca Diœceſis Carthaginenſis: *Ex injuncto Nobis*. Die 26. Januarii. Epiſcopo Conimbricenſi receptio ſub ejus cura Monaſterii S. Claræ Civitatis Conimbricæ: *Alias ex rationabilibus*. Die 1. Januarii. Quod aliis literis Pontifex eidem juſſit: *Nuper credentes*. Die 11. Maji. In fine tamen clauſula reperitur, ne ipſe, ſed Minores Obſervautes prædicti Monaſterii curam reciperent. Similes prioribus literæ datæ ſunt eadem die ad Epiſcopum Portugallenſem pro Monaſterio S. Claræ Portugallenſi, contra quas fruſtra reclamarunt Moniales utriusque Monaſterii. Sorores S. Claræ Caminii Diœceſis Braccarenſis Obſervantibus quoque paruerunt.

Monum. Provinc. Tuſciæ.

Gonzaga in Prov. Portugalliæ Monum. 12.

XLI. Monaſterium Couceptionis Beatæ Mariæ oppidi Cernamcellæ Diœceſis Braccarenſis in margine fluvii Tavoræ fundatum circa annum 1460. pro Fratribus Tertii Ordinis, traditumque Petro de Merxocira ejusdem Inſtituti, deinde eis ablatum, & viciſſim reſtitutum, ac tandem, deficientibus eleemoſynis, deſertum, ceſſit anno 1500. Sororibus Tertiariis, & hoc anno aliorum Monaſteriorum Obſervantis Provinciæ Portugalliæ albo eſt adſcriptum. Moniales Clariſſæ, quæ 14. circiter ab hinc annis ab Oppido de Orbe profugæ, Hæreticorum injuriis, degebant in ædibus Parochialibus Oppidi de Evians in finibus Rhætorum, hoc anno ædes easdem in Monaſterii formam redigere cœperunt, ſumptus largiente Emmanuele Philiberto Sabaudiæ Duce ad inſtantiam Angeli Juſtiniani Epiſcopi Gennebenſis, conſtructis cratibus, officinis, & parva Eccleſia, quam die 14. Julii idem Epiſcopus conſecravit ſub titulo S. Claræ. Graſſante lethali contagio in oppido Villæ Comitis Diœceſis Bracarenſis, & Monialibus S. Claræ communem aliorum ſortem evadere deſperantibus, Eremita quidam ignotus adſtitit ad fores Monaſterii, traditaque Oſtiariis Imagine S. Rochi, ait: *Sumite hanc, & cuſtodite, ejus enim praſentia vos a peſte liberabit*. His dictis, diſceſſit, omnesque Moniales incolumes perſtiterunt.

Jacobus Fodere in narratione hiſt. tupogr. Prov. S. Bonaventuræ pagina 80.

Emmanuel a Spe lib 8. cap. 24. pag. 328.

Annales Min. an. 1118. uum. 46.

XLII. Literis Pontificiis: *Exigit incumbentis*. IV. Idus Martii, approbatur fundatio, & inſtitutio Monaſterii S. Claræ Mexici nuper facta a Civibus Urbis Mexicanæ, accedente auctoritate, & interventu Epiſcopi; domusque cura committitur Minoribus de Obſervantia cum largitione Indulgentiarum. Auguſtinus de Vetancur originem hujus loci recenſens ſcribit, ejus fundatricem fuiſſe Nobilem Dominam Franciſcam de S. Auguſtino Viduam, quæ in Eccleſia SS. Trinitatis, ubi modo exſtant Congregatio S. Petri, Deo ſe dicavit una cum quinque filiabus Maria de S. Nicolao, Iſabella de Spiritu Sancto, Ludovica de S. Clara, Maria de Jeſu, & Franciſca a Conceptione ſub titulo S. Nicaſii. Addit, his acceſſiſſe nobiles quasdam Virgines, quæ anno 1579. die 4. Januarii, coram Martino Enriquez Pro-Rege, & Doctore D. Petro Farſan, profeſſionem emiſerunt numero viginti duæ in manibus Ludovicæ de S. Hieronymo primæ Abbatiſſæ, Commiſſario Generali in iis partibus Roderico de Sequera, & die 6. ejusdem menſis profeſſæ ſunt aliæ quatuor.

Theatr. Mexic. part. 4. de Conobus Monialium cap. 1. num. 6. pag. 106.

tuor. Anno 1579. tranſlatæ ſunt ab Eccleſia Trinitatis ad Cœnobium S. Claræ in via de Tabuca, ſeu ut Indi dicunt, Pepetlan, renuntiata in Abbatiſſam præfata Ludovica, & in Vicariam Franciſca de Trinitate, electoque in Rectorem Fratre Bernardino Peres, viro doctiſſimo, probo, atque exemplari.

XLIII. Moderno tempore Kiselegg eſt pagus Sveviæ Superioris, ſeu Algojæ, ſub dominio Dapiferorum hæreditariorum de Friberg, & Trauchenburg, quum antea inane deſertum præberet paludibus obſitum, hominibusque inaceſſum. Anno 1000. ſex Eremitæ locum occuparunt, qui ab hominum conſortio ſejuncti, Deoque ſervientes, digni habiti ſunt, ut ferunt, more Iſraelitarum in deſerto cæleſti eſca nutriri; quotidie enim in horto tantum annonæ inveniebant, quantum ſatis erat ad victum unius diei. Paſtor amiſſum equum inquirens in nemus penetravit, illosque offendens, rem Dynaſtæ ſuo detexit. Hinc homines locum frequentare, & excolere, cum non levi Eremitarum incommodo, qui propterea Albam Augiam prope Ravenſpurgum petierunt, ubi Monaſterium Imperiale Albæ Augiæ fundarunt. Religioſæ Virgines, quæ æque ſex privatam domum clauſæ tenebant, ſede cum illis commutata, fundatrices exſtiterunt Monaſterii in Kiselegg, initio Regulam S. Auguſtini profeſſæ.

XLIV. Latent tempus, modusque, quo Obſervantium Provinciæ Argentinæ adſcriptæ ſunt. At conſtat, hoc anno eidem exſtitiſſe aggregatas; quum enim mendacibus Adverſariorum linguis ut inobedientes, nullique certo Ordini addictæ traducerentur, ſequens pro ipſis prodivit Apologia.

Ego F. Leonardus Graff Ord. Min. de Obſerv. ſuper Fratres, & Sorores ejusdem Ord. Min. Provincialis omnibus, & ſingulis, qui præſentes literas inſpexerint, opto in Chriſto Jeſu ſalutem, & pacem ſempiternam.

Noverint univerſi cujuscumque dignitatis, vel ſtatus fuerint, quod in Synodo Conſtantienſi, aut certe per ignorantiam R. P. Joachimi Hirtt, qui Commiſſarium egit omnium Sororum per Sveviam erratum eſt, quod Sorores Tertiariæ S. Franciſci in Kiselegg in Catalogo ſui Ordinis, quem profeſſæ ſunt, non ſint depoſitæ. Proin ego Leonardus Graff, qui hoc ſpatio temporis indignus hoc Miniſteriatus officio fungor per Alemaniam, profiteor, & proteſtor cum ſucceſſoribus meis, quod indigne, & immerito aliorum Ordini collocatæ fuerint. Sed quod noſtro Ordini Sacroſancto, tamquam morigeræ oviculæ ſemper addictiſſimæ exſtiterint. Idcirco earum gratia, ſi opus fuerit, non ſolum ego cum Succeſſoribus meis coram Reverendiſſimo Patre meo Illuſtriſſimo Principe D. D. Marco Sitico Epiſcopo Cardinali, verum etiam coram S. Pontifice comparebimus. Datum in Domo noſtra Tertiariarum in Kiselegg Diœceſis Conſtantienſis die XI. Octobr. An. Reg. Sal. MDLXIX. ſub Officii mei Sigillo.

F. Leonardus Graff, qui ſupra.

XLV. His temporibus in Monaſterio Conceptioniſtarum Abulenſium S. Claræ deceſſit Franciſca a Conceptione, quæ herbis communi menſæ reſiduis, paucisque fruſtulis panis emendicatis veſcebatur, vili, & aſpera tunica præcincta, etiam in hyeme nuda pedes, parciſſimæ quieti indulgens, noctesque in oratione tranſigens, interius, exteriusque a Deo, & hominibus probata. Dicebat ſæpe: *Pati digna ſum. Omnia patiar pro Jeſu meo.* Si quem in puellis ſibi concreditis defectum animadvertiſſet, flagellis ſe cruentabat. In obitus limine cæleſtem concentum:

Tota

Digitized by Google

Tota pulchra es, Maria, auditum ferunt, qui illam, & adſtantes Sorores recreavit. In demortuæ facie pulchritudo, & ſerenitas inſueta viſa eſt, & odor ſuaviſſimus, multos dies ſuperſtes, cubiculum replevit.

XLVI. Catharina Alvarez de Corduba filia Commendatarii Cordubenſis viri nobiliſſimi, & Monialis Tertii Ordinis S. Mariæ Magdalenæ Alcazarii hydropiſis morbo extincta eſt. Numquam, quoad vixit, in lecto recubuit, nec lineas veſtes adhibuit. Quodam die a rivo, ubi pannos laverat, caniſtro onuſta Cœnobium repetens Patrem ſuum obvium habuit in via, qui humilem filiam collaudavit. Defuncta apparuit cuidam Religioſæ, quæ advenientis ſtrepitu terrefacta, & quid rei foret neſcia, ſub lecti ſtragulis ſe occuluit, cui Catharina: *Ne vereare*, inquit, *Soror. Adſpice, ſum Catharina Alvarez de Corduba*. Illi vero caput e ſtragulis emittenti iterum dixit: *Ne vereare. En ad cælos aſcendo, & mecum duco quindecim animas mei generis*. His verbis diſceſſit, & locus ſplendore coruſcavit.

Blaſius de Laguna in memoriali Prov. S. Gabrielis

XLVII. In Monaſterio SS. Conceptionis Turiaſſonis obiit Violantes ab Urrea, quæ vidua L. annorum ibi Domino ſe dicavit, egitque decem annos Abbatiſſam, nec miracula defuerunt, quibus ſororibus ſuis in extrema neceſſitate ſubvenit. Novitiarum Magiſtra filias educavit in omni ſollicitudine, & charitate. Illi Deus mortis horam revelavit, & morienti adſtitiſſe cum Seraphico Patriarcha agmen undecim mille Virginum narrat Joſeph Antonius Hebrera in Epitome Provinciæ Aragoniæ. In Monaſterio S. Antonii Beatiæ, ſeu de Bacca in Provincia Granatenſi Magdalena de Xodar ex eodem Oppido, ubi a teneris annis Deo inſervivit, virtutibus multis profecit, & ſancte quievit. In Monaſterio S. Claræ Regalis Alcozerii in Provincia Carthaginenſi Maria de Turre a Civitate Nuete prudens, humilis, pœnitens, & in Religioſæ vitæ ſtudio exercitata nonaginta annis, quibus vixit.

Monumenta Provinc. Granatenſi.

Monumenta Provinciæ Carthaginenſis.

XLVIII. Angliæ Regina Eliſabeth, quæ Mariam Stuartam carcere incluſerat, & Norfolciæ Ducem, qui eam in judicio damnare renuit, capitali ſupplicio affecerat, ob anathema in ſe latum: *Regnans in excelſis*. V. Kal. Martii, & Londini publicatum ira percita, & furore excandeſcens acerbiſſima edicta tulit, pluresque innocentes Catholicos necavit. Hinc Minoritæ vexati, & ſedibus expulſi, ac ingens damnum illatum Provinciis olim florentiſſimis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ. Argumentum hoc fuſo calamo proſequitur poſtremus Annaliſta, & non ſolum quidquid invenit apud Auctorem Certaminis Seraphici, quamvis majori ex parte ad annum 1558. non pertinens, avide exſcribit, verum etiam longiſſimas literas Joannis Haii ad Franciſcum Gonzagam anno 1586. datas de Statu Provinciæ Scotiæ Annalibus inſerit ad annum 1559., ne forte, ut arbitror, hujuſmodi literæ perirent, quæ in Archivo S. Iſidori diligenter aſſervantur. Non intelligo autem, cur alia retulerit, alia præteriverit, duos enim, cæteris memoratis, ſilentio exigit Franciſcanos ab Anglia exules, Joannem Budejum, ſeu Godefridum Jones, & Joannem Richel, clariſſimos viros, de quibus ſi etiam dixiſſet, os noſtrum deinceps hac ſuper re penitus obturaſſet.

XLIX. Oppreſſis, & propemodum extinctis in præfatis Regnis ſaltem ad tempus Provinciis Minoriticis, aliæ conſurgunt in Indiis Occiduis, quarum aliquot antehac memoravimus. Diximus, Cuſtodiam S. Antonii Charcarum aut nunquam adnumeratum eſſe inter Provincias, aut paucis tantum annis ſubſtitiſſe; quod ex Gonzaga, quem ducem

cem tunc ſequuti ſumus, pronum erat deducere; is enim, qui ſui temporis Provincias omnes Ordinis diſtinctè recenſet, eam reticet, nec de ejus Cœnobiis loquitur. Abs re autem videbatur, ut Generalis Miniſter vel ignoraverit ſtatum Ordinis, quem moderabatur, vel Provinciam Charcarum prætermiſiſſe ex oſcitantia, aut monumentorum defectu, quæ ſi ipſi non adfuiſſent, id ſane adnotaſſet, ut facit, dum queritur de quorumdam Fratrum negligentia, ex quibus habere non potuit deſcriptionem Cœnobiorum Cuſtodiæ Panamæ, multoque magis id feciſſet, quum non de una, vel altera domo, ſed de integra Provincia ageretur. In ea ſententia modo etiam perſiſtimus, & aſſerimus, Provinciam S. Antonii Charcarum Gonzagæ tempore non fuiſſe ſejunctam a Provincia Duodecim Apoſtolorum *del Perù*: licet enim Carolus Maria de Peruſia eam aſſerat incœpiſſe anno 1565., novimus tamen, Chronogolum niti tantum decreto Capituli Vallisoletani, quo præcipitur, ut erigatur in Provinciam, ſeorſum ab exitu, ad quem hujuſmodi ſcriptores parum attendunt; non enim quæ facta ſunt, ſed quæ fieri ex lege debent, plerumque conſiderant. At ejusmodi Provincia diſtinguitur reipſa ab altera Duodecim Apoſtolorum. Id fatemur, & Cœnobia ipſius deinde claritatis ergo numerabimus, dummodo verum ſit, non his annis, neque ſubſequentibus, dum Gonzaga opus ſuum typis committebat, eam Provinciæ titulum obtinuiſſe, præſertim quum plura ejus Cœnobia ad poſteriorem ætatem pertineant.

L. Provinciæ aliæ earumdem regionum his temporibus erectæ, ſunt ſequentes, nempe, Nominis Jeſu de Guatemala, S. Joſeph de Jucatan, S. Fidei de Bogota in Novo Regno Granatenſi, & SS. Petri, & Pauli de Mechoacan. Guatemalæ deſcriptionem a Gonzaga deſumptam habes, Lector, in tomo XIX. Annalium noſtrorum; ea tamen rerum potius productiones, quam Topographiam complectitur.

LI. Guatemala, ſeu Quatuemalla ex nomine arboris putridæ una eſt ex tribus Audientiis Novæ Hiſpaniæ, quarum aliæ ſunt Mexicum, & Guadalajara, olim clauſa propriis limitibus, & regione Nicaraguæ; nunc autem totum telluris tractum comprehendens, qui ab Auſtro Orientem verſus protenditur ab Audientia Mexici ad Iſthmum usque Panamæ, nimirum per Provincias Chiapæ, Veræ Pacis, Hondurarum, Coſtaricæ, & Veraguæ, longitudinis CCC. circiter leucarum, latitudinis circiter CXL. Proprie inſpecta maritimas tantum oras complectitur. habens a Septentrione Guaſttecam, ſeu Huaxtecam, ab Auſtro Nicaraguam, a Cæcia Provincias Chiapæ, Veræ Pacis, & portionem Provinciæ Hondurarum.

LII. Sunt qui exiſtimant, eam inſalubris eſſe climatis ob nimium calorem, & humiditatem. Raro ibi pluit; ſed dum aliquando imbres decidunt, maximo impetu a nubibus ſe exonerant. Venti interdum flant rapidiſſimi Boreales, & Auſtrales, quindecim, aut viginti dierum ſpatio numquam interrupti. Editi montes regionem interſecant, & uberes fluvii alluunt. Quamvis mari adjaceat, ſale tamen caret, pro quo arena inſervit litorum in fornacibus cocta. Abundat goſſypio, frumento Indico, fructibus exquiſiti ſaporis, quos inter *Cacao*, ſeu Cacaiz, cujus nucibus, teſte Ludovico Gotofredo, Indi utuntur in commercio pro nummis minoribus, ita ut viginti millia illarum valeant centum viginti nummos Regales in Guatemala, ducentos in Mexico. Viri, aſſueti venationibus, nudis pedibus incedunt, demptis paucis, qui ſan-

ſandalia adhibent, breveque induſium laneum, vel ex goſſypio ad humeros religatum deferunt, iiſque mulieres vivaciores quidem ſunt, ſed non cultu magis eleganti ornantur. In pagis quibusdam Caciqui Americani jus dicunt, in cæteris Hiſpani. Cives nonnullorum Oppidorum Hiſpano Regi vectigal non ſolvunt, eo quod ſub Ferdinando Corteſio eorum majores ex Tlaxcala oriundi operam, manumque præſtiterunt in ſubigendis Mexicanis.

LIII. Exſurgunt in Guatemala Civitas Suchitepec, vel S. Antonii de Suchitepec, cum parvo maritimo portu ad fauces fluminis; Civitas S. Salvatoris XII. paſs. millibus a mari Pacifico, clauſa a Septentrione montibus Chiantales, in quibus degunt ſylveſtres, pauperesque Americani; Civitas Soconuſci in litore Maris Pacifici, cum ampliſſimo territorio, quod ſeparatam a Guatemala Provinciam conſtitnere plerique Geographi opinantur; ac tandem Metropolis S. Jacobi in valle latitudinis unius ferme leucæ, ad quam acceſſus non patet, niſi per montes. Horum duo Civitati ad perpendiculum imminent e regione Auſtrali. Alter copioſiſſimos aquarum torrentes perpetuo emittit calore ferventium, quæ diverſis coloribus fluunt infectæ, earumque nimis excreſcentium impetus anno 1542. Civitatem propemodum ſubmerſit, deſertam proinde ab habitatoribus, qui aliam non procul exſtruxerunt. Mons alter priori oppoſitus flammas eructat, & nunquam intermiſſo ſonitu fremit, ſparſus undique cineribus, nudisque lapidibus in calcem redactis. Parum abſuit, quin igneæ eructationes anno 1581., & ſequenti extremum Civitati exitium inferrent; ſpiſſiſſimi enim cineres totam vallem oppleverunt, & enormia ſaxa violenter exploſa deorſum veluti rapidiſſimo flumine delata ad Civitatis latera corruerunt, ibique nunc etiam immota jacent. Alium Vulcanum prope Civitatem exſurgere narrat Morerus raro ignem vomentem, de quo verbum nullum in Buschingii Geographia.

LIV. Jucatanica regio, pertinens ad Audientiam Mexici, eſt Peninſula, cujus peridromus continet CCC. circiter leucas ſub gradu elevationis XXI. Barbari Majathanam appellant, & quo magis in mare porrigitur, latior fit, deſinens in promontorium Boreale *Caput Rubrum*, & Auſtrale *Coroca*. Cingitur a Septentrione, & Occidente ſinu Mexicano inter oras Campechii ad Africum, & Hondurarum ad Euro-Notum. Parva Provincia Tabaſci eam claudit ad Notum, & Provincia Veræ Pacis ad Auſtrum, quacum, Iſthmo non excedente XL. leucas in longitudine, conjungitur.

LV. Ferunt, Incolas conſueviſſe hoſtes in bello captos Idolis immolare; ab iis tamen devorandis abſtinuiſſe, repertaque apud illos Chriſtianæ Religionis inditia, in quibus Baptismus. Verum nemo non videt, ablutiones fieri ſolitas ab Idolatris facile pro Baptismo fuiſſe ſumptas a militibus, qui primo regionem ingreſſi ſunt, curioſis, atque imperitis. In veteribus hiſtoriis narratur, Indum quemdam ad tria integra ſæcula vitam inibi produxiſſe. Sed quum nulla ſcriptura Indi antiquitus uterentur, ignotum eſt, quonam ex fonte hæc notitia manaverit. Conſtat tantum, in illo montium tractu, qui a Salmantica ad Occidentem excurrunt ad terminos usque Orientales, multo tardius homines ſeneſcere; aere enim pars hæc gaudet temperatiſſimo. Pars altera montium Auſtralis parum culta eſt ob aquarum penuriam; raro namque ibi pluit etiam in hyeme, nullique rivi per eam defluunt; puteis tamen

tamen ubique ditatur. Auri, argentique fodinas regio adhuc non præbuit. Habet Jucatanum Civitates Meridæ ad oras Septentrionales, S. Franciſci Campechii ad maris ſinum, Tacarlpo, & Villam de Moſe ad ripas fluvii Eſtago, Valliſoletum ad Orientem Peninſulæ, & Salmanticam ad marginem Rivi Magni.

LVI. Novi Regni Granatenſis, ſeu Caſtellæ Aureæ nomine venit omnis Terra Firma Iſthmo Panamæ conjuncta, reſpiciens ab Auſtro regionem Amazonum, & Peruviam, a Septentrione ſinum Mexicanum, & Archipelagum Antillarum, ab Oriente portionem Guajanæ Hollandicæ, ab Occidente mare Auſtrale, longitudinis 1200. milliarium, latitudiuis 750. Tota eſt Meridionalis ſub Zona Torrida montibus referta, diveſque auro, & argento. Fluvius Orinocus, qui naſcitur prope lineam Æquinoctialem, & ampliſſimam vallem interfluit, aquis collectis a montibus Septentrionalibus, & Auſtralibus tumidus in Guajanæ Hollandicæ finibus in Oceanum ſe projicit. Fluvius alter, qui appellatur Rivus Magnus, ſeu *Rio della Madalena*, aquarum a Montibus Popajanæ deſcendentium copia auctus a Septentrione ad Auſtrum præcipiti curſu influit in ſinum Mexicanum. Nonniſi anno 1718. regio peculiare dominium conſtituit, quum antea Peruviæ uniretur. Hinc modo tertiam dumtaxat Terræ Firmæ portionem occupat, & limites habet ab Occidente Sanctam Fidem, & Popajanam, a Septentrione Provincias S. Marthæ, Carthagenæ, Venetiolæ, Novæ Andaluſiæ, Carracarum, Pariæ, & Guajanæ Hollandicæ; ab Auſtro regionem Amazonum, & Popajanam. Adhuc omnes habitatores domiti non ſunt; quamvis enim cum fide mores his locis intulerint Franciscani, & alumni aliorum Ordinum, potiſſimum Jeſuitæ; ſuperſunt tamen ſylveſtres nationes Quirubæ, Abanæ, Caberræ, Achaguæ, Andaquies &c. in nemoribus degentes, quæ acerbiſſimo odio Europeos proſequuntur, memores cædum initio peractarum, & a cultis hominibus, qui tenent loca mari proxima, ſejuncti media ſolitudine *Los Llanos*, quæ per univerſam Provinciam extenditur.

LVII. Clauditur Provincia SS. Petri, & Pauli Mechoacano, & Xaliſco. Illud pertinet ad Audientiam Mexici, & terminatur Guaſteca ab Oriente, ab Occidente Nova Gallæcia, a Septentrione Nova Cantabria, ab Auſtro Provincia de Zacatechas, & mari Auſtrali. Alterum ad Audientiam Guadalajaræ, habetque ad Orientem Guadalajaram proprie dictam, & Mechoacanum, disjunctum ad Boream a Provincia de Chiametlan anguſto terræ ſinu, quem mare adjacens efformat.

PROVINCIA S. ANTONII CHARCARUM, SEU DE LAS CHARCAS IN REGNO PERUVIÆ

Habet Conventus.

1. S. Franciſci de Cuzco.
2. S. Antonii Charcarum.
3. S. Franciſci de Potosì.
4. S. Franciſci de Ariquipa.
5. S. Franciſci de Chuquiago.
6. Conceptionis de Yanque.
7. S. MariæAngelorum de Miſque.
8. S. Franciſci de Cochabamba.
9. S. Antonii Recollectionis de Cuzco.
10. S.Annæ Recollectionis de Chiuquizaca.
11. S. Franciſci de Pocona.
12. S. Mariæ Angelorum de Ureos.

13.

13. S. Joſeph Recollectionis de Urubamba.
14. S. Mariæ de Guadalupe de Oruro.
15. S. Franciſci de Farila.
16. S. Antonii de Callaji.

HABET DOCTRINAS

1. Domus S. Joannis de Guayllabamba.
2. S. Petri del Chuquiago.
3. S. Jacobi de Coponaque.
4. B. Mariæ de Chibay.
5. S. Petri del Fisco.
6. S. Sebaſtiani del Misque.
7. . . . . . . de Pocona.
8. S. Franciſci del Pogi.
9. Regum de Acboma.
10. S. Crucis de Tute.
11. S. Joannis della Zibajo.

PROVINCIA NOMINIS JESU DE GUATEMALA.

Habet Conventus.

1. S. Franciſci Guatemalæ. Memorat in hac Civitate Buſchinghius Monaſterium Monialium SS. Conceptionis, in quo mille circiter incolas, Ancillis, & Mancipiis non excluſis, commorari ſcribit. Busching. to. 5. pag. 123.
2. Conceptionis de Almeria.
3. Aſſumptionis de Tecpanatitlan.
4. S. Jacobi de Atitlan.
5. S. Jo. Baptiſtæ de Comalapa.
6. S. Michaelis de Totonicapa.
7. Spiritus Sancti del Quetzo.
8. S. Franciſci de Tegpanova.
9. Conceptionis de Zonzonate.
10. S. Antonii de S. Salvador.
11. S. Antonii de Chiapa.
12. Conceptionis de Zamajac.
13. S. Catharinæ de Ciquinala.
14. S. Jacobi de Cotzumaluapa.
15. S. Bartholomæi de Cortilla.
16. S. M. Magdalenæ de Patulul.
17. S. Jacobi de Momoſtenango.
18. S. Antonii de Nexapa.
19. Aſſumptionis de Gueſtecpan.
20. S. Franciſci de Cortilla.

IN CUSTODIA DE HONDURAS

Habet Conventus.

1. S. Antonii de Comajagua.
2. S. Michaelis . . . .
3. S. Andreæ de Nacaome.
4. S. Mariæ ad Nives de Amapal.
5. S. Franciſci de Panahactoel.
6. S. Hieronymi de Agalteca.
7. S. Joannis de Zuluaco.
8. S. Didaci de Teguſigalpa.
9. S. Petri de Laguna.
10. S. Andreæ de Itzapa.

PROVINCIA S. JOSEPH DE JUCATAN

Habet Conventus.

1. Aſſumptionis Meridæ.
2. S. Franciſci Campechii.
3. S. Bernardini Vallisoleti.
4. S. Franciſci del Cumchal.
5. S. Antonii de Itzmal.
6. S. Michaelis Manni.
7. S. Jo. Baptiſtæ del Motul.
8. S. Ludovici de Calchini.
9. S. Bonaventuræ de Homun.
10. S. Claræ de Cicantum.
11. SS. Regum de Titzimin.
12. S. Auguſtini de Tichante.

13. S. Jo. Baptiſtæ de Tichax.
14. S. Franciſci de Oxcutzab.
15. S. Franciſci de Xuchechan.
16. S. Franciſci de Hunuema.
17. S. Dominici de Valma.
18. S. Franciſci de Human.
19. S. Antonii de Ticul.
20. S. Michaelis de Timax.
21. S. Franciſci de Thelojac.
22. S. Michaelis de Maxcanu.
23. Conceptionis de Champoton.
24. SS. Petri, & Pauli de Cachalchen.
25. Aſſumptionis de Mococha.
26. S. Franciſci de Chechemila.
27. SS. Petri, & Pauli de Tiab.
28. Aſſumptionis de Chichen.
29. S. Jo. Evangeliſtæ de Muna.
30. S. Franciſci de Canzachal.
31. S. Stephani de Calodmat.
32. S. Barnabæ del Tija.
33. S. Antonii de Zachachen.
34. Aſſumptionis de Mama.
35. S. Marci de la Mexorada.
36. S. Claræ de Conopip.

PROVINCIA S. FIDEI IN NOVO REGNO GRANATENSI

Habet Conventus.

1. Purificationis in Civitate S. Fidei.
2. S. MariæMagdalenæ deThunga.
3. S. Mariæ de Loreto de Carthagine.
4. Recollectionis S. Fidei.
5. Recollectionis de Carthagine.
6. Recollectionis de Guanduas.
7. Antonii de Mompox.
8. S. Ludovici de Velez.
9. S. Mariæ de las Palmas.
10. S. Ludovici de Anzerma.
11. S. Franciſci de Manquita.
12. S. Antonii de Carthago.
13. S. Antonii de Ocaña.
14. S. Claræ de la Grita.
15. S. Sebaſtiani de Pamplona.
16. S. Bonaventuræ de Tenerife.
17. S. Antonii de S. Martha.
18. S.Franciſci del Rio de la Hacha.
19. Conceptionis de la Villa.
20. S. Ludovici de Folù.
21. S. Didaci de Ubate.
22. S. Martini de Logamoſſo.
23. S. Bernardini de Boza.
24. S. Franciſci de Zipaquira.
25. Conceptionis de Zatira.
26. Monaſterium S. Claræ in Civitate S. Fidei.

HABET DOCTRINAS.

1. Domus de Suacha.
2. De Chia.
3. De Nemocon.
4. Del Tuzo.
5. De Cogua.
6. De Suta, & Tanza.
7. De Cucuniba.
8. De Zinega.
9. De Tuquene.
4. De Socota.
5. De Toca.
6. De Tota, & Guaquira.
7. De Guitiba.

DOCTRINÆ DE TUNGA.

1. Domus de Motavita.
2. De Tiravicoba.
3. De Yza.

DOCTRINÆ CARTHAGINIS.

1. Domus de Zipacua.
2. De Cariez, & Bahaire.

DOCTRINÆ DE MONPOX.

1. Domus de la Xegua.
2. De Baranquillas.
3. De Menchiquero.

DO-

DOCTRINÆ DE VELEZ.

1. Domus de Platahar.
2. De las Xuntas.
3. De Chipata.
4. De Quinchia.
5. De Pauna.
6. De Mazinga.
7. De Tabuja.
8. De Pindana.

DOCTRINÆ DE LAS PALMAS.

1. Domus de Yacupi.
2. De las Arboledas.
3. De Marcha.
4. De Cacota.

DOCTRINÆ DE MUSCO.

1. Domus de Yacupi.
2. De Los Bailadores.
3. De Mamatoco.

DOCTRINÆ DE MARIQUITA.

1. Domus de Rioſeco.
2. De Sazaimas.
3. De Nerbiti.
4. S. Joſeph del Ataco.
5. De Purnio.
6. De las Eſtancias.
7. S. Joannis del Obo.
8. S. Franciſci de Yquira, & Nataga.

PROVINCIA SS. PETRI, ET PAULI

Habet Conventus.

IN REGIONE MECHOACAN HISPANORUM, ET INDORUM

1. S. Bonaventuræ Valliſoleti.
2. S. Jacobi de Queretaro.
3. Conceptionis de Selaya.
4. S. Franciſci de Paſquaro, ubi quieſcit Martinus a Jeſu primus Mechoacani, & Xaliſci Apoſtolus. Regi Sinzicæ a Civitate Mexici in Mechocanum redeunti comes adfuit, & Sinſonzæ Idolorum delubra deſtruxit, ſuperſtitionis monumenta partim arſit, partim in paludem dejecit, fidemque Chriſti plantavit in iis regnis.
5. S. Franciſci de S. Philippo.

IN REGIONE MECHOACAN INDORUM

1. S.Franciſci de Sinçoha, vel Singonza. Quieſcunt ibi Petrus a Garrobiliis, & Martinus Giberti, ille Provinciæ S. Michaelis, alter Aquitaniæ Antiquioris. Ajunt, primum mille aliquando Idola uno die in fruſta comminuiſſe. Secundum ſub nomine Maturini ſuperius memoravimus.
2. Aſſumptionis de Erongariquaro.
3. S. Hieronymi de Prenchequaro.
4. S. Joſeph de Taximaroa.
5. S. Mariæ de Gratia de Acambaro.
6. S. Annæ de Sacapo. Decoratur ſepulchro Antonii Beteta Provinciæ Conceptionis, Indici idiomatis peritiſſimi, egregii Concionatoris, & prophetici Spiritus.
7. Conceptionis de Unacapan.
8. S. Franciſci de Pirivan.
9. S. Crucis de Tancitaro.
10. S. Joannis Baptiſtæ de Sitiquaro.
11. S. Franciſci de Xiquilpan.
12. S. Franciſci de Apaceo.
13. S. Franciſci de Tarimbaro.

14. S. Petri de Toliman fundatus anno 1583., ut Cicimechæ converſi facilius Catholicam fidem retinerent, & alii ad ipſam adducerentur.

15. S. Mariæ de Jeſu de Tarequaro. Obierunt ibi Joannes a S. Michaele, qui primus rudes, ac ſylveſtres homines ad ſocietatem adduxit, Jacobus Dacianus, ſeu a Dania natus regio Danorum ſanguine, in linguis Latina, Græca, & Hebraica verſatiſſimus, qui primus omnium Mechoacanis Indis SS. Euchariſtiam miniſtravit, miraculorum etiam dono illuſtris, & prophetico Spiritu. Obitum Caroli V. eo ipſo die, quo contigit, agnovit in Cœnobio de Tarequato, ubi erecta pyra ſacrificium pro illo obtulit.

16. SS. Petri, & Pauli de Cinapiquero.

IN REGIONE XALISCI HISPANORUM, ET INDORUM.

1. S. Franciſci de Guadalaxara. Puto, hunc eumdem eſſe cum Conventu S. Franciſci de Guadalfagiara, quem recenſet Gonzaga, in quo condita ſunt corpora Danielis Itali Laici Provinciæ S. Jacobi, Hieronymi a Cruce Provinciæ Bæticæ, Franciſci Oropeſani, Angeli Valentini, Antonii Segovienſis in Apoſtolicis laboribus præſtantium.
2. S. Franciſci de Colima.
3. Franciſci de Agacatlan. Deceſſit ibi Bernardinus Marmoreus, de quo poſtremus Annaliſta.
4. Conceptionis de Ycatlan.
5. S. Franciſci de Sapochipila.
6. Aſſumptionis de Sapotlan. Conditi ſunt ibi Joannes a Padilla, & Joannes a Cruce, de quibus idem Annaliſta.
7. S. Franciſci de Saqualco.

IN REGIONE XALISCI INDORUM.

1. S. Joannis Baptiſtæ de Tuchpan. Jacet ibi alter Joannes a Cruce.
2. Transfigurationis de Autlan. Quieſcit illic Franciſcus a Cruce Provinciæ Bæticæ zelo fidei Chriſtianæ ardentiſſimus, in cujus funere æra metallica ſponte ſua ſonum edidiſſe ferunt.
3. S. Mariæ Magdalenæ de Capotitlan, ubi jacet Franciſcus Torrigianus, qui innumeris ferme populis Evangelicum lumen intulit, & Joannes Serrado, de quo diximus.
4. S. Franciſci de Sayula.
5. S. Sebaſtiani de Techalutla.
6. S. Joannis Evangeliſtæ de Atoyaguar, ubi jacet Ferdinandus a Segura terræmotu oppreſſus.
7. S. Michaelis de Teoquitlatlan.
8. S. Andreæ de Axixiquar.
9. S. Franciſci de Chiapala, ubi jacet Michael a Bononia Provinciæ Bononienſis, qui linguas Mexicanam, Taraſcam, Otomitam, Caſcanitam, Tequexanam, & Jucatanam intra breve temporum ſpatium perfecte didicit.
10. SS. Petri, & Pauli de Pencitlan.
11. S. Michaelis de Cocolan, ubi jacet Stephanus ab Antiqua Mellaria, ſeu Fuente Oveiuna terræmotu oppreſſus.
12. S. Antonii de Padua de Tlaxomulco.
13. S. Franciſci de Tegul, ſeu Teulis.
14. Conceptionis de Xala.

15.

15. S. Joannis Baptiſtæ de Xaliſco.
16. S. Franciſci de Centicpac.
17. S. Franciſci de Guainamota.
18. S. Franciſci de Saponeta.
19. S. Franciſci de Amacheca, ubi jacet Simon de Bruxellis Laicus Provinciæ Germaniæ Inferioris L. annos in Indiis verſatus.
20. Monaſterium Monialium in Oppido de Queretaro.

LVIII. Harum Provinciarum deſcriptionem deſumpſimus ex authentico MSS. Archivi S. Iſidori, quod cum Gonzagæ catalogo in pluribus non cohæret; variat enim tum in Cœnobiorum, & Domorum Doctrinalium numero, tum in nomenclaturis; utque arbitramur, confectum eſt circa initium Sæculi XVII., nimirum poſt Gonzagæ ætatem. Ædes ferme omnes ignotam fundationem præſeferunt. Guatemalicam Cuſtodiam conſtituit Franciſcus Colmenarius, Jucatanicam Jacobus Teſtera, Cuſtodiam S. Fidei ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ Franciſcus de Victoria, & SS. Petri, & Pauli Martinus a Jeſu cum ſociis Michaele de Bononia, Augelo de Saliceto, Joanne de Saliceto, & Joanne Badia, de quibus ſatis ſuperque in anteactis Annalibus.

LIX. Juſſit Pontifex, ut in qualibet Provincia aſſignarentur ſaltem duæ Domus Fratribus Recollectis, qui neque a Generali Miniſtro amoveri inde poſſent abſque conſilio Diſcretorum earumdem ædium: *Injunctum Nobis*. Die 10. Martii. Literarum exequutionem commiſit Epiſcopo Conchenſi, Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & Officiali Toletano, ex quo patet, eas Familiam Ultramontanam initio affeciſſe, quamvis Ciſmontanam quoque ſubinde obligaverint. Prohibuit, ne Superiores cujuſcumque Ordinis reciperent profugos, & Apoſtatas alterius Ordinis, in quo profeſſi ſunt: *Quacumque ſacrum*. Pridie Idus Octobris.

LX. Fratribus Tertii Ordinis Portugalliæ indulſit, ut ipſorum tres, vel ad minus duo ſtudiorum cauſa habitarent in Cœnobiis Minorum de Obſervantia Civitatum Conimbriæ, & Eboræ: *Quum ſicut accepimus*. Die 20. Martii. Declaravit, ſibi non eſſe in animo Tertium Ordinem extinguere, neque eorum habitum, vel Regulam immutare, ſed tantum ad Obſervantiam ejuſdem Regulæ reducere: *Quum alias*. Die 10. Januarii. Quas literas dimidiatas refert etiam Antonius de Sillis, noſque eas in anteceſſum notavimus. Permiſit, ut Margarita Parmenſis hoſpitaretur in Cœnobio S. Franciſci Terræ Leoniſſæ, & ædificiorum augumentum a Civibus factum cederet poſt ejus diſceſſum Fratribus ejuſdem Cœnobii: *Excellens tua fidei*. Die 7. Junii. Nobili Mulieri Viduæ Odoardi Infantis Portugalliæ, ut ingredi poſſet ſtatis annis diebus Monaſterium S. Claræ de Obſervantia Ulyſſiponis: *Tui nobilitas generis*. Die 1. Aprilis. Margaritæ filiæ Joannis Tello de Meneſes pro Rege Luſitano Oratoris apud S. Sedem, ut obtenta in ſcriptis licentia a Superiore Monaſterii S. Claræ de Santarem, & aſſentientibus Abbatiſſa, & Monialibus, recipi poſſet ibidem in educationem cum una honeſta famula: *Expoſuit Nobis*. Die 12. Septembris.

LXI. Commiſit Aloyſio Puteo Miniſtro Generali, ut ſi in Monaſterio S. Antonii Sulmonæ diſciplina relaxata foret, tranſferret ad Monaſterium S. Euchariſtiæ Aquilæ Moniales Beatricem, & Conſtantiam filias Lucæ del Pezzo: *Nuper pro parte*. Die 18. Octobris. Coſmo Mediceo, qui hoc anno Magni Ducis nomen, & dignitatem obtinuit, ut pro-

procederet contra eos, qui deliquerant in Monaſterio Clariſſarum S. Jacobi Florentiæ: *Nuper emanarunt*. Die 5. Februarii. Carolo Borromæo, ut procederet contra Flaminium de Placentia Minoritam Conventualem, & Michaelem olim Priorem S. Dionyſii Mediolanenſis exemplari pœna afficiendos: *Nuper accepimus*. Die 18. Februarii. Episcopo Firmano, ut dejiceret a Præpoſitura Eccleſiæ Parochialis S. Laurentii Montis de Novem nullius Diœceſis Fratrem Salvatorem Labot Miuorem Obſervantem, qui, habitu minus legitime dimiſſo, ad ſæculum redierat: *Dignum arbitramur*. Nono Kal. Septembris.

LXII. Provinciam S. Francisci viſitavit Commiſſarius Sebaſtianus de Ripa Tranſonum, qui Capitulo præeſſet celebrando in Domo S. Mariæ Angelorum: *Quum ſicut accepimus*. Die 20. Julii, cum facultate inſtituendi quatuor Diffinitores alterius Provinciæ, quos ipse vellet, dummodo eſſent Reformati, ac zelo Obſervantiæ referti, & præponendi Patribus duos pariter Fratres Reformatos alterius Provinciæ, quorum unus renuntiandus foret Miniſter; quod ſi ii facere recuſarent, ipſe poſſet quemcumque in Miniſtrum præficere ſeorſum a conſenſu Capituli, immo contra omnium votum, & diſpoſitionem.

LXIII. Electus eſt in Episcopum Eccleſiæ Mindonienſis vacantis per translationem Gundisalvi Episcopi ad Eccleſiam Ovetenſem Antonius de Luxan Ordinis Minorum de Obſervantia: *Romani Pontificis*. X. Kal. Martii. Senis S. Congregatio Cardinalium Generalium Inquiſitorum conſtituit Magiſtrum Petrum Juſti de Sarno Minorum Conventualium, qui Fidei causas cognoſceret. Licet autem ab anno 1244. officium hoc Fratres Minores illic geſſerint; illorum tamen nomina, & continuatam ſeriem habere non licuit ad præſens usque tempus, quam ſuis in locis recensebimus ex MSS. Magiſtri Pauletti de Vinearello.

Antonius de Terrinca Theatr. Ordin. part. 2. tit. 2. pag. 149. Annales Min. an. 1240. num. 21.

LXIV. Florere cœpit in Provincia Granatenſi Franciſcus Solanus, natus anno 1549. in Oppido Montiliæ Diœceſis Cordubenſis, & Marchionatus Priegienſis parentibus Matthæo Sanchez Solano, qui bis Oppidi præfecturam exercuit, & Anna Ximenez *Hidalga*, id eſt nobili. Ex horum ſtirpe, quaſi bonæ arboris fructus, ſuscepit baptiſmum VI. Idus Martii, die Dominica, in Eccleſia S. Jacobi, ut ſcribit Tiburtius Navarrus in ejus vita; in altera vero Hiſpanica ex iuformatione proceſſus ad ejus Beatificationem dies natalis indicatur hoc modo: „ Prædixit ſuam mortem futuram in die S. Bonaventuræ, in quo natus fuerat, cujus devotiſſimus erat „. Ab ipsa puerili ætate ſe virum perfectiſſimum futurum oſtendit; ſollicite enim inſtructus in timore Domini, & non tam præceptis imbutus, quam Dei gratia præventus, a pravis converſationibus ſtudioſe declinabat, & juvenilis petulantiæ æſtum refrænans, unicam animæ ſuæ culturam præ oculis ſibi proponebat, ſociosque adoleſcentes ſola præſentia a ludis inhoneſtis, & indecentibus verbis cogebat omnino abſtinere.

Tiburtius Navarrus in vita Sancti Francisci Solani.

Acta SS. ad diem 24. Julii pag. 860.

LXV. Literarum ſtudio addictus in patrio Collegio Societatis Jeſu in ſe veluti in exemplar modeſtiæ, & manſuetudinis oculos Magiſtrorum, & conſodalium convertit; nihil ſiquidem unquam puerile proferebat, ſed ad inſtar hominis conſummati, prudentiam, & diſcretionem demonſtrabat virilem. Pacis amantiſſimus jurgia inter alios exorta compeſcere ſatagebat; & quum ſemel duos, quibuscum juxta fluvium Aquilar deambulabat, rixantes pugnis vidiſſet, interceſſit ſequeſter, nec licet alterius manu impediretur, deſtitit, donec rem compoſuiſſet. Ictum accepit

cepit hac occaſione, de quo amico ſuo dixit: *Nullum equidem dolorem ſenſi. Finem vero intentum obtinui, dum eos ad priſtinam amicitiam revocavi*. Alias in agro Montiliæ duos homines ætate maturos reperit diſtrictis enſibus mutuo certantes, accedensque eis dixit: *Pro amore Dei, nolite invicem tam periculoſe pugnare; nemo enim eſt, qui vos reconciliet, & absque dubio vos vulneribus interficietis*. His auditis, illi gladios in vagina repoſuerunt, & ad diverſas partes pacifice diſceſſerunt.

LXVI. Horas a literis ſubſecivas impendebat culturæ horti domeſtici, ubi curſus labore exercens, devotis canticis animum recreabat, & Divina meditabatur. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta recepturus ſedulo ſe præparabat, & ad eorum participationem omnes invitabat, quo cumque poterat, ardentiſſimis verbis. Sæculo denique relicto, Seraphicam militiam ſequutus eſt anno præterito in Cœnobio S. Laurentii Montiliæ, ubi hoc anno, ætatis ſuæ vigeſimo, ſolemnem profeſſionem emiſit, ſub Petro de Oieda Magiſtro Novitiorum, & Guardiano Cœnobii Franciſco de Angulo, die S. Marco Evangeliſtæ ſacro. Antonius de Caprarola Vita S. Franciſci Solani Romæ an. 1670. cap. 1. & seq.

LXVII. Sunt quidem ejuſdem Provinciæ Fratribus Recollectis communia pietatis exercitia, pœnitentiæ rigor, aſpera, & rugoſa veſtis, exacta, & lunga jejunia, crebra flagellatio, & ſumma paupertas. Omnes tamen Franciſcus zelo ferventior, & curſu velocior anteibat. Præter omnimodam pedum nuditatem, aliis Novitiis cæteroquin communem, ſub ſago cilicium acutum geſtabat ad carnem, ſuberno per annum cortice, at in Quadrageſima, & Adventu crate ex ligatis fuſtibus compacta pro lecto, & ligno pro cervicali utebatur. Flagellis, quibus ſæpiſſime ſe cruentabat, quaſi tutiſſimum virtutis naſcentis cuſtodem adjiciebat jejunium. Nemo ipſum per triennium obſervavit carne, piſcibus, aut ovis veſci, niſi in feſtis ſolemnioribus, Magiſtro præcipiente. Talem ſibi temperantiæ legem præſcripſerat, ut nihil coctum comederet die Veneris. Secundas, quartas, & ſextas ferias Quadrageſimarum aqua, & pane vitam tranſigebat.

LXVIII. Religioſi ſilentii frænum quum neceſſitate compulsus ſolveret, de rebus tantum ſpiritualibus loquebatur, & coram eo nihil leve, aut riſum provocans, quodque religioſam gravitatem non ſaperet, alii Novitii admiſcere ſermonibus audebant. Quam quidem præſentiæ ejus reverentiam, donec ad Indos diſceſſit, apud Fratres perſeveraſſe compertum eſt. Vacabat indeſinenter orationi, eamque a ſero ad ortum usque ſequentis diei ut plurimum protrahebat. Permanſit duos annos in præfato Cœnobio, poſt quos abiit ad alterum S. Mariæ del Orito.

LXIX. Diximus antea, Summum Pontificem Obſervantibus attribuisse Cœnobium de Pace Mediolani, opera Caroli Cardinalis Borromæi, quem hoc anno igneæ balliſtæ exploſione occidere conatus eſt Hieronymus Donatus, ſeu Farina, perditus Ordinis Humiliatorum alumnus: Bzovius ad an. 1561.
„ Dum id ageret Carolus, inquit Bzovius, aliud quiddam addidit Pontifex ad evellendas ex Religioſo Ordine pravas quasdam opiniones, quæ multis jam inſitæ erant. Quod quidem Carolus, auctoritate Pontificia, iis, qui corrupto eſſent ſenſu, per varias Italiæ Urbes prudenter comprehenſis, & concluſis, diligentiſſime curavit. Erant hæ, opinor, reliquiæ malorum illorum, quibus non multis ante annis Italia magno in periculo fuerat, utque remedium afferretur, Pius ipſe Pontifex Inquiſitoris Supremi tunc munere fungens, egregie partes ſuas egerat. Præcipue Concionatoris cujusdam impietate, verbisque

„ ne-

,, nefarium hæreſis ſcelus conceptum, quod prius latuerat, in prima-
,, ria quadam Italiæ Urbe hoc tempore apparuit. Inquiſitor ſuo jure
,, uti, in jus vocare, in cuſtodiam dare ob quorumdam magnam po-
,, tentiam minime potuerat. Duo religioſi viri ob eam rem crudeliter
,, interfecti erant. Pontifex eo ſua ſponte Carolum miſit, pauca man-
,, data, magnam auctoritatem attribuit. Eo nondum profecto, com-
,, poni res cœperunt; neque id mirum, quia licet cum hominibus,
,, quibuscum oportebat, nondum egiſſet, egerat tamen cum Deo, qui
,, præſens eſt rerum omnium moderator, idque ſingulari quadam pre-
,, cum contentione.... Quum ad locum veniſſet, veritate, & vi ar-
,, gumentorum, tum prudentia, atque auctoritate, imprimisque divina
,, ope flexit potentium animos, auctoritatem ſacroſancti Magiſtratus,
,, Sacrorumque Miniſtrorum reſtituit, ac tandem effecit, ut fontes, quo-
,, rum ſatis magnus erat numerus, deprehenderentur, in carcerem duce-
,, rentur, publice hæreſes deteſtarentur.... In quo maximam quidem
,, cauſam reperio, quam ob rem Deo quam majores poſſent gratias, & Pio
,, Pontifici Itali agerent, præcipuo ejus munere agnoſcentes, ut quæ
,, peſtis, & corruptela tam morum, quam animorum ex fonte diſſolu-
,, tæ Eccleſiaſticæ, & Monaſticæ diſciplinæ manans, quibusdam Pro-
,, vinciis orta, illatæ deleri nunquam potuit, ſed majori in dies per-
,, turbatione, perniciéque graſſata eſt, apud Italos facile ſit extincta,,.

LXX. Omnia hæc Bzovius literaliter deſumit a Carolo de Baſilica, inverſo verborum ordine; hic enim poſtquam capite quinto recenſuiſſet, Carolum Borromæum tradidiſſe Obſervantibus Conventum de Pace, ſequenti capite ſexto agit primo de nefario hæreſis ſcelere cujusdam Concionatoris, de quo ex mandato Pontificis Antiſtes Mediolanenſis inquirere debebat; deinde de pravis quibusdam opinionibus ex Religioſo Ordine, qui non indicatur, evellendis; Bzovius autem traditioni Conventus de Pace Obſervantibus factæ addit immediate *Religioſum Ordinem, & pravas quasdam opiniones*, ex quibus veluti ex antecedente deducit *nefarium hæreſis ſcelus Concionatoris*; ut ſcilicet nemini dubium ſit, quin tam nefarium ſcelus, quam pravæ opiniones ad eos ipſos ſpectent, quibuscum connectuntur. Non ita autem Petrus Giuſſanus, vel Giuſſanus, qui rem probe diſtinguit, ſcribens primo Carolum Borromæum reformaſſe Ordinem Humiliatorum, & Minorum, ſecundo fuiſſe delegatum in cauſa concionatoris prædicti, ac tandem huic facinori præclaro voluiſſe Pontificem, ut adderet Carolus aliud; nam quum inimicus humani generis ſeminaſſet quasdam falſas, & hæreticas opiniones in quodam Ordine, Italice *in una Religione*, & multi ipſius viverent absque timore Dei, & ſpiritu ſui Inſtituti, ſic eos pervaſerat infectio, ut peſtiferus morbus contaminaturus illico foret plures Italiæ partes.

Carolus a Baſilica in vita S. Caroli Borromæi cap. 6. pag. 59. & seq.

Giuſſanus lib. 2. cap 14. pag. 127. Idem cap. 15. pag. 131.

LXXI. Quum nihil intelligerem in verbis Caroli a Baſilica non hiſtoricis, ſed ontologicis, & animadverterem a Bzovio ad calcem notari Joannem Antonium Gabutium, & Tabularium Pii V., hoc, quod in promptu non erat, nec ullo pacto eſſe poterat, omiſſo, Gabutium conſului, apud quem hæc legi: „ Quum remotioribus quibusdam in lo-
,, cis Regni Neapolitani nonnullos jamdiu damnatam Valdenſium, alio
,, nomine Pauperum de Lugduno, hæreſim ſectantes Pontifex ſupereſſe
,, intelligeret, eo Chriſtophorum Rodericum Societatis Jeſu Sacerdotem
,, ampla cum poteſtate miſit, qui eos ſanctitate vitæ, ſolidaque doctri-
,, na, quibus ille præſidiis probe erat inſtructus, ſapienter coargueret,
,, er-

Gabutius in Vita S. Pii V. lib. 3. cap. 5.

„ erranteſque oves ad Catholicæ Eccleſiæ gregem, ut fecit, ope divi-
„ na revocaret „. Hucuſque longius Mediolano diſtamus, nullaque fit mentio Ordinis Minoritici, quem idcirco, teſte Uſpergenſi, pauperrimum Divina Providentia in Eccleſia excitavit, ut Pauperum Lugdunenſium hypocriſi obſiſteret, quemadmodum eo tempore humillimum Ordinem Prædicatorum conſtituit, ut Albigenſium ſuperbiam, & arrogantiam comprimeret. Proſequitur Gabutius: „ Catholicæ fidei deſertor quidam Franciſcus Cellaria hæreticus Concionator Morbenio, quod eſt Oppidum Volturenæ Vallis, Mantuam, ubi magno cum illius Civitatis periculo perfidiæ ſuæ virus effundebat, ſtatis diebus clanculo proficiſci conſueverat. Ad hunc Pius Petrum Angelum Caſanovam Dominicanum Cœnobitam in Volturenam, Clavenamque Galliæ Ciſalpinæ Valles emiſit, rationemque præſcripſit, qua ille ad capiendum hæreticum uteretur, quod quidem percommode cecidit „. Deſcribit deinde Cellariam comprehenſum, adductum Placentiam, & Romæ ſupplicio affectum, Rhætorum querelas ob violatam territorii juriſdictionem, præmiaque eorum edicto iis propoſita, qui Caſanovam, ejuſque fautores vel necaſſent, vel vivos, mortuoſve in poteſtatem ſibi tradidiſſent. Nullibi vero nominat Cardinalem Borromæum, quod, ni fallor, indicat, immerito rerum, quæ a Bzovio narrantur, teſtem ad calcem Gabutium adduci. Bernius anno 1229. cap. 10.

LXXII. Scire adhuc ſupererat quinam foret Franciſcus Cellaria, qui ſtatis diebus centum, & ultra milliaria conficere non dubitabat, ut Morbenio Mantuam iret, totidemque, ut domum reverteretur. Ego quidem eum putabam hæreticum ſumme inſanum, & phanaticum, quum tanto labore, & periculo proſelytos Mantuæ quæreret, qui ſibi deeſſe non poterant in Valle Tellina, & Clavenna, nulla ſui jactura; eumdemque Rhætum credebam, pro quo Rhæti tam anxie ſolliciti forent. Errorem vero abſtulit Jacobus de Laderchio Faventinus Presbyter Congregationis Oratorii, qui aperte ſcribit, Franciſcum Cellariam fuiſſe Sacerdotem Ordinis Minorum S. Franciſci, quem de Obſervantia vocant, Apoſtatam, hæreticum, transfugam, impœnitentem, ficte converſum, & relapſum, ac poſtremo damnatum. Jacobus de Laderchio tom. 22. Annalium Eccle. ast. pag. 199.

LXXIII. Hoc anecdoto monumento Gabutium illuſtrat Faventinus, quod ſe eruiſſe teſtatur ex *Archivo abdito*. Quodnam eſt Archivum abditum? Omnia enim abdita ſunt, ut opinor, nec magis eo nomine deſignatur Archivum peculiare, quam Jacobus de Laderchio nomine Faventini. Ipſe autem, qui agens etiam de rebus clariſſimis, vulgatiſque in univerſis Annalibus Eccleſiaſticis, adeo diligens eſt, ut accuratiſſime citet Archivum Vaticanum, Archivum Ducis Bonelli, Archivum Cardinalis Alexandrini, hac ſolum in re ignota, & odioſa, quæ indubio aliquo monumento declarari debebat, nos remittit ad Archivum, quod an in Europa ſit, vel in Indiis incertum eſt. Quid porro dicat Archivum audiamus: *Ex iſto*, inquit, *accepimus, Franciſcum Cellariam quomdam Galeatii filium Ordinis Minorum &c.* Fierine poteſt, ut notitiæ hujus auctor ita oſcitatus fuerit, ut Galeatii genus, familiam, & patriam non indicaverit, ſoloque haud intelligibili Galeatii vocabulo rem tranſegerit? Habemus hic duo vere abdita, Archivum, & Galeatium, qui an ater fuerit, vel albus homo ignoratur. Parcendum vero Scriptori, qui ſe nonnulla de Cellaria ex obſcuro illo penetrali, fortaſſe defectu luminis, ſummatim deprompſiſſe affirmat, veluti ſi ſummam ſuæ narratio-

rationis, quæ ſatis prolixa eſt, prolixiorem reddidiſſet additio unius, vel alterius vocabuli, quod neceſſarium erat ad hoc, ut in cæteris fidem obtineret. Ut diximus, Bzovius citat Tabularium Pii V., voluit dicere Archivum Vaticanum commune, vel ſecretius; quod poſtremum ſi eſt Archivum Jacobi de Laderchio, patet, ipſi revera fuiſſe abditum, quum ne nomen quidem ejus noverit. Ex illo Bzovius nihil determinatum affert, quod evincit, nihil ſe ibidem inveniſſe; ſecus enim is, qui librorum textus pro lubitu invertit, utque Fratres Minores non bene audiant, fidem ſuam in diſcrimen adducit, ſane *Concionatorem illum quemdam*, cujus reticet nomen, Obſervantium alumnum illico conclamaſſet. Mea nihil intereſt, utrum Cellaria exierit, vel non exierit ex Ordine Minorum Obſervantium; non enim Judæ peccatum turpe fuit aliis Apoſtolis; ſed arbitror, tam verum eſſe, Cellariam ad Obſervantes pertinuiſſe, quam verum eſt, prout narrat Faventinus, Cardinalem Borromæum in Pacis Monaſterio Mediolani Clarenos una, & Amadeos adeſſe juſſiſſe; niſi enim literas encyclicas miſiſſet, diuque expectaſſet, impetrare non potuiſſet, ut Clareni adeſſent ex longinquis regionibus Status Pontificii, & Regni Neapolitani; quod nullimode neceſſarium erat, quum nullum aliud a Pontifice habuerit mandatum, quam immittendi Minores Obſervantes in Cœnobium Pacis Amadeorum. Immiſſio autem hujusmodi non requirebat, ut Clareni magno intervallo diſſiti Mediolanum teſtes advocarentur.

De Laderchio ibid. pag. 20.

LXXIV. Etiamſi Franciscum Cellariam Ordinis Minoritici fuiſſe admittamus, haud ſequitur illud, quod Bzovius adſtruit, nimirum viguiſſe in eodem Ordine pravas opiniones, quas Carolo Borromæo evellendas Pontifex commiserit. De his Faventinus eadem ſatur, ac Bzovius, eodemque verborum ordine immutato, ex quo liquet, eum Caroli de Baſilica librum non conſuluiſſe. Deinde ait: *Carolus, mandante Pio, evellendis in Italiæ partibus hæresum spinis sedulo incumbit*. Quænam vero fuerint hæ pravæ opiniones, hæ spinæ, ſi ab iſtis Hiſtoriographis quæras, regerent, fuiſſe reliquias malorum illorum, quibus non multis annis Italia magno in periculo fuerat. Si inſiſtas, ut locum indicent, ubi Carolus Borromæus *evellendis hæresum spinis ſedulo incumbuit*, utque rem totam accurate definiant, ſilebunt. Ita fit, ut Ordini Minoritico infamia nullo negotio inuratur, quam eluere nullo pacto poteſt abſtractis verbis conceptam. Quandonam Italia Fratrum Minorum opera in periculo vel minimo fuit? Niſi mea me fallat opinio, intelligo quid Bzovius innuere velit; video namque, ipsum in ſuperioribus Annalibus nullum non movere lapidem, ut Fraticellorum ſectam, quæ Italiam turbavit, Ordini Minoritico affigat, licet repugnantibus cunctis antiquitatis teſtimoniis, ipsoque facto, quum certiſſimum ſit, neminem ejus hæreſis ortæ a quodam Hermanno Italo, cujus corpus Ferrariæ ſepultum Bonifacius VIII. in cineres redegit anno 1297., vehementiorem fuiſſe Adverſarium eodem Ordine. Ipſius autem partes erant, rem hanc in aperto collocare, non verborum involucris involutam relinquere; honeſtum enim hominem decet, aut veritatem exponere, prout eſt, aut eam ſilentio premere, ne si ex parte tantum, & ſubobscure indicetur, suspiciones, & pejora inde mala oriantur.

Prateolus lib. 8. verbo *Hermannus Italus*. Vide Nirelam Franciscanæ Religionis pag. 75. 77. & seq.

LXXV. Videndum nunc eſt, an Franciscus Cellaria Minorum Obſervantium ex Archivo abdito, fuerit Fraticellus; id enim fluere videtur ex transpoſitione illa ſuperius memorata. Exscribit Bzovius ex Prateolo Fra-

Bzovius ad ann. 1317. num. 18.

Fraticellorum errores, licet non integros. Hi Anabaptiſtarum more promiſcuos concubitus licitos eſſe ſentiebant. In locis abditis nefanda obſcœna perpetrabant, ritusque ſuperſtitioſos, & abominabiles exercebant. Docebant, nihil proprium eſſe habendum, neque Reſpublicas a Chriſtianis adminiſtrandas; præterea viſionem animarum differri usque in noviſſimum diem. Anteponebant conceptus proprios SS. Patrum definitionibus, deſpiciebant Eccleſiaſtica Sacramenta. Errores Franciſci Cellariæ recenſet Faventinus hoc pacto: „ Docebat, in Euchariſtiæ Sacramento „ neque Corpus, neque Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti realiter „ ineſſe, ſed ſpiritualiter tantum. Matrimonium non eſſe Sacramen„ tum, ſed omnes, & ſingulos etiam Sacerdotes licite nuptias con„ trahere poſſe. Peccatorum confeſſionem ſoli Deo faciendam, non „ vero Sacerdotibus, utpote quæ a Chriſto inſtituta non fuerit. Duo „ tantum eſſe Sacramenta Eccleſiæ, nempe Baptiſma, & Cœnam. „ Nullum eſſe Purgatorium. Sanctorum Imagines non eſſe venerandas. „ Chriſtum noſtrum Advocatum non eſſe. Obedientiæ, Paupertatis, & „ Caſtimoniæ vota non eſſe obſervanda. Petrum Apoſtolum caput Ec„ cleſiæ non fuiſſe, nec Primatum obtinuiſſe. Papam Caput Eccleſiæ „ non eſſe, nec præ aliis Epiſcopis majorem ſpiritualem auctoritatem „ habere, quum ipse nec Chriſti Vicarius, nec ſupra alios Epiſcopos „ ſit „.

Præteolus verbo *Fraticelli* lib. 6.

De Laderchio ibid. pag. 199.

LXXVI. In hac nefaria doctrina reperio quidem errores Novatorum, qui ſæculo XVI. Eccleſiæ bellum intulerunt, nullimode vero Fraticellorum, quin immo articulus: *Paupertas non eſt obſervanda*, pugnat e diametro cum altero, quo Fraticelli aſſerebant, *nihil proprium eſſe habendum*. Non igitur ex pravis opinionibus, quas per meram calumniam relati Scriptores Franciſcanis tribuunt, illarum interea naturam haud liquido definientes, ne redargui poſſint, & majorem in animis ſimplicium, verbis generalioribus, impreſſionem faciant, fluebant errores Cellariæ, ſed ex iis, quæ tunc vigebant apud Hæreticos Novatores. Concludamus cum Auguſtino, qui poſtquam eos reprehendiſſet, qui exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnunt, addidit: „ Quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones graviſſimas non „ poſſumus omni ex parte vitare; ubi pro exiſtimatione noſtra quidquid „ recte poſſumus fecerimus, ſi aliqui de nobis vel male fingendo, vel „ male credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcien„ tiæ ſolatium, planeque etiam gaudium, quod merces noſtra multa „ eſt in cælis, etiam quum dicunt homines mala multa de nobis, pie „ tamen, juſteque viventibus „.

S. Auguſt. Epiſt. ad Julianam Viduam cap. 17.

Conceſſiones a Pontifice hoc anno facta.

1. *Conceſſit, quod Miniſtri Provinciales poſſint committere viris Religioſis doctis, ac juxta Concilii Tridentini decretum approbatis, auctoritatem diſpenſandi cum viris, & mulieribus inceſtuoſis, qui carnaliter peccaverint cum conſanguineis alterius conjugis intra quartum gradum, ad hoc, quod poſſint petere debitum, & hoc in foro conſcientiæ tantum. Hæc conceſſio facta eſt die XXVII. Aprilis MDLXIX.* Privilegium nititur auctoritate deinceps proferenda Joannis de Aguilera Commiſſarii Generalis in Curia Romana, ejusque teſtimonium dant Compendium ſocietatis tit. diſpens. §. 8., Veracruz in Speculo Conjugatorum art. 20., & Palacius in 4. diſt. 22. diſp. 2.

Rodericus in Boll. pag. 427. in fine.

Idem quæſt. Regul. tom 1 quæſt. 63 art. 1. pag. 369. & seq.

Gabriel Angelus de Vicentia in Privil.Regul.cap. 32. num. 2.

disp. 2. cum aliis. Gabriel Angelus de Vicentia ipſum enuntiat ſine reſtrictione ad quartum gradum, & ſub die XXIX. Aprilis. Quæſtio, an hac conceſſione tuto uti poſſint Fratres Minores, extranea eſt noſtro inſtituto, qui non de jure agimus, ſed de facto. Quemadmodum tamen

Ibid. cap. 21. num. 4.

eam prædictus Gabriel Angelus cum Gaudentio de Janua, & Joanne de Lezana recte arguit nullius eſſe momenti poſt revocationem omnium vivæ vocis oraculorum factam a Gregorio XV., & Urbano VIII., ita

Antonius de Corduba Verbo *diſpenſatio*: Quoad §. 17.

arbitramur, non ſatis accurate argumentari Antonium de Corduba, qui ſecurum non eſſe aſſerit uti tali conceſſione, non quia in materia Sacramentorum tuto ſemper procedere debemus, ſed quia non conſtat de veritate, ſed tantum de rumore ipſius, nec habetur in libris Ordinis; ſi enim exſtat authentico monumento exarata, ſuppoſititiam eam fingere nequimus, hominumque rumore, & opinione innixam, ubicumque reperiatur ſive in libris, ſive extra libros; ſiquidem monumentum omne authenticum ſingularis eſt liber, ex quo melius etiam, quam ex impreſſis veritatem edifcere poſſumus.

2. *Conceſſit, quod in quolibet Conventu Monialium illius Moniales poſſint habere tres, vel quatuor Ancillas pro communi ſervitio Monaſterii, ſi commode eas ſuſtentare poſſint, dum tamen ſint honeſtæ vitæ, & a Conventu illo non egrediantur. Quod ſi ſemel aliqua egreſſa fuerit, amplius non recipiatur. Fuit conceſſum die XXVII. Septembris MDLXIX.*

Compendium Privileg. pag. 491.& 551.

3. *Conceſſit Miniſtris Provincialibus, ut poſſint committere Confeſſoribus approbatis juxta Concilii Trid. decretum, auctoritatem diſpenſandi cum iis, qui ante Matrimonium contractum voverunt caſtitatem, ut licite poſſint petere debitum; & hoc in foro conſcientiæ tantum. Hæc conceſſio facta fuit die XXVI. Octobris MDLXIX.*

Rodericus tom. 1. quæſtion. Regul. quæſt. 41. art. 21. pag. 244.

In quorum teſtimonium ego F. Joannes de Aguilera præſentes literas mea manu conſcripſi, & ſigillo officii mei communivi. In Araceli XIX. Octobris MDLXX.

De poſtremo privilegio eadem dicenda ſunt, ac de illo, quod primo loco recenſuimus. Revocatum inquiunt conſtitutione Urbani VIII. *Alias felicis*, anno 1631., nec exceptum altera: *Alias felicis*, anno 1635. Non-

Concina lib. 4. in De al. diſſert. 3. de Voto cap. 11.

nulli tamen exceptum ipſum defendunt. Pater Concina ut falſum traducit, & teſtatur, ex Pontificum Bullis examinatis inferri non poſſe, poteſtatem hanc Regularibus concedi. Sed, pace tanti viri, in Pontificum Bullis quærendum id non erat, quod peculiari monumento eſt conſignatum.

4. *Conceſſit, ut Novitii, expleto tempore Novitiatus, ſi habiles fuerint, admittantur ad profeſſionem, quam ſi facere recuſaverint, ejiciantur. Superiores vero poſſint inhabilium profeſſionem protrahere, dummodo ſpem habeant, eos intra ſex menſes idoneos fore. Excipiebantur ab hac lege Clerici Societatis Jeſu.*

5. *Conceſſit die 15. Maji, ut Officia propria SS. Ordinis Minorum redacta ad formam Breviarii Romani a ſe editi, & in die feſto Conceptionis vetus Officium, & Miſſa reſtituerentur.* In libello aſſervato in Bibliotheca S.Petri in Monte Aureo lego „ Officia propria, quæ SS.D.N. Pius V. Pont. Max. An. D. MDLXIX. die XV. Maji, Pontificatus ſui An. IV. viva voce conceſſit, ut ſic ordinata imprimerentur, & a Fratribus, & Monialibus ejuſdem Ordinis dicerentur. Venetiis apud Juntas MDLXXIII. *Die Octava Decembris: Immaculatæ Conceptionis Officium*: Sicut lilium inter ſpinas. *Sequitur Octava* „ Huic ſimiles ſunt aliæ editiones anni 1592., & anni 1604., eumdemque titulum præſeferunt, ut videre eſt apud Gravois de hiſce rebus ex inſtituto differentem.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Decumbunt Viri Sanctitate clari. Cœnobiorum numerus partim decreſcit Hæreticorum injuriis, partim augetur, & reformantur Moniales. Literis Ordinem illuſtrant ingenia præclara. Renuntiantur Epiſcopi. Felix Perettus de Monte Alto Antiſtes S. Agathæ Gothorum fit S. R. Eccleſiæ Cardinalis. Conventum de Hornachuelos inviſit Philippus II. Rex Hiſpaniarum. Habetur Capitulum Generale Capuccinorum. Minoritæ ſanguinem fundunt pro Chriſto. Præficiuntur alii claſſi Principum fœderatorum adverſus Turcam. Florent S. Paſchalis Baylon, & B. Petrus Nicolaus Factor. Moniales, & Capuccinorum Familiæ Alumni migrant ad Dominum virtute præſtantes. Numerantur conceſſiones Pontificis.

I. NON paucos Minores, qui bonum certamen certarunt, curſumque feliciter conſummarunt, initio recenſebimus, quos inter memoria in benedictione eſt Baptiſtæ Mercader non tam nobiliſſimo genere, quo ortus erat, ſpectabilis, quam charitate erga infirmos, & ferventi contemplatione, qua fiebat, ut Miſſæ ſacrificium nunquam ſine effuſis lacrymarum rivis celebraret, radiiſque perfuſus, & candidus adſtantium oculis aliquando appareret. Illo Petrus Nicolaus Factor Confeſſario, & Magiſtro ſpiritus utebatur, nec alterius verba libentius audiebat de rebus Divinis cum gratiæ, & ſuavitatis plenitudine diſſerentis. Concurſu facto Valentinorum, & exterorum ad Cœnobium S. Mariæ a Jeſu in horto Valentiæ, demortui corpus Fratres detulerunt ante Sacellum Dominæ Noſtræ de Scala, in quam ſingularem devotionem exercuerat, Petrus Nicolaus dum os ſolveret ſuum in Deiparæ laudes, remanſit ecſtaticus, labiiſque in riſum compoſitis, extendit manus ad Sacram Imaginem, exclamans: *Non videtis? non videtis?* Senſibus vero reſtitutus dixit Chriſtophoro Tello Laico, & aliis: *Ego vidi Dominam noſtram recollegiſſe ejus animam in ſuis brachiis, & Pueri Jeſu, & illic aſcendit in Cælum.* Corpus in communi Fratrum Sarcophago conditum, plurimis elapſis annis inventum eſt integrum, & ſuave olens; incluſum proinde arcula, & translatum ad Sacellum S. Pauli Apoſtoli.

Ex Proceſſu Valentino num. 1. pag. 9. & num. 12. pag. 48.

II. Bartholomæus a S. Marina Laicus Provinciæ Carthaginenſis quievit in Cœnobio S. Annæ de Oribuela, ſepultus in majori Sacello ad latus Epiſtolæ. Hyemis rigorem ſimplici tunica, nudiſque pedibus toleravit, ſtoreas, vel tabulas habuit lectum, pulvinar lignum, aut faſciculum ex viminibus, triginta annos fruſtillis panis, quæ a menſa ſupererant, aqua immerſis nutritus. Indolem nactus cholericam, ut iram jam jam erumpentem compeſceret, ad genua illius, a quo moleſtiam acceperat, nulla mora ſe projiciebat. Quæſivit ab eo Æditüus, quamnam orationem feciſſet. Reſpondit ille, ſe recitaſſe quindecim vices ſeptem Pſalmos Pœnitentiales. Æditüo miranti, & minime credenti, illos toties tam brevi tempore cum devotione recitari potuiſſe, dixit: *Frater mi, Deus eſt infinite miſericors. Si pſalmos, quos recitavi, non acceptabit pro teſtamento, acceptabit equidem pro codicillo.* Improviſo, & ſplendidiſſimo lumine noctu in Eccleſia refulſit. Animam Fratris a Purgatorio liberavit Lorcæ in Cœnobio Dominæ Noſtræ Hortorum, quæ

Rapinæus Decade 6. part. 2. §. 9.

Monumenta Provinciæ Carthaginenſis.

noctis ſilentio gratias actura cubiculum ejus adiit, non abſque Fratrum formidine, qui advenientis ſtrepitum audiveruut.

III. Obſervantiæ regularis zelantiſſimus, magnæque apud omnes exiſtimationis tumulatus eſt in Cœnobio Complutenſi S. Mariæ de Jeſu Joannes ab Arcu, ejuſque corpus adhuc integrum cerni teſtatur Daza. Caſinchiæ in Corſica in Cœnobio S. Franciſci Franciſcus de Venzolaſca, qui quamdiu vixit Infirmis ſedulo, & patientiſſime miniſtravit. Crucis ſigno a gravi morbo liberavit Mariam Franciſcam filiam Ambroſii de Epiſcopatu, Uxorem Griphii Venzolaſcani, & a ſpiritibus malignis filiam Pauli Venzolaſcani. Ad ejus ſepulchrum, quod commune ei fuit cum Ven. Dei Servo Vincentio a Venaco, quidam Frater Tertii Ordinis S. Franciſci perfectum oculorum uſum recepit, pluresque Energumeni incolumes diſceſſerunt. In Cœnobio S. Matthiæ, non, ut ſcribit Arturus, S. Mariæ Boniliæ, Joannes Linarius Salmaticenſis, a teneris annis agriculturæ addictus, & lectione libri de Oratione a S. Petro de Alcantara conſcripti permotus, inter Recollectos Provinciæ S. Joſeph, qui eum ad habitum, & profeſſionem receperunt, vel horto excolendo deditus, vel eleemoſynis conquirendis, vel ægris curandis, ac reliquum tempus impendens in oratione, vigiliis, jejunia, in quibus, etſi vires deficerent, perſeverabat, nec ad inediam redactus aliquid guſtabat præter aquam calidam, aut ſimplex juſculum, quo panem tingeret.

Daza part. 4. lib. 3. cap. 63.

Gonzaga in Prov. Corſicæ con. 9.

Arturus ad diem 19. Aprilis.

Joannes a S. Maria in Chron. part. 1. lib. 2. cap. 20.

Gonzaga in Prov. S. Joseph con. 11.

IV. Ferdinandum Baſſarium, ſeu Baſſacium, Alumnum Provinciæ Aquitaniæ, qui cum Antonio Civitatenſi an. 1530. in Americam trajecit, ubi ſingulari ingenio præditus varios Sermones, Epiſtolas, & Evangelia per annum legi ſolita tranſtulit in Indicum idioma, obiiſſe ſcribit poſtremus Annaliſta anno 1560.; neſcio quo fundamento, quum ex hiſtoricis, qui de eo agunt, unicum inveniam Baretium, qui ad præſentem annum id refert, cæteris epocham omnem ſilentibus. Jacet in Cœnobio S. Joannis Baptiſtæ Tulantzingo, cujus Fratres, ut breviter id adnotemus, quod ab Annaliſta prætermittitur, curam exercent Hoſpitalis ſub titulo Conceptionis, & Sacelli de Calvario, & populis Sacramenta miniſtrant in Eccleſiis circumpoſitis S. Annæ Hueitlalpan, Aſſumptionis, & S. Mariæ Magdalenæ de Metepec, S. Mariæ Nativitatis, S. Antonii, S. Jacobi, & S. Franciſci de Xaltepec. Pariter hoc anno deceſſit in Cœnobio S. Martini de Huacacula in regione Quauhquecholan ſex leucis ad meridiem a Civitate Populæ de Angelis Joannes de Alameda, qui anno 1528. a Provincia Conceptionis tranſiit in Mexicum cum Joanne de Zumarraga Epiſcopo. Ita Auguſtinus de Vetancur, qui de rebus Mexicanis accuratiſſime agit. Quare corrigendus eſt præfatus Annaliſta, qui Joannis tranſitum in Americam ponit an. 1542., eumque ſocium adſcribit Franciſco Villalbar, & Joanni de Bejar, defunctumque aſſerit in Cœnobio Populæ de Angelis. Prædictam Eccleſiam S. Martini ipſemet magnifice conſtruxit, ex qua Fratres regunt Eccleſias S. Joannis, S. Joſeph, S. Franciſci, & S. Michaelis de Amenac; inſuper S. Annæ, S. Joannis, S. Didaci, S. Michaelis, S. Joannis, Antonii, & S. Jacobi ſitas in proximis regionibus. In territorio de Huexotzingo XL. circiter hominum millia ſocietatem, & literas docuit, populumque Tulæ, quum ibi foret Guardianus, cultum reddidit, & moribus inſtructum. Ejus opera exſtitit quoque Cœnobium S. Michaelis Archangeli in Civitate Huexotzingo duodecim leucis ab Urbe Me-

Baretius lib. 5. cap. 23.

Theatrum Mexicanum 4. part. cap. 1. num. 143.

De Vetancur in Menologio Seraphico ad diem 15. Decembris.

Annales Min. an. 1560. num. 29.

Torquemada lib. 20. cap. 41. pag. 540.

Mexici in montibus *de la Sierra Nevada*. Calluit linguam Mexicanam, floruitque zelo ſalutis animarum, honeſtate, innocentia, & maxime virginali pudicitia.

V. Scio, aliquos referre ad annum 1565. obitum Franciſci a Rota
in Conventu S. Franciſci Belviſii Provinciæ S. Gabrielis. Sed præſto ſunt Barezius lib. 4.
Monumenta Archivi S. Iſidori, in quibus præſens annus ſignatur. Pa- cap. 17.
tria Valliſoletanus muneribus omnibus, quæ in Ordine obtinere potuiſſet, coram Miniſtro Generali ſponte ſe abdicans, orationi vacavit, precibuſque jaculatoriis, & breviſſimis juxta regulam S. Bonaventuræ. Antequam Belviſium iret, cuilibet ſibi obviam facto dicebat: *Frater, perſta in timore Dei; jam enim me non amplius videbis*; cunctiſque Fratribus proximarum regionum viſitatis: *Permanete*, inquit, *cum Deo nemora, & ſaxa, & ſervorum Dei domus benedictæ, Religionis, & virtutum gymnaſia. Ego vos amplius non adſpiciam. Belviſium pergo, ut ibi moriar.* In ultimo agone ægrotorum curatorem rogavit, ut ſecum caneret canticum *Magnificat*, quo in opere ſedens ſupra lectulum placide quievit; eumque mox ſequutus eſt Joannes a Coria, qui ſanus, vegetuſque tranſitus ſui horam præſentiens: *Volo*, inquit, *valedicere amicis meis*; & ad oppida vicina digreſſus, omnes quidem, ſed majori cum voluptate inviſit Amicum ſuum Franciſcum de Alcantara Guardianum S. Michaelis Placentiæ. Orationi vocali frequentius operam dabat, ſinguliſque momentis genuflexus humum ſignabat crucibus, & die quolibet innumeris vicibus ipſam oſculabatur.

VI. Eadem Provincia hoc anno viros inſignes amiſit, Franciſcum a Daza loc. cit. cap.
Fraxineto, & Joannem a Vite, vulgo de la Parra, in Conventu Pla- 76., & 65. Rapi-
centiæ prædicto, Anaſtaſium Italum, & Petrum de Benevento in Con- næus Decade 4.
ventu Alconcelli, quorum alter cæleſtis contemplationis, & Angelicæ part. 2. §. 6.
converſationis vir ecſtaſibus claruit, & victoriis, quas de ſpiritibus tenebrarum retulit. Alter eo conatu mentem ad Deum ſæpe elevabat, ut a tellure in aere ſublimis remaneret. Carnem omni pœnitentiæ genere in ſervitutem redegit, ejuſque animam ad cælum properantem duo Fratres ejuſdem loci ſe vidiſſe narrarunt.

VII. Mercedem accepit in Conventu S. Franciſci Beatiæ Provinciæ Gonzaga in Prov.
Granatenſis Michael Aquilarius Laicus vitæ inculpatæ, quam ad extre- Granatenſi con. 3.
mam uſque ſenectam produxit. Beatiani ad ejus ſepulcrum confluentes veluti Sancto benedixerunt, quum poſt ſeptennium, effoſſa humo, ejus corpus incorruptum reperiretur. Franciſcus de Zamora item Laicus conditus eſt in Cœnobio S. Mariæ de Succurſu Petrochii Provinciæ Daza part. 4. lib.
Angelorum, ſimplex, humilis, & pœnitens, qui aſperrimum cilicium 8. cap. 42.
carnibus admotum, nunquam toto vitæ ſuæ tempore abjecit. Divinas habere meruit revelationes, & ſecreta cordium penetravit, multaque eventu poſtea explorata prædixit, & miraculis etiam in vita coruſcavit, viſibilium Dæmonum victor. Miram fragrantiam, & ſplendorem demortuus emiſit. Poſt XL. annos in Conventu S. Franciſci Fla- Gonzaga in Prov.
viobrigæ Provineiæ Cantabriæ inventum eſt integrum corpus cujuſdam Cantabriæ con. 5.
Peregrini peſte ibidem conſumpti, genibus flexis, manibuſque complicatis, qui licet nullum ſignum ediderit, in veneratione tamen habetur.

VIII. In Provincia Conceptionis recenſet Daza, loco tamen ſuppreſſo, Alphonſum Marinum uſum ſæpe in Miſſæ Sacrificio Angelorum Daza loc. cit. cap.
ſibi aſſiſtentium miniſterio. In Conventn S. Mariæ de Spe Vallis de Sco- 75.
peſſo uno milliari a Methymia Roſecæ Diœceſis Palentinæ ad Superos avo-

lavit

Gonzaga in Prov. Conceptionis con. 20.

lavit Joannes a Campo Laicus, a quo puer ſebre oppreſſus traditis quibusdam bellariis, ſanitatem recuperavit, & mulier a mortis limine, ſigno Crucis ſuper eam ſacto, erepta eſt. Neſciens, quo pacto pauperi eleemosynam inſtantius petenti ſuccurreret, præmiſſa oratione, ante pedes ſuos tres panes invenit, quibus illum, ſe, & ſocium in via ſamelicos reſecit. In Conventu Cobylienſi S. Mariæ ad Præſepe iu Polonia Paulinus de Nolsztym diſciplinæ regularis amantiſſimus. In Conventu Montis Philotrani Provinciæ Marchiæ Lucas Florani egregius Theologus, & Eccleſiaſtes Minorum Conventualium. Bononiæ in Conventu extra portam, quem Guardianus adminiſtrabat, Marcus Gambaronus Magiſter, & Concionator, qui Provinciæ Romanæ Minorum Conventualium præſuit anno 1560., & anno 1564. Provinciæ Bononienſi, & Magiſtro Generali Antonio de Sapientibus ſocius adſuit in Concilio Tridentino. In Conventu Feſularum Provinciæ Tuſciæ Nicolaus Cortonenſis verbi Divini præco, magnæ pœnitentiæ, & contemplationis.

Monumenta Provinciæ Marchiæ, & Bononienſis.

IX. In Conventu S. Franciſci Mexicano Alphonſus de Roxas, ſeu Roſis, Provinciæ Caſtellæ Commiſſarius Generalis Novæ Hiſpaniæ ab anno 1531. ad 1533., quo perſpiciens Religioſos ſibi concreditos alacriter in via Domini ambulare, nec correctore, aut monitore illis opus eſſe, munere abdicato, vitam privatam ducere inſtituit, in qua communis hoſtis vi expugnatus Indias reliquit, in Hiſpaniam reverſus. Quamvis vero illic nihil de priſtina morum integritate remitteret, tamen orantis oculis Imago Chriſti de Cruce pendentis obverſabatur, qui eum ſic objurgabat: *Ut quid in Nova Hiſpania me dereliquiſti, & pro tuo privato ſolatio in Patriam remeaſti?* Attonitus his Vir Dei rurſus in Mexicum properavit, ubi in Mechoacano, & Xaliſco Fratribus præſuit, & ad extremam uſque ſenectam bonorum operum, & nominis præclaram apud omnes opinionem obtinuit.

Torquemada lib. 2., pag. 510.

X. Duo Laici germani Provinciæ Valentinæ, qui longo tempore unanimes in virtutum exercitio, mutuaque benevolentia perſtiterunt in Cœnobio S. Franciſci Valentiæ, nec in morte ſunt ſeparati. Quibus addendus Cyprianus Montana olim ejuſdem Provinciæ Miniſter, excellens affabilitate, manſuetudine, & patientia. Incidit aliquando in Prædones, qui, quum nihil rapere poſſent, eum, ſociumque ad truncum arboris alligatos reliquerunt, ab Angelo, ut tradunt, mox ſolutos, & verbis dulciſſimis recreatos. Profectus ad Comitia Generalia Romæ habenda, in quibus ſpes erat, ut ſupremam Ordinis Præfecturam conſequeretur, mortales exuvias depoſuit in oppido Poblin, ibique honorifico tumulo conditus eſt in Eccleſia Eremitarum S. Auguſtini.

Monumenta Provinciæ Valentiæ.

XI. Eodem anno deceſſit Onuphrius Jordan de Alcodio Tertii Ordinis S. Franciſci, inter præſtantiores ſui temporis Philoſophos, Medicos, Mathematicos, & Elleniſtas computatus, Cathedraticus Univerſitatis Conimbriæ, qui ſapientiorum plauſu ubique commendatus, auræque populari facilius obſequutus in vanitatem, & ſuperbiam inciderat, a qua ad humiles ſenſus, ſuique cognitionem peculiari oſtento ſe revocavit; nocte enim quadam, ſplendente Luna, in compluvium domus ſuæ ingreſſus umbram Aſini vidit; quumque nullum foret objectum, a quo illa emitti poſſet, in cœnaculum conſcendit, ibique jumentum intuitus dixit: *Quomodo huc intraſti, rude Animal?* Cui Aſinus: *Tu inſtar mei es*; protinuſque evanuit ab oculis, quos ille ſupernæ luci aperiens, dimiſſa cathedra, humilitati, & pœnitentiæ ſe tradi-

Monumenta ejusd. Provinciæ.

didit, minimo ſomno indulgens ſuper nudam humum, refectuſque ſemel in die modica quantitate panis, & caricarum. In patriam ſuam reverſus ſacris concionibus operam impendit in Oppidis circumpoſitis, quæ petebat pedibus iter faciens, quum interea ſocium famulum equitare cogeret. Multos Chriſto peperit filios, multorum odia, & inimicitias placavit. Obiit in Oppido Villaxojoſa, dum e roſtris verba faceret, fidelibuſque turmatim comitantibus Alcodium translatus eſt. Viri Dei miraculis coruſcantis Effigiem ſibi pingi fecit Joannes de Ribera Archiepiſcopus Valentinus, eamque in Aula Epiſcopali collocavit.

XII. Irrumpentibus Calvinianis, ejecti ſunt a Cœnobio Baſileæ Fratres regularis Obſervantiæ vexati, percuſſi, expoliatique etiam ſacra ſuppellectile, quam in profanos uſus Hæretici adhibuerunt. Idem contigit in Conventu Cæſaremontano, quem, expulſis Fratribus, magiſtratus occupavit, & retinuit ad annum uſque 1597., quo illos reduxit Rodulphus II. Imperator, & Leopoldus Landgravius Alſatiæ, licet poſſeſſionem non adierint, niſi anno 1601. Tabernis Civitate Alſatiæ Inferioris, & loco ordinario Reſidentiæ Epiſcopi Argentinenſis, Conventum, quem Fratres peſtifera lue, quæ Civitatem infecerat, coacti viginti ab hinc annis reliquerunt, hoc tempore occuparunt Patres Societatis Jesu. Verum ob ſimile diſcrimen etiam iſti paullo poſt inde exceſſerunt, ſedemque priſtinam Minoritæ recuperarunt circa annum 1595. auctoritate Caroli ex Ducibus Lotharingiæ Argentinenſis, & Metenſis Epiſcopi Cardinalis.

XIII. Cœnobium Olomucenſe in Moravia fundatum an. 1453. a S. Joanne de Capiſtrano in loco extra Civitatem, qui dicitur *die Wilten na Belidlach*, ſub titulo S. Bernardini Senenſis, cum Eccleſia, quam an. 1468. die 18. Auguſti conſecravit Laurentius Epiſcopus Ferrarienſis Apoſtolicæ Sedis Legatus in honorem SS. Conceptionis, & S. Bernardini, habitatore vacuum hoc anno remanſit, extinctis omnibus aut peſte, aut bello, aut hæreticorum injuriis; adjudicatum proinde a Guilielmo Epiſcopo Olomucenſi alumnis Pontificiis, ſub cura Jeſuitarum, ſed anno 1593. reſtitutum Minoribus de Obſervantia a Stanislao Pawlowsky Epiſcopo ejuſdem loci. Ex his patet, minus vere Gonzagam, & Waddingum ſcribere, duas ibi exstitiſſe domos, unam Conceptionis intra, alteram S. Bernardini extra Civitatem. Mandavit Maximilianus II., ut in arce Lincenſi deponerentur ſacra ſuppellex, & res quæcumque ſpectantes ad Conventum S. Wolfgangi in Pago Puppingen Diœceſis Paſſavienſis, a quo exceſſerant Fratres circa annum 1550. ob famem, & alia damna, quæ acceperant ab Anna de Shaumburg Comitiſſa de Ortenburg loci Domina Lutheranorum hæreſi infecta. Hæc ſubinde Conventum, & Eccleſiam rebus omnibus exutam tradidit Lutheranis, & Laicum, qui ad probandam poſſeſſionem in Clauſtro remanſerat, ad habitus dimiſſionem flexit, nondum elapſo anno ad Ordinem redeuntem, & Provinciæ Miniſtrum Conventum Canonice luſtrare volentem armata manu arcuit. Mortua Comitiſſa abſque hærede Maſculo, & devolutis juribus Schaumburgenſibus ad familiam Starhenbergianam pari errorem detentam, pluries Fratres apud Aulam Cæſaream inſtiterunt pro loci reſtitutione, & quamvis reſcripta in favorem obtinuerint, eorum tamen executio longius dilata eſt, donec anno 1621. die 2. Februarii Ferdinandus II. Imperator eos in priſtinum domicilium reduxit.

Greiderer lib. 4. cap. 2. num. 94. & seq.

Annales Min. an. 1453. num. 54.

Gonzaga in Prov. Boemiæ con. 4. & 5.

XIV. Ultimum inquilinum Minoritam habuit Conventus Berolini Metro-

Metropolis Electoratus Brandeburgenſis fundatus anno 1270., Ottone, & Alberto Marchionibus aream donantibus. Anno poſtea 1574. in ſcholam Hæreticorum abiit. Bellorum motus, contagioſa lues, & Novatorum conatus totam ferme extinxerunt Provinciam Bohemiæ, ex qua nonniſi XVII. Capita ſuperfuerunt, & ab anno 1551., quo Provinciam regendam ſuſcepit Antonius de Sprottavia, non habetur alius Miniſter, niſi Maximilianus Noleti ex Styria anno 1590., cui auno 1593. ſucceſſit Franciſcus Joaunis. Eædem cauſæ ſpoliarunt quoque ſuis incolis, & in Seminarium Alumnorum Epiſcopalium verterunt Conventum B. Virginis Mariæ de Roſis, ſeu S. Mariæ Magdalenæ in Prato Niſſæ in Sileſia Superiori juxta flumen ejus nominis, quam Episcopus Wratislavienſis in foro Eccleſiaſtico, in Civili vero tum ipse, tum Rex Boruſſiæ moderatur. Carolus Archidux Auſtriæ diplomate: *Inter cateros hominum actus*. Die 10. Septembris an. 1614., Cœnobium Fratribus reſtituit, & anno 1617. quædam bona ad eorum ſubſtentationem aſſignavit, translatis ſubinde extra portam telonariam prope Sacellum B. Virginis Mariæ de Roſis.

Greiderer lib. 5. cap. 2. num. 24. & seq.

XV. Gaſpar de Hortunnio Calagurritanæ Eccleſiæ Decanus, & Præſes Oppidi Boniliæ pro Ferdinando Alvarez de Toleto Albæ Duce, propriis expenſis poſuit circa hunc annum uno lapide ab eodem Oppido Cœnobium S. Matthiæ. Ædificio ad culmen perducto flammis caſu abſumpto, pius Fundator Fratribus teſtatus eſt, ſe illud iterum, & tertio a fundamentis excitaturum, multoque melius, & elegantius, quam antea illud refecit. Didacus de Sandoval Equitatus Regii Quæſtor exordium dedit Cœnobio in Oppido Hontiveros prope Eccleſiam Parochialem Dominæ Noſtræ de Carduo ſub eadem invocatione, loci oblationem acceptante Petro de Xerez, qui illuc Fratres aliquot miſit, ut operi præeſſent. Juſpatronatus obtinent Fundatoris hæredes.

Gonzaga in Prov. S. Joseph. con 12.

Idem con. 8.

Didacus de Fonsalita in Chron. Prov. S. Joseph.

XVI. Alphonſi Lupi Provinciæ S. Joſeph Alumni conſiliis, & hortationibus, faventibus Joanna ab Auſtria Portugalliæ Principis Vidua, & Leonora de Toleto Marchionis de Cerralvo filia, quæ Pauperum Matritenſium Clariſſarum Monaſterium ingreſſa pretioſis monilibus ædem exſtruendam ditavit, humile ſatis Cœnobium Fratres excitarunt aſſeribus, ſtoreiſque contectum, mille paſſibus a Civitate Matriti ſub titulo S. Bernardini; quod antea quidem facere decreverant, ſed difficultatibus prohibiti ab incœpto deſtiterunt. Non multo poſt Franciſcus a Garnica Regius Quæſtor ædificium ære proprio complevit, ſervatoque ſibi, ſuiſque hæredibus patronatus jure, locum in ſepulturam elegit, & ſæcularem domum, in quam plures intulit SS. Reliquias, mænibus adjunxit, ubi quietius pietati vacare poſſet. Sub humo repertæ ſunt duæ Imagines, altera ænea, altera exhibens Jeſum a Pilato Judæis oſtenſum. Illuſtravit Cœnobium beatus obitus Narciſi Juani, quem minus vere Scriptores rerum noſtrarum hoc anno deceſſiſſe narrant, maxime quum dicant, eum deſignatum fuiſſe Commiſſarium Novæ Hiſpaniæ a Chriſtophoro de Capite Fontium Miniſtro Generali; præterea Didaci a S. Martino Laici, Hieronymi a Torrejonſillo, Antonii a Secura, Joſephi Albiz, Joannis a Tembleque, & Melchioris a Gratia. Ex illo prodierunt Inſularum Philippinarum, Japponenſium, & Sinenſium Apoſtoli, ac præcipue illi viginti novem, qui ad Regis Catholici, ejuſque Indiarum Conſilii poſtulationem, ducibus Petro Baptiſta, Martino ab Aſcensione, & Franciſco de S. Michaele, antequam in Orientem transfretarent, per mediam Civitatem Matritenſem proceſſerunt, exci-

Idem ibidem.

Gonzaga loc. cit. con. 9.

Hueberus, & Arturus ad diem 15. Septembris.

to

to populo ad ſpectaculum, quibus Antiſtes Sega Nuntius Apoſtolicus benedixit, & quaſi Martyrium divinans, quum vexillum Crucis ei traderet, dixit: *Accipite Vexillum S. Crucis, in quo poſſitis vincere inimicos Fidei*.

XVII. Nobilis mulier Ludovica de la Cerda acceleratam Conjugis ſui Arias Pardo mortem dolens, ut in triſti jactura ſolatium aliquod inveniret, precibus ad Deum fuſis, & in eo ſolum ſpem ſuam collocans, Sanctam Virginem Tereſiam a Jeſu Toletum denique accerſivit, a qua audiens nomen S. Petri Alcantarenſis ſpeciali Dei gratia miſeris ſublevandis indonei, illum domi ſuæ habere voluit. Hinc factum eſt, ut Ludovica duo Cœnobia fundaverit, in Oppido de Malagon pro Monialibus Carmelitis, & in Oppido de Paracuellos pro Fratribus Minoribus, tum propriis expenſis, tum laboribus, non dedignata inter cæmentarios, & foſſores verſari, ſuiſque manibus lapides apponere, ut citius fabrica B. Ludovico Epiſcopo ſacra CC. paſſ. ab oppido prope fluvium Xaram exſurgeret, & quatuordecim Fratres commode exciperet, qui quamvis locum acceptaſſent in primo Capitulo, quando Cuſtodia S. Joſeph, S. Petro Commiſſarii Generalis munus obeunte, Provinciæ titulum adepta eſt; non ante tamen hunc annum ædem incoluerunt. Didacus de Yepes Epiſcopus Turiaſſonis aſſerit, S. Virginem juſſu Provincialis Antonii de Salazar Abula profectam Toletum acceſſiſſe anno 1571. in vigilia Nativitatis Domini, ut præfatam Ludovicam ſolaretur de mariti obitu, qui eo tempore contigerat. Quæcumque ſit ejus auctoritas, qui S. Tereſiæ confeſſiones audivit, video eum repugnantia commiſcere; paullo enim poſt narrat, Ludovicæ benevolentiam adeo ſibi S. Tereſiam conciliaſſe per id temporis, quo ſecum manſit Toleti, ut anno 1568. Dominica Palmarum ambæ in Oppido de Malagon Monaſterium fundaverint.

Gonzaga loc. cit. con. 10.
Didacus de Fonſalita ibidem.
Didacus de Yepes in Vita S. Tereſiæ Arimini an. 1738. lib. 2. cap. 6.
Ibidem cap. 16.

XVIII. Ex hoc Cœnobio, quod Fundatricis pietas, ejusque hæredum Marchionum Malconenſium in Domum Capitularem erexit, ob loci incommoditatem, & inſalubritatem aeris, migrarunt Fratres ad Palatium eorumdem Marchionum in Oppido, ibique nonnullos annos morati ſunt. Primus ibi deceſſit Joannes de Alcantara S. Petri conſobrinus, quem Sanctus ipſe Minorum habitu induerat, ejusque duobus annis confeſſiones audiverat. Regulam perfecte obſervavit. Licet maxime ſincerus, quidquid tamen in altero moribus alienum agnoſcebat, inadvertenter commiſſum dicebat. Narrat Didacus de Fonſalita, ejus interceſſione, & Reliquiis Deum miracula fuiſſe operatum. Sequuti eum ſunt Petrus a Spe, Idelphonſus a Conceptione, Petrus a Cardenoſa. Eorum exuvias ex Aula Palatii, in qua jacebant, immunditiis oppleta, Ludovicus a S. Auguſtino Provinciæ Miniſter, accedente communitate Baraxeni, & circumſtantium populorum concurſu, anno 1676. die 18. Octobris tranſtulit in Eccleſiam jam reſtauratam Cœnobii.

Didacus de Fonſalita ibid. con. 14.

XIX. Maria ex Regia ſtirpe Portugalliæ domeſticis facultatibus fundavit Cœnobium B. Mariæ de Angelis tertio lapide ab Oppido Torres Vedras in Provincia Arrabidorum. Cœnobium S. Antonii, ſeu S. Juliani de Capraria in Provincia Caſtellæ ſitum inter editos, nivoſosque montes, uno lapide a Pago Capraria, decimo vero ab Oppido Buitrago in veteri Eremitorio S. Juliani, abiit in domum Recollectionis ad inſtantiam Innici, ſeu Hygini Lopetii de Mendoza Ducis de Infantado, extincto ſtudio Grammaticæ, & humaniorum literarum, cui ſe aliquando operam inibi impendiſſe ſcribit Franciſcus Gonzaga.

Gonzaga in Prov. Arrabidorum con. 12.
Idem in Provinc. Caſtellæ con. 7.

Idem in Prov. S. Antonii Portug. con. 15.

XX. Henrici Cardinalis, & Antonii de S. Vincentio Miniſtri Provinciæ S. Antonii Portugalliæ diligentia jacta ſunt fundamenta Cœnobii S. Antonii Ulyſſiponis, non ſine controverſia, & interceſſione Provinciarum Portugalliæ, Algarbiorum, & Arrabidorum, quæ in eadem Urbe Domos obtinebant eleemoſynis ſuſtentatas. Ædes condita eſt in Parœcia S. Joſeph extra portam S. Antonii in agro quondam vectigali P. Prædicatorum, quem Fratribus liberaliter donarunt. Regionem totius Circi largitus eſt Didacus Botellio; ſumptus vero neceſſarios Fratres collegerunt a Rege, & aliis devotis, ex quorum numero fuit Hieronymus de Conimbrica, qui teſtamento illis reliquit quatuor aureorum millia, & in eodem Cœnobio jacet. In Eccleſia ſervatur theca argentea inaurata, & in ea inclusus dens molaris S. Antonii, ad cujus contactum ægri ſanitatem recuperant.

Idem in Provinc. Algarbiorum con. 15.

Monumenta Provinciæ.

XXI. Laurentius de Sylva Præses Ulyſſiponis prope Oppidum Meſeranæ, ſeu Meſejana, Diœceſis Eborenſis ære proprio hoc anno fundavit Cœnobium Dominæ Noſtræ Pietatis, quod XVIII. Fratres Recollecti Provinciæ Algarbiorum incolunt. Non caret ædes ſacris pignoribus, ac præcipue portione Ligni SS. Crucis. Servatur in Archivo diploma Pii V., quo a primis Veſperis Annuntiationis Deiparæ usque ad ſecundas Eccleſiam rite viſitantibus conceduntur ſeptem anni, totidemque quarantenæ Indulgentiarum. Adſunt alia diplomata Pontificum, & Regum, quæ confirmant Privilegia Recollectorum.

Gonzaga ibidem con. 5.

Monumenta Provinciæ.

XXII. Ædificatum circa hunc annum ſcribit Gonzaga Cœnobium S. Antonii de Caſcaes Diœceſis Ulyſſiponenſis, media leuca ab Oppido, in loco ſolitario ad litus Oceani. Referunt Provinciæ Algarbiorum monumenta, Doctorem Ludovicum de Maya anno 1527. die 30. Decembris Fratribus donaſſe Vallem, & Sacellum S. Rochi in illa exſiſtens, hoc pacto, ut ſi ipſi Cœnobium non erigerent, aut erectum poſtea desererent, jus Vallis, & Sacelli ad ſe, vel ejus poſteros rediret. Donationem acceptavit Antonius ab Ulyſſipone Guardianus Conventus S. Franciſci. Primus fundator fuit Frater Rodericus a S. Jacobo vocatus *Dies Judicii*, eo quod, ut ajebat, ſemper in ejus auribus ſonaret Angeli tuba, eique eleemoſynas miniſtrarunt prædicti Oppidi Cives. Poteſt fieri, ut ab anno 1527. usque ad præſentem fabrica incœpta non fuerit, vel illam hoc tempore ad complementum Fratres perduxerint, vel notabiliter auxerint, vel reſtauraverint. Continet XXII. Fratres, & Patronum habet Marchionem de Caſcaes.

Pirrus in Sicilia Sacra tom. 1. not. Syracuſanæ Eccleſiæ pag. 671.

Gonzaga in Prov. Siciliæ con. 7.

XXIII. Hoc anno, teſte Pirro, M. Jacobus Pariſius, ſeu Policius, ut ſcribit Rodulphus, excitavit in Civitate Calatahieroni in Sicilia domum Reformatorum S. M. de Infirmis, ubi aliqui Fratres Conventuales ſeorſum cum magna auſteritate vitam ducebant, quam vivendi novam diſciplinam noluit Romanus Pontifex confirmare. Agens idem Pirrus de Conventu Minorum Obſervantium S. M. de Jeſu ejuſdem Civitatis meminit Jacobi Pariſii a Calatahierone Laici, qui zelo Divini amoris in proximos, & honoris in Deum, ac virtutibus clarus obiit ibidem an. 1579. die 23. Februarii. Gonzaga nominat Jacobum Laicum, eumdemque Arturus ſine addito Pariſii, & defunctum ſcribit anno 1580., die 16. Aprilis. Hunc ab aliis diſtinctum indicat obitus dies, quemadmodum alios duos inter ſe differre, Magiſtri, & Laici qualitates produnt.

XXIV. Conventum S. Salvatoris Calagurriæ, ſeu de Calahorra, in Provincia Burgenſi fundatum anno 1552. ſupra rivum quemdam in Eremito-

Anno Christi	Pii V.	Maximiliani II.	Religionis Minorum
1570.	anno 5.	anno 7.	anno 363.

mitorio Fratribus conceſſo, Calagurritani Cives, ut pluribus incommodis Fratres liberarent, ſibique propiores haberent, tranſtulerunt intra Civitatis mænia, & in Arce ejus medullitium occupante. Dum Eccleſia reſtauraretur, quam tradunt pertingere ad annum 1226., vel conſtrueretur altera veteris Conventus, (tempus enim non exprimitur) Domiuicus a Ciavarria Cantaber lapidarius amiſſum oculum ex incurſu in baculum recuperavit, prolatis verbis: *Digneris, Seraphice Pater Franciſce, mihi miſerrimo in tanta calamitate adeſſe*: Ædes continet XXX. Fratres, & Patrono caret.

Idem in Provinc. Burgenſi con. 20.

Jo. Baptiſta de Galarreta pagin. 105.

XXV. Permoti vitæ ſanctitate Stephani Molinæ Miniſtri Provinciæ Terræ Laboris incolæ Civitatis Sarni obtinuerunt a Pontifice, ut Conventus S. Franciſci Minorum Conventualium Obſervantibus traderetur: *In Sede Beati Petri*. Die 24. Novembris. Inſequenti anno Stephanus loci poſſeſſionem accepit. Alexander Cardinalis Farneſius ampliavit parvas ædes, quas Fratres Obſervantes habitabant juxta Eccleſiam S. Mariæ de Conſolatione in Oppido Caprarolæ, easque in Conventum erexit. Die ultima Julii erogavit pro fabrica quingenta ducata, & juſſit Communitati, ut ſubminiſtraret cæmenta. Hoſpitale S. Joannis Lateranenſis erogavit aureos quinquaginta; opus vero abſolutum non eſt, niſi anno 1583.

Caſimirus Romanus Mem. Hiſt. cap. 6. pag. 58.

XXVI. Nebriſſæ in Diœceſi Hiſpalenſi Fratribus Obſervantibus Provinciæ Bethicæ, poſt devictam repugnantiam Archiepiſcopi Hiſpalenſis, & Cleri Nebriſſenſis, qui ne Minoritæ inibi reciperentur, diu obſtitere, conſtruxerunt pii Cives Cœnobium S. Franciſci in fundo, quem propterea pecunia ſua emit Didacus Minnez Pintennius. Morantur illic XVIII. Fratres. Optaverant Cives Olleollarum Diœceſis Telonenſis in Gallo-Provincia ab anno 1531. Minoriticum Cœnobium fundare, quod Clemens VII., cui ſupplicarunt, eis conceſſit. Sed neque eo tempore, neque anno 1536. aliquid efficere potuerunt, licet operi manus admoverint. Hoc anno eorum votis annuit Senatus die 28. Martii. Verum bellici tumultus, & furentium Hugonottorum rabies ad Pontificatum usque Gregorii XIII. rem diſtulerunt.

Gonzaga inProv. Bæticæ con. 19.

Idem in Provinc. S. Ludovici con. 55.

XXVII. Inundatio maxima Viſtulæ hoc tempore ſuper alveum excreſcentis, & quaquaverſus diſſluentis exitio dedit Cœnobia Fratrum, & Monialium in Civitate Cracoviæ. Acceſſit fames, & peſtis, quæ eorum numerum valde minuerunt ſub Provincialatu Hieronymi Lecno iterum triennio in Miniſtrum renuntiati in Comitiis Prænorsci Provinciæ Poloniæ.

MonumentaProvinciæ.

XXVIII. Duodecim milliaribus a Civitate Cuzci in Valle Jucaica communi Indorum, & Hiſpauorum illic degentium utilitati proſpiciens Hieronymus Villacarillo Provinciæ Carthaginenſis, qui anno 1579. Commiſſarium Generalem egit in Peruvia, Guardianus Conventus Cuzcani oblatum ſibi a pio quodam Indo fundum accepit, in eoque ſumptus largiente Franciſca a Guſmanio honeſtiſſima Matrona, Conventum S. Mariæ de Angelis erexit. Continet ſex Fratres, qui curam habent Domus doctrinalis in Guailapampa.

Gonzaga inProv. XII. Apoſt. con. 12.

XXIX. Cœnobium S. Pelagii Martyris Cordubenſis fundatum a F. Gundiſalvo Marino anno 1392. in jugo celſiſſimi collis juxta fluvium Minium rediit hoc anno ad Minores Obſervantes, qui ibidem antea permanſerant, locumque, deinde a Conventualibus occupatum, reliquerant ob difficilem undequaque aſcenſum, & populorum diſtantiam. Non mul-

Archivum S Iſid. arm. 3. num. 61. pag. 52.

multo tamen poſt Obſervantes rurſus exceſſerunt, ædemque vacuam, ac vetuſtate collapſam reſtauravit quidam ex Clauſtralibus, qui S. Martyris invocatione ſanitatem recuperaverat, & Eccleſiam, ut nunc eſt, breviſſime, ac dormitorium pro ſociis Fratribus, & ſeipſo conſtruxit. Deficientibus vero in Portugallia Clauſtralibus, Obſervantes tertio regreſſi ſunt ad locum miraculis celebrem, quæ in Annalibus noſtris narrantur, dictum proinde aliquando S. Pelagii de Miraculis. Continet novem circiter Fratres. Cœnobia, quæ reformationis leges ſuſcepiſſe jam diximus in Provincia Portugalliæ, conſtituerunt hoc tempore peculiarem Cuſtodiam Portus ab ipſa Provincia quidem ſeparatam, ſed ipſi ſubditam, quæ ut novitas omnis auferretur, Fratreſque ut domibus, ſic animo invicem conjuncti forent, ceſſavit anno 1584., extinctis Cuſtodiis, & Diffinitorum Officiis.

Annales Min. an. 1391. num. 11.

Emmanuel de Spe lib. 4. cap. 10. pag. 412.

Rodulphus lib. 2. pag. 210. & seq.

XXX. Minores Conventuales accipiunt in Cuſtodia Meſſanæ Cœnobium Bavoſæ fundatum in loco, ubi erat Confraternitas ſub titulo Annuntiatæ B. Virginis; Cœnobium Rochæ, ubi erat Confraternitas S. Joannis. In utroque, teſte Rodulpho, habitabant Reformati. Cœnobium Caſtaniæ extra oppidum ad mare; Cœnobium Galathiæ ſub titulo Annuntiatæ B. Virginis, & memoratum Cœnobium S.M. Infirmorum. In Cuſtodia Agrigentina Cœnobium Marineii captum a Fratre Thoma Meſſanenſi, ignotæque fundationis. In Cuſtodia Drepani Cœnobium Motycæ Comitatus Alphonſi Henriquez, & Capreræ cum Eccleſia S. Sebaſtiano ſacra. Locum recepit, ut ait Rodulphus, Magiſter Jacobus Baſſomi (Baſſauri ſcribit Pirrus) Agrigentinus. Eccleſiam Cœnobii eorumdem Conventualium Saltariæ Diœceſis Fanenſis, vetuſtate fere collapſam reſtauravit Vincentius Neguſantius Epiſcopus Arbenſis, eique dotem aſſignavit. Juxta Rodulphum habet titulum S. Franciſci de Revereto. In monumentis MSS. invenio, anno 1223. S. Franciſcum ſignaſſe ſigno Crucis ipſius parietes, quod cohærere non videtur cum Inſcriptione marmorea, in qua legitur, Philippum Epiſcopum Sarſinenſem anno 1399. menſe Septembri Templum Martis inter Carticetum, & Saltariam magna in parte dirutum reſtauraſſe, & Chriſto vero Deo, & B. Martino Epiſcopo conſecraſſe. In Eccleſia S. Crucis Florentiæ Altare SS. Conceptionis tranſlatum eſt ad locum alium, ut Eccleſia ipſa exornari poſſet: *Exponi Nobis*. Die 15. Septembris. Sacellum B. Mariæ de Jeſu in Eccleſia S. Franciſci Hieracii ab Epiſcopo occupatum, & ſpoliatum, ut Fratribus reſtitueretur, inſpecta prius rei veritate, mandavit Pontifex Archiepiſcopo Rheginenſi: *Exponi Nobis*. Die 6. Julii.

Sicil. Sacra not. Eccl. Syracusanæ tom. 1. pag. 685.

Rodulphus ibid. pag. 258.

Monumenta Provinciæ Marchiæ.

XXXI. Jacobus de Eltz Archiepiſcopus Trevirenſis Jeſuitis, quos ſummopere diligebat, habitantibus in ruinoſis quibuſdam locis prope vetus Gymnaſium tradidit in medullitio Urbis Trevirenſis Cœnobium Fratrum Conventualium, his translatis ad Monaſterium S. Germani Monialium profeſſionis Benedictinæ, in cujus Templo honorifice cubat D. Gereſina Matertera S. Urſulæ, quodque ſub Joanne Donorio XXVIII. Abbate unitum fuit Cœnobio S. Matthiæ, & poſtmodum, ſuppreſſis Monialibus, in inſignem ſcholam evaſit. Ædem Jeſuitis adjudicatam præfatus Archiepiſcopus Deo uni, & Trino ſacram eſſe voluit, ſive quod Trinitatis honore præcipuo duceretur, ſive quod antiquiſſimi Templi apud veterem portam olim ejuſdem Trinitatis cultu conſecrati, & bello diruti perpetuam apud poſteros exſtare memoriam perciperet. Actorum ſeries in ſequentibus continetur. Henricus Ondedalius Magiſter Provin-

Ex Chron. MSS. Provinc. Coloniæ Fratris Cratepolii Min. Conv.

cialis

cialis Minorum Conventualium, & Commiſſarius in Provincia Coloniæ, Joannes Neunkirchen a Veſtemburg Cuſtos Cuſtodiæ Colonienſis, Matthæus Aldeguntanus Cuſtos Trevirenſis, cæterique Fratres Conventus Trevirenſis cedunt peculiari decreto ſub die 31. Januarii Cœnobium, & Eccleſiam ſuam Archiepiſcopo Trevirenſi. Archiepiſcopus vero ſupportat Guardiano, & Conventui Ordinis Minorum Treviris Collegium S. Germani ibidem, nec non Monaſterium deſolatum Weſaliæ.

Jacobus &c. Univerſis, & ſingulis praſentes noſtras Literas viſuris, Chriſtophorus Browerig tom. 2. pag. 405. *lecturis, vel legi audituris notum facimus. Paſtorali fulgentes officio noſtræ ſollicitudinis, & vigiliæ eſſe duximus eis rebus, quæ ad honorem, & gloriam Dei, augmentationem, & conſervationem Catholicæ Religionis, ac promotionem ſtudiorum faciunt, omnibus nervis intendere, & incumbere. Quum itaque ædificia antiqua noſtræ univerſitatis Trevirenſis, in quibus honeſtæ diſciplinæ, & bonæ literæ docentur, ad capiendum juſtum numerum ſtudioſorum (qui ſeminaria Eccleſiæ ſunt) nimis anguſta eſſe certiores facti ſimus, cum honorabilibus devotis noſtris dilectis Provinciali, Patribus Provinciæ, Guardiano, & Conventu Ordinis Minorum Couventualium ita convenimus, ut Monaſterium eorumdem in Civitate noſtra Trevirenſi ſitum cum ſuis locis, ædificiis, & Domo, quæ e regione Capræ, vel Piſtoris jacet, ad id pertinentibus (exceptis tamen ejuſdem Monaſterii redditibus, proventibus, & aliis bonis) cederent, & in manus noſtras traderent, idipſum jam dictæ noſtræ Univerſitati perpetuo incorporandum, uniendum, & annectendum, aut ad alios pios uſus convertendum, prout hæc omnia ex eorum ceſſionis, & traditionis literis latius conſtant; ea tamen lege, & conditione, ut Nos præfatis Provinciali, Patribusque Provinciæ, & Guardiano Conventus Trevirenſis Collegium, & Monaſterium Divi Germani in eadem Civitate noſtra ſitum in perpetuam poſſeſſionem, & habitationis locum cum omnibus ſuis pertinentiis, emolumentis, & bonis tam mobilibus, quam immobilibus, nullis exceptis daremus, & ſupportaremus, milleque daleros ad reſtructionem ejuſdem collegii in parata pecunia numeraremus, & præterea deſolatum Ordinis ſui Monaſterium in Civitate noſtra VVeſalienſi, quod propter deſertionem Ordinis, & Fratrum aliquamdiu in Prædeceſſoris noſtri proxime defuncti felicis memoriæ manibus fuit, cum omnibus ſuis redditibus, & bonis redderemus; quibus conditionibus locum dedimus, & his literis damus. Quapropter prænominato Guardiano, & Conventui Trevirenſi ſummam mille dalerorum, ut ex eorum recognitione nobis deſuper tradita patet, numeravimus, & Collegium Divi Germani, & Weſalienſe cum omnibus eorum fructibus, redditibus, proventibus, emolumentis, & bonis tam mobilibus, quam immobilibus, nullis exceptis, dedimus, tradidimus, reddidimus, & ſupportavimus, & tenore harum literarum in meliori forma damus, tradimus, reddimus, ſupportamus; ac in majorem gratiam, & favorem, quibus dictum Ordinem, & ejuſdem Fratres proſequimur ſupra una* anma *vini, & dimidio* maldero *avenæ, quæ ex bonis in Cong ante hoc tempus in cellariam noſtram Sarburg reddita fuerunt, & debentur, renunciavimus, & renunciamus. Promiſimus, & nos obligavimus prout hiſce literis noſtro, & Succeſſorum noſtrorum nomine promittimus, & obligamus, quod nos, & ipſi volumus, & debemus dictum Guardianum, & Conventum, eorumque Succeſſores, & Ordinem in memorati Collegii Divi Germani, & Monaſterii Weſalienſis perpetua poſſeſſione, & quitta habitatione tueri, defendere, & manutenere, & contradictores, moleſtatores, & perturbatores quoſcumque præſentes, & futuros quolibet tempore coercere, & compeſcere; & ſi hac in re uberiore aſſecuratione, & certificatione opus fuerit, eamdem dicto Guar-*

Guardiano, & Conventui his literis, ac ſi eisdem de verbo ad verbum inſerta eſſet, dare volumus, & damus absque dolo malo. In quorum omnium fidem, & teſtimonium has Literas ſigilli noſtri appoſitione communiri fecimus. Data in Civitate noſtra Trevirenſi die ultima menſis Martii an. MDLXX.

Hæc ita geſta fuere de conſenſu Abbatis, & Conventus S. Matthiæ, qui aliquid juris in Monaſterio S. Germani habere prætendebat.

XXXII. Fratres Tertii Ordinis incoluerunt in Provincia Romana Cœnobium de Quercu Marani Abbatiæ Sublaci. In Provincia Neapolis Cœnobium S. Mariæ de Monte ad Pertuſium cum Eccleſia fundata ab Honorio de Anselmis, Joanne Antonio, & Andrea de Ferrandis, Bartholomæo Petri Luiſii, & Matthia Evomi, & tradita anno 1563. Fratribus S. Mariæ de Mercede, iisque recedentibus, anno 1568. Minoribus Conventualibus. In Provincia Siciliæ Cœnobium S. Catharinæ Virginis, & Martyris Aſſori fundatum a Fratre Michaele Archangelo de Traina eximio Concionatore, & Priore Provinciali, qui ibidem cum ſanctitatis opinione deceſſit anno 1626. Habitabant antea in Cœnobio S. Mariæ de Jeſu ad Vineas extra Aſſorum, quod reliquerunt, quia Civibus incommodum, & quia Infirmi curari non poterant, niſi cum gravi diſpendio.

XXXIII. Cœnobiorum albo ſcripſerunt Capuccini Cœnobium Præneſtarum, S. Elpidii Diœceſis Firmanæ, Rupis Contractæ Diœceſis Senogallienſis, Ravennæ, Quiliani Diœceſis Savonenſis, Vulturi in Provincia Genuæ, Aronæ, Canobii, Porzelæ, & Cardani, quatuor nempe fundata in Diœceſi Mediolanenſi a S. Carolo Borromæo, Burgii Milluſii Diœceſis Agrigentinæ in loco præcipiti Xarabici juxta S. Antonium, ex quo in locum aptiorem inter Burgium, & Villam Francam anno 1637. migrarunt; Miſtrectæ, ſeu Miſiſtrati Diœceſis Cephalæditanæ ſub titulo S. Mariæ de Angelis; ac tandem Cœnobium ad tertium lapidem a Lilybæo Diœceſis Mazarenſis in Promontorio Siciliæ, ubi floruerunt Hieronymus Grignano a Marsala Eccleſiaſtes inſignis defunctus Catanæ, dum ad populum quadrageſimales conciones haberet anno 1616., ejusque Germanus Frater Alexius, qui heroico carmine Italico ſcripſit vitam S. Alexii dicatam Comiti Caſtrenſi Pro-Regi.

Michael a Tugio loc. cit.

Sicilia Sacr. tom. 2. pag. 768.

Ibidem tom. 2. pag 832.

Ibidem pag. 885.

XXXIV. Intra mænia Civitatis Eborenſis Joannes de Mello Archiepiſcopus donavit Infanti Mariæ Regis Emmanuelis filiæ Sacellum Veræ Crucis, adjunctasque Ædes Parœciæ S. Antonii Abbatis, ut fundaret Monaſterium primæ Regulæ S. Claræ, neceſſariis ſumptibus traditis Fratri Dominico Sacerdoti de Tertio Ordine, qui inibi epidemico morbo laborantium curam agebat. Hoc anno operi manus admota eſt, locique ſub S. Helenæ invocatione, ſeu de Calvario, Patronum Fundatrix inſtituit Regem, ejusque ſucceſſores. Gonzaga annum ſignat 1574., quo videlicet novam domum intrarunt ex Monaſterio Aſſumptionis de Faro Bernardina a Jeſu de Setubal ejusdem Monaſterii de Faro Fundatrix, Maria de Paſſione, & tres aliæ. Vivunt ibi XXIV. Sorores ex eleemoſynis emendicatis, & nihil aliud ad victum certum habent, niſi quatuor mille denaria qualibet hebdomada Xenodochio Miſericordiæ relicta a præfata Maria Infante, ipſisque attributa. Sub initium renuerunt annuos redditus a Regia liberalitate oblatos.

Monumenta Provinciæ Algarbiorum.

Gonzaga in Prov. Algarbiorum Mon. 6.

XXXV. Monaſterium Conceptionis Escaritiæ ſupra memoratum Joannes de Lilio Miniſter Provinciæ Caſtellæ adſcripſit cæteris ejusdem Provinciæ. Pius Fundator tres Sacras Virgines a Cœnobio Conceptioniſtarum

rum Guadalfagiaræ, ſervato ſibi, & hæredibus jurepatronatus, & ſex filias, quas habebat, Religionis profitendæ cupidas ad illud adduxit.

XXXVI. Ex Monaſterio S. Sylveſtri de Urbe redit Chriſtina Abbatiſſa cum cæteris Sororibus ad Monaſterium SS. Coſmæ, & Damiani, ibique Abbatiſſa præficitur Veronica Urſina accerſita idcirco a Monaſterio SS. Simonis, & Judæ Ordinis S. Claræ Viterbii, cum majori, quo fieri poſſet, Monialium numero: *Quum Nos dudum*. Die 22. Februarii. Stephanus Molina facultatem accipit reformandi Monaſterium S. Mariæ Ægyptiacæ Neapolis, & ad illud adducendi Abbatiſſam, & Sorores, quas magis idoneas cenſuiſſet, a Monaſterio S. Hieronymi Averſæ: *Cupientes*. Die 4. Aprilis. Inſuper facultatem reformandi Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ ejuſdem Urbis, & ad illud pariter transferendi quatuor Moniales a Monaſterio S. Auguſtini Aquilæ: *Cupientes*. Die 10. Octobris. Facultatem transferendi duas Moniales provectæ ætatis, vitæque probatæ a ſe eligendas a Monaſterio præfato S. Hieronymi Averſæ ad Monaſterium Ordinis S. Claræ Solofræ Diœceſis Salernitanæ, quæ in adminiſtratione Domus Juſtinianæ Urſinæ auxilio forent: *Quum ſicut accepimus*. Die 28. Junii.

XXXVII. A regimine Fratrum Tertii Ordinis transferuntur ad Epiſcopum Malarienſem Monaſteria S. Claræ, & Puellarum Orphanarum, Domuſque Mulierum Pœnitentium, vulgo *delle Convertite*, Civitatis Drepani. *Nuper per Nos*. Die 15. Decembris. A regimine Minorum Conventualium tranſit ad Obſervantes Monaſterium Urbaniſtarum S. Claræ de Elvas fundatum non anno 1509., ut ait Gonzaga, neque ſub titulo S. Claræ, ſed ſub titulo SS. Conceptionis, & anno 1526., ut apparet ex licentia Infantis Cardinalis Alphonſi, qui renuntiatus Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis permiſit Violanti de Souza primæ Abbatiſſæ, ut poſſet erigere Altaria, & Divina peragere, ut in aliis Monaſteriis Ordinis fieri ſolebat. Margarita Pereira, & Joanna de Britto quaſdam ædes, & prædia obtulerunt ad ejus conſtructionem. Joannes III. Rex Portugalliæ libertatem fecit Monialibus emendi quaſcumque domos contiguas. Exordium ſumpſit a Domina Vera nobilitate ſanguinis, & pietate conſpicua, aliiſque devotis Matronis, quæ in illius domo operibus ſpiritualibus vacantes, & Regulam S. Claræ amplexari cupidæ a Magiſtro Provinciali Minorum Conventualium Præfectam acceperunt memoratam Violantem de Souza Monialem Monaſterii S. Claræ Portus Læti, ſeu de Portalegre, quæ, triennio expleto, eamdem Dominam Veram, ſeu Sororem Veram de Cruce, ut dici voluit, Abbatiſſam nominavit. Vivunt ibi, ut plurimum, XLV. Moniales, quas inter cum ſanctitatis opinione deceſſerunt Catharina a Matre Dei, Anna Taveira, Catharina a S. Franciſco, Franciſca a Jeſu, Beatrix de Sanctis, Paula a S. Joanne, Maria de Cruce, & Maria de Nazareth. Ad normam Monialium S. Claræ, & S. Franciſci reformantur etiam Moniales S. Auguſtini: *Decet Romanum Pontificem*. Die 12. Septembris.

Idem ibid. Mon. 15.
Monumenta Provinciæ Algarbiorum.

XXXVIII. Beatrix Pinta ingenua, nobiliſque Mulier innupta hoc anno a Rege Sebaſtiano indultum accepit, ut Oratorium privatum, in quo una cum aliis piis feminis Divino cultui vacabat, ad Eccleſiæ formam ſub titulo S. Marthæ redigeret. Regularem Obſervantiam paullo poſt illuc induxit Maria a Cruce Ancilla Mariæ filiæ Regis Emmanuelis, quæ Deum pro ſalute animæ ſuæ quadam nocte ardentius deprecata, vidit a feneſtra Aulæ Regiæ Equitem, qui aquas ab aquis prope

Monumenta citata.

ſtagnum Viridarii lancea dividebat. Hinc dixit: *O quam inſtabilis eſt rerum mundanarum ſecuritas!* Altera nocte in eadem feneſtra vocem ſibi dicentem audivit: *Noli vexari; adhuc enim erit occaſio, ut religioſiſſimum erigatur Monaſterium*. Senſibus ſuſpensa recogitabat animo quomodo id fieret; quum ecce intuita eſt candidam avem circum volitantem, & dicentem: *Torram*. Nonnullis poſt diebus Ulyſſiponem advenit Leonora a Jesu ancilla Beatricis Pinta eleemosynam petitura a præfata Regis Emmanuelis filia, quacum ſecreto colloquuta, annuente Domina, Torram ivit, ubi excepta a beatis illis feminis, ex pecunia, quam ſecum asportavit, dormitorium conſtruxit, quod hodie eſt Monaſterii Valetudinarium, redditusque annuos ad victum diſpoſuit, & ſuppellectile Eccleſiam ditavit. Initio regulam S. Claræ amplecti volebant, & in obedientia Provinciæ Algarbiorum vivere, Franciſco de Portiuncula rem promovente. Verum rejectæ ob reddituum penuriam, & anguſta ædificia, Tertio Ordini nomen dederunt, easque in clientelam recepit Theotonius de Brigantia Archiepiſcopus Eborenſis, qui illis ſociavit Margaritam a S. Martha, & Mariam a Conceptione profeſſas in Monaſterio Ulyſſiponenſis S. Marthæ. Locum illuſtravit, præter mox relatas, Franciſca de Plagis, quæ a Domino petens, ut vehementiſſimis cruciatibus apta foret ſuſtinendis, hæc cælitus audivit: *Filia, fiet tibi, ſicut petiiſti*; & non multo poſt faciem ejus obduxit Cancer, qui ad humerum usque carnem corroſit, ipsaque interim dicebat: *Hæ ſunt deliciæ, quas mihi Rex gloriæ promiſit*. Ejus animam in Columbæ ſpecie ſurſum aſcendentem conſpexerunt Moniales. Huic acceſſerunt Clementia a Jeſu ante Monaſterii conſtructionem ab infantia inibi enutrita, Marianna ab Aſſumptione, Maria a Præſepe, Eliſabeth a Viſitatione, Eliſabeth a Matre Dei, Eliſabeth a Roſario, Barbara a Conceptione.

XXXIX. Monialibus Clariſſis Civitatis Mexici clauſuram Pontifex præſcripſit: *Quod a Nobis*. Die 2. Aprilis. Eamdem profeſſæ ſunt Moniales Monaſterii de Oñate, florente in eo D. Eliſabetha Ladron de Gevara filia Comitis de Oñate, quæ anguſto cubiculo incluſa, dies noctesque Paſſionem Dominicam meditata, conſanguineorum quoque adſpectum refugiens, ferreis ciliciis, flagellis, & jejuniis carnem edomabat, & in illis dulciſſimis verbis: *O Virgo Sanctiſſima Maria, roga pro me nunc, & in hora mortis meæ*, obdormivit in Domino. Floruerunt quoque Joſepha Marianna, ſeu Mariola, vidua nobiliſſimi generis Oppidi de Elgoytar, Catharina a S. Antonio, ſeu Aderola, una ex ancillis prædictæ Joſephæ ex Oppido Marquina Ditionis Cantabriæ, & Catharina a Præſentatione Civitatis Victoriæ ex illuſtri Lanzanorum familia.

Melchior Amicus in Chron. Prov. Cantabriæ pag. 1.

XL. Veluti pertinaces, & incorrigibiles, eo quod Lutheranorum erroribus adhærere noluerunt, licet minis, & promiſſis ſollicitatæ, Sorores Tertii Ordinis Riberacenſes hoc anno a Civitate ejectæ, in loco vicino Ruchen pauperrimam vitam agentes conſtiterunt; neque tamen ibi quieſcere conceſſum eſt; nam poſt treſdecim annos miſſis ſatellitibus, violenter eas in Civitatem retraxerunt Lutherani, ubi ſine ſpirituali ſolatio miſerrime moratæ ſunt, donec Religionis hoſtes victricibus armis domiti Catholicos aliquantulum reſpirare permiſerunt. Hodie exercitia Catholica peragunt in Eccleſia Parochiali, in qua Oratorium habent, & ſub illo ſepulturam.

Monumenta Provinc. Argentinæ.

XLI. Guilielmus Iterſtenius Præſes Fratrum Tertii Ordinis in Belgio cum undecim ex ſuis obedientiam præſtavit Superioribus Minorum Ob-

ſer-

ſervantium, ac præcipue Fratri Lucæ de Alvaro Commiſſario Apoſtolico, & Confeſſario Ducis Albani. Præter alia Cœnobia, ceſſerunt in Batavia Obſervantibus Monaſterium S. Agathæ, & S. Barbaræ utrumque in Civitate Delphenſi, & inſigne; illud fundatum anno 1380. in domo conductitia, & anno 1390. domicilio, & dote auctum ab Aleida Buſers Vidua prope antiquam Eccleſiam, unitumque Congregationi Campi S. Joannis juxta Vollenhoam, quæ vulgo Capitulum Trajectenſe dicebatur, magnificum præterea, & opulentum, centum agri jugera circa Delphum poſſidens, & Principum Virorum hoſpitio frequenter nobilitatum; modo autem partim domus hæc celebris in porticum verſa eſt pannorum tramoſericorum, partim in ædes privatas. Eccleſia autem Calvinianorum cœtibus, & concionibus inſervit. Monaſterium S. Barbaræ fundavit anno 1401. Haſe Dirks Vidua, magniſque cenſibus ditavit, illud ingreſſa cum duabus natis, & primæ Miniſtræ munus exercens. Clauſuram acceptavit anno 1418. poſt Eccleſiæ conſtructionem antecedenti anno perfecta. Arſit incendio anno 1536., reſtauratum deinde. Modo eſt Orphanotrophium.

XLII. Erat hoc anno Rectrix hujus loci Anna Arnoldi Van Tongeren. Præerat vero Monialibus Chriſtianus Adrichomius, ſeu Crucius, ut ſeipſum ſcribere ſolebat, eoque nomine exſtat edita Antuerpiæ anno 1578. Vita Jeſu Chriſti ex quatuor Evangeliis breviter contexta cum annexa Oratione de Chriſtiana Beatitudine, quam, utpote Tertii Ordinis Diffinitor, habuit in Capitulo Generali hoc anno celebrato die 23. Julii. Atque ad id reſpexit Cornelius Muſſus ejus gentilis in Epitaphio, quod vivus vivo poſuit:

Illuſtre a Chriſto ſumptum qui nomen habebam,
Et duplici Delphis qui Cruce notus eram;
Conditus hic jaceo reliquis cum Patribus, olim
Exſurrecturus, quum tuba clara canet.

Natus Patre Adriano Nicolai viro probo, & Catholicæ Religionis retinentiſſimo, & a primis Bataviæ perturbatoribus pulſus vixit Mechliniæ, Trajecti, & Coloniæ. Scripſit Theatrum Terræ Sanctæ cum tabulis Geographicis, vulgatum annis 1593. & 1600. Coloniæ typis Arnoldi Mylii, & complectens Deſcriptionem Terræ Sanctæ juxta XII. Tribus Iſrael, Deſcriptionem Urbis Hieroſolymitanæ, & Chronicon Hiſtoriæ utriuſque Teſtamenti. Scripſit etiam varios ſermones MSS. memoratos ab auctore Bataviæ Sacræ, quem in his rebus ducem ſequimur. Deceſſit Coloniæ anno 1585. XII. Kal. Julii ætatis anno 52., conditus in Nazarethano Virginum Canonicarum Regularium S. Auguſtini Cœnobio, cui etiam aliquamdin Hierarcha præfuit.

XLIII. Miror, eximium virum in cauſa fuiſſe, ut Sorores S. Barbaræ Obſervantibus ſub initium obedientiam præſtare recuſarent. Quid enim attinebat, ut authenticum inſtrumentum literarum Pontificis videre efflagitaret, nonnulliſque minutis elapſis illud videre nollet, ita ut Obſervantes debuerint Bullam Pontificiam invito legendam obtrudere, ac legeret demum, & circa motivum commiſſæ viſitationis, eo quod Tertius Ordo ſtatuta quædam Cardinalis Carpenſis non obſervaſſet, quæreret, quænam ea ſtatuta forent, quaſi ipſe extra mundum degiſſet? Præfatus Auctor Bataviæ Sacræ, lepidam harum rerum hiſtoriam ſe enarrare profitetur; neſcio tamen, an ipſe lepidus magis ſit, quam hiſtoria; Obſervantes enim oppugnat, qui Pontifici obtemperarunt. Nam Batavia Sacrâ Bruxellis apud Franciſcum Foppens an. 1714. pag. 116.

quod inquit, eos Albani Ducis armata manu facile prævaluiſſe, id merum eſt figmentum; quum, ipsomet teſte, ad Monaſterium non iverint armati milites, ſed ſex tantum Religioſi, videlicet Lucas de Alvaro, (hunc paullo ante appellat Lucam de Arrenalo) Pippinus, Bilgoenius, Guardiani Delphenſis, Dordracenus, & Leydenſis cum duobus famulis. Hi ſane ad bellum non proceſſerunt; cum Eccleſiaſticis enim ſe acturos animadvertebant, eisque, qui intelligerent, nec vim eſſe, nec oppugnationem juſſa Pontificis exequi.

XLIV. Oppoſuit Adrichomius, Sorores non intellecturas ſenſum literarum Apoſtolicarum, etiamſi vulgari idiomate conſcriptæ forent; quæ ratio ſi valeret, nulla unquam lex in Moniales promulgari poſſet. Poſtulavit dilationem viſitationis, remque eo adduxit, ut Obſervantes non Pontificis, ſed Regis literas Sororibus perlegendas ſuperiori Adrichomio tradiderint, quaſi facilius fuiſſet Monialibus has, quam illas intelligere. *Novitati huic*, addit, *plures ſe oppoſuerunt, & dixerunt, ſe illis obedientiam non ſpopondiſſe, nec vota ſua aggravare velle*. Non arbitror, Sorores adeo munerum ſuorum oblitas, ut ignorarent, obedientiam legitimis Prælatis debitam non eſſe votorum gravamen; immo vero illis admodum conſentaneam; quod ab Adrichomio ediſcere poterant, qui præ inſigni, qua pollebat, doctrina, & pietate ſciebat equidem, Religioſos omnes Romano Pontifici Chriſti in terris Vicario obedientiam præſtare. Ex contextu liquet, non omnes Sorores ita reſpondiſſe, ſed quinque, vel ſex; nunquam enim deſunt ingenia turbulenta, quæ alios excitent ad rixas, maxime ſi externis auxiliis muniantur, ut accidit in illis locis, ubi *Tertiariis Sororibus plurimis reclamantibus non deerant Epiſcopus Trajectenſis, & inter Capituli Patronos præcipuus Adrichomius*.

XLV. Interea, inquit Auctor, *efferatus* Bilgoenius in Miniſtram Sorores excuſare ſatagentem diras evomit, & dicit *Excommunicamus omnes, & ſingulas*. Pippinus, & Confeſſarius inclamant: *Totum Conventum excommunicamus*. Nollem, hæc ſimilia eſſe armatæ illi manui Ducis Albani; ex una enim parte, improbabile prorſus eſt, viros Religioſos non infimi ſubſellii, & in primis Confeſſarium Ducis Albani ita ſe geſſiſſe; ex altera ineptum, Sorores bis fuiſſe abſolutas; primo quidem ab Adrichomio eadem ferme hora, qua dicuntur excommunicatæ, & die poſtero a Luca de Alvaro Confeſſario. In quibus narrandis adeo curioſus eſt Auctor, ut ſcrutetur ſermones habitos a Minoritis inter cœnaudum coram pluribus e Magiſtratu Delphenſi. Ait, inibi actum de rebellione Monialium, eamque ſic exaggeratam fuiſſe, ut Couventus ea propter mereretur funditus everti, & propterea Prætor, & cæteri e Senatu omnino agerentur. Maxima ſiquidem Minorum potentia, quæ metum incuteret Prætori, & Senatoribus Civitatis, horumque ſimplicitas, qui verbis inter pocula prolatis fidem adhiberent.

XLVI. Clariſſæ Monaſterii S. Michaelis, ſeu Claræ Tridenti in ſuburbio S. Crucis deſierunt Minorum Conventualium juriſdictioni ſubeſſe, & ab Epiſcopo acceperunt Confeſſarium Petrum Benalium de Avolo Manſionarium Eccleſiæ Cathedralis Tridentinæ. Scio, rem hanc Sigiſmundum Caballum de Cuneo Pedemontanum, referre ad annum 1630., & Hieronymum Caſſinam Tridentinum ad annum 1600. At penes nos exſtant Catalogi Confeſſariorum, & Capellanorum, in quibus ultimus Confeſſarius Minorum Conventualium anno 1569. notatur Frater Ste-

Caballus Orb. Seraph. part. 1. tom. 1. pag. 456. Caſſina in ſupplici libello ad Sedem Apoſtol. an. 1744.

Stephanus de Aſolo Diœceſis Tarviſinæ, & ultimus Capellanus anno 1566. Frater Antonius de Setia. In novemdecim jam vulgatis Annalium Ordinis tomis mentionem nullam invenio de hoc inſigni loco, et vetuſtiſſimo, quem unum ex quatuor erectis tempore S. Matris Claræ aſſerere non dubitat Michael Angelus Marianus. De ipſo alibi, data opportunitate, loquemur, ſicut de altero SS. Trinitatis.

Marianus in *Trento* pag. 549.

XLVII. In oppido Aſſori Diœceſis Catanenſis Virginia Valguarnera Comitis Pontii Germana fundavit Monaſterium Sororum Tertii Ordinis Franciscani, ſub titulo S. Claræ, in qno ipſa religioſe vixit. Ædificium erectum eſt conſilio, & opera Fratrum Tertii Ordinis, quibus Domini de Valguarnera donarunt Eccleſiam cum habitatione octo circiter milliaribus ab Oppido nuncupatam ab eorum cognomine Valguarnera. Burdigalæ in Aquitania Antiquiori Franciscus Hortius reſtauravit Monaſterium SS. Annuntiationis, fundatum tempore Leonis X. ſub titulo B. Virginis ſeptem Dolorum a Jacobina ex familia Lanſascorum, accerſitis aliis fundatricibus ex Albigenſi Cœnobio Annuntiatarum. In Monaſterium migrarunt Urbaniſtæ aliquæ ejusdem Oppidi ad paucas redactæ.

Sicilia Sacr. tom. 1. pag. 595.

Gonzaga inProv. Aquitan. Antiq. Mon. 6.

XLVIII. Monaſterium Divi Vincentii de Beira in Proviucia Portugalliæ Religioſa Tertiaria Theodoſia a Paſſione Sororum Tertii Ordinis de Almeida antea Præfecta, in paterno ſolo propria induſtria hoc anno, prout optaverat, poſuit, in quo degunt XLV. Moniales. Munificentia Pauli Bonamici Julii III. Archiatri a fundamentis excitata eſt Eccleſia Monaſterii S. Claræ Reatis. Referunt membranæ vetuſtæ, loci Abbatiſſam imperaſſe cadaveribus, quibus oppletum erat ſepulchrum poſt tergum Majoris Altaris, ut ſpatium aliis tumulandis præberent, ingentique fragore exiguum angulum illa occupaſſe.

Emmanuel a Monte Oliveti Chron. pag. [illegible].

Ex Archivo S. Franciſci Tranſtiberim.

XLIX. Hoc tempore in Eccleſia Cœnobii Obſervantium S. Mariæ Recommandatæ, ſeu de Miraculis Lilybæi miraculorum initium incœpit, quod fracta lampadis accenſæ catenula, ipſa, licet vitrea in pavimentum lapideum impingens, intacta cum oleo, & aqua, ut prius accenſa remanſit. Petrus Diaz de Toleto accepit a Pontifice Reliquias, quibus ditavit Eccleſiam Cœnobii S. Petri Confuegræ Provinciæ S. Joſeph ab ipſo poſtea conſtructi. Rodericus de Mexia, & Iſabella de Mendoza ejus conjux acceperunt Reliquias SS. Martyrum Alberti, & Athanaſii inferendas in Eccleſiam Cœnobii S. Alberti, ſeu Gilberti de Monte in Provincia Angelorum juxta ruinas Civitatis Buzia, vel Buciegas, una leuca ab Oppido S. Euphemiæ. Minus vere ſcribit Gonzaga, has Reliquias fuiſſe SS. Albani, & Anaſtaſii, & Gonſalvam a Mexia Guardianenſium Marchionem pronepotem alterius Gonſalvi habuiſſe in Uxorem Iſabellam a Mendoza, quum ejus Uxor fuerit Anna Manrique filia Comitis de Paredes. Hoc ordine ſe res habet. Gonſalvus de Mexia Carillo fundator prædicti Cœnobii, & Dominus S. Euphemiæ, contra Mauros, & Luſitanos pugnavit in exercitu Ferdinandi, & Iſabellæ. Rodericus ejus filius duxit Dominam Major de Fonſeca filiam Dominorum Cocæ, & Allienos. Gonſalvus de Mexia Carillo ejus filius duxit Annam Manrique præfatam. Rodericus de Mexia Carillo ejus filius ſecundus Marchio Guardianenſium duxit Iſabellam de Mendoza.

Sicilia Sacra tom. 2. not. Eccleſ. Mazaren. pagina 885.

Gonzaga inProv. S. Joseph con. 14.

Idem inProv. Angelorum con. 9.

Andreas de Guadalupe lib. 5. cap. 9. pag. 225. & seq.

L. Sebaſtianus Rex Portugalliæ quæſiverat a Senatu Veneto Reliquiam S. Antonii Patavini, a quo hoc anno, teſte Waddingo, accepit partem brachii cum ſolemni, & ſplendida legatione illi miſſam, quam in theca pretioſa collocatam repoſuit Ulyſſipone in Eccleſia S. An-

Annales Min. an. 1566. num. 18.

Acta SS. ad diem 21. Junii cap. 7. Append. 5. pag. 745.

Antonii. Rem hanc negat Georgius Cardoſus in Hagiologio Luſitano apud Scriptores Actorum SS., ubi contendit, Regem nihil petiviſſe, nec ei quidquam datum. Quæ vero Ulyſſipone habetur pars in arcula argenti inaurati incluſa, eam eſſe ait partem ſacri verticis, cui etiam nunc adhæreant Coronæ clericalis capilli. At exſtat inſtrumentum publicum in Appendice ad Theſaurum Paduanum Petri Savioli, ex quo, licet annus a Waddingo aſſignatus non indicetur, ſed annus 1579., & dies 20. Januarii, conſtat Sebaſtiano miſſam particulam de fragmentis extra Arcam Sancti ſervatis. An vero hujuſmodi particula fuerit oſſis humeralis, ſeu brachialis, ex inſtrumento non eruitur, ſecus ac Waddingus, & alii cenſent.

Joannes a S. Antonio in Biblioth. Franciscana Lit. M.

LI. Digeſtam a ſe juſſu Andreæ Inſulani Miniſtri Generalis, poſt luſtratam Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, atque Italiam, Hiſtoriam, ſeu Chronicam Fratrum Minorum abſolvit his temporibus Marcus Ulyſſiponenſis, operiſque in tres libros diſtributi poſtrema pars edita eſt hoc anno Salmanticæ typis Alexandri de Cannia. Prima pars prodierat Ulyſſipone anno 1556. dicata Joanni III. Portugalliæ Regi. Editionem ſecundæ partis invenio factam in eadem Civitate anno 1615. Tranſtulit opus ex Luſitana in Italicam linguam Horatius Diola Bononienſis Minorita, utque ſcribit Joannes de S. Antonio in Bibliotheca Franciſcana, ipſum edidit Parmæ anno 1566. typis Eraſmi Viotti præfixo titulo: *Hiſtoria Ordinis Minorum Illuſtris. D. Marci de Lisboa Epiſcopi Portuenſis*. Ignotum eſt, quomodo Epiſcopus Portuenſis dici poterit Marcus eo anno, quum Epiſcopatum Portuenſem non obtinuerit, niſi a Gregorio XIII. an. 1581. Suſpicor itaque, a prædicto Auctore Bibliothecæ Franciſcanæ hujuſmodi titulum appoſitum. In linguam Hiſpanicam primam partem tranſtulit Didacus Navarro Toletanus Provinciæ Caſtellæ alter a Didaco Navarro, qui hiſtoriam conſcripſit Provinciæ Granatenſis, ad quam pertinebat. Secundam partem in eamdem linguam Hiſpanicam Philippus de Soſa Provinciæ Bæticæ editam Compluti anno 1566. apud Andream de Angulo. Totum opus in linguam Gallicam Joannes Blancona excuſum primum Pariſiis anno 1601. apud Robertum Fovet.

Ibidem Lit. B.ee. & apud Wa dingum de Scrip. Ord.

LII. Literis florebant viri alii. Didacus Valades Hiſpanus ſcripſit Epitomen Magiſtri Sententiarum, & Rhetoricam Chriſtianam ad concionandi, & orandi uſum accommodatam pulchris Iconibus, Indorumque, inter quos fuerat, exemplis refertam. Joannes Balanius Minor Conventualis typis commiſit Expoſitionem S. Bonaventuræ in librum Sapientiæ, & Lamentationes Hieremiæ, Indicem in omnes elucidationes S. Bonaventuræ ſuper quatuor libros ſententiarum, & opus Petri Tatareti in Phyſicam, Metaphyſicam, & Ethicam Ariſtotelis. Joannes a Fonte, ſeu de la Fuente, Toletanus ſcripſit Libros quindecim in Evangelium Marci, viginti ſex Homilias ſuper Pſalmum Quinquageſimum, librum de Spe, & Timore Chriſtiano, idiomate Hiſpanico, & librum *Arbor vitæ*, licet aliqui dubitaverint, an hoc opus diverſum ſit ab altero, cui titulus: *Septentrio Animæ*, cujus meminerunt Nicolaus Antonius, & Salazarius in Chronicis Provinciæ Caſtellæ. Fuit Guardianus Conventus Scalonæ. Alter Joannes a Fonte, qui præfuit Conventui Spei Occaniæ, ſcripſit Orationem paræneticam pro pura, & ſincera Evangelii prædicatione, & dum in Gallia apud Montem Peſſulanum Theologiam doceret, ſcripſit Commentarium ſuper quatuor Libros Sententiarum. Waddingus hunc non Hiſpanum facit, ſed Gallum. At Bibliotheca Franciſca-

ciſcana diſtinguit tres Joannes a Fonte, duos Hiſpanos, tertium Gallum, qui quum dicatur S. Theologiæ Profeſſor in Monte Peſſulano, & Auctor Concluſionum, ſeu Determinationum in quatuor Libros Seutentiarum, exiſtimo Hiſpanum ſecundo memoratum eumdem eſſe cum illo, de quo loquitur Waddingus. Joannes Forſanus Theologus Pariſienſis ſcripſit Reſolutiones in eoſdem Sententiarum Libros, eaſque correxit, quas ediderat Melchior Flavius. Joannes Le-love ſcripſit Commentarium in Formalitates Scoti. Joannes a Monte Calerio Capuccinus Topographiam Provinciarum ſui Inſtituti. Ludovicus Granatenſis Collectionem Philoſophiæ Moralis. Maſſæus ignoti cognominis Manuale rerum omnium eſſentialium, ad quas vi Regulæ tenentur Fratres Minores. Narciſus Juani Tractatum de Oratione, & Legibus Spiritus. Joannes Salon Laicus Valentinus Hebraicæ linguæ, & Aſtrologiæ peritiſſimus ſcripſit de Emendatione Calendarii Romani, & Reductione Paſchatis ad propriam diem, quæ reſtituta eſt a Gregorio XIII. Præterea Speculum Aſtrologicum ad ſanguinis emiſſionem, & Medicinæ uſum, opus commendatum in Bibliotheca Valentina.

LIII. Felix Peruzinus, ſeu Pranzinius, Magiſter Minorum Conventualium ſucceſſit Petro Futio in Officio S. Inquiſitionis Senarum, præfuitque biennio. Inſtante pro Catholico Rege Cardinali Pacheco, Summus Pontifex in Conſiſtorio die 10. Maji erexit in Cathedram Epiſcopalem Eccleſiam Tucumani in America Meridionali, & Audientia de Buenos Ayres, ad eamque Epiſcopum promovit Franciſcum Belmonte: *Apoſtolatus Officium*. Die 10. Maji; ejuſque loco poſt paucos menſes defuncti ſubrogavit Hieronymum de Albornoz: *Apoſtolatus Officium*. Sexto Idus Novembris. Ad Eccleſiam Carthagenæ in eadem America Meridionali vacantem per obitum Thomæ de Toro Ord. Prædicatorum, Aloyſium Zapata de Cardenas Commiſſarium Generalem Peruviæ, quem Rodulphus appellat Ludovicum Capara, translatum die 8. Novembris ejuſdem anni ad Eccleſiam Archiepiſcopalem S. Fidei, olim S. Marthæ, Rodulphus lib. 2. pag. 255.
Ad Eccleſiam S. Joannis Inſulæ Portus Divitis Emmanuelem de Mercado: *Apoſtolatus Officium*. Pridie Nonas Septembris. Ad Eccleſiam Aladenſem in Hibernia vacantem per translationem Remundi ad Eccleſiam Derenſem, Donatum Oghalcur: *Apoſtolatus Officium*. Pridie Nonas Septembris. Ad Eccleſiam Cathacenſem in Calabria Mediterranea Angelum Averſanum Belgio Commiſſarium Apoſtolicum, ab Ughello dictum Angelum Horabona: *Apoſtolatus Officium*. Pridie Idus Aprilis. Ad Eccleſiam Litterenſem in finibus Mediterraneis Terræ Laboris Aurelium Grianum de Urceis Novis, non Urciſonis, ut ſcribit Ughellus, nec ab Urtunovo, ut Rodulphus, Miniſtrum Provinciæ Marchiæ: *Apoſtolatus Officium*. Sexto Idus Novembris. Monumenta Provinciæ Brixiæ.
Errant itaque Pater Caraccia, qui Aurelium ſcribit Epiſcopum Velitrenſem, Fainus, & Auctor Chronicæ Minoriticæ Brixianæ, quorum ille electionis annum ſignat 1568., alter 1571. Fainus in Cælo Brixianopag. 117.
In actis Conſiſtorialibus lego: „ Die Octava Octobris MDLXX. fuit Conſiſtorium, in quo SS. D. Noſter propoſuit Eccleſiam Litterenſem vacan- Acta Conſiſtor. anno 1570.
„ tem per obitum Philippi Faſii menſibus præteritis pro Fratre Aure-
„ lio de Urceis Novis Fratrum Minorum de Obſervantia Miniſtro Pro-
„ vinciali Provinciæ Marchiæ, qui ſibi alias in commiſſione data a
„ Cardinali S. Officii contra Victorem Superantem Epiſcopum Bergomenſem opem, & auxilium, & equitatum præſtitit in aufugiendo
„ periculum, & providit gratis „. Ad Eccleſiam Daventrienſem in Tranſiſalania, non Trauſylvania, ut ait Rodulphus, quæ eſt una ex ſeptem

Bel-

Belgii confœderati Provinciis ad fluvium Ilalani, Ægidium de Monte: *Apoſtolatus Officium*. Tertio Idus Auguſti: „ Hic, inquit Miræus, Pe- „ rueto Gallo-Brabantiæ municipio oriundus Ord. Fratrum Minorum, „ & Provinciæ Belgicæ actualis Provincialis anno MDLXX. die XXIX. „ Octobris conſecratus eſt Epiſcopus Daventrienſis. Præfuit tempore „ turbulento, magno zelo, & ſtudio. Obiit Swollis die XXVI. Maji „ MDLXXVII. ſepultus Daventriæ in æde Cathedrali „.

Aubertus Miræus oper. diplom. tom. 2. cap. 228. pag. 797.

LIV. Inter S.R.Eccleſiæ Purpuratos cooptatus eſt Felix Perettus Epiſcopus Agathenſis Ord. Minorum Conventualium: *Romana Eccleſia*. XVI. Kal. Junii, titulum ſortitus S. Hieronymi Illyricorum, vel, juxta Ughellum, S. Simeonis. De magno hoc viro, cujus ſolum nomen ampliſſima eſt panegyris, & gloriæ monumentum perpetuo apud homines duraturum, multi multa ſcripſerunt portentis ſimilia, ut accidere ſolet in rebus, quæ viros extraordinarios reſpiciunt. Ut enim miuuta miſſa faciamus, non paucæ de ipſo ſabellæ circumferuntur, nec pauca habent Gregorius Leti, & Antonius Maria Bozius Prior Eccleſiæ S. Jacobi Tolentini, cui tribui ſolet MSS. Vitæ Sixti V. ab anno 1548. ad annum 1570., nugis, & ineptiis plena, atque inſuper ſactis undequaque mirandis. Sunt qui nobili genere ortum autumant; alii ignobilem, & inglorium contendunt armentorum curæ a pueris deſtinatum. Mea quidem ſententia, homo, cujus conditio in diſceptationem adducitur, tantum abeſt a ſanguinis nobilitate, quantum ab obſcuritate nobilitas, quæ in aliorum opinione conſiſtens, nulla eſt, niſi agnoſcatur. At Caſimirus Tempeſti in eo totus eſt, ut pluribus monumentis Peretti nobilitatem in aperto collocet, a quibus diſcedere non poſſumus, ut cum Fleurio, qui oppoſitum tuetur, ſentiamus, niſi prius conſtet, Caſimirum ſalſa retuliſſe, aut ſaltem eam hominibus Sæculi XVI. voluptatem, geniumque inhæſiſſe, ut genealogias pro lubitu confingerent; dicere namque: Caſimirus a communi opinione recedit; ejus opus non eamdem laudem apud eruditos obtinuit in hac parte, ut in reliquis. Fleurius hiſtorica ſinceritate niti videtur; ejus Biographia veritatis exhibet inditia; id ſane nec illum ſalſa, neque hunc vera narraſſe demonſtrat. Eo ratiocinio utitur Laurentius Cardella, ut Fleurium ſequatur, licet non oſtendat, in quonam ſita ſit hiſtorica Fleurii ſinceritas, & quænam ſint veritatis ab eo narratæ inditia; eodemque tempore Caſimiri ſententiam ſe nec reprobare, nec amplecti declarat; quorum verborum ſenſum ego certe diſtincte non aſſequor; unius enim ſententiæ adhærere idem arbitror, ac alterius ſententiam oppoſitam reprobare, eamque non ſolum non amplecti, verum etiam totis viribus a ſe longiſſime repellere.

Cardella *Mem. Storiche de' Cardinali* tom. 5. pag. 137.

LV. Natus Felix anno 1521. die 13. Decembris Parentibus Petro Gentili Peretto de Monte Alto, & Maria Auna de Camerino, vel in Oppido Montis Alti, vel in Oppido Cryptarum ad mare in Piceno Meridionali, Ordinemque Minorum Conventualium ingreſſus adoleſcens annorum decem, maximam doctrinæ, & eruditionis laudem ſibi comparavit in præcipuis Italiæ Urbibus, ubi ſacram facultatem legit, diſertiſſimaſque conciones habuit. Anno 1549., non 1548., ut ſcribit laudatus Cardella, adſuit Comitiis Generalibus Aſſiſii celebratis. Anno 1557. egit Inquiſitorem Venetiis, atque inde, multis obortis contra ipſum turbis æmulorum cauſa, Romam accerſitus Lectoris Archigymnaſii Romani, Theologi Concilii Generalis, & Conſultoris S. Officii,

quam

quam dignitatem Minores Conventuales tunc primum adepti ſunt, munera obivit. Ad alia quod attinet, jam de eo loquuti ſumus. Virum eximium purpura condecoratum Cardella refert, agens de promotione facta a Pontifice die XVII. Maji anno MDLXX. Neſcio autem, quomodo cum hac epocha conciliari queat id, quod addit, nimirum anno MDLXXI., poſt duos annos, ut ſcribit, a promotione, Epiſcopatum Firmanæ Eccleſiæ eum aſſequutum.

Novaes in elem. Hiſtor. Sum. Pontif. tom. 4. pag. 508.

Cardella ibid. p. 112. & 138.

LVI. Lego in Diario Corradi Firmini: „ Anno MDLXX. die Lunæ „ XIII. Novembris SS. tenuit Secretum Conſiſtorium, in quo inter alia „ Reverendiſſimus Cribellius, dimiſſo titulo S. Joannis ante Portam Latinam, optavit titulum S. Mariæ de Aracæli. Habuit etiam ex gratia a „ Sua Sanctitate domos illius Eccleſiæ, in quibus SS. D. ſtare aliquando ſolebat in æſtate, & quoniam pauci erant tituli, titulus dictæ „ Eccleſiæ fuit ipſi datus „.

Ex Biblioth. Chiſiana.

LVII. Moderandam ſuſcepit Provinciam Hungariæ S. Salvatoris Emericus de Toris ſeptimo electus Miniſter in Comitiis Gyongyoſini. Diffinitores Capitulares dicti ſunt Laurentius Koloswar, Emericus de Toris, Joannes de Ncagots, Thomas de Mohats, Quintus Arbiter, ſeu ſuperintendens, Demetrius de Steplak. Diſcretus Capitularis Joannes de Magots, idemque Commiſſarius, qui Provinciam adminiſtraret, ſi ante Comitia capite ſuo orbaretur. Numerabat ipſa hoc tempore tres tantum Cuſtodias, videlicet Szegenienſem cum tribus domibus in Lypto, Szakolcza, & Galgienz; Strigonienſem cum duabus domibus Gyongyoſienſi, & Szegedienſi; & Tranſylvaniæ cum duabus item domibus Czykienſi, & Bakovienſi in Moldavia. Ab hoc anno incipiunt Necrologia, non ſatis tamen anno, & die indicatis, errorque in ſubſequentis ſæculi catalogis utcumque eſt emendatus.

Monumenta Provinciæ S. Salvatoris.

LVIII. Paulo de Carticeto, quem Pontifex Commiſſarium delegaverat ad viſitandam, & reformandam Provinciam Marchiæ, additur ſocius Sanctes de Orta alumnus Provinciæ Romanæ, qui conſiliorum, & laborum conjunctione opus promoveant, & celebrent Capitulum Provinciale: *Nuper per noſtras*. Die 14. Januarii. Capuccini in Comitiis Generalibus Vicarium confirmant Marium de Foro Sarſinio, & Procuratorem Generalem renuntiant Hieronymum de Monte Florum. Injungitur Joanni Pico Vicario Generali Minorum Conventualium, ut convocet Capitulum Generale habendum inſequenti anno in Civitate Camerini: *Cupientes pro noſtri*. Die 14. Novembris.

LIX. Dominicum agrum in Indiis Orientalibus Minores hoc tempore una cum Prædicatoribus, & Jeſuitis ſedulo excolebant, quos proinde Summus Pontifex commendavit ſpecialibus literis Gaſparo Archiepiſcopo Goano: *Provinciale Concilium*. Die 1. Januarii. Invenio in Aquitania Recentiori ab Hugonottis, dum Cœnobium Condomienſe excinderent die 8. Auguſti, Raymundum Rædanum, ſeu Roldanum, enſe percusſum, atque extinctum, dumque direptionem inſerrent in Cœnobium Bergeracenſe die 30. ejuſdem menſis, occiſum Petrum Toelatum Sacerdotem, utrumque in odium Catholicæ Religionis. In Belgio a Geuſiis diris tormentis excruciatum, & necatum Voislaum Belgam Provinciæ Flandriæ Alumnum ob conſtanter aſſertam Euchariſticam præſentiam, & Romani Pontificis auctoritatem. Ruræmundæ in Gheltria direptæ ſunt in Eccleſia Minoritica aræ, & Martyrum ſepulturæ, Clariſſæ, aliæque Moniales per vim abductæ, & in ipſis quoque plateis

Daza lib. 3. part. 4. cap. 58.

Gravina in voce Turturis, art. 2. cap. 14.

Picquetus in Catal. virorum Illuſtrium.

infandæ militum libidini expoſitæ, ac demum horrenda barbarie jugulatæ; cæleſtiſque iræ ſigna innotuerunt, immiſſione Oceani in ea loca, & ſubmerſione Oppidorum, hominum, armentorum, mercium, rerumque incredibili exitio.

LX. Martyres quoque in Hibernia occubuerunt Donatus Orvairk, Edmundus Simon, & Joannes O Lorcan Cœnobii Dunenſis alumni. Hic poſtremus, Hæretico Brictono ex Anglia cum militum cohorte in illas regiones irrumpente, & Fratres Minores domibus ejiciente, ſub ſæculari indumento deprehenſus patibulum ſubiit die 21. Januarii prope fontem gloriæ, ubi S. Patritio Hibernorum Apoſtolo Angelorum apparitionem factam narrant. Similiter Dionyſius O Mulruony Sacerdos, duoque ejus ſocii a Calvinianis ſatellitibus trucidati ſunt. Mirum illud, quod, quum Dionyſio crebris ictibus, & vulneribus caput amputarent, nulla ſanguinis gutta efflueret, quo perciti Carnifices membratim corpus diſſecuerunt, neque tamen, quem ſitiebant, ſacrum cruorem meruerunt intueri.

Arturus ad diem 21. Januarii.

Annales Min. an. 1471. num. 19.

LXI. Eliſabeth, & Anna filiæ Maximiliani Cæſaris conjugio junctæ ſunt, illa Carolo IX. Galliarum Regi, altera Philippo II. Regi Hispaniarum. De prima, quum humilitatis gratia Tertiæ Franciſcanorum Regulæ ſe adſcripſerit, celeberrimum Monaſterium Viennæ fundaverit, ſancteque vitam duxerit, & cum ſanctitatis opinione quieverit, plura dicenda erunt deinceps. Nata eſt Viennæ anno 1554. die 15. Junii ab Epiſcopo Agrienſi ſacro fonte abluta. Cum annis crevit in ea pietas, modeſtia, innocentia, & in primis miſericordia erga pauperes, quibus juxta Aulam tranſeuntibus ſapidiora de ſuis dapibus, quæ frequentius ſibi ſubtraxerat, clanculum ſervata projicere, & eorum neceſſitatibus juxta vires datas ſubvenire ſolebat. Semel, ut horum inopiam ſublevaret, nodulos ſive aureos, ſive argenteos a ſuis veſtibus avulſos illis diſtribuebat, & quum aliquando a ſuprema Aulæ Magiſtra ratione hujus corriperetur, ſenſate reſpondit, nodos ſibi e manibus cadere, ſibique non eſſe poſſibile illos retinere. Ætate tenerrima, ut ſæpe ad Deum preces ſunderet, nocturno tempore clam de lectulo ſurgere conſuevit, nemine hujus rei, niſi unica ſamula conſcia, quæ delicatæ puellæ miſerta rem Aulæ Magiſtræ aperuit; quo factum eſt, ut hæc Ancillis interdixerit, ne ulla Arcbiduciſſæ cubile eam excitatura ingrederetur. Eliſabeth pio aſtu hoc interdictum eluſit; etenim per foramen lignei parietis ſuum ab Ancillis cubiculum ſejungentis, funiculum aptavit pedibus ſuis annexum, ut famula, quæ hoc medio ipſam excitaret, vere dicere poſſet, ſe in Archiduciſſæ ædem noctu pedem non fixiſſe. In ſtatu conjugali novo ardore animum ſuum excolere, & ſubditos ad Dei amorem, & timorem verbo, atque exemplo allicere ſategit.

Greiderer lib. 3. num. 311.

LXII. De Regiis Nuptiis in Hiſpania menſe Octobri celebratis, aſſiſtente ad ipſas Bernardo de Freſneda Epiſcopo ſuperius memorato, Joanna ab Auſtria Fundatrix Excalceatarum Regalium Matritenſium, literas dedit Valentiam ad Marchioniſſam de Navarres, remque hæc narravit Petro Nicolao Factor, qui lætabundus: *Modulemur*, inquit, *hymnum Te Deum in gratiarum actionem Deo Domino noſtro*, Hymnoque expleto iterum dixit: *Agamus grates Deo, quoniam antequam rurſus celebremus feſtivitatem magni noſtri Advocati S. Vincentii Ferrerii, nova Sponſa pariet Infantem, qui vocabitur Ferdinandus*. Quod ita evenit, ut prædixit.

Compafiy Vita B. Nicolai Factor lib. 3. cap. 3. pag. 249.

LXIII.

Anno Christi	Pii V.	Maximiliani II.	Religionis Minorum
1570.	anno 5.	anno 7.	anno 363.

LXIII. Mauri in Regno Granatenſi, conſtituto ſibi Rege Ferdinando Valorio ſub nomine Mahumedis Aben Humejæ, in apertum bellum eruperant, quos nequicquam Petrus Nicolaus Factor ad Chriſti fidem adducere tentavit ferventiſſimis concionibus, propoſitoque ipſis ignis experimento ea conditione, ut ſi illæſus a flammis exiret, Mahumedanam ſuperſtitionem abjurarent; quod Infideles acceptare renuerunt, metuentes ſcilicet, ne miraculis fortaſſe coacti forent Catholicæ Religionis divinitatem fateri. Abula tranſiens Hiſpalim verſus Philippus II., ut horum tumultus compeſceret, decrevit inviſere Cœnobium S. Mariæ Angelorum de Hornachuelos motus ſanctitate loci, & ſingularitate montium adjacentium *de la Sierra Morena*. Ante Sacellum S. Angeli Cuſtodis, ex quo Cœnobium detegitur, equo deſcendit, pedibus viam aggreſſus per deſertum ſcopuloſum de Poyato, cujus finem anguſtus trames excipit inter ſylveſtres rupes malleo deciſas, ſaxis undique prominentibus. Hic Aulici Regem rogarunt, ut equitaret, quum perdifficilis foret ad locum acceſſus. Quibus ille: „ Non abnuo, ut paullulum fatiger; quandoquidem Sancti iſti Fratres tot labores quotidie ſuſcipiunt. Eamus. Non debent Principes ad tam ſanctum, & devotum receſſum accedere cum faſtu, & majeſtate. Hoc, quod agam, parum eſt. Oportet, ut Principes bene moratos ſe omnibus præbeant, iisque maxime, qui perfectionem profitentur, ut eorum opera probent, & ſequantur exempla „.

Proces. Valentin. num. 4. pag. 21.

Andreas de Guadalupe lib. 3. cap. 13. pag. 79.

LXIV. Quum ad locnm perveniſſet, intravit Eccleſiam, factaque oratione ante SS. Euchariſtiæ Sacramentum, Cœnobium luſtravit, & dixit: „ Monaſterium Dominæ Noſtræ de Monte Serrato eſt Capſa. Hoc S. Mariæ Angelorum eſt Margarita „. Animadvertens, incommode Fratres anguſtis in ædibus habitare, declaravit, ſe in animo habere fabricam augendi novorum cubiculorum conſtructione. Illi tamen Regi ſupplicarunt, ut nihil immutare vellet, ſe enim forte ſua eſſe contentos, & nihil malle, quam in paupertate, & humilitate vitam traducere. Quibus Rex ait: „ Probitatem veſtram haud lædam. Neceſſe tamen eſt, ut, quoniam huc veni, reddam teſtimonium virtutis veſtræ. Debeo Rex omnibus benefacere. Bonum eſt quod cogito; id perficiam; res enim meæ, & exiſtimatio id expoſtulant „. Hinc, magnificis ornamentis Eccleſiæ relictis, curavit quatuor fieri cubicula cæteris ampliora, quæ Regium Hoſpitium dicta ſunt, Regio ſtemmate appoſito. Alia vice, eademque ex cauſa hoc idem Cœnobium viſitarunt Ferdinandus, & Iſabella, vivente adhuc Joanne de Popula primo Recollectorum Patre in Hiſpania, & fundatore ejuſdem Cœnobii; qua occaſione privilegiis pluribus, expedito diplomate in Civitate Hiſpalis anno 1594., locum ditarunt.

De Guadalupe ibid. cap. 2. p. 55.

Cimarelli lib. 2. cap. 12. part. 4.

LXV. Adverſus Turcam Cypri Regnum invadentem paratæ ſunt Claſſes in Italia, & Hiſpania. Ducum tamen contentionibus, & diſcordia nihil actum. Sacro proinde fœdere inito inter Pontificem, Regem Hiſpaniarum, & Venetos, Inquiſitorem Generalem in exercitu Catholico inſtitutum Michaelem Servian Minoritam Provinciæ Majoricarum hæ literæ oſtendunt.

Nos Dominus Hieronymus Manrique auctoritate Apoſtolica in claſſe, & exercitu Sua Majeſtatis Inquiſitor, & Vicarius Generalis ec.

Quoniam non poſſumus perſonaliter aſſiſtere, ſicuti in præſentiarum Nobis impoſſibile eſt, in exercitu, & adminiſtratione Officiorum, quæ Nobis in-

cumbunt, & quum illa ad Domini Noſtri, Suaque Majeſtatis ſervitium tanti momenti ſint, expedit, & opus eſt, illa committere alicui perſonæ literis, & bona conſcientia prædita, quæ nomine noſtro illa adminiſtret, uſque dum Majeſtas Sua aliquid provideat. Quapropter freti exemplo, & experientia, quam habemus de Te A. R. P. Fr. Michaele Servian Sacræ Theologiæ doctore, & Sereniſſimi Joannis de Auſtria Confeſſario, qui reliquis qualitatibus ad hunc effectum neceſſariis ornatus es, tenore præſentium te nominamus, creamus, & inſtituimus in Locumtenentem, & Commiſſarium noſtrum in claſſibus, & exercitibus, quæ ſub Sereniſſimo Domino D. Joanne de Auſtria militant, ut procedere valeas contra omnes, & quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares, quæ in delictis ad noſtram Jurisdictionem Inquiſitoris, & Vicarii Generalis pertinentibus, deliquerint, ſecundum inſtructionem, quæ a Nobis tibi communicanda erit, & in omnibus ſupra dictis, ſicut expoſitum eſt, Tu periculum ſubibis, ſi res male ceſſerit, & conſcientiæ cauſa teſtamur, Nos tibi committere omnes noſtras vices, & facultatem noſtram, quam in hac parte a Sancta Sede, & a Sua Majeſtate habemus, tibi impertiri in omnibus ad hunc effectum ſpectantibus. Petimus interim, & precamur omnes Dominos Suæ Majeſtatis Duces, qui in hac claſſe, & exercitu militant, habere Te in ſupradictis officiis ut talem Commiſſarium, & Locumtenentem noſtrum, tuamque perſonam venerari, ſicut juſtum eſt, dantes tibi, te poſtulante, id omne, quod ad miniſterium tuum obeundum neceſſarium viſum fuerit, & advertentes, beneficium hoc non ſolum Domino Deo noſtro gratum eſſe, ſed inſuper Majeſtati Suæ. In quorum fidem præſentes dedimus nomine noſtro ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas &c. Datum Januæ die IV. Maii anno MDLXX.

Dominus Hieronymus Manrique.

LXVI. Occaſione hujus belli, ex mandato Summi Pontificis, Hieronymus Piſtorienſis, vulgo Tinugius Ordinis Capuccinorum in Cretam transfretavit, ubi triginta ſocios expectare debebeat; nec multo poſt in ægrotorum peſte laborantium cura occubuit, vir inſignis, quo Pontifex Theologo, & conſiliario uſus eſt in graviſſimis Chriſtianæ Reipublicæ negotiis. In ſæculo uxorem habuerat, qua defuncta, Minoribus Obſervantibus ſe adſcripſit, deinde ad Capuccinos convolavit, quos inter Diffinitoris Generalis munus exercuit. Thomam de Tipherno ſocius ſequutus eſt ad Concilium Tridentinum, ubi nonnullos diſertiſſimos ſermones habuit ad Patres. Prælo mandavit opera S. Bonaventuræ vetuſtate fere conſumpta. Reliquit viginti quatuor lectiones de quantitatibus, rerumque diſtinctionibus, & formalitatibus Scoti; librum ſermonum de prædeſtinatione, variiſque fidei myſteriis; quatuor conciones de Immaculata Conceptione Deiparæ. Sribit Boverius, eum Cardinalitiam purpuram ſibi a Pontifice oblatam recuſaſſe, & tranſtuliſſe in Julium Sanctorium Epiſcopum S. Severinæ; quod fieri quidem potuit; ſed ex Ciacconio habemus, Pontificem adeo libenter, et ex animo Julium inter Cardinales cooptaſſe, ut Cubiculario ſuo biennio ante quam id faceret, dixerit: *Vocetur Cardinalis S. Severinæ*. Hieronymi corpus idem Cardinalis Cajetam transferendum curavit, ut in Eccleſia Capuccinorum reconderetur.

Ciacconius tom. 3. pag. 1043.

LXVII. Secum duxit in Cretam Hieronymus Anſelmum de Petra Molaria, Joſephum de S. Agatha, & Ludovicum Belgam. Iter aggreſſus, in nemus devium incidit, neſcius quo tenderet, donec precibus Deo nuncupatis humile domicilium invenit, ubi hoſpitio a S. Joſeph, Deipara, & Puero Jeſu fuiſſe exceptum adeo verum eſt, ut teſtibus Boverio,

Digitized by Google

verio, & Arembergio, poſtquam tota nocte ſuaviſſimum ſoporem captaſſet, mane evigilans, amœno in prato rectæ viæ conjuncto ſe repererit, totamque ſylvam perluſtrans nullum domicilii veſtigium deprehenderit. Aderat ſecum Anſelmus, eorumque neuter conſideravit, periculoſum fore eam curioſitatem explere, & ſylvæ labyrintho iterum implicari, a quo dubium erat, an ſine novo miraculo egredi poſſet.

LXVIII. Stat eximio viro ſolida laus in ejus præclare geſtis, quin portenta in medium adducantur. Boverius Hieronymi tranſitus ab Obſervantibus ad Capuccinos cauſam affert, *quia collabentem apud ſuos regularis Obſervantiæ diſciplinam perpendens, ſeipſum tandem a naufragio eripere, & in tutam Capuccinorum ſtationem recipere cogitavit*; quaſi idem non eſſet, tam Obſervantes ad Capuccinos tunc temporis tranſiviſſe, quam Capuccinos ad Obſervantes non ſolum, verum etiam ad Minimos S. Franciſci de Paula. Ex quo ſane Capuccinos naufragium veritos inter ſuos aliorum portum ſecuritatis gratia petiviſſe arguere nullo negotio is poſſet, qui Boverio pares vellet vices rependere, & ſtulto juxta ſtultitiam ſuam reſpondere.

LXIX. Diſciplinæ relaxationem maxima cum voluptate Obſervantibus perpetuo objicit religioſus Annaliſta, cui ego minime dicam, Matthæum a Baſſo, ſeu Baſcio, ex Obſervantibus primum Capuccinorum Inſtitutorem, & Vicarium Generalem non alibi ſancte deceſſiſſe, quam inter Obſervantes, ad quos tandem rediit. Dum defunctus Fratrum humeris deferretur ad marmoreum tumulum in Cœnobio S. Franciſci de Vinea Venetiarum, tamquam ſi vitalem auram ſpiraret, dextro brachio extenſo, & digitis in benedictionis formam compoſitis, Crucis ſignum fecit in Fratres adſtantes Obſervantes mehercule, non Capuccinos. Factum narramus, quod ipse etiam Boverius narrat. Jam ſi vir ſanctus naufragii metu Obſervantes reliquit, majus profecto naufragium metuere debuit inter Capuccinos, a quibus ad ſuos remeavit. Beatus vero ejus finis, tota ferme Urbe ad ejus funus concurrente cum luminibus, votis, & incenſo, ita ut pro Sancto, (verba ſunt Aretini) ſit pluſquam canonizatus, oſtendit, Matthæi reditum ad Obſervantes rem optimam, Deoque placentem fuiſſe. Sed hæc antiquiora omittamus.

Boverius ad an. 1551.

Aretinus lib. 6. in Epiſt. an. 1552.

LXX. B. Petrus Nicolaus Factor ab Obſervantibus ad Capuccinos tranſierat tum ob famam auſteritatum, quas hos ex inſtituto exercere audiebat, tum ob humilitatem, ut conſtat ex Proceſſu pro ejus Beatificatione, & Canonizatione. Hoc alterum plene eum aſſequutum ex eo liquet, quod poſt regreſſum ad Obſervantiam in Civitate Tarraconenſi audiens ſe dici arundinem vacuam, cœpit ridere, & dixit: *Laus Deo, quia ego jam obtinui, quod deſiderabam, quum ſim arundo vacua*. Primo tamen ſine Sanctus minime potitus eſt; atque hinc quatuor circiter menſes inter Capuccinos permanſit. Conſultus deinde per literas a Joanne de Matrito, au expediret, ut ad majorem perfectionem exiret a Diſcalceatis, & confugeret ad Capuccinos, ſic ei reſcripſit: „ Jesus Ma„ ria, Dilecte Pater mi in Jeſu Chriſto Crucifixo Gratia, Amor, & „ Charitas Spiritus Sancti manſionem faciat in anima veſtræ Reveren„ tiæ. Viſa ſua litera, reſpondeo, quod ego redii ad Obſervantiam, & „ ad hanc domum de Jeſu à Civitate Barcinonenſi, & non exiſtens „ jam Capuccinus, neſcio quid illi dicere, præterquam animadvertat „ illud, quod pro ſe facit, quoniam iſtic habetur quantum deſiderare „ poſ-

In Proceſſu additionali. num. 20. pag. 14.

Ibidem num. 17. pag. 12.

„ poſſit, & roget pro hujuſmodi abominabili Fratre Nicolao Factor „. His literis a multis Fratribus receſſit tentatio, quam habebant, ſe inquietandi ſub prætextu proficiſcendi ad Capuccinos, ut majorem perfectionem acquirerent. Alias Fratri Lucæ Salas Diſcalceato Obſervanti, qui deſiderio tenebatur tranſeundi ad Capuccinos, dixit: *Bonis avibus veniat Frater Lucas, & hic mecum ſedeat ad comedendum. Dicat, cur vult ſe transferre ad Capuccinos exſiſtens in Provincia tam ſancta, & perfecta, quam ego tantum diligo, illamque defendi ab illis, qui illam deſtruere volebant? Animadvertat, quod ſi proficiſcetur, minime ſane eſt reperturus illic plusquam in ſua Provincia, & ita eſt reverſurus.* Utque dixit Sanctus, contigit.

LXXI. Non eum itaque Capuccinorum Ordinem Sanctus reperit, quem exiſtimaverat. Nihilominus, dum ad ſuos reverteretur, interrogatus a Fratribus Carthuſianis de Scala Dei, cur id ageret: *Egredior*, inquit, *ab hominibus totaliter Sanctis, & vado ad homines totaliter Sanctos.* Interrogatus a F. Franciſco Theologo Cœnobii Barcinonenſis S. Mariæ de Jeſu, an propter aliquid ſibi diſplicens Capuccinos deſeruiſſet: *Nullo modo*, ait; *nam Religio S. P. N. Franciſci eſt totaliter, & vere Sancta in omnibus membris ſuis. Patres Capuccini ſunt Sancti. Patres Obſervantes ſunt Sancti. Sancti ſunt & Conventuales.* En quomodo loquuntur homines Boverio diſſimiles, qui dummodo facta omnia veneno ſpargat, & in Obſervantes acerbe declamitet, Annales perfectiſſimos ſe elaboraſſe arbitratur.

Jacobus de Riddere in Speculo apologetico pag. 182. & ſeq.

LXXII. Non exiſtimo, admodum eſſe neceſſarium omnia minute exequi, quæ ad argumentum hoc pertinent; ſed quis vetat, ne cauſam accurate defendam, in quam me invitum conjicit Annaliſta? Michael de Clariona, licet Petrum Nicolaum maxime coleret, tamen poſt illius regreſſum a Capuccinis nunquam eum inviſere deſideravit, donec tandem mutata ſententia ad Cœnobium acceſſit, & ab illo diſertis verbis audivit, habitum Obſervantium perfectiorem eſſe habitu Capuccinorum. Loquentem audiamus: „ Dum quadam die ingreſſus fuiſſem ad deoſculandam illius manum, ut ſcivit quiſnam ego eſſem, ſubito valde „ ſincerus mihi dixit: Quare non veniſti ad inviſendum me? Eſtne quia „ ſumpſi iſtum habitum? Et ego confuſus appropinquavi, & deoſculatus ſum illius manum dicendo: Dico: mea culpa. Ille vero me amplexatus eſt, & iterum dixit: Quare non veniſti ad inviſendum me? „ Neſcis, iſtum habitum eſſe majoris perfectionis? Neſcivi quid dicere, „ niſi diſcedere cum capite demiſſo, miratus, quod ſciviſſet cogitatio- „ nem meam. Ut ſemper cogitavi, actum adeo mirabilem judicavi non „ fuiſſe abſque revelatione, & gratia ſuprahumana „. Lectores meos rogo, ut adhuc verbum unum, vel alterum ſuſtineant. Morti proximus Vir Dei antequam S. Synaxim reciperet, coram adſtantibus Fratribus ita eſt proloquutus: *Reus ſum, maximaque ſubjicior culpa, quod Sacram Franciſcanorum Obſervantiam ad tempus deſeruerim, & ad Patrum Capuccinorum Congregationem, quærens quod minus expediebat, tranſierim; licet hoc bono zelo ductus, ut Deus mihi teſtis eſt, fecerim. Quamobrem vos chariſſimos Patres, ac Fratres hortor, ut forte veſtra contenti ſitis; nam Minoritis Obſervantibus, ſi communem ſectentur vitam, nihil eorum deeſt, qua ad regula Franciſcana, & ſua profeſſionis perfectionem, atque nitorem deſiderari queunt.* An non etiam eumdem ſenſum habent ea, quæ ſequuntur? Joannes Gavalda Notarius de Cabanes Petro Nicolao a Capuccinis diſce-

In Animad. Promotoris Fidei numero 97. pag. 24.

In Reſponſ. ad Animadv. Prom. Fidei num. 76. pag. 54.

Ibid. num. 10. pag. 14. Gonzaga in Prov. Valentin. con. 9.

cedenti dixit: *Pater mi, quomodo Paternitas veſtra dimiſit Obſervantiam, & poſtea tranſivit ad Recollectionem, & poſtea ad Magnum Ordinem Capuccinorum, & modo redit ad Obſervantiam?* Cui ille: *Fratercule mi, omne illud aliud eſt oſtenſio in exteriori, & in interiori nihil eſt. Ego modo redeo ad Matrem meam ad moriendum.* Tunc Joanues: *Pater mi*, ait, *eſt* In Proceſsu addit. Ibid. nu. 52. pag. 116.
ne tibi adhuc Mater? ubi habitat? O *Sanctule*, reſpondit Nicolaus, *ipſe loquor de Obſervantia, qua eſt Mater mea, & hoc eſt, quod tibi dico, quod nunc revertor ad Matrem meam, qua eſt Obſervantia, & quum pervenero Valentiam, ſum moriturus.* Hæc audiens Joannis Soror, quæ ibi aderat, inquit: *Pater mi, ne dicas hoc; nam veſtra Reverentia vivet ad ſervitinm Dei*, eademque verba protulit Joannes. Quibus ille ſubmiſſa voce: *Silete*, ait, *ne dicatis aliquid; nam ego certe ſum moriturus Valentia, & vado valde latus ad moriendum; illiſque benedicens abiit.*

LXXIII. Optionem Boverio facimus, quamlibet ex adductis reſponſionibus ſeligendi, certiſſimi, poſtremam illam: *Omne illud aliud eſt oſtenſio in exteriori, & in interiori nihil eſt*, non admodum ipſi gratam futuram, maxime quum alias inter, quas Promotor Fidei, ut fieri ſolet, animadverſione notavit, non reperiatur. Longius fortaſſe, quam par eſt, digreſſi ſumus. Verum contumeliis occurrere muneris noſtri eſſe duximus, ne ſilentium, ut ſæpe fit, culpæ loco nobis vertatur. Provocati verba fecimus, & quoties occurret, faciemus, ut in Annalibus Ordinis veritas non deſideretur, utque innocentibus injuriam impune non Ad Epheſ. cap. 4.
inferant homines nibil ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, qui non perpendunt, Franciſcanos omues eſſe unum corpus, & unum ſpiritum, ſicut vocati ſunt in una ſpe vocationis.

LXXIV. Miſſum hoc anno in Galliam ab Hiſpania Paſchalem Baylon aſſerit Papebrochius, cui circa itineris cauſam aſſentiri non poſſumus; ſcribit namque, Paſchalem deferre debuiſſe Chriſtophoro de Capite Fontium Miniſtro Generali tabulas graviſſimi negotii Cuſtodis propriæ Provinciæ; quum certum ſit, Chriſtophorum tunc nondum ſupremam Ordinis Præſecturam geſſiſſe. Id etiam ſcribit Joannes Tamayo Salazar in Anamneſi, ſeu Martyrologio Hiſpano, anno tamen non indicato itineris a Paſchale ſuſcepti; ex quo ſuſpicio oritur, an res hæc ad præſens tempus ſit referenda. Deliberans itaque Cuſtos, cuinam ex ſubditis ſuis literarum faſciculum obſignatum traderet, Diffinitores conſuluit, quos inter orta eſt diſſentio circa electionem Fratris mittendi, maxime cognitis periculis, quæ ex Hæreticorum manu Gallias habitantium Catholicis iter agentibus imminebant. Sed demum inter eos convenit, ut Paſchalis tanquam obedientiæ addictiſſimus legationem expleret.

Acta SS. ad diem 17. Maji cap. 6. num. 24.

Salazar in Martyrol. Hiſpano ad diem 17. Maji tomo 3. pag. 116.

LXXV. Nihil ille excuſans, ſed ad omnia mandata implenda alacer, forti animo, ſpiritu valido, & fide plenus, Dei, & B. Virginis ſpe cumulatus ſe in viam dedit plane diſcalceatus, ac ne ſandalia quidem recipiens, aut tunicellam, intra habitus ſimpliciſſimi ruptos, & detritos pannos. Galliam ingreſſus in limine Conventum Minorum offendit, in quo diverſatus, ſui itineris cauſam Fratribus retulit, inter quos diſceptatum eſt, utrum liceret obedire Superioribus cum tam manifeſto vitæ diſcrimine. Sed quum in diverſa ſcinderetur Fratrum opinio, ii tandem, qui id licere affirmabant, prævaluere, ex eo quod in hoc obedientiæ obſequio plus eſſet meriti, quam periculi; nam Dominus, qui Superiorum mandata diſponit, diſcrimina a ſubditis in obedientiæ exe-

executione penitus avertit; proindeque Beatum virum ad opus incœptum exhortati protinus dimiſerunt.

LXXVI. Mane facto, interiora Galliæ penetravit, diuque, noctuque in medio rapidorum luporum, ſervante ipſum ſemper Deo, incedens mitiſſimus agnus, verbo, atque opere experiebatur ubique male; in oppidis vero, & vicis frequentioribus etiam lapidibus impetebatur, cum tumultu clamante plebecula: *Ad Papiſtam, ad Papiſtam*; inter quæ contigit, ſaxum unum tam certo in eum ictu vibrari, ut eum fere ſolo ſtraverit, humerumque ſiniſtrum graviſſime affecerit, relicto dolore, quem per plurimos annos in Hiſpania tulit. Ipſe nihilominus viam tenebat ſuam, ac ne paſſum quidem ſuum gravem, & modeſtum accelerabat propterea. Hinc ad aliam Urbem digreſſum Hæretici apprehenderunt, quorum unus illi dixit: *Papiſta, forte in veſtro Sacramento adeſt Deus?* Cui Paſchalis; *Vere, & realiter in Sacramento Euchariſtia eſt Deus*. Hæretici vero, licet ſtatim mortem inferre Catholico poſſent Fratri, illam diſtulerunt, credentes, eum a propoſito deviare poſſe, & ideo illi adverſus fidem Sacramenti nonnulla proponere ſunt argumenta conati; quos Dei ſervus tam ſolidis, nervoſiſque reſponſis per infuſam ſibi rerum Theologicarum ſcientiam confudit, ut denique non ferentes, ſe convinci, ſilices ſuſtulerint lapidaturi ad mortem, niſi Deo placuiſſet, immiſſa undique ſaxa deflectere, ſic ut iis circum, ſupraque volantibus, nullo tamen ictu ſaucius mirabiliter evaſerit.

LXXVII. Ab hoc periculo Dei miſeratione liberatus in aliud incidit; nam quum fame propemodum enecatus ad oſtium accederet cujuſdam divitis eleemoſynam petiturus pomeridiano tempore, ad ipſum menſæ accumbentem adductus eſt, qui habitum, & vultum ejus contemplatus juravit, Hiſpanum exploratorem eſſe, cui pro eleemosyna mox atque prandium abſolveret daturus erat meritam mortem. Nihil ad hæc motus Sanctus perſtitit in veſtibulo, donec loci Domina miſerta eum juſſit abripi a Marito, ac domo ejici impranſum, ut erat. Ita Papebrochius. Salazar vero narrat, Paſchalem tunc in cuſtodiam detruſum, a qua diſceſſit per oſtium domus reſeratum a femina quadam ſine alicujus animadverſione.

LXXVIII. Quod tamen apud divitem fruſtra quæſierat ſolatium, invenit ad oſtium pauperculæ vetulæ Catholicæ, quæ ipſum ſuſcepit, & nutrivit gratias agentem Deo protectori, & proviſori ſuo. In aliam denique Civitatem devenit, ubi, perſequente eum injurioſa plebecula, quidam homo interveniens e turba extraxit, dicens, quod eruere eum vellet a furore populari. Induxit ergo Paſchalem in porcorum haram, ibique, ſublata clave, reliquit usque ad craſtinum abſque ulla refectione. Quapropter nihil mitius expectabat, quam mortem, ad quam ſe iſtic incluſum exiſtimabat. Sed rurſus primo mane ille adveniens, & januam aperiens ex immundo loco, eleemoſyna data, dimiſit. Alias vultu hilari excipiens eum Matrona quædam interrogavit, an veniſſet ad ſuam, ideſt hæreticam tranſiturus religionem? quo reſpondente, ſe eſſe Religionis S. Franciſci, confuſa mulier retro abiit. Tandem per mille pericula, injurias, & incommoda demandatum ſibi iter emenſus, remenſuſque in Hiſpaniam redivit tam cumulatus meritis, quam attenuatus laboribus. Narravit autem Joanni Ximenes, aliquando obviaſſe ſibi equitem lancea inſtructum, qui, nulla ſalutatione præmiſſa, dixit: *Frater, Deus eſt ne in Cælo?* Ipſo reſpondente, quod vere ibi eſſet, rediiſſe hominem

minem unde venerat. Credere vero ſe, quod ſi reſpondiſſet: *In cælo pariter, & in Euchariſtia eſſe*, intendiſſe eum lancea conficere, ſed martyrio fuiſſe ſe indignum.

LXXIX. Per hoc tempus, uti dicebamus, Petrus Nicolaus Factor morabatur in Cœnobio S. Mariæ de Jeſu, ubi amici ſui Baptiſtæ Mercader morti præſens adfuit, ſicuti in Cœnobio de Valle Jeſu olim Guardianus deceſſiſſe vidit Fratrem Gundiſalvum Sacerdotem, de quo ad æternam gloriam profecto ſcripſit ad Miniſtrum Provinciæ, ut in Domino lætaretur. Conſuetum vitæ rigorem ibi tenuiſſe, ac præcipue quum publica aliqua neceſſitas occurreret, aut ageretur de converſione inſignis alicujus ſceleſti, ex teſtibus locupletiſſimis diſcimus in proceſſu Valentino examinatis; tunc enim verbera duplicabat, & ferrea cilicia carnibus ſuis fortius ſtringebat, quibus moveri non poterat ſine contractione, ut accidit, quando artus aſperitatem ſentiunt non uſitatam. Refert Petrus Pallares Dominus Oppidi de Burjaſot Diœceſis Valentinæ, ſe quadam nocte curioſitate ductum, quum ille per Quadrageſimam concionaretur in eodem Oppido, & degeret in domo ſua, acceſſiſſe ad ejus cubiculum, & per januæ rimulas illum vidiſſe tunica exutum, cilicio revinctum, æneis laminibus corpus ſuum percutientem, interque lacrymas, & ſingultus dicentem audiviſſe: *Fierine poteſt, Domine, ut cælum pateat tam magno peccatori?* Quod ſpectaculum pluries etiam ſe intuitum teſtatur eodem modo in Conventu S. Mariæ de Jeſu ante cubiculum, quod ille Montem Alvernæ appellabat, & ſanguinis guttas ex laceratis membris defluentes pavimentum infeciſſe, quas Vir Dei pedibus abſtergere conabatur.

Compañy loc. cit. lib 3 cap. 4. pag. 232.

Proceſſus Valentin. nu 11. 3 pag. 26. & seq.

LXXX. Eccleſiaſtes Cœnobii incredibili pietate, & zelo Dei verbum annuntiabat; nec vox ei deerat ſonora, ac penetrans, firmaque latera, & numeris omnibus abſoluta Apoſtolica pronuntiatio. Doctrinæ, quam ſtudio, & meditatione ſibi comparaverat, accedebant acceſſita a Cælo ſubſidia; quoties enim eſſet populo verba facturus, in genua provolutus ante Imaginem Crucifixi dicebat: *Loquere, Domine, quia audit Servus tuus*. Præterea Fratres doctiores rogabat familiares ſuos, ut in rebus Domini ſibi vellent eſſe Magiſtri. Michaeli Angelo Almenara Theologo dixit aliquando: *Annuntia mihi verbum, meque ea doce, quæ ignoro*. Repugnavit ille, ſed fruſtra; dimiſſus enim non eſt, donec petenti ſatisfaceret. Pergebat dein ad ſuggeſtum velut numine plenus, & eloquia Divina ceu flumen effundebat, ingenti cum improborum terrore, juſtorum ſolatio, virtutum, & Religionis incremento.

Ibid. numer. 23 pag. 50.

LXXXI. Sedebat in pervigilio Nativitatis Dominicæ ad latus Stephani Giner Guardiani in Capitulo Cœnobii, ubi peracta concione perſeveravit in ecſtaſi a media nocte uſque ad auroram, apertis oculis ſurſum, facieque incenſa cum profundo ſilentio, niſi quod interdum a ſubſellio ſurgens, & pedibus ſtans de Jeſu loquebatur, & propagatione Eccleſiæ Catholicæ his verbis: *Domine, munera. Domine, coronam pro Rege Philippo defenſore Eccleſiæ*, auditusque eſt dicere, *Eccleſiam Dei ad Indias eſſe tranſplantandam*. Aliam ecſtaſim paſſum ibidem eodem die invenio; oportet tamen, vel hanc, vel alteram hoc anno non contigiſſe; circumſtantiæ enim diverſæ ſunt. Sic factum narratur: Sermonem habens ad Fratres, repente altam edidit vocem, & nominavit puerum Jeſum. Mox a ſenſibus alienus perſtitit duabus horis, ab hora quarta poſt mediam noctem. Pia interim verba interrupte proferebat, in quibus hæc:

Ibid.num.43.pag. 126.

Ibid. pag. 127.

O Rex Philippe! Deus te cuſtodiat. O Tribunal S. Inquiſitionis! Deus te conſervet. Væ tibi Hiſpania. Dixit etiam, in perditionem iturum eſſe
Ibid. pag. 189.
Luſitaniæ Regnum, funeſtam Regis Sebaſtiani ſortem indicans verbis. Quum autem concionem in medio reliquiſſet, eam proſequutus eſt Guardianus, qui ecſtaticum collaudavit his verbis: *Habemus hic unum Fratrem Sanctum, qui magis exſiſtit in cælo, quam inter nos.*

LXXXII. Humilitatis operibus deditus nihil magis exoptabat, quam contumeliis affici, & ludibrio haberi. Quatuor religioſos, Michaelem Augulon Martyrem poſtea ab Infidelibus decoriatum, prout ei prædixerat Margarita Augulon Tertii Ordinis S. Franciſci Germana ejus Soror, Jacobum Tos, Petrum Caralis, & Michaelem Ægidium, deinde Provincialem Capuccinorum in Aragonia, rogaverat, ut matutinis laudibus
Ibid. num. 40. pag. 176.
abſolutis, fune ſibi ad collum injecto ſe raptarent per clauſtrum, & alias inter ignominias hanc proferrent: *Iſte eſt latro ingratus beneficiis Dei.* Quod illi faciebant, atque hinc tractum ad Eccleſiam, & crati ferreæ alligatum fuſtibus aſperrime percutiebant. Res hæc Stephanum Giner Guardianum non latuit, qui juſſit, ut ab incœpto deſiſterent, ſolumque permiſit, ut eum, quandoquidem ita vellet, male afficerent
Ibid. num. 4 pag. 169.
per id temporis, quo unum *miſerere* diceretur. Sternebat lectos ægrotorum, commutabat cellas, evacuabat latrinas, miniſtrabat illis, ut Mater filiis. Requiſitus quid de ſeipſo ſentiret, reſpondit: *Sum unus infernalis Draco. Si Deus Dominus noſter communicaret alteri perſonæ gratias, quas mihi fecit, magis Deo grata foret, & illi inſerviret* Projecto ad pedes cujuſdam hominis, qui immunditias deferebat extra Civitatem, eoſque deoſculanti dixit F. Joannes a Caſtro Sacerdos: *Cur hæc facis, homo perdite, & inutilis?* At ille: *Utique ego te indigeo, qui me optime noſti.* Tunc Joannes: *Oſculare ergo mihi pedes.* Quod ille lætabundus ſtatim præſtitit.

LXXXIII. Concionaturus ad populum aſcendebat in ſuggeſtum, quum Mulier nomine Beſturs ob ſanctitatem, quam in ipſo venerabatur, pal-
Ibid. num. 40. pagina 178.
lii fruſtulum illi furtim abſcidit; quod Sanctus animadvertens, antequam concionem inchoaret, multis colaphis percuſſit faciem ſuam, ſe Inferni titionem clamitans, & indignum, ad quem Chriſtifideles accederent verbum audituri. Obvius factus duobus Fratribus Tertii Ordinis ambos amplexus eſt, viæque cauſam ſciſcitatus, illis reſponden-
Ibid. pag. 177.
tibus: *Venimus ad te inviſendum, quia non habemus linguam ad exprimendum mirabilia, quæ de te narrantur*; humi projectus dixit: *Fratres, venite, & conculcate mihi faciem, & os, & omnia; quoniam totum id, quod eſt in me, & ſubtus me, totum eſt lutum.* Et hoc modo manſit ſatis diu, donec eum e terra elevarunt.

LXXXIV. Magna inter ipſum, & S. Ludovicum Beltrandum familiaritas intercedebat non terreno affectu conſociata, ſed virtutum, & ſanctitatis ſimilitudine, poſtquam Ludovicus ab Indiis rediiſſet; etſi enim antea ignoti mutuo forent, repente tamen ſibi obviantes genuflexe-
Ibid. num. 46. pag. 198.
runt unus coram alio, ſurgenteſque junxerunt dexteras, atque ita abierunt ad cubiculum S. Vincentii Ferrerii, ubi novum amicum ecſtaſi correptum Ludovicus intuitus quæſivit ab illius ſocio, an Petrus Nicolaus morbo aliquo laboraret. Quo reſpondente non: *Utinam*, inquit, *ego ſtarem, ut is modo ſtat?* Alio die dixit Didaco Perez Concionatori Apoſtolico: *Eſtne tibi notum, quod ſucceſſit in Conventu de Jeſu? Quum Proceſſio Reſurrectionis Domini, quæ fit hora matutina, jam exiret, erat circum SS. Sacramentum tam magnus numerus avicularum ad ſimilitudinem Hirundinum,*

dinum, ut videretur cooperire Solem. Fratri autem Primo ſocio ſuo dixit: *O Frater, ſi fuiſſes hic præſens, vidiſſes quamdam rem, qua maxime ſum lætatus. Illinc* (ſignum faciens verſus domum de Jeſu) *veniebant volantes quædam pulcherrimæ Aves in magno numero diverſæ ab illis, quas communiter videmus*.

LXXXV. Die primo, quo ſe cognoverunt, acceſſit Petrus Nicolaus ad circumſtantes, quibus deoſculandas præbuit extremitates digitorum, & viciſſim petiit ab eis, ut eorum manus deoſcularetur; quod poſtremum quum illi facere renuiſſent, dixit ſocio ſuo: *Ego præcipio tibi in virtute S. Obedientiæ, quod, quoniam Fratres iſti noluerunt, ut eorum manus deoſcularer, des Tu mihi pedes, ut eos deoſculer, ſeque ſtatim in terram projecit*. His factis, tales de ipſo ſenſus Ludovico inhæſerunt, ut paſſim illum appellaret verum Iſraëlitam, in quo dolus non erat; eamque alter de Ludovico opinionem habebat, ut ipſum futurum exiſtimaret novum S. Vincentium Ferrerium in Civitate Valentiæ, & ab eo ſollicite quæreret: *Sumne ego iturus ad cælum?* Cui Ludovicus: *Si tu non, quis?*, aliiſque affirmabat, ſibi videri Petrum Nicolaum, in hoc mundo frui cælo, ac correptum ecſtaſi aliquando manu tetigit, & dixit: *In maxima beata Anima, quæ prædeſtinata exſiſtit*. Poſt ſpiritualia colloquia, quæ fiebant ut plurimum in Cœnobio Patrum Prædicatorum, Servi Dei ante cubiculum S. Vincentii Ferrerii in terram diſceſſuri ſe projiciebant, ſibique invicem pedes oſculabantur; quumque id ſemel facerent, lucida nubes ambos circumdedit, & texit, quæ, iis ſurgentibus, se elevavit, & evanuit. Arctiſſima virorum amicitia nota erat Valentiæ; vulgatumque apud omnes, Ludovicum incedere per viam timoris, Petrum Nicolaum per viam amoris Dei.

Ibid. num. 57. pag. 269. & ſeq.

Ibid. num. 46. pagina 208.

Ibid. num. 27. pag. 63.

LXXXVI. Facta, quæ recenſemus, non omnia fortaſſe hoc tempore contigerunt; difficile ſiquidem eſt, ut in alio loco advertimus, ad Chronologicam ſeriem ea referre, quæ nullo ordine ſunt digeſta. At certe in Conventu S. Mariæ de Jeſu ad Altare ſibi facienti apparuit Dei Filius, & dixit: *Nicolae, ſi ego exſiſterem in ſtabulo, & illic me videres, quid faceres?* Cui Nicolaus: *Amplecterer te, Domine, & deoſcularer pedes tuos*. In eodem Conventu Religioſis in Choro canere incipientibus antiphonam: *Dum complerentur* ad Veſperas Pentecoſtes, viſus eſt incenſo adeo vultu, ut interioris raptus ſigna manifeſta exhiberet. Ut vero raptum, ſi poſſet, abſconderet, brachia vellicabat, ſeque in ſubſellio movebat, tamquam ſi incommodum aliquod pateretur. Ad Hymnum: *Veni Creator*, faciei, manuum, & totius corporis incendium erupit, nec continere ſe valuit, quin lingua Valentina exclamaret in hunc ſenſum: *O Spiritus Sancte, quam accenſe venitis!* Extra ſe mox factum Stephanus Giner, arbitratus aliqua infirmitate laborare, deferri præcepit ad Valetudinarium; atque hinc Fratres, abſolutis Veſperis, brachiis eum, pedibuſque apprehenſum veluti mortuum intulerunt in lectum. Doctor Monteſa Medicus Cœnobii tetigit ejus venas, cui ille ſtatim ad ſe reverſus, ſedenſque ſuper tabulas lecti: *Domine Doctor*, inquit, *hujuſmodi impulſus non ſunt terræ*; iterumque obdormivit ab hora tertia ſerotina uſque ad ſextam, nihil ſentiens, licet Medici juſſu Ludovicus Llinarius Sacerdos ejus crura, & pedes fricaret, incredibilem expertus ardorem, quo jacentis carnes propemodum urebantur. Demum inde exſurgens Sanctus dixit Llinario: *Angelule, magnam charitatem habes; etiam te ſalvabis*.

Ibid. num. 12. pag. 42.

Ibid. num. 9 pag. 34.

LXXXVII. In Monaſterio Villæ Novæ Provinciæ Carthaginenſis e vita migravit Quitteria de Robles, quadraginta annos lecto decumbens, cruribus contracta, & ulceribus ſcatens toto corpore, & nihilominus

Monumenta Provinciæ Carthaginenſis.

hilaris ſemper, & dicere ſolita: *Hæc ulcera mihi non diſplicent*. Quotidianis ferme ecſtaſibus correpta, ingenti calore æſtuabat, quo nuda genua ſuper nivem projiciebat. In Monaſterio SS. Conceptionis Conchæ ejuſdem Provinciæ Tereſia de Guſmanio, quæ infans adhuc quatuor annorum habitum religioſum ſuſcepit. Dominum aliquando rogavit, ut ſibi locum indicaret, quem petiiſſet anima Annæ Manrique Avunculæ ſuæ in eodem Monaſterio defunctæ, idemque ut facerent, duabus aliis commendavit. Poſt novem menſes die Paſchatis Reſurrectionis ad matutinas aſſiſtens vidit illam in Cælum aſcendentem, quod & aliæ duæ ſe vidiſſe renuntiarunt. In eodem loco Franciſca de Caſtello, cui viginti annis pro lecto fuere tabulæ, & ſtramen, pro linteo rudis ſtorea, jejunis interim, flagellis, & ciliciis nudæ carni admotis conſumpta. In Monaſterio Aſſumptionis S. Clementis ejuſdem pariter Provinciæ Lucia de Valderrama illuſtri genere nata, & ecſtaſibus in oratione mirabilis.

LXXXVIII. Ad Sponſum abiit in Cœnobio de Santarem Provinciæ Portugalliæ Leonora de S. Antonio, quæ brumali tempore recentia ceraſa in horto collecta Sorori ægrotæ eadem expetenti detulit. Dum ejus corpus in alium tumulum deportaretur, confeſtim Moniales decumbentes ſanitatem recuperarunt. Floruerunt ſub ejus diſciplina Eliſabeth a S. Hieronymo, & Maria de Plagis Marchionis Villæ Regalis filia. Toleti in Monaſterio S. Joannis de Pœnitentia Provinciæ Caſtellæ Iſabella de Hungaria. In Monaſterio S. Claræ Leonora de S. Petro. In Monaſterio Angelorum Tertii Ordinis Magdalena de S. Clara. In Mona-

Monumenta Provinciæ Caſtellæ.

ſterio Conceptionis de Illeſcas Tertii Ordinis Catharina de S. Jacobo. In Monaſterio S. Eliſabeth Regiæ Maria Nino Toletana Civis, quæ cupiens toto cordis affectu Jeſum diligere, integras noctes in oratione inſumebat, & a Monialibus, quæ ad matutinas ſurgebant, adeo incenſa conſpiciebatur, ut igneas ſcintillas a facie emitteret, & procul jacularetur. In extremo agone lætitia geſtiens adſtantium Sororum admirationem excitavit, a quibus requiſita quid gaudium illud indicaret: *Venit ad me*, ait, *& oculis meis vidi matrem noſtram S. Claram, quæ mihi dixit: Veni columba mea*. Et in his verbis quievit in pervigilio Pentecoſtes.

LXXXIX. Meminit Hueberus trium Sororum, quæ S. Petrum Alcantarenſem in Civitate Placentiæ de mundi vanitate audientes, S. Vi-

Hueber. ad diem 23. Novembris, 1. Decembris, 7 Julii, 23. Maji.

rum conſuluerunt, abdicatoque ſæculi faſtu, propriam domum in Monaſterium, & Eccleſiam redegerunt, ubi ad hunc uſque annum ſanctiſſime ſunt converſatæ. Recenſet Agnetem de S. Antonio Virginem Bellalcazarii, Paſſionis Dominicæ devotiſſimam, quæ corpus ſuum cruentis flagellis cædens vulnerum Chriſti recordatione erumpebat in fletus, ſic ut inter vehementiſſimas ecſtaſes lacrymarum imber maxillas exureret; Catharinam de Daimello genere, & religione clariſſimam, & Mariam Bellalcazarii accolam, cui infirmæ pœnitentiæ rigoribus Deipara ſoſpitatem ſpopondit, quam in feſto Purificationis poſt duos menſes conſequuta eſt. Reſumptis mortificationibus defuncta Sorores de ſua beatitudine certiores effecit.

XC. Eodem anno in Provincia Granatenſi deceſſit Hieronyma de Valdes nobilitate ſanguinis, & Regularis obſervantia commendata,

&

& Magdalena de la Cueva in Monaſterio S. Mariæ de Bacca Virgo multarum virtutum, & lucidi ſpiritus, quo futura prædixit, in quibus mortis ſuæ diem. In Monaſterio Volaterrano in Etruria Clara Palvia, cui Chriſti Domini Paſſionem Deus oranti in viſione oſtendit. Id ſolum de ea dictum ſufficiat; more enim ſuo cætera ad annum 1564. proſequitur ſuperior Annaliſta. In Monaſterio S. Hieronymi, alias S. Georgii Florentiæ Clara de Monte Acuto Tertii Ordinis Pœnitentiæ. Monialis illam Miniſtræ munus obeuntem invenit in cubiculo genuflexam, & a ſenſibus alienatam, miroque circumfuſam ſplendore; & quamvis oſtium fortiter pulſaſſet, nihil tamen illa ſenſit, donec veluti a ſomno excitata hilari fronte adſtantem ſalutavit. Monachii in Bavaria Barbara Hagenawerin, quæ in Monaſterio Ridleriano quinquaginta annis Tertio Ordini S. Franciſci addicta, in oratione a ſenſibus rapiebatur, & ſemel uberem pluviam in extrema ſiccitate a Deo impetravit.

Monumenta Provinc. Granatenſis. Decades Etruſco-Minoriticæ anno 1570.

XCI. Monaſterium SS. Conceptionis Villæ Ulmeti in Provincia Conceptionis illuſtravit obitus Luciæ Patino, & Antoniæ de Bracamonte. Hæc Adventus, & Quadrageſimæ diebus ſolo pane, & aqua victitabat. Humi breve ſomnum captans, noctem orando tranſigebat. Nunquam verbo offendit, aut de proximo oblique judicavit, aut quidquam cæteroquin inexcuſabile, in deteriorem traxit partem. Triduo ante mortem Moniales rogavit, ut canerent coram ſe Antiphonam S. Agnetis: *Ecce quod concupivi, jam video, quod ſperavi, in manu teneo. Ipſi ſum juncta in cælis, quem in terris poſita tota devotione dilexi*. Qua finita, hæſit in ecſtaſi tribus horis, a qua evigilans Monialibus retulit apparitionem Dei Genitricis ſibi factam, dixitque, ſe ad æterna gaudia mox properare. Hueberus eam floruiſſe aſſerit in Monaſterio S. Claræ Abulæ; ſed obſtant monumenta Provinciæ, & aliunde, inter inſignes Virgines Monaſterii S. Mariæ a Jeſu, quod eſt Abulæ Clariſſarum, nulla de ea fit mentio; & quamvis in Monaſterio Conceptioniſtarum Abulenſium occurrat ejus cognomen, nullibi tamen legitur nomen Antoniæ.

Monumenta Provinc. Conceptionis.

Daza 4. part. lib. 3. cap. 77.

Hueberus ad diem 18. Julii.

XCII. Pœnitentiæ operibus ſtudebat Lucia Patino, ſingulisque diebus antelucanum Cymbalum pulſabat, quod dicitur *Tocar a la Pelde*; deinde in culina, aut valetudinario, humilitatis, vel miſericordiæ exercitia peragebat. A Dæmonibus vexata ſingulares retulit victorias. Reverſa noctu a choro ad cubiculum, ſupra tabulam, quam pro ſtrato habebat, vidit impurum hoſtem recumbentem ſub forma venuſti adoleſcentis ad turpia provocantem. Tremefacta ſigno Crucis ſe munivit, & protulit Joannis verba: *Verbum caro factum eſt*. Nec mora, horribili cum ſtrepitu, & parietum concuſſione inimicus aufugit dicens: *Maledictus qui talia te docuit*; fœtidumque odorem exhalavit, qui multis diebus ibi permanſit. Sorores, re cognita, Deo publice gratias retulerunt.

XCIII. Iſabella de S. Andrea celſi ſpiritus, & contemplationis, prophetiæ dono illuſtrata, quo res longinquas, & ignotas eodem temporis puncto, quo contigerunt, narravit; ſincera item, ſimplex, & pœnitens obiit in Regio Monaſterio S. Claræ Villæ Comitis Provinciæ Portugalliæ, expanſis manibus in his verbis: *Ego nunc morior; ſed vivendum mihi eſt tota æternitate cum Deo*.

Emmanuel de Spe lib 8. cap. 19. pag. 109.

XCIV. Corpus Joannæ Malateſtæ Sigiſmundi Ariminenſis Principis Filiæ, Uxoris Julii Cæſaris de Varanis Ducis Camerini in Umbria, quæ in Anacephalæoſi Chronologica Matthæi Paſcucci Preſbyteri Oratorii Hoſpitii Camerinenſis appellatur Ordinis de Obſervantia S. Franciſci,

Matthæus Paſcucci cap. 4. num. 13.

poſt

Digitized by Google

poſt necem enim a Cæſare Borgia Duce Valentino Marito ſuo illatam ſe Deo ſacraverat; hoc anno a capſa plumbea, in qua ſteterat ſub arcu Tribunæ, alio translatum eſt, Pontifice prohibente, ne depoſita mortuorum altius, quam altaria, aſſurgerent. In monumentis Provinciæ Marchiæ ſolemne æquivocum invenio, quum pro matre filia ſcribatur, nempe B. Baptiſta de Varanis, (Camilla olim in ſæculo) addito etiam Joannæ nomine, quod Baptiſtæ nunquam acceſſit. Viſitur hodie Joannæ effigies coloribus expreſſa in Templo S. Franciſci Minorum Obſervantium Camerini in tabella exhibente fugam B. Mariæ Virginis in Ægyptum, juxtaque ipſam in habitu Tertiariæ cum Filio Joanne Maria, & ab ejus ore ad Deiparam Virginem prodire videntur literis inauratis hæc verba: *Ut Te, & Filium ſervaſti, ita me, & filium ſervare dignata es*. Habetque ſubſcriptum: *Joanna Malateſta Varana Uxor Pia Camerini Principis*.

Monumenta Provinc. Marchiæ ex Archivo Aracælitano.

Pascucci ibid. nume. 34.

XCV. Hoc anno Q. Marcus Corradus Uritanus Orationem eloquentiſſimam habuit ad Ordinem, & Populum Uritanum de *Divi Franciſci Dyrrachini divinis honoribus*. Deſcribitur in ea illius ortus Dyrrachii in Epiro, profeſſio ſub prima adoleſcentia in Ordine Franciſcano circa S. Franciſci tempora, adventus Uriam, vita ſeptennio ducta ſolis oleribus, & aqua. Quibus accedunt miracula; ſemel enim, quum æs metallicum ſignum daret, populo in Eccleſia Chriſti Corpus oſtendi, tres interjecti parietes ante ipſum genuflexum, nullo motu, nulloque audito ſono, mutuo diviſi, atque aperti, Sacris adeſſe cupientis oculis viam ad Aram fecerunt. In Comitiis Minorum Uriæ habitis collectam a ſe ſtipem alendis Fratribus deſtinatam Infernales furiæ peſſumdedere; quum inopinato copioſas dapes varii generis in vaſis, & caniſtris, regioque apparatu accepit a pluribus adoleſcentibus formoſiſſimis, & Divinam quamdam auram ſpirantibus, qui Principis Uritani nomine eas ſe ſibi, & ſociis afferre, & ad vaſa recipienda mox redituros dixerunt. Attamen illorum adſpectum ex oculis amiſit. Affirmat Orator, ſe meminisse, in caritate imbrium, aut alia majori vi, atque intemperie, habitis publicis ſupplicationibus, circumlatoque Franciſci Dyrrachini corpore, Uritanos cæli injuria, atque omni incommodo fuiſſe liberatos; factumque narrat recentis, ut inquit, memoriæ de Mandibula, quam ex Beati corpore hoſpes quidam furatus erat, ut ad magicas artes illam adhiberet, deque jumenti, quod ſecum ducebat, lethali ægritudine, viribusque extemplo recuperatis, furis tremitu, & gemitibus. Mandibulam redditam Waddingus aſſerit, licet utatur teſtimonio Corradi, immo ejus verba exſcribat, qui Corpus ipſum Uritanis exhibet inſpiciendum, illudque ſe, ſociosque adoleſcentes integrum inſpexiſſe teſtatur. Tota Oratio eo ſpectat, ut Beato honores intermiſſi reſtituantur, dieſque ejus feſtus agatur.

Acta SS. ad diem 17. Maji de B. Franciſco Dyrrachino pag. 45.

Annales Min. an. 1305. num. 7.

XCVI. Sub idem tempus ex inclyta Capuccinorum Congregatione deceſſit Mediolani in Cœnobio S. Victoris Franciſcus de Canobio, ex cujus ore ſub dio aliquo tempore remanentis, priusquam tumulo conderetur, pulcherrimum, & candidum lilium pullulaſſe ſcribit Arembergius. Pertinuit antea ad Minores Obſervantes. In Conventu Montis Calerii Provinciæ Genuenſis Gabriel de Javeno ſucceſſive Conventualis, Obſervans, & Capuccinus, qui ecſtaſi inter orandum correptus, & ab Angelis, eodem Arembergio teſte, ad cæleſtis Urbis portas deductus, ingredi illuc poſtulavit, quem Angelus aſſiſtens, ut pauliſper ſuſtineret,

ret, admonuit. In Conventu Trainæ Joannes a Nicoſia oratione, & jejuniis, maligni Spiritus expulſor a femina Dæmoniaca. In Conventu Montis Politiani Ludovicus de Monte S. Savini infirmis redditor ſanitatis, extenſis brachiis in Crucem ante Altare Euchariſticum, tantoque pauperum amore ſuccenſus, ut panes arca reconditas eis ſemel diſtribuerit, quos tot numero, quot erant Fratres, a formoso adoleſcente mox accepit, qui ſtatim ab oculis evanuit in Cœnobii foribus. In Provincia Bononienſi Modeſtus a Placentia Clericus innocens, cui morienti adſtitit Crux ſplendidiſſima, quam ſequutus eſt ad Patriam pergens.

XCVII. Memoratu præterea digni ſunt Angelicus Stephanus, & Sylveſter Boccherienſes ſacerdotes Provinciæ Siciliæ, Valentini Drepanenſis, & Nicolai a quinque frontibus Laici. Ille, ut vitæ neceſſitatibus indigeret, pauperrimum Conventum Caſtriboni adiit, ſuique, & Fratris ſibi ægroto inſervientis eodem die mortem prædixit. Hic Guardiani juſſu ramum aridum ficulneæ infixit humi, aquiſque rigavit in arborem excreſcentem fructibus opimam, & Dominicæ Paſſionis cultor Chriſtum Jeſum adſpexit Crucem in humeris ferentem Calvariam verſus. Dialogum ejus cum Pilato ex Boverio exſcribam: „ Semel quum „ Dominicæ Paſſionis meditationi intentus, ſententiam a Pilato adver- „ ſus Dominum vehementer deploraret, eidem repente Pilatus atris „ veſtibus indutus, atque undique. nigerrimis, atque horrendis corvis „ circumſeptus apparet, cujus quum primo adſpectu Nicolaus horruiſ- „ ſet, ad eum inquit: Quis es Tu? Cui Pilatus: Ego ſum Pilatus Chri- „ ſti Judex, & condemnator. Mox ad eum Nicolaus: Heu miser! Cur „ tam injuſtam erga Dominum meum ſententiam ferre auſus es? Cui „ ille: Id non ſponte, ſed timore perculsus præſtiti. His dictis volu- „ cre citius cum corvis nigris ſe condidit umbris „.

Flores Seraphici pag. 312. 392. & 400.

Boverius ad anno 157..

XCVIII. His nihil addendum arbitror, niſi me tempus, operamque perdidiſſe in refellendis Annaliſtæ dicteriis adverſus Obſervantes, qui ne proprio quidem ſuo Ordini parcit, nullo in rebus ad illum ſpectantibus referendis adhibito decore, & gravitate. Hoc anno Stephanus de Buccherio ejuſdem Ordinis ſermonem habens in Templo Parochiali S. Ambroſii Buccherii in Sicilia, & peccati fœditatem amplificans, extenſo digito ad accenſam lampadem ait: *Sicut ſi extingueretur lampas iſta, in tenebris eſſemus, & Ellychnium illius magnum noſtris naribus immitteret fœtorem; ita & anima peccatoris gratia Dei deſtituta*. Mox Divinitus extincta lampade, tenebris obrutus populus malum ſenſit odorem. *Adveniente deinde Divina gratia, ac ſi lampas accenderetur, anima illuminatur*. Et ſtatim lampas accenſa ſplendorem, & odorem emiſit. Iterum invehens contra peccatores, extenſo digito ſimulacrum Chriſti indicavit his verbis: *Reſpicite, o Peccatores, hunc pium, clementem Chriſtum manus Cruci affixas habentem. In die univerſalis judicii ipſemet ira contra vos accenſus eadem manu vulnerata vos maledicet*. Buccherenſes Crucifixum illum reſpicientes illius manum extenſam e Cruce ſublatam, & ſic remanſiſſe viderunt. Hoc ſane Crucifixi ſignum non tantum, teſte Pirro, ex quo hæc deſumpſimus, ibidem, ut deceret, devotione colitur.

Sicilia Sacra tom. 2. pag. 612.

XCIX. Decretum prodiit vetans, ne Miniſter Generalis mitteret Commiſſarios in Provincias, niſi tempore viſitationis pro celebrandis Capitulis Provincialibus, aut aliis urgentibus ex cauſis, vel demum ab ipſis Miniſtris Provincialibus, ſeu majori parte Diſcretorum petantur. Prohibuit Pontifex, ne coram idiotis diſputatio inſtitueretur de materia

Monumenta Provinc. Poloniæ.

Digitized by Google

ria SS. Conceptionis: *Super ſpeculam Domini*. Pridie Kal. Decembris. Beneficium SS. Sylveſtri, & Geneſii in Eccleſia S. Franciſci Lauri Diœceſis Firmanæ Minorum Conventualium de Obſervantia contulit Joanni Buzolino: *Vitæ, & morum honeſtas*. VI. Idus Aprilis. Præcepit, ut literæ Clementis VII. pro Capella S. Joannis Baptiſtæ in Eccleſia S. Franciſci Hidruntina ſerventur: *Proviſionis noſtra*. Die 17. Februarii. Indulſit Eliſabethæ Etluaros Infanti Portugalliæ ſtatis anni diebus ingreſſum in Monaſterium Villæ Vitioſæ Diœceſis Eborenſis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia; *Præclara veſtra*. Die 10. Martii. Idem Fulviæ de Corregio Picæ Comitiſſæ Mirandulæ, quoad Monaſterium S. Ludovici Oppidi de Mirandula ejuſdem Ordinis: *Tui nobilitas generis*. Die 5. Auguſti. Idem Mariannæ de Caſtillo Puellæ Burgenſi, quoad Monaſterium Burgenſe S. Claræ, vel alterius Ordinis: *Sinceræ devotionis*. Die 28. Septembris. Idem iisdem literis & die Beatrici Sarmiento filiæ commendatarii Militiæ de Calatrava Domini Villæ de Salvaterra Diœceſis Tudenſis. Idem Vincentiæ de Caſtro Uxori Antonii Dalmada Suarez Diœceſis Conimbricenſis, quoad Monaſterium S. Claræ Conimbriæ: *Tuæ fidei ſinceritas*, Die 23. Septembris. Idem Iſabellæ de Mendoza Uxori Joannis Tello de Meneses Regis Luſitani apud S. Sedem Oratoris, quod Monaſterium S. Claræ de Santarem Ordinis S. Franciſci de Obſervantia: *Exponi Nobis*. Die 8. Junii.

C. Extinxit Præceptoriam, & reſtituit in integrum Vicariam, de conſenſu Regis, in Monaſterio S. Claræ Conimbriæ: *Exponi Nobis*. Die 20. Februarii. Scripſit Archiepiſcopo Theatino, ut quæſtionem inſtituat contra Fratrem Roſatum de Loreto Minoritam Conventualem: *Quum ſicut accepimus*. Die 16. Junii. Conceſſit Indulgentiam poſt annum Jubilæi præcipue Minoribus: *Univerſis, & ſingulis*. Die .... Capuccinis largitus eſt, ut recitare poſſent Officia, & Miſſas proprias S. Franciſci, aliorumque SS. Ordinis, ita tamen ut Miſſali Romano non apponantur.

Julius Antonius Sanctorius miſeratione divina S. R. E. Tituli S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis S. Severinæ appellatus FF. Capuccinorum nuncupatorum Ord. Min. Viceprotector.

OMnibus, & ſingulis præſentibus, & futuris, ad quos præſentes pervenerint, ſeu quomodolibet ſpectaverint, notum facimus, & atteſtamur, qualiter Nobis nomine dilectorum Nobis in Chriſto Fratrum Capuccinorum nuncupatorum Ordinis Minorum die Sabbati infraſcripta ſupplicantibus SS. Dominus Noſter Pius divina Providentia Papa V. vivæ vocis oraculo nobis facto conceſſit, & indulſit Fratribus prædictis, ut quemadmodum per Sanctitatem Suam conceſſum, & indultum fuit Fratribus eiſdem, ut non obſtante Bulla ejus edita ſuper Breviario Romano noviter reformato, feſtos dies, ſeu ſolemnitates, propria officia, Horas Canonicas Beati Franciſci Ordinis Minorum Fundatoris, & aliorum ejuſdem & Ordinis Sanctorum celebrare, recitare, ſeu decantare poſſent, ita etiam non obſtante Bulla Beatitudinis ſuper Miſſali Romano nuper reformato, & edito, proprias Miſſas eorumdem Sanctorum Ordinis præfati in veteri Miſſali contentas, ſervata tamen forma novi Miſſalis, ſeu ad illius ritum, & normam celebrare, & legere libere, & licite poſſint, ac valeant, dummodo Miſſas hujuſmodi in aliis diebus ſolemnibus non celebrent, nec in novo Miſſali Romano apponant, ſeu imprimant, & ſeorſum habeant. In quo-

Digitized by Google

Anno Christi 1570.	Pii V. anno 5.	Maximiliani II. anno 7.	Religionis Minorum anno 363.

quorum &c. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die XXVI. Menſis Auguſti Anno Incarnationis Dominicæ MDLXX. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D. N. D. Pii anno V.

Julius Antonius Cardinalis S. Severinæ.
Joannes Matthæus de Robertis Secretarius.

Locus ✠ *Sigilli Pendentis.*

Anno Christi 1571.	Pii V. anno 6. & 7.	Maximiliani II. anno 8.	Religionis Minorum anno 364.

ARGUMENTUM.

Celebratur Capitulum Generale Minorum Obſervantium, ejuſque acta referuntur. Fundantur ædes. Inſignem de Turcis victoriam reportant Catholici Principes. Feſtum ſolemne agitur in Templo Aracælitano. Minoritæ Martyres occumbunt. Renuntiantur Epiſcopi, & florent viri. Alii ſancte decedunt. Conceſſiones Summi Pontificis recenſentur.

I. Deliberatum eſt in Comitio Florentiæ habito ſub Bonaventura de Clavaro Miniſtro Provinciali, ut pretioſa veſtis, ſub qua Seraphicus Pater Redemptionis ſigna receperat, ab Eccleſia S. Salvatoris Montis S. Miniati extra Urbem Florentinam inferretur in Eccleſiam Omnium Sanctorum, ad quam, majori ex parte ruinis involuto Cœnobio S. Salvatoris ex fundamentorum debilitate, bellique incommodis, Fratres migraverant una cum aliis, qui ad S. Catharinam degebant. Nihil jucundius, & optatius Civibus contingere potuit, quam ſpectaculum intueri illi ſimile, quod eorum Majores celeberrimum excitarunt, quum ſacrum pignus a domo Gentis Barbolanorum Montis Acuti Florentiam transferrent. Marianus rem tunc geſtam accurate deſcribit, exciti populi frequentiam, Magiſtratuum pompam, & dignitatem, Cleri utriuſque ſupplicationem, Civium omnium pietatem, & alacritatem, opulentiſſimi denique apparatus magnificentiam, ſic ut Urbs tota ſuis pene ſedibus mota videretur. Idem prorſus feſtum rediit hoc anno die ſexta Maji, ſacris exuviis ad præfatam Eccleſiam ſolemniter delatis, ubi infra lapideam Tabernaculi Aræ maximæ baſim repoſitæ, nonniſi multo poſt incluſæ ſunt arca argenteis cancellis munita triplici ſub clave, quarum unam ſibi vindicavit Magnus Dux Etruriæ, alteram Magiſtratus Mercatorum, reliquam Guardianus Cœnobii. Arcæ appoſita eſt Inſcriptio: *Hac Theca Habitus S. P. Franciſci clauditur, quo, dum a Jeſu Chriſto Stigmata recepit, erat indutus. Hic Fratres poſuere Anno D. MDCXII. Die III. Novembris.*

II. In Capitulo Generali, quod in Cœnoblo S. Mariæ Angelorum prope Aſſiſium indictum erat, Romæ tamen celebrato in Ædibus Aracælitanis, ſupremam Ordinis præfecturam ſuſcepit Chriſtophorus a Capite Fontium Britannus vir doctiſſimus, & Auctor plurium operum ſingularitate ſtyli, & eruditione inſignium, quorum aliqua moleſtias nonnullas ipſi pepererunt ob peregrinas quaſdam exuberantis ingenii opiniones, & novitatis plena ſyſtemata. Eorum indicem ſuo loco dabimus. Provinciæ Britanniæ primum Miniſtrum ipſum dicit Petrus Marchant, quod ſi ve- Marchant in fundament. XII. Apoſt. pag. 252.

rum eſt, quum Britanniæ Cœnobia erecta ſint in Provinciam anno 1517., in extrema certe, atque impotenti ſenectute Ordini præfuit, et quum certum ſit, eum Sixto V. carum, acceptumque fuiſſe, ſenectutem ipſam longiſſime produxit. Aſſerit Waddingus, eum renuntiatum Miniſtrum Generalem eo tempore, quo Miniſtrum Britanniæ Provinciæ agebat. Sed neque id veritate nititur, niſi erret Michael Angelus a Neapoli, juxta quem Chriſtophorus Cuſtos acceſſit ad Capitulum Generale.

Waddingus de Script. Ord. Lit. C.

III. Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ præfectus eſt memoratus Bonaventura de Clavaro. Procurator Ordinis Franciſcus de Figueroa Provinciæ S. Michaelis. Commiſſarius Curiæ Franciſcus Viſonus Genuenſis Miniſter Provinciæ S. Antonii Venetiarum. Dicti ſunt Diſcreti Ordinis pro Familia Ultramontana Garcias de Ribera Cuſtos Provinciæ Bethicæ. Pro Familia Ciſmontana Paulus de Terra Nova Miniſter Proviuciæ Calabriæ. Diffinitores Familiæ Ultramontanæ Michael de Medina Cuſtos Provinciæ Caſtellæ. Joannes Mabillé Miniſter Provinciæ Franciæ. Joannes Vilheſius Miniſter Provinciæ Coloniæ. Guglielminus Commiſſarius Provinciæ Britanniæ. Garzias de Ribera qui ſupra. Julianus de Quercu Miniſter Provinciæ Flandriæ. Diffinitores Familiæ Ciſmontanæ. Bernardinus de Colleſtate Cuſtos Provinciæ S. Franciſci. Laurentius de Tricaſio Miniſter Provinciæ S. Bernardini. Seraphinus Mons-Albanus Cuſtos Provinciæ S. Antonii. Bernardus Dragoncinus Cuſtos Provinciæ Tuſciæ. Cornelius Buſetus Miniſter Provinciæ Bononiæ. Baptiſta Corſicus Cuſtos Provinciæ Corſicæ. Guardianus Hieruſalem confirmatur, videlicet Joannes Franciſcus de Argignano cum tota Familia. Guardianus S. Claræ Neapolitanæ Petrus de Maſſa Provinciæ Marchiæ.

Chron. Seraph Ord. tom. 1. pag. 318.

IV. Notavimus, Summum Pontificem indignatum, quod plerique Fratres veriti non ſint falſis accuſationibus impetere Aloyſium Puteum Miniſtrum Generalem Ordinis, virum integerrimum, & probitatis exemplar, præcepiſſe, ut Provincias Ciſmontanas regerent Miniſtri extranei, qui hoc anno electi ſunt in Capitulo Generali. Miniſter Provinciæ Romanæ Ludovicus de Petra Acuta Cuſtos Cuſtodum Provinciæ Marchiæ, renuntiatus hoc ipſo anno in Capitulo Corinaldi. Miniſter Provinciæ S. Franciſci Gerardus a S. Georgio Provinciæ Marchiæ. Miniſter Provinciæ Tuſciæ Joannes Avogadrus Provinciæ Mediolanenſis. Miniſter Provinciæ Bononiæ Bonaventura Rampinus Provinciæ Mediolanenſis. Miniſter Provinciæ S. Antonii Seraphinus Pralboinus Provinciæ Brixiæ. Miniſter Provinciæ Calabriæ Angelus a Melita Provinciæ Siciliæ. Miniſter Siciliæ Euſtachius de Molochio Provinciæ Calabriæ. Miniſter Provinciæ S. Nicolai Paulus de Mazara Provinciæ Siciliæ. Miniſter Provinciæ S. Angeli Aloyſius a Nola Provinciæ Terræ Laboris. Miniſter Provinciæ Corſicæ Archangelus de Tricarico Provinciæ Baſilicatæ. Miniſter Provinciæ Sardiniæ Joſeph de Saponara Provinciæ Baſilicatæ. Miniſter Provinciæ Cretenſis Joannes de Bergomo Provinciæ S. Antonii. Miniſter Provinciæ S. Bernardini Paulus Arriguccius Provinciæ Tuſciæ. Nullus legitur Miniſter Provinciæ Marchiæ, quia ante celebrationem Capituli Generalis electus fuerat Miniſter illius in Conventu Æſii Sanctes ab Orta, de quo alias diximus. Publicata eſt in Capitulo Conſtitutio: *Paſtoralis Officii* die 28. Maji.

STATUTA GENERALIA.

V. 1. *Quod Fratres Officium divinum celebrent ſecundum Breviarium novum. Similiter, & adamuſſim ſervetur Calendarium in novo Breviario. Licebit*

cebit tamen juxta Rubricam Breviarii Solemnia, Feſtivitates, & Officia Sanctorum, Sanctarumque Ordinis noſtri, prout antiquitus conſueverant, ſervato ordine Breviarii, celebrare. Similiter & Miſſale reſpectu Miſſarum.

2. *Lectores poſt lectionem ordinariam declarent aliquot caſus conſcientiæ, vel de eis lectionem ordinariam habeant, aut tres in hebdomada particulares pro eorum arbitrio.*

3. *Diffinitores ſive Generales, ſive Provinciales non priventur Officiis Ordinis; nam oppoſitum obſervari vix poteſt ob Fratrum penuriam.*

4. *Fratres, qui abeunt Apoſtatæ ab una Provincia, non recipiantur in alia, niſi prius agnito peccato, quod commiſerunt, ne Fratres delinquentes impuniti remaneant.*

5. *Inſtituantur magiſtri, & directores Juvenum tales, qui eos Grammaticam doceant, & qui non acquieverint, graviter puniantur a Miniſtris Provincialibus in ſua viſitatione, ante cujus adventum deponantur a Guardiano, & alii inſtituantur.*

6. *Nulli ſint Lectores, vel Prædicatores in Conventibus, niſi actu officium Lectoris, vel Prædicatoris exerceant prædicando, vel legendo.*

7. *Fratres, qui a ſuis Provinciis mittuntur ad alias Provincias gratia literis ſtudendi, nullo modo incorporentur illis Provinciis ſine conſenſu ſuorum Provincialium, ita quod talium incorporatio annulletur præſenti ſtatuto. Præcipitur quoque Miniſtris, ſub quorum obedientia ſtudent, quod completo ſuo ſtudio eos remittant cum laudabili obedientia, ſi meruerint.*

8. *Provideatur de Magiſtris Novitiorum in Capitulis, qui ſint Religioſi, & prudentes viri reformati in moribus, & qui exactiſſimam curam habeant eorum.*

9. *Nullus Conventus accipiatur abſque licentia Reverendiſſimi Patris Generalis. Et rogamus Reverendiſſimum Patrem, ut hanc licentiam non tribuat, niſi major pars vocalium ſuper hanc rem ipſum rogaverint.*

10. *Quando Reverendiſſimus P. Generalis miſerit aliquem Commiſſarium ad aliquam Provinciam, ipſe Commiſſarius priuſquam aliquid agat, oſtendat ſuam commiſſionem Miniſtro Provinciali.*

11. *Sacerdotes etiam confeſſores poſſint, & debeant examinari ab Epiſcopis de habilitate, & ſcientia.*

12. *Quicumque abſque neceſſitate per Medicos, & Prælatum decreta, & examinata camiſiis, & linteamentis utuntur, voce activa, & paſſiva priventur. Et ſi admoniti non ſe correxerint, tribus menſibus carceribus mancipentur. Mandamus autem Patribus Miniſtris, ut ſuper hac re invigilent.*

13. *Quod electiones fiant cum cedulis ſecretis. Moniales autem, quæ neſciunt ſcribere, dent vota per fabas, tribus, aut quatuor aptioribus propoſitis.*

14. *Abbatiſſæ ſtatutum S. Concilii Tridentini de tribus confeſſoribus extraordinariis ſuis Monialibus exhibendis exequantur; poſtulentque eos, quum tempus acceſſerit, a Miniſtris Provincialibus, illiſque dare teneantur, nec in hac parte diſpenſare valeant.*

15. *Quod Provincia Lithuaniæ uniatur Provinciæ Poloniæ.*

16. *Quod nulli Prælato etiam Miniſtro Generali relinquatur facultas in iſtis diſpenſandi ſaltem in foro externo, niſi in aliquibus paucis ſtatutis, & pœnis expreſſis, idque ſolum ex cauſa cognita, & cum conſilio aliquorum Patrum Provinciæ, vel Conventus, ubi diſpenſandum eſt, de quibus diſpenſationibus Prælati in Capitulo Generali, & Provinciali rationem reddant, ſi de his fuerint viſitati, vel requiſiti.*

PRO FAMILIA CISMONTANA.

1. *Quod in Provinciis ſtatuatur certus numerus Diffinitorum, nempe ſexdecim reſpectu latiarum Provinciarum, ſtrictiorum autem duodecim; ultra quem numerum alii non poſſint eligi ſine licentia Reverendiſſimorum Patrum Miniſtri, vel Commiſſarii Generalis, ut in Statutis generalibus habetur.*

2. *Qui quidem Diffinitores Provinciales, quinimo etiam & Diffinitores Generales nullo prorſus gaudeant privilegio, aut prærogativa, quamprimum expletum fuerit tempus officii illorum. Prærogativas autem, & privilegia vocamus ſcilicet aſciſcendi ſibi poteſtatem ſocios particulares, Conventum exeundi ſine licentia Guardianorum, exemptionem intereſſendi choro, cæteraque id genus omnia, quæ communi omnium vitæ derogant. Aſſideantque choro, & menſis ordine uſitato in Religione, plus ſiquidem, minus juxta tempus ingreſſus in Religionem.*

3. *Miniſtri curent omnino, ut in ſuis viſitationibus cellas, reſque Fratrum viſitent ad purum, quemadmodum ab antiquo uſitatum fuit in Religione noſtra.*

4. *Quod Diffinitores poſſint eſſe Guardiani eodem in Capitulo, diſpenſante tamen Miniſtro, aut Commiſſario Generalibus, juxta diplomata Sedis Apoſtolicæ.*

5. *Quod Prælati cum duobus Patribus ex Provincia ſibi aſſumendis faciant ſuas viſitationes contentioſas, excipiantque dicta teſtium, & audiant defenſiones reorum prætenſorum ſuper criminibus tantum, propter quæ punitio publica inferenda eſſet.*

DE MONIALIBUS.

1. *Quod obſervetur Canon Concilii circa bona particularia.*

2. *Quod cancelli, ſeu crates laminentur interius, relictis dumtaxat parvis foraminibus.*

3. *Quod familiaritates ſuſpectæ, amicitiæ, ſeu devotiones ſæcularium, Clericorum, & Religioſorum interdicantur ſub pœnis graviſſimis.*

4. *Quod ſervetur Canon Concilii in offerendis Monialibus a Prælato Confeſſariis ordinariis.*

5. *Quod præcipiatur Confeſſariis, ut audiant confeſſiones earum, quoties fuerint interpellati, potiſſimum confeſſiones illarum, temporibus, in quibus debent vel ex Regula, vel ex Concilio Moniales confiteri. Alioquin convictus Confeſſarius de oppoſito mox ſit ſuo officio deſtitutus.*

6. *Quod Moniales converſæ eligi non poſſint ad officia alia præter coquinam, & cætera id genus officia ſervilia, quæ nullius ſunt dignitatis.*

7. *Quod Fratres apud Monaſterium Monialium cibum non capiant, nec cum ulla loquantur, etiam in diebus feſtis, in quibus agitur ſolemnitas Monaſterii Monialium.*

DE PROVINCIIS GALLIARUM.

1. *Guardiani continuentur in ſuis officiis, & in eodem loco, quo tempore videbuntur utiles tali officio, & communitatibus; quorum electio fiat ſecundum Statuta Barchinonenſia, ut ipſa Provincia Galliarum conſueverunt, ſervata tamen forma præſcripta a Concilio Tridentino.*

2. *Con-*

2. *Conceditur ipſis Gallis vivere, & regi ſecundum ſtatuta Barchinonenſia, prout eis conceſſum eſt per alia Capitula Generalia.*

3. *Renovatur Statutum Vallifoletanum de Monialibus S. Claræ non viſitandis, niſi per Miniſtrum Provincialem, vel virum probum, & gravem.*

4. *Confirmatur ſtatutum Vallifoletanum de promovendo aliquos ad lecturam Magiſtri ſententiarum in facultate Pariſienſi, quibus non dentur literæ obedientiales a Reverendiſſimo Patre, niſi poſtulentur a Miniſtris Provincialibus juxta placita Patrum Provinciæ. Et illis obedientiis non gaudeant, niſi reſponderint in Capitulo Provinciali; deferantque teſtimonium fidele Patrum ſuorum de doctrina, & ſufficientia ſua; ſine quo teſtimonio non recipiantur a Diſcretorio Pariſienſi.*

5. *Si ſententia punitionis a Judice ordinario lata ſit adverſus Fratrem delinquentem, quæ non poſſit cito executioni mandari propter rebellionem Fratris delinquentis, aut favorem ſæcularium, ad nullius poſtulationem revocetur ſententia illa, inconſultis Patribus viva voce, ſi adſint, vel ſcripto, ſi abſint.*

6. *Si contingat, quoſpiam ſcribere ad Reverendiſſimum P. Generalem adverſus Prælatum, vel aliquem Fratrem, detur locus parti delatæ ſeipſam defendendi ſcripto, ſi abſens ſit, vel verbo, ſi præſens.*

7. *Quia Miniſtri, & Cuſtodes ex Regula, & per obedientiam tenentur accedere ad Comitia Generalia, quæ in remotis partibus celebrantur, præcipitur Conventibus Provinciarum ſuppeditare ſumptus neceſſarios eiſdem Miniſtro & Cuſtodi, ac ſufficientes; idque proportionaliter, ut Conventus, qui ampliores habent eleemoſynas, amplius contribuant ſecundum judicium Patrum Provinciæ. Et qui reſtiterint ex nunc, prout ex tunc, priventur omnibus actibus legitimis.*

8. *Addatur gravior pœna ea, quæ eſt in Statutis, adverſus recurrentes ad ſæculares, & appellantes a ſententia ſuorum Ordinariorum.*

9. *Ordinat præſens Capitulum Generale juxta conſenſum Provinciarum Galliæ, quod Provincia Aquitaniæ Recentior habeat Diſcretum in Conventu Pariſienſi, ſicuti cæteræ Provinciæ Galliarum conformiter ad Statum Pariſienſe, ut qui tempore ſtudii fuerit in illo Conventu antiquior, modo a Provinciali Capitulo judicetur habilis, in Diſcretum aſſumatur.*

10. *Si quæpiam Monialis unius, vel alterius Ordinis per SS. Pontificem ad Regis poſtulationem inſtituenda erit Abbatiſſa alicujus Monaſterii Ordinis noſtri, vel jam inſtituta fuerit, teneatur, & cogatur depoſito habitu prioris Ordinis, aſſumere habitum Monialium, quibus eſt; & ſecundum earum Regulam vivere, & rationem reddere bonorum temporalium bis, vel ter in anno ad minus. Secus teneatur Miniſter Provincialis, quibuſvis mediis, & viis licitis procedere ad illius depoſitionem.*

11. *Quod adminiſtratio facultatum Monaſterii fiat per duas electas, ſcilicet per Syndicam, & Miniſtram, quæ Abbatiſſæ quam ſæpiſſime reddant rationem adminiſtrationis ſuæ.*

12. *Non mittantur paſſim Commiſſarii Ordinarii ad Provincias, niſi requirantur ab illis Provinciis, aut majori parte, & pro negotio arduo, quo peracto revertantur, nec præſint Capitulis Provincialibus, niſi ſpecialiter requirantur, & contineantur expreſſe in ſuis literis.*

13. *Fratres, qui derelictis ſuis Provinciis abeunt ad alias Provincias ſine licentia ſuorum Provincialium, arceantur in punitionem ſuæ Apoſtaſiæ, vel cogantur redire ad ſuas Provincias, a quibus ſunt edocti, & enutriti, atque ad*

ad ſtudia literaria evecti; & qui poſt diſceſſum a ſuis Provinciis per ſuas literas ſubornare ſuos Fratres, ut ſimilia faciant, auſi fuerint, ſubjiciantur eisdem pœnis.

14. *Inhibet ſtrictiſſime Capitulum Generale omnibus Monialibus noſtro Ordini ſubditis, ne augeant ſuam clauſuram, aut aliquam partem terræ addant. Neque novas, & recentes feneſtras, ut & videre ſæculares, & ab iis videri poſſint, effici faciant, vel quovis prætextu, vel velamine neceſſitatis, vel utilitatis temporalis allegatæ, & allegandæ; idque ſub pœna depoſitionis.*

15. *Licebit Miniſtris Provincialibus intermedium Capitulum celebrare, aut Patres Provinciæ pro negotiis ejuſdem ad certum locum, & certum diem convocare,*

PRO PROVINCIIS HISPANIARUM.

1. *Conceditur Provinciæ Conceptionis, ut in Conventu Tordeſillas, S. Antonii de Segobia, & Calabazanos Vicarii habeant vocem in Capitulo Provinciali.*

2. *Item ſtatuitur, ut biennio poſt Provinciale Capitulum fiat a Provincialibus, & Diffinitoribus congregatio, quæ gerat vicem Provincialis Capituli ad peragenda ea, quæ ſolent fieri in Capitulis Provincialibus.*

3. *Litium agendarum gratia, aut quacumque alia ratione ad Principum curias Fratres non mittantur, ſed mittantur negotia ad Commiſſarium Curiæ.*

4. *Tempore quadrageſimæ non fiat Capitulum Provinciale in aliqua Provincia, quia multa ex hoc inconvenientia oriuntur, & hoc in utraque Familia.*

5. *Fratres Provinciarum Recollectarum curam Monialium non ſuſcipiant; ſed illa ad proximas Provincias pertineant.*

6. *Reverendiſſimus P. Generalis, aut ejus Commiſſarius Monaſterium aliquod Monialium, aut Fratrum, aut Cuſtodiam aliquam etiam ad preces quorumcumque Principum ab ordinaria Miniſtri Provincialis viſitatione, gubernatione, & regimine non eximant; ſed ſub immediata cura Miniſtri Provincialis ſit.*

7. *Provincia, quæ non habuerit tres ſaltem domos ſtudio literarum occupatas, Grammaticæ ſcilicet, Logicæ, & Theologiæ, careat nomine Provinciæ, fiatque Cuſtodia, & applicetur alicui Provinciæ, ex qua poſſit habere Prædicatores, Confeſſores, & Sacerdotes doctos.*

8. *Quicumque equo, aut curru per publicas vias civitatum aut negotietur, aut deambulet, pœna carceris puniatur ad arbitrium Miniſtri Provincialis, quia hoc ſcandaloſum eſt, & ſtatui noſtro, & Regulæ contrarium.*

9. *Propter multas, atque juſtiſſimas cauſas ſtatuit Capitulum Generale, ne deinceps Confeſſores Monialium, quos Vicarios vocant, in domibus earumdem commorentur, niſi in his dumtaxat, de quibus neceſſarium viſum fuerit Capitulo Provinciali proximo.*

SEQUUNTUR SUFFRAGIA.

Quoniam SS. Dominus Noſter Pius Papa V. ultra immortalia pro ſua erga nos ſingulari devotione, & protectione beneficia Nobis collata, nos nuper largiſſimis eleemoſynis in hoc Capitulo Generali impenſe elargitis ampliſſimo donavit Indulgentiarum, & gratiarum theſauro, nempe inſtar Theſauri Indulgentiarum, gratiarumque impræſentiarum Univerſo elargiti: hinc a quolibet Sacer-

Digitized by Google

Sacerdote dicantur tres Miſſa, a Clericis Psalmi Pœnitentiales ſemel, & a quolibec Laico centum Pater noſter *cum totidem* Ave Maria. *Hujus autem Indulgentia ſummam in calce hac Tabula complectitur; hoc declarato, quod tempus Indulgentiarum incipiat a publicatione Tabula in ſingulis Conventibus facienda.*

Pro Chriſtianiſſimis, & Catholicis Majeſtatibus, uempe Casarea, & Regia dua Miſsa.

Pro Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Cardinalibus Borromao noſtro Protectore, & Cribellio Vice-Protectore Praſide hujus noſtra celeberrima Congregationis, qui nos perhumaniſſime fovit, & tractavit, dua Miſsa a quolibet Sacerdote.

Pro Sereniſſimo Magno Duce Tuſcia, ejuſque Illuſtriſſima Familia, qua ita incredibili devotione, ac benevolentia Religioni noſtra aſſiſtit, ut pro illa ingentes expenſas facere pro noſtris Comitiis non dubitaverit, dua Miſsa a quolibet Sacerdote.

Pro univerſo Cardinalium cœtu, & pro Populo, Senatuque Romano, ac omnibus Principibus Chriſtianis, ac cateris Benefactoribus noſtris a ſingulis Sacerdotibus una Miſſa.

Et univerſaliter pro pace, & confœderatione retinenda inter Principes Chriſtianos, proſtratione hoſtium fidei, Hareticorum, ac Turcarum, & Status Eccleſiaſtici conſervatione dua Miſsa.

Capitulum Generale futurum ſignatur in Conventu noſtro Caſarauguſtano anno Domini MDLXXIX.

Mortui ſunt a Capitulo Valliſoletano 4954. Fratres, inter quos ſunt plurimi, qui pro tuitione, & defenſione Fidei ſe ſe morti tradiderunt, quorum nomina, genus, & Martyria diligentius exquirentur pro temporis opportunitate.

PIUS PAPA V.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

UNiverſis, & ſingulis utriuſque ſexus, qui poſtquam harum literarum notitiam habuerint, prima, vel ſecunda immediate ſequentis hebdomada quarta, & ſexta feria, ac Sabbato jejunaverint, & eadem, ſeu ſubſequenti hebdomada Confeſſori idoneo peccata ſua devote confitentes primo quidem omnipotenti Deo pro felici pradicti fœderis conclusione gratias egerint; deinde pro ejuſdem proſpero ſucceſſu, majorique in dies Chriſtianorum Principum, expeditioniſque adverſus communes hoſtes Turcas ſuſcepta victoria preces fuderint, & pro ſua devotionis affectu eleemosynas erogaverint, Sacramque Euchariſtiam perceperint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, qua Chriſtifidelibus Eccleſias Alma Urbis viſitari ſolitas anno Jubilai viſitantibus conceſſa eſt, elargimur, dantes eis poteſtatem pro hac vice tantum eligendi Confeſſorem ſacularem Presbyterum, vel cujuſvis Ordinis Regularem ab Ordinario loci, vel ab hac Sancta Sede Apoſtolica approbatum, qui eorum audita confeſſione, ipſos, & quemlibet ipſorum (quibuſcumque Hareticis, & libros damnatos ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolica ſcientia quomodolibet legentibus, aut in domibus ſuis tenentibus, vel imprimentibus, aut portantibus, ſeu diſſeminantibus, aut Officium Sancta Inquiſitionis ſub quocumque pratextu, vel colore impedientibus exceptis), quibuſvis peccatis, criminibus, & delictis, atque exceſſibus quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolica reſervatis, & in Bulla, qua die Cœna Domini legi conſuevit, contentis,

tentis, & a ſententia, ac cenſuris Eccleſiaſticis, & pœnis, in quas quomodolibet incurrerint, injuncta eis pro modo culpæ ſalutari pœnitentia in foro conſcientiæ, & pœnitentiali dumtaxat, abſolvere, & quacumque vota ab eis emiſſa, caſtitatis dumtaxat, & Religionis exceptis, in alia pietatis opera commutare valent. Præterea eiſdem Chriſtifidelibus, qui aut adverſa valetudine, aut aliquo alio impedimento detenti præmiſſa omnia, vel aliqua implere nequiverint, ut illa in alia pia opera arbitrio ſuorum Confeſſorum commutare poſſint, quibus ſuper hoc facultatem impertimur. Similiterque iis, qui in itinere fuerint, ſi quum primum iter perfecerint, præmiſſa, ut dictum eſt, adimpleverint, de ejusdem omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, pleniſſimam, & eam, quæ Chriſtifidelibus Eccleſias, ut præfertur, ad id ſtatutas anno Jubilei viſitantibus, conceſſa eſt, Indulgentiam, & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Fr. Chriſtophorus a Capite Fontium Miniſter Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Acta omnia Capitularia confirmavit Pontifex: *Quum ſicut accepimus*. Die 23. Julii.

VI. E roſtris dixit Franciſcus Panigarola conſulto Piſis accerſitus, ubi Philoſophiæ vacabat. Pluries adoleſcens hac occaſione Populo Romano verba fecit, qui lubentiſſime ad ejus conciones accurrebat. Oratio inauguralis, quam in Templo Aracælitano habuit coram Pontifice, tanto omnium plauſu, & acclamatione excepta eſt, ut ad oſculum pedum provolutum Pontifex laudibus cumulaverit, & ad ſacrarum literarum ſtudia hortatus fuerit; quod ut facilius conſequeretur, ei ſuaſit, ut Pariſios adiret, & Cardinali Alexandrino, qui in Galliam Legatus proficiſcebatur, illum dedit in comitatu.

Nicolaus Bonavilla cap. 7. pag. 234.

VII. Eos inter, qui Romæ fuerunt ex omnibus Chriſtianæ Reipublicæ partibus, doctrina, & ſanctitate florentes, non eſt omittendus Petrus a Xerez Miniſter Provinciæ S. Joſeph, cui ad Urbem venienti in montibus Pyrenæis jejuno, omnique humana ope deſtituto Angelos eſcam detuliſſe ſcribit Marcellus a Ribaldeneira, & habetur in Chronica Provinciæ Conceptionis. Conſulturus Pontificem de negotiis quibusdam ſuæ Provinciæ, ad Aulam acceſſit, ubi Alphonſus Lupus ejus ſocius rem expoſuit, ipſo interea ſilente, oculis in terram defixis. Relatione expleta, dixit Pontifex adſtantibus: *Iſte* (Fratrem Lupum inſinuans) *non parum ædificationis mihi exhibuit loquendo; ſed amplius Provincialis tacendo*, ejusque orationibus ſe commendavit, ut oneri totius Eccleſiæ difficillimis temporibus ferendo par eſſet, & quidquid vellet poſtulandi veniam fecit. Ille unum Indulgentiæ granum petiit, quo Pontifex opinionem auxit, quam de eo conceperat.

Monumenta Provinc. Conceptionis.

Monumenta Provinciæ S. Joseph.

VIII. Habitum quoque eſt hoc anno Capitulum Generale Minorum Conventualium in Civitate Camerini, electusque Generalis Magiſter Joannes Picus, qui, computato Vicariatus Generalis tempore, Ordinem rexit annos quinque, & ſex menſes, ejusque electionem Pontifex confirmavit: *Quum ſicut accepimus*. Die 8. Junii. Antea curam exercuerat Cœnobii Recinetenſis, quod ſtructuris, & opibus auxit. In Cœnobio Camerini Regularem vitam promovit, & Novitios ſibi commiſſos erudivit. Multa valuit gratia apud Carolum Cardinalem Borromæum virtutis, & meritorum ſapientiſſimum judicem. Claruit humanitate, & morum elegantia, quum omnes indiſcriminatim benigne exciperet, qui-

Rodulphus lib. 2. pag. 198. a tergo.

quicumque ad ſe accederent, & recedentes lætos dimitteret. Numerus Fratrum Capitularium exceſſit fere millenarium. Magiſter Franciſchinus Ferrarienſis, qui inter Oratores nominis immortalitatem eſt aſſequutus, habuit duas conciones, & Magiſter Marcus Foroſempronienſis Theologus eruditiſſimus, peracta Theorematum disputatione, lauream accepit a Magiſtro Generali. Hic primus decrevit in Ordine, ut hora Primæ perſolveretur ſtatim poſt matutinas juxta veteres Canones, quod ſervatum eſt in locis, ubi matutinæ dicuntur circa ortum Solis.

IX. Franciſcus Zamorenſis, qui Romam petebat hoc anno, ut ad Comitia Generalia aſſiſteret, non autem, ut ſcribit Willotus, viſitandis Provinciis pro officii ratione occupatus, mortali vitæ finem impoſuit ſummo cum omnium mœrore ob ſpectabiles ejus virtutes, ingenium, & pietatem. Præter illa, quæ de eo narrantur in Annalibus ſuperioribus, novimus, eum anno 1561. in Comitio Provinciali Gandavenſi omnium primum paradoxas, & a Fide Catholica alienas Michaelis Baji, & Joannis Heſellii Doctorum Lovanienſium propoſitiones ſedulo examinaſſe, & proſcripſiſſe, quamvis id ob rerum circumſtantias, ne turbæ excitarentur, Cardinalibus S. Romanæ Inquiſitionis minus gratum acciderit. A Rodulpbo Pio Cardinali Carpenſi anno 1552. inſtitutus eſt Ordinis Procurator, & in congreſſu Salmaticenſi Commiſſarius in Romana Curia deſignatus, ſingulari, & doctiſſima apologia, jura Ordinis defendit adverſus nonnullos, qui Viſitatores Provinciarum deputari obtendebant in Curia. In Concilio Tridentino anno 1562. Dominica Secunda Quadrageſimæ, habuit Orationem, quæ incipit: *Vereor, ne mihi hodierno die*, habitam prius Romæ in Aula Pontificis. Quum Tridenti detineretur, & ad Congregationem intermediam in S. Alvernæ Monte indictam accedere non poſſet, nominavit Commiſſarium Generalem Franciſcum Aretinum, factamque nominationem Poutifex ratam habuit.

Willot Athen. Orthod. Lit. F.

Labbæus tom. 20 pag. 546.

X. Natalem diem ſortitus in Civitate Conchenſi ex familia nobiliſſima, Ordini Minoritico ſe adſcripſerat in Provincia Carthaginenſi, in qua juvenis adhuc viginti annorum Concionator fuit inſtitutus. Plurimas Provincias nondum Miniſter Generalis viſitavit. „ Expleto Generalatus ſexennio, inquit Dominicus de Gubernatis, ad humilitatis, & „ animæ ſuæ negotia anbelans, a Philippo II. Rege Catholico ad graviſſima negotia diſtractus, omnia mira celeritate, maximaque prudentiæ gloria quum jam compleſſet, oblatos ſibi a Rege Epiſcopatus invicta conſtantia recuſavit, ut ad devotiſſimum Dominæ Noſtræ de Hortis Conventum ſibi tandem ſecedere liceret, ubi omnibus humilitatis, & charitatis officiis totus incubuit. Verum ad componendas Gallæciæ totius ex cauſa regiminis graviſſimas commotiones a Rege iterum deſtinatus, eisdem ad Regis votum perfectiſſime compoſitis, Tuenſem Epiſcopatum iterum, & tertio oblatum admirabili conſtantia recuſavit, Philippo Catholico præ cæteris exclamante, *paucos huic ſimiles viros in Eccleſia Dei reperiri* „.

De Gubernatis tom. 1. lib. 3. §. 59. pag. 234.

XI. „ Ad Generale Capitulum tamquam Pater Ordinis evocatus, „ licet ætate jam confectus, pro Religionis ſuæ bono maxima veniens „ exemplaritate, Plumbini in Tuſcia morbo correptus, & a Patribus „ & coram, & per literas rogatus, ut Romam properaret, iterum in „ Generalem eligendus, quaſi divinans reſpondit, (quamvis infirmitate nondum ad mortem aggravante) *ſe ad Patriam cæleſtem, non ve-*

„ ro ad Romanam Curiam fore citius migraturum. Addidit etiam, quod „ Superiorem omnibus numeris abſolutum eſſent in Comitiis receptu„ ri. Poſt dies aliquot, invaleſcente morbo, Sacramentis Eccleſiæ de„ votiſſime receptis, obiit in Domino, Tuſciæ Miniſtro Provinciali fu„ nebria peragente. Magiſter Provincialis Conventualium ipſius laudes „ peroravit. Romæ in ſolemnibus exequiis eum laudavit e ſuggeſto „ F. Angelus Averſanus Archiepiſcopus Tranenſis.

XII. Cœnobium S. Andreæ Apoſtoli de Monte Arenarum in Provincia S. Joſeph expenſis Ducis de Infantado hoc anno conſtructum ſcribit Gonzaga. At Amanuenſis imperitia id ſane eſt factum; in eo enim vixit, & tumulatus eſt, ipſo etiam Gonzaga teſte, S. Petrus Alcantarenſis defunctus in Valetudinario extra Oppidum. Quamvis ſitum ſit in loco alpeſtri inter montes ſesquimilliari ab Oppido, non deeſt tamen Fidelium pietas quiudecim Fratribus, & Novitiis, qui inibi morantur. Floruit in eo B. Petrus Baptiſta Protomartyr Japponenſis ex Oppido de Eſteban Diœceſis Abulenſis, qui emenſo Salmantiæ literarum curriculo, & nobilibus Parentibus valedicto, in eadem domo Minoriticam Regulam profeſſus eſt. Deceſſerunt Didacus Machado, de quo ſupra, Petrus de Albaceta, Joannes a Calzadilla, Joannes a Jeſu Abulenſis, Joannes de S. Maria Conchenſis, & Michael a Serradilla, quorum glorioſa geſta ad ſuos annos, vita comite, proſequemur.

[Margin: Gonzaga in Prov. S. Joseph con. 6. — Monumenta Provinciæ.]

XIII. Eduardus ab Almeida Comitis Abrantinenſium filius perficiendum ſuſcepit hoc anno Cœnobium S. Mariæ de Charitate Sordoalii Diœceſis Guardienſis in Provincia Pietatis, poſtquam hoc eodem anno Civium expenſis incœptus foret in Eremitorio devotiſſimo, nec æris publici inopia ad culmen potuiſſet adduci. Pius vir ſepulchrum nactus eſt in Majori Sacello. Degunt ibi duodecim Fratres, qui Sodalitio Tertii Ordinis præſunt. Loci juspatronatus obtinent ſucceſſores Gaspari Baratæ Archiepiſcopi Braſilienſis.

[Margin: Gonzaga in Prov. Pietatis con. 10. — Monumenta Provinciæ.]

XIV. In eadem Provincia, & Oppido de Pennamaçor ejusdem Diœceſis Guardienſis Epiſcopi Joannis de Portugallia ſuaſionibus, publico, privatoque ſumptu fundatum eſt Cœnobium S. Antonio de Padua ſacrum, opus promovente Matthæo de Evaſo Provinciæ Miniſtro. Exſtat hic quoque Sodalitium Tertii Ordinis; majusque Sacellum ære proprio exſtruxit Stephanus Tavares Eques Sacræ Militiæ Chriſti.

[Margin: Gonzaga ibidem con. 11. — Monumenta Provinciæ.]

XV. Cives Oppidi Cazorlæ in Provincia Granatenſi deſiderio, quo tenebantur, habendi apud ſe Fratres Minores, eis hoc anno inhabitandam aſſignarunt Ædiculam S. Georgii, ſeu Veræ Crucis, dum Cœnobium S. Franciſci, cui manus admoverant, conſtrueretur, quod tamen nonniſi poſt octo annos ex publicis facultatibus abſolvi potuit, atque in ipſum ſolemni pompa Minoritas deduxerunt.

[Margin: Gonzaga in Prov. Granatenſi con. 31.]

XVI. Ex præpoſituris extincti præterito anno Ordinis Humiliatorum Minoritis acceſſit Eccleſia S. Marci Terdonenſis, loco alterius Eccleſiæ, quam Epiſcopo, & Capitulo ceſſerunt. Ita in literis Apoſtolicis: *Quoniam per extinctionem*. VI. Idus Februarii: *In ſingulis domibus de Canonica S. Joannis Evangeliſtæ, & SS. Trinitatis Mediolanenſis, & S. Bartholomæi Bergomenſis, & S. Franciſci Paduani, & S. Marci Terdonæ, & S. Oderici, & Omnium SS. Papien., & etiam Omnium SS. Modœtiæ ſupprimimus perpetuo, & extinguimus nomen, titulum, & eſſentiam præpoſituræ, omniaque inſignia veteris Inſtituti dividimus, & ſeparamus, omnia harum ſic ſuppreſſarum præpoſiturarum bona, res, actiones, & jura a ſua quoque Eccleſia,*

[Margin: Cherubinus in Bull. tom. 2. pag. 348.]

cleſia, & domo, nec non hortis, viridariis, & pertinentiis intra Clauſuram cujuſcumque domus conſiſtentibus in hos, qui ſequuntur, uſus perpetuo aſſignatis. Siquidem concedimus Eccleſias, ædes, hortos, viridaria, & pertinentias intra prædictam clauſuram exiſtentes ſuppreſſarum præpoſiturarum, videlicet de Canonica S. Joannis Evangeliſtæ, & SS. Trinitatis ad uſum Seminarii &c. S. Marci Terdonenſis Fratribus domus S. Franciſci Ordinis Minorum, qui a ſua domo, & ejus Eccleſia Epiſcopo, & Capitulo Terdonenſi pro illorum futura, loco occupata, Cathedrali, relicta, in dictam Eccleſiam S. Marci debeant demigrare &c.

XVII. Franciſcus a Rogia, ſeu de Rojas, Domlnus Oppidi Moræ Diœceſis Toletanæ, ex facultate Licentiati Buſti de Villegas Toletanæ Eccleſiæ Regii Adminiſtratoris, in proprio fundo hoc anno fundamenta jecit Cœnobii S. Franciſci, vulgo S. Eugenii in Provincia Caſtellæ, ejuſque poſſeſſionem, abſente Antonio de Corduba Provinciæ Commiſſario, accepit Franciſcus Guſmanus. Intrarunt Fratres die 20. Maji numero duodecim ſatis inviti ob ædis anguſtias, & fabricam ad finem non perductam nec tempore quidem Generalatus Franciſci Gonzagæ. Gonzaga in Prov. Caſtellæ con. 28.

XVIII. Uno milliari ab Oppido Burgiliorum, ſeu de Burguillos, in Provincia S. Gabrielis conſtrui cœperat ſex ab hinc annis Cœnobium Sacrorum Stigmatum expenſis Tereſiæ a Zuniga Paſſionis Chriſti devotiſſimæ, Duciſſæ Beſiaranorum, & loci Dominæ, quæ morte præventa ſupremis tabulis hæredes obſtrinxit ad opus perficiendum, hoc anno completum Fratrum cura in proximo Eremitorio habitantium. Deceſſit inibi Michael a Valentia pœnitens valde, & ſpectatæ perfectionis. Ex Pontificis decreto Cœnobium Hippolytanum S. Bernardini in ſuburbiis Wratislaviæ inſertum eſt Vicariæ Bohæmiæ, & Auſtriæ. Decretum alterum conceſſit Miniſtro Provinciæ S. Franciſci, & Guardiano S. Hieronymi Narniæ, ut poſſent recipere poſſeſſionem rerum mobilium Cœnobii Clarenorum B. Mariæ de Sylva, & vendere Sylvam annexam; quod poſtremum executioni non eſt demandatum, domumque hanc, non alteram S. Felicianelli Fulginii Obſervantes occuparunt. Hoc vero anno, vel antecedenti receperunt domum eorumdem Clarenorum prope Colleſcipolim ad Civium inſtantiam. Idem in Provinc. S. Gabrielis con. 2. Archiv. S. Iſidori Arm. 5. num. 27. pag. 115.

XIX. Optaverant Cives Fori Julii juxta mare ad ripam fluvii Argentii in territorio Echibienſium in Provincia Minoritis Cœnobium ponere; quod, temporum injuria, in hunc annum diſtulerunt. Interim Minimis S. Franciſci de Paula a domo B. Mariæ de Pietate intra Civitatem ſponte excedentibus, tranſlatiſque bonis ad proximiorem illorum Conventum, Epiſcopus nomine Romanus, & Conſules Clauſtrum vacuum obtulerunt Joanni Rivotorto Miniſtro Provinciæ S. Ludovici, qui aliquot Fratres eo miſit, donec Pontificium accederet beneplacitum, quod tamen obtineri non potuit, niſi poſt tresdecim annos. Commorantur ibi decem circiter Religioſi. Fabrica Cœnobii Dominæ Noſtræ Carpentoractis his temporibus augebatur, eamque promovebat Summus Pontifex, poſtquam Fratres expulſi Hæreticorum armis a Cœnobio loci de Montiliis, & intra mænia Civitatis recepti a Fabricio Sorboleto domum habitaſſent ab Hæretico Dalmatio ereptam, & a Pio IV. eiſdem attributam. Gonzaga in Provinc. S. Ludovici con. 12. Idem ibidem con. 11.

XX. Moniales Ordinis S. Auguſtini Civitatis Guaſtallæ, ſeu Vaſtallæ, prope Padum in Lombardia, quæ a Regulari Obſervantia deflexerant, Cæſar Filius Ferdinandi, ſeu Ferrandi Gonzagæ Dux tranſtulit ad aliud ſeverioris diſciplinæ Monaſterium ejuſdem Ordinis in Oppido Caſtri No-

vi Diœceſis Parmenſis, & Territorii Rhegini, domumque tradidit Minoritis Obſervantibus, Summo Pontifice id approbante: *Inter cætera*. Die 7. Novembris. Ex bonis Monaſterii aureos nummos circiter quingentos fabricæ applicavit, & hæredibus ſuis injunxit, ut annuas eleemoſynas largirentur pro Fratrum ſubſtentatione. Id conſtare ſcribit Flaminius de Parma ex ejus decreto ſub die 7. Aprilis anno 1584., & diplomate originali Ferdinandi II. ejus filii ſub die 24. Martii anno 1583., quo Parentis ſui diſpoſitionem confirmat. Oportet vero, ut error aliquis ſit in numeris, quum Ferdinandi confirmatio poſterior eſſe debeat parentis decreto. Idem Ferdinandus, loco Eccleſiæ nimis anguſtæ ampliorem ſub titulo S. Franciſci excitavit juxta archetypum a ſe delineatum, quam conſecravit anno 1662. die 17. Octobris Chriſtophorus Carletti de Capranica Ordinis Minorum Epiſcopus Firminæ in partibus. Initio pertinuit ad Provinciam Mediolanenſem una cum Cœnobio Vitellianæ Diœceſis Cremonenſis. Utrumque ſubjacuit Provinciæ Bononienſi ſub Innocentio XI. Pontifice.

Flaminius de Parma in Con. Vaſtallæ.

XXI. In Provincia Septem Martyrum fundatur Cœnobium B. Mariæ de Succurſu Scyllæ circa hæc tempora beneficentia Fabritii Ruffi Comitis Sinapolitanorum, paterni Avi ſui fundatoris Cœnobii S. Franciſci Sinopolis pietatem æmulati, ut navigantium quoque ſaluti conſuleret, erecto inter Scyllæ, & Carybdis ſcopulos in freto Siculo Templo Deiparæ Virgini, quæ in illarum faucium anguſtiis periclitantibus opitulatur.

Gonzaga in Prov. Sept. Martyrum con. 2.

XXII. Joannes de Ribera Archiepiſcopus Valentinus facultatem accepit a Pontifice conſtruendi intra, vel prope muros Valentiæ Monaſterium cum Oratorio pro Fratre Petro de S. Maria, quem ſecum duxerat ad Eccleſiam Valentinam, viro Religionis zelo, literarum ſcientia, probitate, & prudentia eximio, & decem, vel duodecim aliis Fratribus Cuſtodiæ S. Joannis Baptiſtæ in Provincia S. Joſeph: *Piis Fidelium*. Die 18. Martii. Gonzaga, Archiepiſcopi facta mentione, ædificium inchoatum ſcribit anno 1575., ipſumque, quum lente promoveretur, ex domeſticis facultatibus abſolviſſe Roccam Decanum Eccleſiæ Valentinæ. Putaverim, Archiepiſcopum multo libentius faviſſe his temporibus operi, quod faciendum impetraverat, quam anno 1576., ut idem Gonzaga aſſerit, fundationi Conventus S. Onuphrii Setabis, vel de Xativa.

Idem in Provinc. S. Joannis Baptiſtæ con. 9. & 10.

XXIII. Literis Pontificis: *Quum ſicut accepimus*. Die 29. Martii, injungitur Carolo Cardinali Borromæo, ut, alio translatis Fratribus Minoribus Obſervantibus, immittat in Cœnobium S. Lucæ Cremonæ Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, dummodo conſtet, Provinciam Bononienſem in Oppidis unam, ut plurimum, habere domum, & Fratrum copia non eſſe divitem; ac præciſe Fratres Cœnobii S. Lucæ curam, & onera poſſidere illorum profeſſioni contraria, eosque inter, & Fratres S. Angeli diſſentiones vigere in Civium ſcandalum. Neceſſe eſt, nihil horum fuiſſe verum, quum Obſervantibus Cœnobium ad noſtram usque ætatem remanſerit.

XXIV. Obſervantes S. Salvatoris in Hungaria deſeruerunt Conventum de Lyptovue, ſeu Lypchovienſem in Cuſtodia Ozoræ, ut reperio in Chronicis Provinciæ, vel potius Conventum Okolicsnenſem, qui loco illius antea Provinciæ ceſſerat, teſte Vigilio Greiderer, niſi dicere velimus cum præfatæ Chronicæ Auctore, unum, eumdemque Conventum

Greiderer lib. 2. num. 255.

tum duplici nomine vocatum, Lypchovienſem ſcilicet a Comitatu, in quo exſiſtit, & Okolicsnenſem a familia Okolicsna, quæ eum fundaverat. Vetus membrana charactere Gothico de illius fundatione hæc habet: „ Anno Domini 1476. poſita ſunt fundamenta Conventus Lypchovienſis ad honorem Virginis Mariæ de Angelis, ſive de Paradiso „. In Tabulario Gentis Okolicsnæ ſequens monumentum occurrit.

Ego Frater Joannes Magots Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcretus Provinciæ Hungariæ S. Salvatoris, & Commiſſarius Reverendi Patris Miniſtri, Fratris videlicet Emerici de Toris ejuſdem Provinciæ ſignifico omnibus, quibus expedit per præſentium tenorem, quod nos Fratres Minores de Obſervantia, egregii Domini Nobiles, Petrus videlicet de Okolicsna, & Sebaſtianus de eadem, de Clauſtro in poſſeſſione Okolicsna fundato, ex quo ibidem propter defectum Fratrum Slavorum victum habere non poteramus, una cum omnibus rebus monaſterii, & ornamentis Eccleſiaſticis aliunde delatis in pace exire permiſerunt. Propria tamen, quæ erant loci, ibidem reliquerunt. Quos quidem Dominos nobiles Patronos noſtros in persona. nimirum Patris Miniſtri, & omnium Fratrum noſtræ Provinciæ per præſentes ſigillo noſtro roboratas reddo ſecuros, & impoſterum immunes reddimus, ita ut nunquam aliquis ſuas egregias Dominationes de his rebus tam in jure Eccleſiaſtico, quam in Civili quærere, perturbareque poſſit. Interfuerunt autem huic negotio venerabiles Domini Plebani, Dominus R. Laurentius Paſtor de S. Nicolao, Dominus Albertus de S. Andrea; ex egregiis vero Dominis Dominus Benedictus Kubinyi vice Comes Lyptovienſis, Petrus Pongracz de S. Nicolao, Georgius Bellevany, Benedictus Cserniczky, Jacobus Berna, Martinus Zaboroczky. Datum in eodem clauſtro I. Junii MDLXXI.

L. S. Commiſſarii Provincialis.

XXV. Patres Capituli Generalis approbarunt, & Summus Pontifex confirmavit fundationem Collegii, ſeu Gymnaſii, quod, Franciſco de Toloſa Guardiano rem promovente, Joannes de Arana, & ejus uxor Mentia a Villella Victoriani Cives propriis expenſis Annuntiationi Deiparæ ſacrum conſtrui juſſerant, & adjungi Cœnobio S. Franciſci Victoriæ in Provincia Cantabriæ. Pii fundatores primogenito, ejuſque ſucceſſoribus demandarunt, ut, ædificio quanto citius abſoluto, ſingulis annis trecentos aureos coronatos pro duodecim Fratribus ſtudentibus, & Sacelli inibi erecti Sacellanis, & duobus Lectoribus, quorum alter Scholaſticam ex Angelico Doctore, alter ex Doctore Subtili explicaret, alendis, induendisque penderent; inſuper ut & primus eorum ſucceſſor infra quadriennium a capta hæreditate octoginta aureos coronatos, ſecundus infra idem tempus ſexaginta tritici modios, tertius quinquaginta alios aureos, quartus, & qui hunc ſequuti fuerint, totidem aureos perpetui redditus jure, ſub præfixis pœnis, adjiciendos curarent, utque tandem juxta redditum quantitatem, numerus ſtudentium augeretur. Gonzagà in Prov. Cantabriæ con. 1.

XXVI. Joannæ de Toleto attributum eſt jus ſepulturæ in Majori Sacello Eccleſiæ S. Franciſci Cæſarauguſtæ in Provincia Aragoniæ, quod, ipsa non ſolum reſtauraverat, verum etiam ſeptem, aut octo millia ducatorum erogaverat ad reparandum Clauſtrum, totumque Cœnobii ædificium: *Exponi Nobis*. Die 29. Julii. Prædictum jus acceperat prius a Superioribus Provinciæ, & Ordinis nobilis mulier, ſed, ut hominibus plerumque mos eſt, parum gratos eos invenerat, quibus benefecerat. Bernardus de Fresneda Episcopus jam Conchenſis, modo Cordubenſis

benſis obtinuit, ut neque pretioſa ornamenta, quæ intulerat in Eccleſiam Cœnobii S. Dominici Calciatenſis, neque Bibliothecæ a ſe erectæ libri extraneis commodari poſſent: *Ex commiſſo Nobis*. Die 4. Januarii.

XXVII. In Templo Aracælitano tumulum, in quo poſt tres annos eſt conditus, ſibi poſuit Alexander Cardinalis Cribellius Vice-Protector Ordinis cum Inſcriptione: „ A Te vita. Per Te ſalus. In Te quies. Alexander Cribellius Mediolanenſis Tituli S. Mariæ de Araceli S. R. E. Presbyter Cardinalis ſexageſimum annum agens An. MDLXXI. Menſe Decembri die XXII. Obiit die XXII. Decembris A. D. MDLXXIV. „

XXVIII. Cœnobium S. Mariæ ad Nives Civitatis Divitis in Cuſtodia SS. Trinitatis de Chile, de quo jam diximus, hoc anno intrarunt tres Religioſi eo miſſi a Joanne Vega, quem Gonzaga appellat Miniſtrum Provincialem, quamvis fateatur, Cuſtodiam hanc titulum Provinciæ non adeptam, niſi anno 1572., & Joannem Vegam primum Miniſtrum fuiſſe. Idem Vega honeſtas mulieres, quæ Oſornii Tertio Ordini de Pœnitentia S. Francisci nomen dare cupiebant, Religionis habitu donavit, traditis vitæ, quam ſequerentur, præceptis. Cœnaculum, ſeu Refectorium Conventus S. Franciſci Corneti in Provincia Romana abiit in horreum frumentarium Cameræ Apoſtolicæ, quum partim dirutum, partim ruinæ proximum foret: *Quum Camera Apoſtolica*. Die 25. Februarii.

Idem in Provinc. SS. Trinitatis de Chile con. 9 & mon. 1.

XXIX. Pro Minoribus Conventualibus exſtructum eſt Cœnobium S. Blaſii in Cuſtodia Salernitana ſumptibus Fratris Mariani de Caligario Tertii Ordinis. Mediolani translatus eſt Chorus, ſive Odæum a medio Eccleſiæ S. Franciſci, ubi erat ſitum, ad locum, in quo nunc eſt. Hac occaſione corpora SS. Naboris, & Felicis Martyrum, S. Materni Archiepiſcopi, aliaſque plures Reliquias, quæ in Chori ipſius Altari ſervabantur, & cum illis Cineres S. Barnabæ Apoſtoli, qui manebant in Sacello olim S. Barnabæ, nunc S. Franciſci, Carolus Cardinalis Borromæus die 12. Septembris ſolemni pompa repoſuit in Ara novi Chori, ſic ut in fundo quidem ſtarent corpora SS. Naboris, & Felicis; deinde ſupra cratem ferream per mediam Aram extenſam ad Cornu Evangelii Capſa S. Barnabæ, & ad Cornu Epiſtolæ S. Materni; ejuſque translationis memoriam quotannis recolendam præſcripſit, conceſſis centum annorum Indulgentiis. Recognita quoque ſunt corpora SS. Felicis, & Fortunati Martyrum, & S. Gaji Archiepiſcopi in Sacello S. Bonaventuræ. Rem promovit Frater Eleuterius Medulani Cremenſis Cœnobii S. Franciſci Guardianus, & ſui Ordinis Commiſſarius Generalis, quem Mediolanenſium Antiſtiti adfuiſſe narrat Placidus Puccinellus in Vita S. Barnabæ, una cum Fratribus Hieronymo a Cruce celeberrimo Oratore dicto a S. Auguſtino, Joanne Antonio Fantini, vel Faventino, Carolo Uberti, Hieronymo Pallanterio, Jacobo Gonzaga, Joanne Baptiſta Ghiſulfi, Paulo Carena, Jacobo Mochiani, Leonardo Larrada, Franciſco Deſio, Franciſco Pirovani, Auguſtino Lampugnani, Franciſco Ullis de Felizzano

Rodulphus lib. 2. pag 276. Acta SS. ad diem 11. Junii pagina 455.

XXX. Iidem exceſſerunt a Cœnobio S. Athanaſii Rethymi in Provincia Candiæ Turcarum furore expulſi fortaſſe non hoc anno, ſed certe, ut ſcribit Gonzaga, ſub Pio V. A Cœnobio Fuldenſi ob hæreſes, & bella, quod desertum hoc anno occuparunt Jeſuitæ, ipſis faventе Balthaſſare de Bernebach Principe, & Abbate Fuldenſi. In hoc loco Obſervantes ſtationem ſortiti ſunt ſub initium Sæculi XVII. immiſſi a Joan-

Gonzaga in Prov. Candiæ con. 5.

Monumenta Provinciæ S. Eliſabeth Thuringiæ.

a Joanne Friderico de Schivalbach Abbate in domum Sacello S. Severi contiguam, donec paullo poſt Joannes Bernardus Schenck a Sweinsberg ad montem Fuldæ proximum, vulgo montem Episcopi, ſeu Marianum, eos tranſtulit.

XXXI. Capuccinorum Familia excepit Cœnobium Montis Drepani, ſeu S. Juliani, ſub invocatione S. Hieronymi in valle feraciſſima, ubi anno 1577. obiit Frater Vitus a Monte, ſanctitatis fama notiſſimus; Cœnobium Leoniſſæ Diœceſis Spoletanæ, Tuderti, Drugnoli, & Rezati, ſeu Roſsati Diœceſis Brixienſis. Veronæ diviſit Pontifex curam animarum a Monaſterio S. Crucis de Cittadella, quæ unita erat Cœnobio Monialium S. Sylveſtri Ordinis S. Benedicti, ratamque habuit aſſignationem illius, & Eccleſiæ in habitationem Capuccinorum: *Ex commiſſo Nobis*. Die 30. Novembris. (Sicilia Sacra tom. 2. pag. 111.)

XXXII. Numerabat eadem Familia plusquam trecenta loca, & in his tres mille trecentos Capuccinos, in Gallia etiam immiſſos, ut minus vere ſcribit Joannes de Terra Nova in libro, quem hoc anno Italice ſcripſit de Origine, & Principiis Congregationis Capuccinorum. (Joannes de Terra Nova in Origine Fr. Capuc. §. 4. num. 36.) In eo refutat objectionem adversariorum his verbis conceptam: *Quod nullus Capuccinus fuit Sanctus, nec fecit miracula, ſicut illi, qui de Familia fuerunt*. (Ibidem num 72.) Ego neſcio, an id unquam Capuccinis ab aliquo objectum fuerit; neminem enim, qui id dixerit, scriptor in medium affert. Ex nominibus contumelioſis, quibus Observantes paſſim appellat, argui merito poteſt, eum de ipſis tamquam adversariis loqui. At tantum abeſt, ut Observantes ea verba protulerint, quin potius, ut ex dicendis patebit, circa ipsa tempora, quibus Auctor opus ſuum exarabat, non defuerint ex Ordine Observantium, qui Capuccinos ſanctitate inſignes perpetuis laudibus fuerint proſequuti.

XXXIII. Sed iſta omittamus. His temporibus miſſos hujus Ordinis alumnos in Vallem Lucernæ, aliasque regiones ad hæreses conterendas scribit Boterus: „ Ad viam ſalutis in reducendis Lucernenſibus, & An- (Boterus in lib. de Sabaudiæ Principibus.)
„ gronianis Philiberti VIII. Ducis exemplis inhærendo, quibusdam elapſis
„ annis Pius V. Papa, & Dux Emmanuel Philibertus primo, deinde
„ Gregorius XIII., & Carolus Emmanuel, & ipse Dux ſecundo una-
„ nimi conſensu zelum Catholicæ Fidei zelantes Pontifices, ac Duces
„ uniformi conſensu in Narbonenſi, ac Viennenſi Gallia inſigniores
„ Religioſos Jeſuitas, & Capuccinos proprio ære ſtare, & perſtare vo-
„ luerunt, qui Valdenſibus prædicatione, & exemplo Evangelicæ do-
„ ctrinæ candorem, & nitorem, ideſt perfectionem demonſtrarent „.

XXXIV. Magnifici Templi S. Bernardini Senenſis in Civitate Aquilana, cujus primum lapidem posuit anno 1520. die 19. Junii Nicolaus de Amatrice Architectus, triplici ſtructuræ ordine diſtincti Conſecrationis memoria ad finem Chori lapide inscribitur his verbis.

MDLXXI. Die XIV. Menſis Maji Ego Joannes de Acugna Episcopus Aquilanus consecravi Eccleſiam, & Altare majus in honorem S. Bernardini, & Reliquias Beatorum in eo concluſi, ſingulis Chriſtifidelibus hodie unum annum, & in die Anniversario Conſecrationis hujusmodi ipsam viſitantibus XL. dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta concedens.

XXXV. Circa hæc tempora ad normam literarum Apoſtolicarum tollentium Congregationes abſque votis, Sorores Tertii Ordinis ſub titulo Conceptionis in ſuburbio Civitatis Vilnæ emiſerunt vota caſtitatis, & obedientiæ, non tamen paupertatis, quamvis bona nulla poſſiderent. (Monumenta Provinciæ Lithuaniæ.)

ſed

ſed viverent ex honeſtis laboribus, & educatione nobilium puellarum. De hac æde nihil Gonzaga. Ipſam anno 1508. fundavit Anna Olechnowiczouna filia Palatini Vilnenſis, & anno 1541. fundationem diplomate cofirmavit Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ. Religionis habitu ſumpto, aliarum Magiſtra nobiliſſimas mulieres exemplo ſuo traxit, quæ in Monaſteriis Vilnæ ad S. Michaelem, Breſtæ, Kalisy, Prasnyæ, Caunæ, & Grodnæ Regularis Diſciplinæ ſub tribus votis, & Clauſuræ fundamenta jecerunt. Habent duo Oratoria, quorum unum cum Choro aſſurgit ſupra porticum Eccleſiæ Minorum Obſervantium, undique clauſum, pulcherrimiſque ornamentis refertum.

XXXVI. Hoc anno in Provincia Conceptionis fundatum eſt Monaſterium S. Annæ Oppidi Collaris, ſeu de Cuellar, quod minus vere Chronologi recentiores cum Gonzaga referunt ad annum 1552., ut Inſcriptio oſtendit in Porticu Eccleſiæ ex Hiſpano idiomate in latinum verſa: *Hoc Collegium funditus erexit in honorem B. Annæ Domina Franciſca de la Cueva Comitiſſa de Luna Filia Illuſtriſſimorum D. D. Ducum de Alburquerque hujus nominis II., & D. Eliſabeth Giron ejus Conjugis anno MDLXXI.* Idipſum habetur in clauſula Teſtamenti ejuſdem Franciſcæ e vivis ſublatæ, antequam fabrica compleretur, die 11. Januarii anno inſequenti, & ſepultæ in majori Sacello Conventus S. Franciſci. Inſtituerat Monaſterii Patronos Primogenitum Ducum de Alburquerque, Senatores loci, & Guardianum prædicti Conventus. Sed hypotheca annuorum redituum non aſſignata, inſtitutio effectu caruit.

Gonzaga in Prov. Conceptionis Mon. 37.

Monumenta Provinciæ.

XXXVII. Approbavit Pontifex fundationem Monaſterii SS. Annuntiationis Ligneii Diœceſis Tullenſis factam ab Antonio de Lucemburgo Briannenſium, & Ligneianorum Comite in gratiam Margaritæ a Sabaudia, & indulſit, ut Moniales quindecim, quæ inibi degunt, privilegiis a ſuis Prædeceſſoribus conceſſis fruerentur. Eccleſiam conſecravit poſt annum a fundatione die 18. Septembris Clemens Chriſtopolitanus Epiſcopus, & Tullenſis Suffraganeus.

Gonzaga in Prov. Franciæ Pariſien. Mon. 31.

XXXVIII. Reformatæ ſunt hoc anno Moniales omnes Ordinis S. Claræ in Regnis Hiſpaniarum, apud quas Scalarum abuſus invaluerat, non amplius ipſis ad neceſſaria accipienda inſervientium, ſed ita numero auctarum, ut per illas perſonæ ſæculares, & Clerici aſcenderent ad comeſſationes: *Indefeſſa Romani Pontificis*. Die 14 Septembris. Datur facultas Commiſſario Generali Familiæ Ultramontanæ, & Miniſtris Provincialibus, ut malo promptum remedium afferant.

XXXIX. Joannes Cardinalis Moronus Epiſcopus Oſtienſis facultatem accepit reformandi Monaſterium S. Claræ Mutinæ, transferendi ejus Moniales, & alias aliunde acceſſitas, ſi bene viſum fuerit, in illud immittendi: *In ſuprema*. Die 8. Septembris. Nicolaus Sfondratus Epiſcopus Cremonenſis facultatem reformandi Monaſteria Ordinis S. Benedicti, & S Claræ Conventualium propriæ Diœceſis: *Exponi Nobis*. Die 8. Decembris. Petrus Epiſcopus Cajetanus facultatem viſitandi, & reformandi Monaſterium B. Claræ de Monte Falco adminiſtratum a Fratribus Ordinis S. Auguſtini: *Promeretur tuæ fidei*. Die 10. Novembris. Fulvius Epiſcopus Spoletanus facultatem ſupprimendi etiam, ſi opus fuerit, Monaſterium Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci Villæ Valliæ Caldaræ Ditionis Nurſiæ: *Non ſine magna*. Die 20. Aprilis. Stephanus de Molina Miniſter Provinciæ Neapolis facultatem aſſumendi quatuor Moniales ex Monaſterio SS. Corporis Chriſti, aut SS. Euchariſtiæ Ordinis S. Claræ Civita-

Digitized by Google

vitatis Aquilæ, illaſque transferendi ad Monaſterium S. Claræ Neapolis, ubi Abbatiſſæ, Vicariæ, Sacellanæ, & Oſtiariæ munere fungerentur: *Cupientes*. Die 2. Januarii. Miniſter Provincialis, ſeu Guardianus Minorum Obſervantium Superior Monaſterii S. Joannis de la Peña Belviſii Diœceſis Abulenſis facultatem concedendi Franciſcæ de Belem, & Magdalenæ de Sepulchro, ſpectatæ integritatis, & prudentiæ Virginibus, quæ a proprio Monaſterio Conceptionis de Oropeſa tranſierant ad Monaſterium prædictum ad introducendam in illud Regularem Obſervantiam, ut religioſum habitum illic ſuſcipere, & profeſſionem emittere poſſent: *Exponi Nobis*. Die 15. Februarii. Vicarius Generalis Archiepiſcopi Florentini, Prior Hoſpitalis Innocentium, & Provincialis Miniſter Tuſciæ Minorum Obſervantium facultatem reformandi Monaſterium S. Claræ prope Caſtrum Florentinum Diœceſis Volaterranæ: *Exponi Nobis*. Die 18. Septembris.

XL. Ingrediuntur Mulieres pœnitentes Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Catanæ fundatum ære publico Senatus, & piorum eleemosynis, Epiſcopo loci ſubjectum, ſed ſub Inſtituto Franciſcano. In illo cum ſanctitatis opinione deceſſerunt Maria natione Hiſpana, Seraphina Portio, & Apollonia Zuccarello, de quibus ad ſuos annos.

Monumenta Provin. Siciliæ.

XLI. Moniales Clariſſæ Tiburis ad S.Catharinam boc anno die 3. Octobris tranſlatæ ſunt ſolemniter ad novum Monaſterium S. Joannis, ſeu S. Michaelis, erectum in fundo Octavii Mancini in regione Caſtri Veteris juxta Eccleſiam S Joannis de Votano extra portam Collis, applicatis utriuſque redditibus ad Monaſterii conſtructionem. Sumptus alios impenderunt pii Cives, & Moniales ex propriis dotibus, quas inter Gregoria, & Portia Sorores nobilis familiæ de Viſcantis, non de Vicecomitibus, ut per errorem habetur in anteactis Annalibus, fieri curarunt parvam turrim Eccleſiæ. Novæ domus Abbatiſſa renuntiata eſt Soror Birgitta de Falconeriis.

Caſimirus Romanus cap. 22. in fine pag. 177.

Annales Min. an. 1543. num. 21.

XLII. Didacus de Almanſa, & Maria de Ulloa pii Conjuges inſtituerunt hæredes ex aſſe, quum abſque liberis decederent, Moniales S. Claræ Caſſaliæ, vel Caxallæ in Provincia Angelorum, tantaque ipſis obvenit patrimonii opulentia, ut quadraginta Moniales ibidem commode alantur; prius enim maxima paupertate laborabant. Eodem anno dos etiam augetur Monaſterio Sororum Tertii Ordinis Caſtri Villani in Provincia S. Bonaventuræ.

Gonzaga in Provin. Angelorum Mon. 3.

Fodere loc. cit. pag. 227.

XLIII. Præcepit Pontifex, ut Minoritis Obſervantibus reſtitueretur Cœnobium S. Michaelis Victoriarum Lacunæ in Provincia Canariæ, in quod, Fratribus translatis ad Xenodochium S. Sebaſtiani, Petrus Hiſpalenſis Cuſtos immiſerat Moniales aliquas ſecum ab Hiſpania advectas. Id tamen executioni ſtatim non eſt demandatum.

Gonzaga in Prov. Canariæ con. 4.

XLIV. Hieronymus Ruolicis, ſeu potius, ut ait Ughellus, de Ruſticis, Romanus Epiſcopus Tropejenſis ratam habuit hoc anno fundationem Cœnobii S. Franciſci de Nuceria in Calabria incœptum antea dimidio milliari ab Oppido ſumptibus Mariani Caloyero nobilis Viri, impoſitis Miſſarum oneribus, & eorum applicatione ad Eccleſiam SS. Annuntiationis Neapolis, ſi Minores Conventoales ea acceptare recuſarent. Puto, hunc Conventum eſſe eumdem cum memorato ex Rodulpho Conventu S. Blaſii. Conceditur etiam ipſis Cœnobium SS. Annuntiationis Oppidi Gradoli Diœceſis Montis Faliſci non procul a mænibus ex Communitatis decreto ſub die 8. Januarii.

Ughellus tom. 9. pag. 471.

Ex Archivo Aracælitano.

Ex Archivo Aracælitano Monumenta MSS. pag. 695.

XLV. Quum maritimum bellum adverſus Turcas inſtaret, & Hieronymus Piſtorienſis, ut dictum eſt, deceſſiſſet, ejus locum iniit Anſelmus de Petra Molaria, qui Capuccinis præeſſet ad Chriſtianam claſſem mittendis: *Quum dilectus Filius*. Die 10. Martii, facta ei, & ſociis venia abſolvendi milites a cenſuris Eccleſiaſticis, & caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ in foro conſcientiæ, commutandi vota, exceptis votis Religionis, & caſtitatis, miniſtrandi Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, conquirendi eleemoſynas pro militibus, & infirmis, medio Syndico a Commiſſario Apoſtolico deputando, ac nomine Sanctitatis Suæ iis benedicendi, qui Fidei cauſam terra, marique defendiſſent.

XLVI. Navalem pugnam commiſerunt fœderati Catholici quinquaginta circiter milliaribus a Promontorio Actio, ubi Romana claſſis Octaviani Cæsaris, Ægyptiam Marci Antonii, & Cleopatræ profligavit, atque evertit. Ibi prope Inſulas Curzulares, ſeu Echinadas, ob ſimilitudinem, quam habent cum ſcopulis, vel potius cum caſtanearum cortice, uno circiter milliari ab ora Epiri, in loco undique clauſo, cui a Septentrione Epirus obverſatur ab Auſtro Zacynthus, ab Oriente Cephalenia, ab Occidente Leucadia, adverſæ acies ſigna contulerunt Nonis Octobris. Quamvis autem hoſtes navium, militumque numero, & audacia præterea, quam conceperant, recenti expugnatione Famæ Auguſtæ in Inſula Cypri, noſtris multo prævalerent, tamen ita fauſtis ominibus pugnatum eſt, ut illorum ſanguine mare circum ruberet, innatarent extincta cadavera, capita a cervicibus deſecta, brachia, crura, thoraces, inter perpetuos flammarum ictus, horribileſque tormentorum bellicorum fragores, dum magno pondere navigia in ſe ruerent, bombardiſque, machinis pyrotechnicis, gladiis quoque, & haſtis dimicaretur; quibus accedebant intermicantia fulgura, fumique ſublatæ nubes, tubarum clangores, voces ad pugnam hortantium, gemituſque cadentium in unum congeſti. Non eſt hic omittendum inſigne facinus Anſelmi de Petra Molaria, qui quum hoſtes in puppim ſuam irrumperent, Crucifixi Imagine depoſita, arreptoque gladio ſeptem eorum interfecit, cæteris in fugam verſis. Plura Turcarum millia ceciderunt; plura in ſervitutem abducta ſunt, naveſque combuſtæ, vel ſubmerſæ. Minimam vero Chriſtianorum jacturam compenſavit ingens fidelium numerus a barbarorum catenis in libertatem vindicatus. Turcarum clades, & excidium cumulatiſſimum eam Chriſtiano nomini peperit gloriam, quam nulla unquam obſcuratura ſit oblivio; etſi, quod ingenue fatendum eſt, ſucceſſum victoria non habuerit, quæ Othomanum Imperium deletura eſſe videbatur, Ducum diſſidiis, & cunctatione, qui domum reverti triumphantes maluerunt, quam hoſtes fugientes perſequi, & deſperantes intra Helleſpontum ipſum urgere, atque opprimere. Patuit tunc omnibus, Turcam vinci poſſe, & non aliud, valetque in hac re illud Joannis Sagredi Veneti Hiſtorici: *Chriſtianos tunc ſe beatos putare, quum Turcarum catenis non conſtringuntur*.

Sagredus ad an. 1571. pag. 404.

XLVII. Chriſtiani exercitus Imperatori Joanni Auſtriaco adfuerunt Marcus Antonius Columna Præfectus claſſis Pontificiæ, Sebaſtianus Venerius Venetæ, Joannes Cardona Siculæ, Prior Meſſanæ Melitenſis, & Andreas de Auria cum undecim triremibus, & novem navibus onerariis, quæ tamen inutiles fuerunt, illo in altum, dum cæteri dimicarent, ſe ſubducente. Adfuerunt quoque principes viri quamplures, Itali, Germani, Hiſpani, & Galli, ex quibus unus Sebaſtianus Venerius

ad

ad victoriæ fructus colligendos paratum ſe oſtendit, quamvis dubitando tempus fruſtra conſumpſerit, ſpatiumque hoſtibus trepidantibus præbuerit Helleſponti fauces, impoſitis caſtellis, muniendi.

XLVIII. Geſtorum fama ingenti lætitia Chriſtianorum animos cumulavit, ac tum primum Pontifex inſtituit feſtum quotannis celebrandum S. Mariæ de Victoria, diplomate tamen promulgato a Gregorio XIII. Eadem ipſa hora, qua prælium commiſſum eſt, victoriam prænuntiavit: *Vade*, inquit Bartholomæo Buſſotto Ærarii Præfecto, *non eſt nunc tempus negotiandi. Domino Deo gratias age; nam claſſis noſtra cum Turcica congreſſa hac ipſa hora victoriam retulit*. Idem prædixit Petrus Nicolaus Factor hoſpes in Cœnobio S. Franciſci Valentiæ. Circa horam noctis undecimam, paullo ante Nonas Octobris, aliquantulum perturbatus dixit Fratri Michaeli Laurentio familiari ſuo: *Germanule, habeſne aliquod peccatum mortale; nam bene te ego reconciliare poſſum, quum ſim Guardianus de Valle Jeſu?* Illo reſpondente, ſibi id non videri: *Veni ergo*, inquit, *mecum, quia Chriſtianitas in magno labore poſita eſt*. Ambo igitur iverunt ad Eccleſiam, ubi ſeparatis in locis flagellis ſe percuſſere, extinctisque ſponte ſua lampadibus, auditus eſt rumor quaſi avium circumvolantium, & alis parietes cum ſtrepitu ferientium, dum interim Petrus Nicolaus ſæpius inclamaret: *Centum pro uno. Laurenti, fortiter ſuſtine.. Victoria, Victoria*. Perſtiterunt in hoc opere ad horam uſque Matutini, qua accedentibus ad Eccleſiam Fratribus, flagella depoſuerunt. Mane poſtero Michaeli requirenti quid ſignificarent voces illæ de victoria, reſpondit vir Dei: *Mahoma deſtruitur, & major victoria reportatur diſciplinis, quam armis*; tantamque aſſeruit adſtitiſſe Maurorum catervam Chriſtianos invadentem, ut rogaſſet Deum pro Chriſtianitate, & Deus Chriſtianorum miſertus fuiſſet, & Victoriam conſequuti eſſemus. Id autem nemini diceret, quia ante non multos dies illius nuntius afferri deberet; clariuſque rem ad Echinadas geſtam indicavit his verbis: *Ob victoriam D. Joannis, quam Dominus Deus noſter illi dabat propter orationes S. Pontificis Pii V.*

Ex Proceſſu Valentino pag. 110. & 140.

XLIX. Romam redux Marcus Antonius Columna magnifica pompa per viam Appiam triumphum egit cum barbarorum ſpoliis, captivis, armis, & opibus, effuſo ad ſpectaculum Populo Romano, & Capitolium conſcendit, ubi in Templo Aracælitano die S. Luciæ ſacro ſolemnes actæ ſunt grates Supremo Numini. Feſti deſcriptionem Italice exaravit Auguſtinus Torellus Academicus miſſam ad Virginium de Creſcentio. Sed Templi ornatum, periſtomata, lemniſcos, arcus, pyramides, vexilla, ſtemmata, epigraphes potiſſimum reſpicit, nec memorabile præfefert, niſi donum Columnæ argenteæ roſtratæ, quam in Templum intulit Victor impoſitam baſi ligneæ coopertæ villoſo holoſerico, prætextis aureis, aureiſque laciniis, & ſericis coccineis. Aderant ei Urbis Conſervatores Joannes Georgius Cæſarini Vexillarius Populi Romani, Hieronymus Spannochia, Horatius Naro, Hieronymus Gualterius, Marcellus Alberinus Decuriones, Scribæ, & quatuor Præfecti Feſti induti ſerico villoſo nigri coloris, & ſeptuaginta duæ puellæ amictu purpureo redimitæ nuptui dandæ, matronis comitatæ. Facta eſt ſupplicatio in Templo. Orationem habuit Marcus Antonius Muretus, ſacrumque peregit Epiſcopus Minorum. Ita laudatus Torellus, qui incertum relinquit, an Epiſcopus fuerit Minorita, vel Minoris, parvæ ſcilicet Civitatis Regni Neapolitani Principatus Citerioris in Picentinis

oram Maris Tyrrheni. Franciſcus de Albertonibus eum appellat Epiſcopum de Minotibus, nec altero clarius loquitur.

L. Columna præfata, quam haud vere Torellus ſcribit eſſe altitudinis duorum palmorum cum dimidio, ornatur aureis Epiſtylio, & Corona, ſupra quam aſſurgit ænea Salvatoris Imago Crucem bajulantis, fabrefacta a Metello Porcario, juxta exemplar alterius Imaginis perfectæ a Michaele Angelo Bonarota in Templo S. Mariæ ſupra Minervam. Ab ejus lateribus exeunt protypa, ſeu toreumata, capita Arietis, Elephantis, Tauri perſonarum, cum reliquiis navigiorum auro reſperſis. Baſim excipit argentea Stylobates cum Epigraphe:

Chriſto Victori Marcus Antonius Aſcan. F. Columna Pontificiæ Claſſis Præfectus poſt inſignem contra Turcas victoriam beneficii teſtificandi cauſa MDLXXI. Pridie Nonas Decemb.

Iconem Chalcographicam exhibet Caſimirus Romanus, ad cujus calcem alteram hanc apponit Epigraphem.

Columna roſtrata Argentea pondo XXX. alt. palm. V. unc. IX. a M. Antonio Columna Pont. claſſis Præfecto poſt relatam ad Echinadas maximam de Turcis victoriam, actumque triumphum in Sacra B. M. V. Capitolina Æde Chriſto Redemptori dicata. Munificentia excelſi Principis Fabricii Columnæ M. Comeſt. R. Neapol. ejuſdem M. Ant. Trinepotis.

LI. Loveſtienſem Arcem, ſeu Loveſtonii, occiſo Præfecto, invaſerat Hermannus Ruyterus Boſcoducenſis, cuſtodias fallens ſub habitu Franciſcano, tribuſque aliis comitatus, ut narrat Bzovius; quod ſi verum eſt, oportet, arcem militibus penitus vacuam fuiſſe, aut ligneis, lapideiſque hominibus refertam. Quamvis enim Hermannus ſe in conclave recipiens, ſparſo pulvere tormentario in aditu, ac romphæam ingentem utraque manu verſans immiſſos ab Albano Hiſpanos milites ſuſtineret, ita ut viri fortitudinem hoſtis ipſe miraretur; nemo tamen facile credet, Herculem iſtum Pſeudo-Franciſcanum arce potiri potuiſſe, niſi præſidiarii milites aut vino, aut ſomno obruti jacerent, quo etiam dato, timendum ipſi erat, ne numero tandem opprimeretur. Lepidum vero eſt, eum tantam pulveris tormentarii copiam in arcem detuliſſe in ſacco, ut arbitror, ſub tunica appenſo, ut formidinem militibus injiceret, qui aliunde nullo negotio invaſorem proprio pulvere cremare potuiſſet, nec terribilem romphæam utraque manu quaſſanti incommodam fuiſſe tunicam Franciſcanam. Hæc Annalibus Eccleſiaſticis inſerere Bzovius dignum exiſtimavit; noſtra autem ſententia multo melius feciſſet, ſi Religioſorum hominum etiam Ordinis ſui Martyrium proſequutus foret, quos Eccleſia in iis regionibus paſſos pro Chriſti fide Beatis adſcripſit, de quibus inferius erit ſermo.

Bzovius ad anno 1571.

LII. Comes de Waldek Geuſiorum fautor minis, & vi Minores Regularis Obſervantiæ ejecit a Conventu Civitatis Corbacenſis, in qua dominium exercebat. In ſævas prædonum manus incidit Petrus Pricus, Prus, ſeu Pius, doctiſſimus, & eloquentiſſimus, idemque pietatis eximius cultor, dum, die 19. Novembris, Atho Gandavum properaret, ut de negotiis quibuſdam ageret cum Provinciæ Miniſtro. Primo ab Urbe lapide, quaſi ſaxi jactu a ſocio Laico divulſus ab Hæreticis in inſidiis latitantibus comprehenſus eſt, quorum unus balliſtam igneam in ejus corpus illiſit, alter balliſtam per medium latus exploſit, tertius gladio eum in pectore ſauciavit, & ſic ſeminecem, animamque exhalantem, abrepta fuga, in via reliquerunt. Martyr cruore madidus non

Arnoldus de Raiſſe die 19. Nov.

fine

ſine Angelico ductu ad tuguriolum proximum juxta molendinum frumentarium reptando potius, quam incedendo pervenit, ibique fores ſibi aperiri, atque aliquam in extrema calamitate miſerationem adhiberi popoſcit lamentabili voce, admiſſusque in cubiculum, quum pietatis officia illi exhiberentur, laudes Deo hilari vultu perſolvens, ſuisque hoſpitibus agens grates occubuit. Re Gandavi nuntiata, Fratres confeſtim accurrentes corpus ſanie, & tabe conſperſum abluerunt, & ſumma veneratione a porta S. Livini ad Cœnobium detulerunt, Clero, populoque funus comitantibus. Inventæ ſunt ejus manus laceræ, ex quibus, carne decuſſa, nihil præter nervos, & oſſa, horrendo cunctis ſpectaculo apparuit.

LIII. Sub finem menſis Auguſti Piratæ Hæretici ad Oppidum S. Sebaſtiani in Inſula Gomeræ, quæ ex fortunatis Canariæ altera eſt, prædæ cauſa inſtructis navigiis appulerunt. Civibus in editiora proximi Montis diffugientibus, plurimisque Minoritis, ſoli ſedem tenuerunt in Cœnobio S. Franciſci Pater Didacus Munoſius, Frater Gumiel, aliique pauci. Hoſtes Conventum ingreſſi, & in Chriſti, & SS. Imagines temere bacchantes Didacum igneis globulis transverberarunt, quia eorum impietatem gravibus verbis reprehendere non dubitaverat. Ejus morte turbatus Gumiel e latebris, quas tenebat, erumpens acriora verba in ſanguinarios profudit, quibus irritati diris vulneribus affectum necarunt. Antonius a S. Maria ex Icode Magnæ Canariæ Guardianus, qui cum aliis profugerat, derelictæ in Sacrario SS. Euchariſtiæ recordatus, veritusque, ne Sanctum canibus daretur, ad Cœnobium redivit, ubi illam devote comedit. Quod ut impii conſpexerunt, captum, & ad prætoriam navim adductum, quum nec minis, nec blanditiis flecteretur, immo potius producto ex manica Crucifixo, eos ad reſipiſcentiam hortaretur, inter opprobria, & colaphos, & balliſtarum exploſiones occiſum in mare projecerunt, eodemque tempore necarunt etiam Parochum Oppidi. Hæc inſequenti anno accidiſſe narrat Arturus. Sed Gonzagæ antiquiori magis cedendum.

Gonzaga in Prov. Canar. con. 8.

Arturus die 30. Auguſti.

LIV. Venia in Galliis a Rege data, promulgatoque edicto, & amniſtia in Fano Germani uſi Hugonotti, infando Regni totius damno, Rupellæ Synodum habuerunt, præſidentibus Theodoro Beza, qui Geneva advenerat, Regina Navarræ, Collinio, & Hæreticorum optimatibus. Experti ſumus hoc tempore quibus malis generationis hujus pravæ intoleranda audacia non Galliam tantum quondam florentiſſimam, modo vaſtatam, funditusque excisam, ac ferarum potius latibulum, quam hominum, ſed Europam quoque objecerit univerſam, oſtenſa imperitis præclara illa libertate, quæ ne apud inventores quidem ſuos tuta conſiſtit, quæque impietatis, & crudelitatis filia in Deum, & humanum genus impotenti ira fremit, quam nunquam ſtragibus, & ſanguine ſaturata atrociter in ſuos quotidie exercet. Quarum calamitatum ſi originem inveſtigemus, palam erit, ex veteri indulgentia ea, quæ nunc fiunt, tanquam ex fonte redundare.

LV. Veſano tumultuantium impetu cecidit in Aquitania Antiquiori Cœnobium Ortenſii fundatum ſub Ordinis Minorum initiis ad ripam fluminis Gadii a Principibus Biernenſibus, quorum diſſimiles nepotes monumentum illorum pietatis humi projecerunt, neci dato die 17. Octobris Bernardo de Lazanoba viro religioſiſſimo, qui cæteris Fratribus fuga ſaluti conſulentibus in æde remanſerat. Pariter Cœnobium Civitatis

Gonzaga in Prov. Aquitaniæ Antiq. con. 9.

Monumenta Provinciæ.

Gonzaga ibidem con. 5.

Waddingus de Martyribus Ord. Lit. P.

tatis Ruthenæ; difficile enim eſt, ut tres ibi Minoritæ Petrus Borgelarius Concionator, & Guardianus Petrus Tauzietius Sacerdos, & Joachimus Dordanius die 30. Octobris Martyrio fuerint affecti, loco incolumi, & minime direpto. Sed hos poſtremus Annaliſta paſſos affirmat anno 1563. ex MSS. authenticis contra Baretium. Atqui etiam neceſſe erat, MSS. proferre, aut ad marginem ſaltem citare, quonam ex fonte eruta forent, quum non Baretio tantum, quin etiam Waddingo contradicant; nam ſi Baretius ſolum confutandus eſſet, equidem fateor, unico verbo id fieri potuiſſe; palam enim eſt, nullam ferme temporum rationem eum ſequi. Waddingus certe ſcribens, illorum Martyrium hoc anno contigiſſe, facete accipiet, ſibi ſub Baretii nomine Annaliſtam adverſari, & in ſe jacula conjici in alium directa. Video, a Gonzaga referri ad annum 1575., a Waddingo ad præſentem Martyrium Claudii Roleti Sacerdotis Cœnobii S. Marthæ prope Montem Voſagum in Provincia Franciæ Pariſienſis, interfecti die Inventionis S. Crucis, quum a viſitanda S. Quirini Eccleſia reverteretur. Nihil hic dico; deſunt enim monumenta, quibus veritas in aperto collocetur. Nonnulli ignoti nominis Fratres, quos ſex aliqui fuiſſe contendunt, Provinciæ S. Bonaventuræ in Hugonottorum manus inciderunt, ſtatimque prehenſi, & vinculis conſtricti, per vias raptati ſunt inter opprobria, contumelias, & injurias, donec propriis chordis ſuſpenſi animas Deo reddiderunt.

Waddingus ibid. Lit. C.
Gonzaga in Prov. Franciæ Pariſien. con. 12.

Marcus Ulyſſiponenſis part. 3. lib. 8. cap. 60.

Idem in Provinc. Turoniæ Pictavienſis con. 11.

LVI. In Provincia Turoniæ Pictavienſis concidit Cœnobium S. Francisci Xantoni ad fluvium Carentonam. Factum narrat Gonzaga anno non appoſito, quod ſatis fuit, ut idem Annaliſta arbitraru ſuo illud retulerit ad annum 1562. At ſi Waddingum in libro de Martyribus Ordinis conſuluiſſet, pronum erat advertere, Conventum Xantonenſem præfato anno ſubſtitiſſe: „ Franciſcus Mirambellus, ait, Conventus Xanto„ nenſis pugionibus Hæreticorum confoſſus eſt anno 1571. die 6. Octo„ bris „. *Ab Hæreticis Urbe Xantonica capta P. F. Mirambeau velut alter Petrus a quatuor quaternionibus militum haſtis conficiendus in medium productus, pugionibus punctus interiit. Fortes milites ſcilicet, qui tanto apparatu in tam imbecillem, ac juvenem hominem, ſed probum, ſed pium; ſed in fide, quæ vincit mundum, victoriosum, ac invincibilem ſævire non erubuerunt. O plusquam parricidas, immanesque belluas! qui cæteris impiis, ac deteſtandis facinoribus, ab ipſis immaniſſime perpetratis, hoc unum addere voluerunt, ut evidentiſſimo argumento declarent, quanto odio Fratres Minores, SS. Romani Pontificis auctoritatem, & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ fidem ſuo ſanguine usque ad glorioſam mortem proteſtantes, defendentes, & confirmantes proſequerentur.* Ita Gonzaga duobus ab hinc ſæculis Hugonottorum ſcelera deteſtatus, quæ cum hodiernis nullo modo ſunt comparanda.

LVII. Edidit hoc anno Romæ Gabriel Barrius Provinciæ Calabriæ Alumnus in re Geographica eruditiſſimus latino ſtylo libros quinque de Antiquitate, & Situ Calabriæ impreſſos apud Joſephum de Angelis, dicatosque Bernardino Sancto-Severino Principi Beſidianenſium. Locum habent inter auctores Italiæ illuſtratæ. Paulus Æmilius Sanctorius, aliique hoc opus adſcribunt Cardinali Sirleto. Fieri tamen non potuit, ut, niſi amentiſſimus foret, nomine ſuo Barrius illud publicaverit ſub ipſius Cardinalis oculos, qui Romæ degebat, nec niſi anno 1585. ibidem deceſſit ſepultus in Eccleſia Monialium S. Laurentii in Monte Vimina-

minali. Florebat Ludovicus a Tipherno cognomento Philoſophus, qui circa hæc tempora typis mandavit Compendium Indulgentiæ Portiunculæ. Hortum diverſorum florum. Chronologiam Franciſcanam; & Expoſitionem S. P. Franciſci in Orationem Dominicam. Hieronymus de Foſſato Diœceſis Nucerinæ Vir doctus, & exemplaris a Pontifice, cui erat Confeſſarius, dono accepit Imaginem B. Virginis, ut dicitur, a S. Luca depictam, quam ad Conventum SS. Annuntiationis Gualdi mittit, ubi religioſe aſſervatur.

Jacobilli in Bibliotheca Umbriæ.

Monumenta Provinc. S. Franciſci.

LVIII. Andreas de Vega ex Oppido Campi Toletani Tertii Ordinis S. Franciſci, alter ab Andrea de Vega Segovienſi Salmanticæ defuncto, edidit hoc anno Ulyſſipone typis Franciſci Corte latino carmine opuſculum ſub titulo: *Accetarium varias rerum materias continens*. Floruit virtutibus, & miraculis, vitamque produxit ad annum usque CX. tumulatus in Cœnobio S. Catharinæ Scalabicanæ.

Biblioth. Franciſcana Lit. A.

LIX. Antonius Gaſpar Rodriguez Hiſpanus, dictus de S. Michaele, Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ jam ab anno 1552. Epiſcopus Montis Marrani in principatu Ulteriori non longe a Metropoli Beneventana poſſeſſionem inivit pridie Nonas Martii Eccleſiæ Archiepiſcopalis Lancianenſis, ſeu Anſanenſis in Aprutio Citeriori, ad quam præterito anno translatus eſt vacantem per obitum Hectoris Piſcicellæ Neapolitani; eodemque hoc anno primum poſuit lapidem Ædis S. Bartholomæi. Epiſcopalem Eccleſiam Firmanam regendam ſuſcepit die 17. Decembris Felix Cardinalis Perettus de Monte Alto vacantem per obitum Laurentii Lentii Florentini Apoſtolici Legati in Galliis, eamque ſex annos adminiſtravit.

Ughellus tom. 6. pag. 791.

Idem tom. 2. pag. 722.

LX. Regio Philippi II. reſcripto deſignatus eſt Epiſcopus Toletanus Bernardus de Freſneda, ut ex Bulla patet, quam refert F. Aloyſius a Cruce de Cruceſignatis eidem Bernardo directa. Animadvertens, Reginam optare, ut Epiſcopatum Toletanum obtineret ejus Confeſſarius, eo ſe munere abdicavit, translatus propterea ab Eccleſia Conchenſi ad Cordubenſem, ut literæ ſuperius recenſitæ circa Conventum S. Dominici Calciatenſis oſtendunt. Hoc anno interfuit Baptiſmo Infantis Ferdinandi ejusdem Regis Filii.

Hieronymus Quintana Hiſt. Matrit. pag. 370.

LXI. Renuntiatur Archiepiſcopus Tranenſis Angelus de Averſa, qui Eccleſiæ Cathacenſi præerat, per translationem Joannis Baptiſtæ Archiepiſcopi: *Romani Pontificis*. XVI. Kal. Aprilis. Epiſcopus Eccleſiæ Brugnatenſis, non Burnacenſis, ut ſcribit Ughellus, vacantis per obitum Julii Epiſcopi Antonius de Monilia: *Apoſtolatus Officium*. XVII. Kal. Auguſti. Ughellus, & Flaminius de Parma minus vere ejus promotionem rejiciunt in annum ſuperiorem. In Conſiſtorio eum Pontifex hoc elogio decoravit: *Nec præconizatione, nec proceſſu opus eſt. Jam notus in Urbe eſt*. Scribit Ughellus, Antonium Pagliettinum Monilianum fuiſſe Ordinis Minorum Conventualium, diuque Ordinis ſui Procuratorem Generalem. At fallitur, non ſolum enim in literis Pontificiis habetur, eum pertinuiſſe ad Obſervantes, ſed inſuper certo certius novimus, habitum Obſervantium ſumpſiſſe in Cœnobio SS. Annuntiationis Bononiæ, profeſſumque inter ipſos, quorum fuit Procurator Generalis electus in Conventu Aracæli anno 1557. in Comitiis intermediis, & Commiſſarius Generalis Curiæ electus anno 1559. in Capitulo Aquilano.

Cardinalis de S. Severina in Diariis.

Ughellus tom. 4. de Epiſcopis Brugnaten. num. 30.

LXII. Joannes a Vicis Neapoli Romam vocatus conſtituitur Præſidens Lateranenſis Pœnitentiariæ. Licet enim ibi prius fuiſſent Fratres Mino-

Minores Pœnitentiarii; non erant tamen perpetuo deputati, ſed ad tempus. Pontifex præterito anno eis conſtruxit Conventum in eo loco, ubi erat Aula, in qua Innocentius III. Ordinem Franciſcanorum approbavit, ut ibi manerent octo Fratres, ſcilicet unus Præſidens, quinque Pœnitentiarii, & duo Laici, eosque declaravit ſuos Capellanos, veroſque commensales, & familiares. Primus Præſidens fuit Angelus ab Apulia, quem Chriſtophorus a Capite Fontium Miniſter Generalis amovere debuit ob ſurditatem, & nimiam ſenectutem. Ut autem reformatio Fratrum jamdiu inſtituta magis in dies augeretur, has edidit literas:

Quum Nobis relatum ſit, nonnullos Fratres noſtri Ordinis bonam voluntatem habere vivendi quiete, & ſpiritualiter inter vos, & noſtrum ſit, eis favere; hinc eſt, quod Nos auctoritate, qua fungimur, vobis facultatem concedimus, quatenus poſſitis omnes quoscumque Fratres Provinciæ cujuscumque ad vos tranſire volentes recipere; omnibus Nobis inferioribus, ut nec vos, nec illos impedire, aut amovere poſſint, ſub merito ſalutaris obedientiæ præcipientes. Valete in Domino, & orate eum pro me. Aracæli die VII. Junii MDLXXI.

F Chriſtophorus de Capite Fontium Min. Generalis manu propria.

LXIII. Idem ſub tempus Bonifacio de Raguſio Minoritæ Epiſcopo Stagnenſi mittuntur literæ Pontificiæ, ut reformationem inducat in Provinciam Bosnæ Argentinæ, ac Fratres a Regulari Obſervantia aberrantes, minusque religioſo vitæ generi addictos corrigat, & Provinciale comitium in ea celebret: *Quum ſicut*. Die 25. Januarii.

LXIV. Excolebant Minoritæ in Indiis Evangelicum agrum ea ſedulitate, & zelo, quibus ingentem animarum fructum referebant. Sed quum meſſis multa foret, operarii pauci in latiſſimis, populoſisque regionibus, in quibus ſpes erat Chriſti fidem longe, lateque dilatandi; huic, Catholico Rege petente, veniam fecit Pontifex Fratribus quibuslibet piis, ac doctis, qui a propriis Prælatis nominareutur, ut in Indias navigarent, ſeque aliis Apoſtolicorum laborum ſocios adjungerent, eorum tamen numero a Rege, vel Conſilio ipſius præfixo, additiſque privilegiis. Rem declarant literæ: *Quo cariſſimum*. Die 24. Januarii, quas ſubjicimus in Regeſto.

LXV. Iidem Fratres in Indiis eximuntur a jurisdictione Judicum Sæcularium, qui in illorum cauſis ſe immiſcebant. *Decet Romanum Pontificem*. Die 2. Auguſti. Declarat Pontifex, Conſtitutionem: *Paſtoralis Officii* ſupra memoratam quoad interdictum illud, ne Miniſtri iterum eligantur, niſi poſt ſexdecim annos, locum non habere in Provinciis earumdem regionum: *Licet alias*. Die 22. Februarii.

LXVI. In Conventu S. Bonaventuræ Fortis Venturæ unius ex Inſulis fortunatis in Provincia Canariæ, orante coram Imagine Dominici vultus, quæ in Altari S. Bonaventuræ colebatur, Ludovico de Lugo, illa inopinato copioſiſſimum ſudorem emiſit; quod referens Gonzaga ſcriptor coævus ab hominibus criticæ intemperantioris, & ad omnia, quæ naturalem ordinem tranſcendunt, in dubium revocanda paratis, appellat ad teſtes, qui id retulerunt, omni exceptione majores. Sacra Imago mox impoſita eſt Aræ maximæ, ubi Fideles illam pie venerantur.

LXVII. Martinus a Sanctis natus in Regno Algarbiorum inter Arrabidas admirabilis vir humilitatis, & in corpus ſuum auſteritatis, ipſum perpetuiis ciliciis conſtringens, flagellis cædens, jejuniis extenuans, & vigi-

Digitized by Google

vigiliis, Conventus de Salvaterra iterato Guardianus, & Confeſſarius Mariæ Portugalliæ Infantis, magnique habitus ab Henrico Cardinali illius Fratre; hoc anno in extremo agone Crucem amplexus dixit: *Parce mihi, Domine, & indulge peccatis meis; nihil meriti apud te habeo, niſi quod inter homines vivens, ſemper pro tui nominis amore me ſimplicem, fatuum, & abjectum demonſtravi*.

Chron. Prov. Algarbiorum part. 1. lib. 3. cap. 42. num. 618.

Hæc verba repetens ad Deum migravit die 24. Januarii; eique ſocius fuit die 23. Octobris Ludovicus ab Elna, olim Provinciæ Cathaloniæ Alumnus, pluribus linguis, maxime Græca, eruditus, ingenio, & pietate præſtans, in rebus myſticis verſatiſſimus. Quum adhuc Cœnobia Algarbiorum Cuſtodiæ nomen obtinerent, bis eis præfuit Moderator, effecitque, ut Andreas ab Inſula, qui Cuſtodiam extinguere meditabatur, a propoſito decideret.

Ibid. cap. 44. num. 617.

Obiit Deiparæ hymnos decantans. Ex humanis exceſſit in Conventu S. Franciſci Magnæ Canariæ Emmanuel Lomadas exemplari vitæ, & Divinis rebus addictiſſimus, animarumque ſalutis zelo refertus.

Arturus die 26. Octobris.

In Conventu S. Antonii Montis Sancti Diœceſis Firmanæ in Provincia Marchiæ Ludovicus a Pieroſara Fabrianenſi pago, & Bartholomæus ab Ophida inſigni oppido Diœceſis Aſculanæ, ambo octogenarii, Religione, & ſanctimonia præſtantes.

Calcagni in Regia provinc. Marchiæ pag. 3. & 12.

In Conventu S. Mariæ de Jeſu Liviæ, ſeu Aviæ, vulgo Villalon Diœceſis Legionenſis in Provincia S. Jacobi Didacus Villalonius Novitiorum Magiſter incredibilis patientiæ in laboribus, & infirmitatibus, & charitatis in Deum, ac proximum, quam modeſtia, abſtinentia, orationis ſpiritus, morum compoſitio, paupertas, & innocentia comitabantur. Animam agens vidit Chriſtum Jeſum, & Deiparam, cæleſtem gloriam oſtendentes, quam erat petiturus.

Monumenta Provinc. S. Jacobi.

LXVIII. Franciſcus Picardi Alumnus Provinciæ Turoniæ Pictavienſis magni nominis Concionator vitam reliquit Aureliani in die S. Joannis Evangeliſtæ, apoplexia correptus in ipſo Verbi Divini miniſterio, quod duodecim circiter annos in eadem Civitate exercuerat. Curam habuit, ut reſtauraretur ibidem Eccleſia Minoritica anno 1563. ab Hæreticis direpta. Jacet in ejuſdem Eccleſiæ navi juxta Cathedram prædicationis. Cives tumulum decorarunt ænea ſtatua ejus effigiem repræſentante ad modum jacentis Minoritæ.

Gonzaga in Prov. Turoniæ con. 1.

LXIX. In Provincia S. Evangelii ſancte deceſſit Michael de Garrovillas Alumnus primo Cuſtodiæ Pietatis, deinde Cuſtodiæ S. Gabrielis, a qua anno 1531. in Americam trajecit Alphonſi de Eſcalona ſocius. Neſcivit linguam Mexicanam, attamen virtutum ſuarum exemplo Infideles ad Chriſtum, Fideles ad Chriſtiane vivendum traxit. Attigit ætatis annum centeſimum nudis ſemper plantis incedens, pauperrimo habitu, victu modico, inſipidis herbis, & exiguo juſculo nutritus. Quieſcit in Cœnobio S. Antonii de Padua Tezcuci.

Barettius 4. part. lib. 5. cap. 31.

Hoc anno, teſte Baretio, obiit in Provincia Auſtriæ Medardus, ſeu Methardus, Ferdinandi Regis Romanorum, & deinde Imperatoris a Sacris Confeſſionibus, & Concionator, doctiſſimus, eruditus, & Lutheranorum acerrimus oppugnator, relicta præclara ſanctitatis opinione.

Idem part. 4. lib. 5. cap. 25.

Gonzaga in Prov. Auſtriæ in fine.

Varthæ in Provincia Poloniæ Matthæus de Leczyca, expanſis manibus coram Imagine Crucifixi, obiit Dominica Paſſionis, cujus fuerat devotiſſimus.

Monumenta Provinc. Poloniæ.

LXX. Poſnaniæ in Conventu S. Bernardini Juſtinus Laicus diu phthyſi vexatus, morti appropinquans, invocato S. Franciſci nomine, adſpexit Seraphicum Patriarcham ſibi adeſſe cum agmine SS. Ordinis, lætitiaque perfuſus animam Deo reddidit in his verbis: *Veni*

Arch. S Iſid. arm. 9. num. 4 pag. 283.

Pater Sancte. Veni Clare Franciſce. Veni citius. Deſiderati ſunt in eadem Provincia Gabriel de Bydgoſtia Cuſtos Cuſtodum in reditu a Comitiis generalibus Venetiis defunctus, & Hieronymus Miniſter in Conventu Caſimiriæ, ambo cum Fratrum lacrymis; præclare enim in officiis ſe geſſerant, & Provinciam cum laude, & utilitate adminiſtrarunt, juventutis educandæ in bonis moribus, & diſciplinis ſtudioſi. Gabriel primum Fratres juvenes Romam deduxit ad perdiſcendam Philoſophiam, & Theologiam, proviſo ſumptu a Benefactoribus Regni. In Conventu

Monumenta Provinciæ Carthaginenſis.

S. Franciſci de Alcazar de S. Joanne F. Joaunes de Villa Carrillo Diœceſis Giennenſis juvenis triginta annorum, ſed in operibus pœnitentiæ maxime conſummatus. Horam mortis ſuæ prævidiſſe creditur, quum enim ad Patriam ſuam redeundum ei foret, Religioſo, cui coquinæ claves tradiderat, dixit, ſibi longius iter ſupereſſe, nec multo poſt eventus prædictionem comprobavit.

LXXI. Franciſcus de Toral oriundus ex Civitate Ubedæ, & a te-

Gonzaga in Prov S. Evangelii con. 1.

neris annis Minorum Regulam profeſſus in Provincia Bethicæ, in Mexicum transfretaverat, ubi linguam Mexicanam edoctus ingentem Infide-

Vetancur in Menol. Franciſc. Die 20. Aprilis.

lium numerum Chriſto lucrifecit. In Popoclano etiam idiomate, quamvis barbarico, & difficillimo, eruditus Grammaticam illius ſcripſit. Renuntiatus Provinciæ Cuſtos adfuit Comitiis generalibus Salmanticæ habitis anno 1553., pedibus iter aggreſſus, & umili tunica indutus Hiſpaniam peragravit, ut Fratres in paupertatis ſtudio confirmaret, atque eos, qui ſecum ire vellent, abduceret in Americam. Inſequenti anno in Mexicum feſtinavit cum XXXIV. operariis Vineæ Domini, ibique Epiſcopus deſignatus rexit Eccleſiam Jucatani ab anno 1561., quo literæ Pontificiæ erectionis Eccleſiæ ejuſdem in Epiſcopalem prodieruut. Hinc primus Jucatani Epiſcopus dici ſolet, quamvis Regio diplomate Eccleſiam Jucatanicam obtinuiſſet anno 1541. Joannes de S. Franciſco, eique renuntianti ſucceſſerit Joannes de la Puerta anno 1558., ambo Ordinis Minoritici. Scribit poſtremus Annaliſta ex Raynaldo, Eccleſiæ Jucatanicæ additam fuiſſe Cucumalenſem, melius Cozumelenſem. At ſi Acta Conſiſtorialia, quæ citat, perlegiſſet, a Raynaldo id non erat ediſcendum: *Anno 1561. Die 19. Novembris, Referente Reverendiſſimo Camerario, erexit in Jucatan Cathedralem Eccleſiam pro uno Epiſcopo Jucatanenſi, & Cozumelenſi...., illique ſic ab ejus primæva erectione vacanti de perſona Domini Franciſci de Toral Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris providit*. Suſcepit ille hanc dignitatem, quia in iis Regionibus nulli alii reperiebantur Miniſtri Evangelici præter Fratres Minores, motuſque deſiderio Indos ad veram fidem deducendi. Ante conſecrationem, negotiis pleriſque urgentibus, rediit in Hiſpaniam, atque inde conſecratus ad propriam ſedem reverſus eſt, quam ſæpe dimittere optavit, cellulæ ſuæ veteris quietem amans, & ſepulturæ locum inter ſuos. Quod denique obtinuit; dum enim a Jucatano in novam Hiſpaniam iter faceret, deceſſit in Cœnobio S. Franciſci Mexici tumulatus in medio majoris Sacelli. Ejus effigies viſitur in Cœnobio Tecamachalci; Provincia enim ejus nominis primum ipſum habuit Apoſtolum.

LXXII. In id incumbebat Andreas de Olmos, ut pauperibus evangelizandis præſto eſſet, ſicut aſſueverat, totius animi, corporiſque viribus uſus ad majus ſemper in dies Catholicæ Religionis incrementum.

Ibidem die 8. Auguſti.

Lingua Mexicana judicium finale deſcripſerat peculiari actu, inductis perſonis, & ſcenicis varietatibus, tantiſque opus exegerat eloquentiæ lumi-

luminibus, & colorum vi, ut dum repræſentaretur coram immenſa populi multitudine, nemo foret, qui non expalleſceret, & ad Deum, moresque rediret. Adſuerunt ſpectaculo Joannes de Zumaraga Archiepiſcopus, & Antonius de Mendoza Pro-Rex Mexici. Extenuatum laboribus, & infirmum hortabantur Fratres, ut quieſceret, quibus ille: *Filius ſum Crucis Chriſti. Hoc agam, ut ipſa ſim dignus.*

LXXIII. Dum hæc fierent, Indi Cicimechæ ad rebellandum procliviores arma ſumpſerunt contra Pro-Regem, & Archiepiſcopum Mexicanum, ut ſcribit Gonzaga, quod poſtremum verum eſſe nequit, quum hoc anno, Mexicum moderante Martino Enriquez, nullus fuerit inibi Archiepiſcopus; poſt obitum enim Alphonſi de Montuſar, præterito anno die 7. Martii, vacavit Sedes Archiepiſcopalis ad annum usque 1573., quo eam obtinuit Petrus Moya de Contreras, hoc anno primus contra Hæreticam pravitatem Inquiſitor in Civitate Mexicana. Caſtrametati Barbari inter præcipites montium rupes, Hiſpanos exſpectabant, ſi forte accederent, ad libertatem ſolemni certamine vindicandam parati. Andreas, etsi mala valetudine affectus, & inclinata jam ætate, Barbaros reducere cogitavit, vitæque diſcrimine, & amicorum vocibus poſthabitis, iter aggreſſus eſt alpeſtre, & periculi plenum; nec fruſtra; nam ſimul ac ad illos penetravit, precibus, & concionibus ita valuit, ut ad unum omnes, poſitis armis, ad ſaniorem mentem revocarentur. Diſcedens, quum ſe brevi moriturum, nec eos amplius viſurum aſſereret, tale illis ſui deſiderium reliquit, ut non ſine lacrymis, & queſtubus dimitteretur.

Gonzaga in Cuſtodia S. Salvatoris part. 4. pag. 1276.

LXXIV. Tampicum ſe contulit in Cuſtodia S. Salvatoris, ubi mortem ſuam annuntiantem igneus repente globus miraculoſe circumdedit. Apoſtemate ſauciatus, & ſe fini proximum animadvertens populum Regionis vocavit, quem inter, & Fratres roſarium, grana aliqua a Summo Pontifice benedicta, cilicium quo erat præcinctus, & flagellum, quo ſe cædere ſolebat, diſtribuit, ac rite ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, adſtantes Fratres admonuit ad paupertatem, mutuamque concordiam, & charitatem. Venia demum petita de malis exemplis, ſi quæ exhibuiſſet, & Apoſtolorum Symbolo devotiſſime recitato, animam exhalavit die 8. Octobris juxta Torquemadam; juxta Arturum die 8. Auguſti. Ejus corpus antea ſubfuſcum, mox candidum, lucidumque, & ſuave olens apparuit. Audita eſt circum dulcis inſtrumentorum muſicalium in aere harmonia, & Angelicus concentus, qui die anniverſario ad ejus ſepulchrum pluribus annis continuavit. Quidam nominis ejus detractor, qui viventi maledixerat, labiis peſtifero ulcere obductis, e vivis ſublatus eſt.

LXXV. Spiritu prophetico Conſobrino ſuo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini prædixit calamitates, quæ illi evenerunt. Indo infirmo, qui Andreæ commiſſas culpas in confeſſione detexerat, bene adhuc valens dixit: *Maneto in pace; & pro me orare memento, quia per horam tantum ante me moriturus eris.* Quod ita accidit. Terra ejus ſepulchri contra varias infirmitates prompte medetur. Hiſpanus homo Andreæ familiariſſimus, quum defuncti corpus ab antiquiori tumulo ad decentiorem alium deferretur, e lecto, in quo graviſſime ægrotabat, deduci voluit ad Eccleſiam, hauſtumque pulverem languido admovit corpori; nec mora, cunctis, qui aderant, ſtupentibus, domum incolumis redivit.

LXXVI. Ingenio excellens, & multiplici eruditione reliquit ſequentia

tia opera. Tractatus Alphonſi de Caſtro adverſus Hæreſes in Hiſpanum idioma tranſlatos. Libellum doctiſſimum, atque Indis omnino neceſſarium de finali Judicio idiomate Indico. Artem addiſcendi linguam Mexicanam, & Lexicon ejuſdem. Doctiſſima quædam Problemata. Tractatum de Sacramentis. Tractatum de Sacrilegiis. Septem Sermones lingua Mexicana. Artem addiſcendi linguam Vaſtecanam cum Lexico ejuſdem. Tractatum de ſeptem Peccatis mortalibus. Doctrinam Chriſtianam lingua Mexicana explicatam. Modum confitendi Vaſtecano ſermone. Artem addiſcendi idioma Totonacum cum ejuſdem Lexico. Omnia hæc pluries typis ſunt commiſſa.

LXXVII. In Monaſterio S. Iſabellæ Doleti obiit Maria Vasquez nobiliſſimi generis, ibidem ab ineunte ætate in virtutibus exercitata, & quotidianis pugnis contra communem hoſtem, quem fidei clypeo munita pluries glorioſe devicit.

Monumenta Provinciæ Caſtellæ, & Granatenſis.

In Monaſterio S. Crucis Cordubæ Florentia ab Angelis priori ſimillima in ſanctitatis luce, qua ad exitum uſque vitæ coruſcavit. Obdormivit in Domino in Monaſterio Montis Lucis Peruſiæ Virginia Randoli Peruſina die 18. Julii, quæ exſcripſit medietatem Hiſtoriæ Seraphicæ, ſeu Speculi Ordinis Minorum, quod Franciſchinam appellant, ſtylo quidem barbaro, ſed veridico.

Monumenta Provinc. S. Franciſci.

LXXVIII. Sanctam CapuccinorumFamiliam decoravit beata mors plurium Alumnorum. Piſis in Tuſcia deceſſit Franciſcus de Monte Politiano Concionator ex illuſtri Burattorum domo, & Marcelli II., ut ferunt, conſanguineus.

Boverius ad annum 1571.

In Conventu Neapolis Bonaventura Cremonenſis olim Amadeorum Congregationis, cui Faventiæ Capuccinorum extinctionem metuenti adſtitit, Boverio teſte, Deipara, certumque reddidit, nullo unquam tempore id futurum. In Conventu Manfredoniæ Leo Genuenſis prius Eremita Montis Gargani, & monente Deipara ad Capuccinos adductus, quamvis expertus Dæmonis inſidias, in vocatione ſecundo confirmari debuerit ipſius Deiparæ vocibus.

LXXIX. Horum veſtigia preſſit Otto a S. Germano ad navale bellum cum cæteris profectus, ibique defunctus. Nocte quadam Dæmon ante ipſum orantem in Conventu Herbæ demortui Fratris cadaver non adhuc ſepultum ſuſtulit in humeros Eccleſiam ingreſſus. Ottonis vero juſſu ſarcinam depoſuit, & abſceſſit, quam Vir Dei nihil turbatus correptam ad locum ſuum reſtituit, atque ad orationem redivit. Apparuit defunctus in Urbe Mediolanenſi cuidam Fratri, & illi dixit, ſe æternam quidem ſalutem adeptum, ſed paupertatis ſtrictiſſimam rationem reddidiſſe. In Conventu Apiri Bernardinus a Lauro Clericus, cæleſti animam agens Seraphici Patris viſione recreatus. Deceſſerunt etiam Joannes Baptiſta de Monte S. Petri pariter Clericus, cujus ſanctitatem Dæmon teſtatus eſt vocibus, & fuga a corpore mulieris energumenæ; Franciſcus a Crotone, Martinus Rheginus, & Maſſæus Genuenſis Laici. Hic ſocius fuit Anſelmi de Petra Molaria ad Echinadas, & Magiſter Novitiorum in Conventu Camerini, ubi juvenem in oratione ex obedientia perſtantem, a Dæmone pene ſuffocatum liberavit.

LXXX. Hoc anno Franciſcus de Argignano Vicentinus, quem diximus confirmatum Guardianum Hieruſalem, (Bernardino enim de Colleſtate electo in Comitiis Valliſoletanis ſucceſſerat anno 1568.

Viridar. Seraph. tom. 2. pag. 161.

Angelus de Portu Provinciæ Genuenſis, qui eodem obiit anno in Inſula Cypri; atque hinc ipſi ſtatim ſucceſſerat Franciſcus) plurimas calamitates perpeſſus eſt in Inſula Cypri, ubi reperiebatur, Turcarum furore,

Digitized by Google

rore, qui eum captivum abduxerunt in Inſulam Chii una cum Angelo Calepodio Vicario Generali Prædicatorum, Vicario Eremitarum S. Auguſtini, & Provinciali Carmelitarum Diſcalceatorum. Argento redemptus redivit Hieruſalem, ubi paullo poſt munere ſe abdicavit. Suffectus eſt in ejus locum Antonius de S. Angelo Guardianus Cœnobii S. Mariæ Novæ Neapolis, qui, dum navim conſcendere vellet, Venetiis deceſſit. Iidem Turcæ hoc anno combuſſerunt Cœnobium S. Mariæ de Gratia Phariæ, ſeu Leſinæ, in Provincia Dalmatiæ, reſtauratum poſtea, ut indicat Epigraphe:

Hoc Virgini S. Deiparæ Templum poſt incendium ab immanitate Turcarum factum an. D. MDLXXI. XVII. Kal. Sept. Eleemoſynis Chriſti Fidelium LII. Magiſtratuum, Nobilium, Mercatorum, Nautarum, Pauperum, Piſcatorumque ob maxima beneficia eis collata, nunc una cum Domicilio reſtauratum manet. MDLXXIIII. VI. Kal. Novemb.

LXXXI. Bonifacius a Biturgia Provinciæ S. Franciſci mittitur Commiſſarius Apoſtolicus in Provinciam Bononiæ. Conventuum vero, & Monaſteriorum Umbriæ inſtituitur Viſitator Apoſtolicus Paulus Epiſcopus Callienſis, qui die 21. Decembris ingreſſus in Monaſterium Montis Lucis Peruſiæ admiratus eſt diſciplinam Monialium. Vetuit tamen celebrationem Miſſæ in Infirmaria, & quoſdam S. Scripturæ libros Italico idiomate, qui legebantur a Monialibus. Congregatio Fratrum Tertii Ordinis in Sicilia conſtans ex ſeptem Cœnobiis obtinuit a Pontifice jus eligendi in Capitulo ex ipſorum Alumnis Priores, & Viſitatores Provinciæ.

Gonzaga in Prov. Siciliæ in fine.

LXXXII. Recollecti Provinciæ Algarbiorum in Verbi Dei prædicatione proficiebant in Indiis Orientalibus. Circa autem hæc tempora receperunt Cœnobium ſub invocatione Matris Dei paullo ante fundatum a Gaſparo Archiepiſcopo in Civitate Goæ totius Indiæ Orientalis Metropoli. In quibuſdam Chronicis lego, eos in novam ædem introductos hoc anno; in aliis anno 1569. die 31. Octobris, præfecto in Novitiorum Magiſtrum Petro de Magdalena, quem Hyacinthus a Matre Dei aſſerit Fundatorem Provinciæ Matris Dei, negat Ferdinandus a Solitudine.

Hiacinthus a Matre Dei in Chron. art. 1.

Ferdinandus a Solitudine tom. 5. num. 3.

LXXXIII. Plura ſtatuit Pontifex hoc anno. Vetuit, ne Regulares quilibet, ſecluſo examine Epiſcoporum, exciperent Confeſſiones ſæcularium: *Romani Pontificis*. VIII. Idus Auguſti. Injunxit Carolo Cardinali Borromæo, ut corrigeret Religioſos delinquentes in Diœceſi Mediolanenſi: *Non ſine animi noſtri moleſtia*. Die 10. Martii. Domibus Monialium pauperum in Hiſpania attribuit bona Clauſtralium ad Obſervantiam redactorum: *De Statu Eccleſiarum*. Die prima Octobris. Præcepit, ut bona, quæ ſpectabant ad Cœnobium de Monſon Diœceſis Ilerdenſis, quæque, inſtante Reformatione, Conventuales donaverant, vel vendiderant Communitati loci, recuperarentur, partim applicanda fabricæ prædicti Conventus, & Eccleſiæ ornamentis, partim alicui Monaſterio S. Franciſci, ſeu S. Claræ: *Quum ad hoc nos Deus*. Die 2. Julii. Indulſit Antonio de Condonal, ut ad Presbyteratus Ordinem promoveri poſſet, etiamſi ante ingreſſum in Religionem Minorum Obſervantium Advocatum egiſſet in cauſis criminalibus: *Apoſtolicæ Sedis*. Die 14. Januarii. Compoſuit litem inter Bernardum Piſcinam Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarium, & Fratrem Julium de Corregio Minorem Conventualem ſuper quadam hæreditate per literas Aloyſii Cardinalis Cornelii: *Tibi Domino*. Die 14. Martii. Scripſit Joſepho de Roccaberti viro nobiliſſimo Ord. Min. Obſerv. Provinciæ Cathaloniæ hortatoriam ad ſcrupulos eximendos circa Regulæ obſervantiam: *Quum ex fide*. Die 4. Martii. Dedit facultatem Iſabellæ

Infan-

Infanti Portugalliæ Viduæ Eduardi ingrediendi ſine Ancillis Monaſterium S. Claræ, ſeu S. Franciſci de Villa Vitioſa a ſuis conſanguineis fundatum, quoties illi placuerit, de licentia Abbatiſſæ: *Sincere Devotionis*. Die 11. Octobris. Guiomaræ Enriquez nobili mulieri Ulyſſiponenſi facultatem ingrediendi quolibet anno cum honeſta Matrona Monaſterium S. Claræ de Santarem: *Promeretur tua fidei*. Die 13. Novembris.

LXXXIV. Conceſſit præterea privilegium lucrandi Indulgentias Feſti Portiunculæ in Eccleſia S. Mariæ de Angelis Oppidi de Cerralvo: *De ſalute gregis*. Kal. Martii. Privilegium lucrandi Indulgentias in Eccleſiis S. Martini de Mannubaulle, & S. Nicolai de Carillon Diœceſis Belluacenſis: *Ante tronum*. Kal. Julii. In die Conceptionis in Eccleſia S. Franciſci Accii. ſeu Guadix, Provinciæ Granatenſis. In die S. Annæ in Eccleſia S. Annæ extra Oppidum de Abarea Diœceſis Palentinæ ad inſtantiam Joannis de Reinoſo Ordinis Minorum Obſervantium: *Super gregem Dominicum*. Pridie Kal. Martii. In monumentis Provinciæ Lithuaniæ invenio literas Pii V. ſine die, & anno, quæ datæ dicuntur pro Eccleſia S. Catharinæ Virginis, & Martyris Oppidi Nesviſii Diœceſis Vilnenſis. At in ipſis Eccleſiæ nomen non exprimitur, neque exprimi poteſt; fundata enim non eſt, niſi circa annum 1600. una cum adnexo Cœnobio, ut oſtendunt diplomata Clementis VIII., Capituli Cracovienſis, & Franciſci a Soſa Miniſtri Generalis, licet fundari antea debuerit eleemoſynis Euphemiæ Catharinæ Inwiszniowich Duciſſæ Uxoris Nicolai Chriſtophori de Radzwit Palatini Vilnenſis. Literarum tenor eſt hujuſmodi.

Omnibus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi diebus feſtis SS. Inſtituti Seraphici Fratrum Minorum Eccleſiam a primis Veſperis usque ad Occaſum Solis eorumdem dierum ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, & hæreſum exſtirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam perpetuis temporibus valituram concedimus.

ALIÆ CONCESSIONES SUMMI PONTIFICIS.

1. *Quando Moniales ſunt in extremis, receptis etiam omnibus Sacramentis, eorum Confeſſor, ſi ſit ſexagenarius, poſſit intrare cum ſocio, qui etiam ſit ſexagenarius, clauſtrum, ut uſque ad ſpiritus emiſſionem poſſint in Domino conſolari. Quod ſi Confeſſor non ſit ita ſenex, & in Monaſterio propinquiori inveniatur talis, de licentia Guardiani poſſit illud facere, dum tamen ſit Religioſus, & exemplaris.*

2. *Item declaravit ad mentem Concilii Tridentini cap. 6. ſeſſ. 25. de Regularibus, & ad ſupplicationem multorum Religioſorum, ut omnes electiones fiant per vota ſecreta mediis ſchedulis, & nunquam publicentur tegentium nomina, & peracto ſcrutinio, illi, qui plura habebunt ſuffragia ultra medietatem, habeantur electi; quo facto, coram capitulo crementur ſchedulæ; & irritentur electiones. quæ non ſervaverint prædictum modum.*

3. *Item ad inſtantiam Fratris Joannis de Aguilera conceſſit, quod Puellæ, quæ deſignatæ fuerint a parentibus pro Religione, poſſint recipi in habitu ſæculari ſeptimo ætatis anno in Conventu, ſeu Monaſterio Monialium, & ibi manere uſque ad duodecimum, vel decimum quartum annum, ut ſic poſſint addiſcere literas, & cantum, & bonis moribus imbui. Sed expleto prædicto tempore, libere mittantur in domos parentum ab Ordinario, ſeu Guardiano. quæ ſi Religionem elegerint, induantur habitu regulari; ſi autem non, amplius non ingrediantur Monaſterium.*

4. *Tan-*

Anno Christi 1571.	Pii V. anno 6. & 7.	Maximiliani II. anno 8.	Religionis Minorum anno 364.

4. *Tandem conceſſit, quod captivi, qui in terris Infidelium detinentur, in articulo mortis conſequantur Indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum, præmiſſa tamen confeſſione, ſi fuerit copia Sacerdotis, ſi autem non, hoc conſequantur habendo contritionem ſuorum peccatorum.*

Anno Christi 1572.	Gregorii XIII. anno 1.	Maximiliani II. anno 9.	Religionis Minorum anno 365.

ARGUMENTUM.

Acta Martyrum Gorcomienſium, aliorumque pro Chriſti fide deciſorum. Conſtruuntur Cœnobia. Erigitur Provincia SS. Trinitatis in Regno Chilenſi. In Indiis Occiduis inſtituitur Commiſſarius Generalis. Elevatur corpus B. Ladislai Gielnovii. Florent Minoritæ, ſancteque decedunt. In Gallia alii necantur, & ædes diruuntur. Epiſcopalem dignitatem obtinent Franciſcani. Virgines obeunt virtute ſpectabiles.

I. CHriſtianorum Republica pie, ſancteque adminiſtrata, naturæ debitum ſolvit, & laborum mercedem in Cælis accepit Kal. Maji, ætatis ſuæ anno LXVIII. SS. Pontifex, ingenti luctu Urbis, & omnium ubique Catholicorum, ob ſummam ejus humanitatem, beneficentiam in omnes, pietatem, fidem, zelumque vere Apoſtolicum in tuendis Eccleſiæ juribus, Religione vindicanda ab impiorum conatibus, augendoque cultu, & majeſtate ſacrorum; quod moriens piis ad Deum vocibus teſtatus eſt, quodque Hæretici, ac Turcæ ipſi agnoverunt, qui ſanctitatis exemplar, juſtitiæ vindicem, & fidei propugnatorem formidarunt. Quamvis nos in ea tempora inciderimus, ut non cum antiquis hoſtibus, ſed, quod multo eſt gravius, cum Atheorum gente nunc primum in lucem aperte prodeunte, & ſcelerum omnium colluvie, ac furiis veneno actis dimicandum ſit, tamen inter dolorem, & lacrymas erigimur animo, quum Petri naviculam moderetur PIVS VI. PONTIFEX OPTIMUS MAXIMUS Prædeceſſoris ſui nomine, ac virtute æmulus, quem Divina Providentia in ætatem hanc miſerrimam reſervavit, ut magnis laboribus, curis, vigilantia, ſapientia, nullique æquanda animi fortitudine fidelibus adſit, & dispulsis errorum tenebris, ac procella, tranquillitatem, quam ſperant omnes, in Eccleſiam Dei tandem reducat.

II. Paucos poſt dies ad ſummum Pontificatum conſcendit Hugo Boncompagnus Bononienſis Cardinalis S. Sixti, Gregorii nomine aſſumpto in memoriam S. Gregorii Magni, coronatus in feſto Pentecoſtes. Nobiliſſimo loco natus, Parentibus Chriſtophoro Boncompagno, & Angela Marescalca nobilitate, literis, moribus, & pietate excellens nihil non fauſtum, fortunatumque omnibus repromiſit. Reintegrando ſacro fœderi adverſus Barbaros omnium primo animum applicavit, & ne tempus nequicquam flueret, Legatos miſit ad Principes Catholicos, ut ſuſceptum negotium urgerent. Hinc Chriſtiana claſſis mare tenuit iiſdem Ducibus, etsi obortis inter Imperatores diſſidiis, navalis pugnæ apud Navarinum Pelopennoſiacum commiſſæ exitus minus feliciter nobis ceſſerit. Hunc Pontificem non æque facilem ſe præbuiſſe Obſervantibus, ac ſe præbuerat Pius V., autumat Auctor Bataviæ Sacræ. Multa, inquit, quæ nimis

nis

mis liberaliter Pius conceſſerat, utiliter revocavit. Quænam vero hæc ſint non explicat; immo vero profitetur ſe neſcire quid profecerit recurſus Romam circa Cœnobium Delphenſe S. Barbaræ. Moniales, ut dictum eſt, Obſervantibus obedientiam ſub initium præſtare recuſarunt. Acquieverunt denique, ut notavimus, invitæ. Si verum eſt, eas reclamaſſe, ex eo quod ignoretur exitus, deduci nequit, Pontificem Monialibus potius faviſſe, quam Obſervantibus.

III. Non parum Belgarum animos commoverat Dux Albanus, erecto ſibi in Arce Antuerpienſi trophæo de extincta ſeditione, rebellibus pulſis, Religione procurata, juſtitia culta, & Provinciæ pace firmata, non, ut ſcribunt nonnulli, de ſubacta nobilitate, & populo; hæc enim verba in marmore non leguntur. Sed invidiæ potius, quam rebellioni anſam id præbuit; vera ſiquidem novorum tumultuum cauſa accepta eſt referenda exactioni tributi decimæ, vigeſimæ, & centeſimæ, quam imperavit non pacatæ Provinciæ hominibus, ſed iis, qui metu odium occultabant, neque minus Catholicæ Religioni, quam Hiſpanis infenſi bellum rurſus concitandi occaſionem ſtudioſiſſime conquirebant. Edictum ea ſuper re propoſitum rejecerunt Antuerpienſes, Bruxellenſes, & Ultrajectenſes, ex quibus plures idcirco capite damnati alios quid agendum foret, taciti admonebant. Ad arma igitur conclamatum eſt, & exercitus collecti.

IV. Guilielmus Lumnius, ſeu Lumæus, Comes de Marca, vir animi truculenti, & ſanguinarii, Religioſorum omnium, ac præcipue Minoritarum hoſtis crudeliſſimus, quem demum juſto, & terribili Dei judicio, rapidi canis morſus ſuſtulit miſerrime ejulantem, & incerta admodum ſalutis ſuæ opinione Catholici ſpeciem ſimulantem, quadraginta navium claſſem in Anglia comparatam, & prædonibus inſtructam adduxerat in Vornam Hollandiæ Inſulam vel meditate, vel tempeſtate actus, ubi mercaturam ſimulans Brilam Inſulæ portum hoſtili impetu invaſit, &, nemine obſiſtente, Dominica Palmarum in ſui poteſtatem redegit, fractisque SS. Imaginibus, & nulla poſthabita in res ſacras, ſacrumque Ordinem irreverentia, impoſitis præſidiis communivit. Prædæ nullo ferme negotio adjecit, Civitates Enchuſæ, Fliſſingæ, Alcmariæ, Dordraci, & Gorichem, ſeu Gorcomii, ad Lingiæ & Wahalis Moſæ juncti confluentes. Poſtremam hanc receperunt Marinus Brantius Flander, & Adrianus Ficus Tielenſis ex grege nebulonum, annuentibus pernicioſis Civibus ab Adriano Hovelio exule ad ſeditionem concitatis.

V. Erat in ea Urbe Cœnobium Franciſcanorum, quibus præerat Nicolaus Pichius natus ibidem anno 1534. die 29. Auguſti parentibus Joanne Pichio, & Henrica Clavia Catholicis, & honeſtiſſimis, utque per ætatem licuit Minoribus adſcriptus in Cœnobio Buſcoduci, quo in Oppido humanioribus literis operam navabat. Theologiam audivit Lovanii ſub Adamo Sasboldo inſigni præceptore, & diſcipulo olim Theodorici Munſteri viri celeberrimi, ſociumque habuit Danielem Arendocanum, de quo mox dicemus. Singulari humilitate, & animi modeſtia nativo præterea vultus candore, oculorum tranquillitate, ac frontis ſerenitate omnium benevolentiam ſibi conciliabat. Interrogatus a quodam, num ſe Sanctum crederet, (dixerat enim in concione, ſe eleemoſynam rogare pro Sanctis, qui erant Gorcomii in Conventu Minoritico) reſpondit: *Minime vero. Sed Sancti ſunt Fratres mei. Sancta eſt noſtra pauperum Congregatio*. Si errati moneretur etiam ab eo, qui ætate

te minor eſſet, vel dignitate, benigne, placideque correptionem admittebat, ut qui non tam perſonam intueretur corripientis, ſed correptionis fructum. Dixit ei per jocum Leonardus Parochus Gorcomienſis: *Monache, Geuſii ſuſpendent te*. Cui ille: *Hoc ego nondum merui*. Tum Leonardus: *Hac tempeſtate multi ſuſpenduntur immeriti*; at alter: *Martyrii gratia dari non ſolet immeritis*; *oportet enim, ut per ſancta vita præcedentis actiones ad eam tandem perveniatur*.

VI. Hilari ſpiritu Deo ſerviendum ſibi proponens concionibus habendis, excipiendis confeſſionibus, aliiſque oneribus noctu, diuque ſubeundis vacabat, etſi corpore, & natura non uſquequaque validus. Reformavit Cœnobium Gorcomienſe, Fratribus licet non paucis repugnantibus, quorum nemo ſecum Martyrii palmam eſt conſequutus, eoque zelo rem promovit, ut Petrus Montanus ejuſdem Cœnobii accola dicere ſoleret, eum ſemper ſibi viſum aptiſſimum ferendo Martyrio. Antequam quidquam inciperet, dicebat: *Ad honorem Dei*. Si quid peteret, addebat: *Ex charitate*. Si quid pretioſius, aut ornatius ei offerretur, recuſabat aſſerens, S. Franciſcum, ſi videret, ægre id laturum. Nihil non tentavit, ut duo ejus Fratres ſecundum carnem ab hæreſi ad Eccleſiæ gremium reverterentur. Magno, & conſtanti animo egit, ut quidam Monialium Rector, quod laqueo foret caſtis animabus, etſi amicorum numero fretus, & apud multos gratioſus, officio privatus ablegaretur. Supplex, & in terram projectus Judici ſupplicavit, ut mitigato juſtitiæ rigore Hæreticos quoſdam extremo ſupplicio afficiendos, & jam reſipiſcentes dimitteret. In conſiliis dandis monebat in primis, ne Deus offenderetur. Acri judicio præditus, quum in diſceptationem Theologi adducerent, an nonnullæ mulierculæ Divinas revelationes haberent, primus ipſe in præſtigiorum cenſum illas retulit; quod & eventus comprobavit.

VII. Duos Sermones, ingruente noviſſimæ perſecutionis tempeſtate, ad populum habuit, alterum inſtructivum die infra Octavam Corporis Chriſti de veritate realis præſentiæ Domini in Altaris Sacramento; alterum hortatorium, quo docuit, nulla ratione, nulloque caſu licitum eſſe homini Chriſtiano fidem negare, ne intentatis quidem ſæviſſimis cruciatibus, & mortis ſupplicio propoſito. Ejus conſtantiam alii in ſuperbiam detorquebant, & inflexibilem obſtinatæ mentis pervicaciam, dum ab aliis ſimplex diceretur, quod fidem ſuam non diſſimularet.

VIII. Statuerat Nicolaus a Conventu diſcedere cum tribus Fratribus, qui ibidem remanſerant, hoſtium expectaturus inclementiam, niſi magis muneris ſui eſſe putaviſſet, majori Fratrum numero adhærere, qui, aſportatis prius Eccleſiæ ornamentis, veſtibus ſacris, & librorum ſuppellectile, in arcem Turris Marmoreæ ceruleæ, quam pauci milites armis tractandis idonei defendebant, ſe receperant; maxime quum tres illi in Cœnobio ſuperſtites nulla neceſſitate ibi perſtarent, & poſſent cæteros facile comitari, quorum illuſtre martyrium deſcribemus ex Memoriis Guilielmi Eſtii Heſellii impreſſis Duaci anno 1603., & Namurci anno 1655., quas ipſe hauſit ex Memoriis aliis Rutgeri Eſtii teſtis oculati communem cum martyribus ſortem aliquando experti. Ne tamen in immenſum volumen excreſcat oratio, ſcitu tantum digniora delibabimus.

IX. Martyres omnes decemnovem numerantur, in quibus Joannes Sacerdos Ordinis Prædicatorum, Adrianus Becanus, & Jacobus Lacopius

pius Aldenardenſis Ordinis Præmonſtratenſium, Joannes Oſterwicanus Canonicus Regularis S. Auguſtini, Leonardus Vechelius Boſcoducenſis, Nicolaus Poppellius Weldanus, Godefridus Dunæus Gorcomienſis, & Andreas Waltherus Sacerdotes, & Parochi Sæculares. Cæteri undecim Ordinis Minoritici, nimirum laudatus Nicolaus Pichius, Hieronymus Werdanus Vicarius, Theodoricus, ſeu Theodorus Endemus Amerſtfortius, Nicaſius Joannis, Godefridus Mervellanus, Willehadus Danus, Antonius Werdanus, Antonius Hornarienſis, Franciſcus Rodius Bruxellenſis Sacerdotes, Petrus Aſcanus, & Cornelius Wicanus Laici, quorum elogia ſubjicimus.

X. Hieronymus ex Oppido Werdæ Hornani Comitatus ob ſuſceptum iter in Palæſtinam peregrinus Hieroſolymitanus dictus, & obedientiæ ita deditus, ut locum omnem, ad quem mitteretur, Paradiſum ſuum appellaret, magicis incantationibus, & ſuperſtitioſis ritibus deſtruendis plurimum inſudavit. Libere, & ſincere concionabatur, patriæque ſuæ calamitates deflebat his verbis: „ Nulla nunc tuendæ Religionis cura. „ Nuſquam quæruntur Hæretici. Nulla pro iis ſollicitudo, ne pereant, „ vel ne perdant. Jacent leges, dormit Inquiſitio, pullulant hæreſes, „ atque ſuccreſcunt, & paſſim, nemine prohibente, graſſantur impu„ ne. Solus quæritur decimus denarius. In hunc jam omne ſtudium, „ & cogitatio convertitur. Et quid vultis? Omnes ea, quæ ſua ſunt, „ non quæ Jeſu Chriſti „. Pari zelo ardebat ejus conterraneus Antonius Werdanus oppida, & pagos circumire ſolitus, ut ruſticos homines in rebus fidei inſtrueret, & panem pauperibus frangeret, quo Eccleſiæ Dei Miniſtris nihil eſſe poteſt glorioſius. In ultima concione dixit: „ Nunc, „ ſi umquam alias, tempus eſt, quo inſtantiſſime Deum orare oportet; „ gladius enim jugulo jam admotus, & ſecuris poſita eſt ad radicem „.

XI. Pios, Catholicoſque parentes Theodoricus Endemus ſortitus Amfortiæ in ditione Ultrajectina, ex familia adeo numeroſa, ut ipſe a centum ferme diverſæ ætatis, & ſexus hominibus patruus, vel avunculus ſalutaretur, recuſatis pingui beneficio Eccleſiaſtico, & dignitate, quam, ſi Monachi habitum ſumeret, erat conſequuturus, Minoribus adſcribi voluit adhuc adoleſcens, quos inter ad ſenium uſque Regulari obſervantiæ perfecte ſtuduit. Rexit Moniales Tertii Ordinis in Monaſterio S. Agnetis Gorcomii.

XII. Nicaſius Joannis Adriani filius a quodam Campiniæ pago Hezii nomen accepit, quo appellati ſunt cæteri ejuſdem familiæ, in quibus Theodoricus Hezius ejus patruus Adriani VI. Summi Pontificis a ſacris miniſteriis, maximæque apud Leodienſes auctoritatis. Ante ingreſſum in Ordinem Minoriticum Baccalaurei titulum meruit Lovanii in Collegio Adriani VI. Totam ferme S Scripturam memoria retinebat, & Epiſtolas Apoſtolicas literaliter extemplo recitabat. Excoluit Myſticam Theologiam; atque hinc ſubtilius loquebatur, quam a vulgo poſſet intelligi. Reliquum tempus impendebat exarandis lucubrationibus ſuis, aut a Latino in Belgicum vertendis libellis piis, & devotis. Quum, pacatis rebus, Catholici ſe tutiſſimos putarent, mox futuros tumultus prædixit, licet id omnes riſu exciperent. Sub ipſum periculum imperturbatus dicebat ſociis: *Hæc eſt voluntas Altiſſimi*.

XIII. Godefridus Mervellanus erat in Cœnobio Gorcomienſi ſacræ ſuppellectilis cuſtos, Confeſſarius, & Pictor Imaginum Chriſti, & Sanctorum, quas devotionis cauſa inter fideles diſtribuebat. Willehadus Danus

Danus ſtatura procerus, & corpore macilentus ſic ut oſſibus, & pelle tantum conſtare videretur, Hæreticorum gladios fugerat in Regno Daniæ, vir purus, ſimplex, et parcus verborum. Antonius Hornarienſis ex Oppido Hornariæ Ditionis Gorcomienſis, & familia paupere, ac ruſticana, ſed religioſiſſima, verbi Dei miniſterium obibat una cum Franciſco Rodio Bruxellenſi juvene florentis ætatis. Petrus ab Aſca in Brabantia, & Cornelius a Doreſtato, alias Wica Batavorum in agro Ultrajectino, Fratribus inſerviebant. Hic quum Buſcoduci maneret, & vocaretur a Guardiano ſuo dicente: *Frater Corneli, eundum tibi eſt Ultrajectum*, nihil ultra quærens continuo iter arripuit. Ut venit Ultrajectum, a Guardiano requiſitus, cur veniſſet, retulit mandatum, quo ei dictum fuerat: *Eundum tibi eſt Ultrajectum*. Miratus ille Fratris obedientiam, eum remiſit ad ſuum Guardianum, ut quid vellet quæreret, ac renuntiaret.

XIV. Ingreſſus Gorcomium Marinus Brantius Lumnii Satelles Arcis expugnandæ conſilium cœpit; prius tamen ut Gaſparum Turcum ejus Præfectum ad deditionem ſollicitaret, literas ad illum perferendas tradidit Laico Franciſcano ex iis, qui in Cœnobio remanſerant. Ivit is, rejectusque a Præfecto, literas non obſignatas aperuit, & elata voce legit ad eos, qui in arce ſtabant januæ proximi, quarum ſumma erat, ut Præfectus retineret dignitatem ſuam, & officium, ſi reciperet præſidium Principis Auraſii; milites vero vitam incolumem, bona intacta, liberumque diſceſſum obtinerent. Et quo tutius res tranſigeretur, Præfectus adeſſet in Curia, cum Senatu, & Duce Principis Auraſii præſens acturus.

XV. Conditionibus rejectis irritati Geuſii, & moleſte ferentes, Præfectum reſpondiſſe, multo juſtius eſſe, ut qui colloquium petebant, ad eum in arce venirent, quod ab internuntiis ferocius dictum, vel a ſimplici Laico parum commode relatum erat, armis impetere mox Arcem deliberarunt, tantamque primis tormentorum, & machinarum æ nearum ictibus formidinem obſeſſis injecerunt, ut partim arma abjecerint, partim ad hoſtes clanculum diffugerint. Exſpectabat Gaſpar Turcus Filium Guilielmum cum copiis, quas accipere debebat a Comite Boſſutano Trajectenſium ad Rhenum Regio Præfecto, qui quum minime reverteretur, arcem dedere propoſuit, ne Uxorem ſuam, & lacrymantem filiam, reliquoſque omnes ad unum perderet; animadvertebat enim, locum diutius ſe tueri non poſſe contra audaces, perditoſque adverſarios. Reſtitit tamen aliquantulum victus Pichii rationibus, qui Hæreticis fidem habendam non cenſuit, etſi dejerantibus; facile enim eſſe, ut homines in religionem perjuri humanas leges, & fœdera non ſinant inviolata. Verum quum hoſtes acrius inſtarent, & inexpertorum animos terrefacerent ingentia bombardarum tonitrua, & fulmina, quibus Arx a fundamentis concuti, & in mediis flammis ardere videbatur, non potuit paucorum virtus efficere, quominus deditionis conſilium obtineret.

XVI. Arcem recepturus Brantius conceptis verbis juravit, omnibus, qui in ea forent, Eccleſiaſticis, & Laicis, nemine excepto, vitam incolumem ſervatum iri, & integram libertatem. Dum pacta obſignarentur, Nicolaus Pichius, aliique Fratres religioſum habitum iterum ſumunt, quem depoſuerant, ne veſtitu notabili periculum ſibi ultro accerſerent in arcis defenſione occupati; quod exemplo fecerunt quinque illorum Minoritarum, qui ut facilius in Saracenorum regiones pe-

netrarent, habitum ad tempus occultaruut, quorum audito Martyrio, S. Franciſcum dixiſſe ferunt: *Nunc vere dicere poſſum, me quinque habere Fratres*. Alius ſubinde alii peccata confitetur, eorum exemplum ſequutis non paucis ex Sæcularibus, quos Nicolaus Pichius ſacra Synaxi refecit allata a Templo Civitatis, ne ludibrio ab Hæreticis exciperetur.

XVII. In arcem immiſſi hoſtes poſt mediam noctem, quæ Kalendas Julii proxime ſequebatur, fidem iterum dant, ſe nemini injuriam facturos, ipſeque Brantius dexteram porrigens Heſellio Eſtio, qui intus ad portam ſtabat, dixit: „ Nolite metuere. Quod promiſi, promitto etiam „ nunc, fidemque meam cum jurejurando obſtringo, me omnibus, qui „ in arce ſunt, minoribus, atque majoribus, & tam Eccleſiaſticis, quam „ Laicis pacta omnia ſervaturum. Tantum opus, ut paullum adhuc iſtic „ ſubſiſtatis „. Quo dicto, introgreſſus cum ſuis cogit omnes in hypethrium ſuperius, planitiem nempe media in arce ſubdialem quadratam. Irruentes vero præſtantes illi juramenti adſertores ex exulum, fugitivorum, & ſceleratorum omnium fæce, & colluvie, ſingulorum veſtes, & loculos prædæ cauſa avidiſſime ſcrutantur, & Hieronymum Werdanum, quem fortaſſe Guardianum putabant, præcipue infeſtant, prehenſo pectore cum vi trahentes hominem, ut ab eo nummos extorquerent, quos nullos habebat. Mox Præfectum Arcis in vincula conjiciunt, duoſque fortiſſimos viros Theodoricum Bommerum, & Arnoldum Regium in medio Civitatis foro crudeliſſime ſuſpendio interimunt.

XVIII. Dimiſſis paucis, qui multo ære ſe redemerant, cæteri omnes, Religioſi potiſſimum, & Eccleſiaſtici, carceri traduntur graviſſimis contumeliis affecti: „ En, dicebant Geuſii, & experimini manifeſtam ad„ verſus vos Dei vindictam, qui ſi nobiſcum non eſſet, & pro nobis „ non faceret, quonam pacto fieri potuiſſet, ut nos numero tam pau„ ci arcem tam munitam caperemus? En quomodo unus noſtrum ſupe„ rat, & in fugam vertit mille veſtros. Nempe receſſiſtis a Domino Deo. „ Nunc ergo tempus eſt, ut meritas pœnas luatis, quandoquidem in le„ ge Domini noluiſtis ambulare „. Alii victis miſeriam exprobrabant; alii nihilo mitiores rogabant priores illos, ne infelicibus tantopere moleſti eſſent; futurum enim, ut in ipſorum ſententiam, parteſque concederent. Tum illuſores vultu ad lenitatem compoſito: „ Oh ſi faciant! „ inquiunt; debitis honoribus eos ornabimus. Alium hic publicum Ec„ cleſiaſtem faciemus; alium, atque alium in locis eidem muneri præ„ ficiemus, aut certe ad paria officia, & dignitates provehemus „. Miles interea tabellam in Arcem illatam, qua pacis oſculum datur in Miſſa, petulanter, & cum vi ori Nicolai Pichii obtruſit, & illiſit; qua ille militari inſolentia nihil turbatus gaudenti magis, quam dolenti ſimilem vultum tenuit.

XIX. Captivorum alter milites modeſte admonuit juramenti ſolemniter præſtiti, qui in hæc verba reſponderunt: „ Si vitam ſolam pacti ſu„ mus, veſtibus igitur ſpoliatos vos, ac veluti Adamos penitus nudos „ hinc ejiciemus „. Ad Nicolaum Pichium acceſſit conſanguineus ſuus Civis Gorcomienſis ſceleſtus quidem, ſed beneficii memor, quum illo deprecaute apud Comitem Boſſutanum, capitis periculum Roterodami evaſiſſet, illique operam ſuam, & officium ſpopondit, ut liber dimitteretur; & licet Nicolaus Fratres ſuos ſe non relicturum aſſereret, animadvertentes tamen Fratres, eum exire inde poſſe, ſi vellet, dicebant ei: *Siccine nos, Pater deſeris?* Alii dicebant: *Tu nos huc duxiſti, & nunc in* *diſ-*

diſcrimine poſitos derelinques? Durum hoc illi erat, & acerbum auditu; neque enim quiſquam juſſu, vel ſuaſu ſuo arcem petierat, ſed pridie quam Urbe hoſtis potiretur, omnibus veniam fecerat, quo vellent, & ſalvos ſe fore ſperarent, diſcedendi. Ipſe autem idcirco arcem intraverat, quia Fratrum Conventum, qui in majori, & potiori numero conſiſtit, dimittere noluit. Eos itaque ſolatus eſt multis verbis, promittens, ſe nullam ſui liberationem unquam admiſſurum, niſi omnes una ſecum liberatum iri videret. Quod ſi vel unus ex numero, idemque minimus morte mulctandus foret, illi in morte ſe ſocium futurum.

XX. In obſcuriſſimum, & fœtidum carcerem detruſis appoſitæ ſunt feria ſexta pro cibo carnes, quas Divinæ legis Zelatores ſub impio Antioco imitati comedere renuerunt. A cœna hoſtes vino madidi cuſtodiam ingreſſi pugnis, calcibus, & verberibus impetere, ſævisque, prout cuique lubitum erat, modis Chriſti Athletas exagitare cœperunt. Reſonabant convicia, & maledicta; cumulabantur terrores. Dicebat alius: Hem Sacrificule! ubi nunc os tuum, & gloriatio tua? Alius dicebat: Abſcindamus ſingulis virilia, nares, aures, & in crucem ſubigamus Idololatras iſtos, & Deificos. A Nicolao Poppellio tradi ſibi Eccleſiæ theſauros poſtulabant, inſtructamque pulvere pyrio balliſtam ori ejus oppoſuerunt, veluti continuo exploſuri, ac cinctorii ſuuis cuidam ex Minoritis detracti altera parte collum ejus ſtrinxerunt, alteram januæ ſuperimmiſerunt, ſurſumque eum trahentes, & deorſum demittentes parum abfuit, quin ſpiritum intercluderent, eodem tandem humi ſtrato miſerabiliter, & ſemianimi relicto.

XXI. Similes pecuniarum quæſtiones inſtituerunt in Minoritas, quorum nomine Nicolaus Pichius reſpondit, ſibi dubium non eſſe, quin calices, & ornamenta Templi in arcem allata ipſi jam repererint, & occupaverint; Franciſcanos ex eleemosynis vivere, & pecunias ad eorum ſubſtentationem ſæcularium hominum manibus tractari, & diſpenſari; ſe autem neſcire, an aliquid earum ſuperſit, & ubi ſit. Cui milites: Mentiris Monache. Et fune ad collum religato, ſuſpendio torquent ad oſtium carceris, donec, fune attritu dirupto, in terram cecidit pallens, ac plane mortuus, ipſique vel per ludibrum, vel ut explorarent, an animam exhalaſſet, ardentes candelas faciei admovent, flammamque naribus inſertam in cerebrum ſubmittunt; linguam etiam, & palatum adurunt, ſic ut guſtu hebetato, ac pene extincto nullum amplius, aut perexiguum ſaporem perceperit. Abſcedentibus militibus, paullulum refocillatus, Fratribus dixit, ſe per animi deliquium nihil omnino eorum, quæ facta erant, ſenſiſſe, eoſque ad martyrium hortatus eſt, modicum videlicet, & momentaneum cruciatum, quem illico animi, ſenſuumque defectio conſequitur, ut ſane liqueat, non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Reverſi milites, eumque vivum præter ſpem reperientes: Vivit ne Monachus? Vivitne adhuc? exclamant, pedibuſque humi ſedentem impellunt, in ventrem, & latera calces impingunt, & plagis acerbiſſime cædunt.

XXII. Inſequentibus noctibus crudelitates inſtaurarunt in Sanctos. Friſius cohortis Dux vino temulentus: Volo, inquit, ut omnes ordine mihi buccas veſtras inſletis. Tunc ad ſingulos progreſſus duas, vel ternas alaphas unicuique impegit tam violenter, ut pleriſque cruor a faucibus, & dentibus, a naribus etiam, & oculis erumperet. De quo egre-

egregio ſacinore homo insanus die poſtero apud Prætorem Civitatis prandens ſerio gloriatus eſt. Villehadus Danus ad ſingulos ictus respondebat: *Deo gratias. Ego Dominum Deum pro te rogabo.* Quibus verbis iratus percuſſor: Tune, ait, pro me orabis? nec mora efferatæ belluæ ritu in optimum ſenem irruit, tantumque illum non enecavit. Novo petulantiæ genere invento filii Satanæ, conſertis brachiis unius Fratris cum ſiniſtro alterius, binos colligant, & educunt alios poſt alios tamquam ad ſupplicationem. Dicunt autem: Cantate Monachi. Nunc ad mortem hac pompa proceditis. Eunt illi Eccleſiæ canticum: *Te Deum laudamus*, lætiſſimis vocibus modulati, ductique ad Arcis propugnaculum inveniunt menſam laute inſtructam, ad quam aſſidebant aliquot nebulones inter magna vini pocula ebrietate confecti, qui appoſita pelvi luſoria, & porrectis aleis: „ Ludite, inquiunt Sanctis, & aleas in „ pelvim projicite, ut in quem ſors ceciderit, primus ſuspendatur, „ cæteris ordine ſequuturis „ : Quibus respondit Nicolaus Pichius: *Nihil jactu alea opus eſt. Ego me libentiſſime omnium primum ad ſupplicium offero.* Poſtquam convivantium voluptati ſatis ſactum foret, eadem pompa in carcerem reducuntur.

XXIII. Leonardus Parochus ſolutus vinculis jam abierat, (poſtea contra datam publicam fidem iterum conſtrictus in via, dum Buscoducum pergeret) ut morientibus aſſiſteret Theodorico Bommero, & Arnoldo Regio, ut diximus, capite damnatis, eo quod ille præternavigantes Geuſios ſacrorum calicum ſuppilatores, & ſacrilegos ex arce inclamaſſet, alter vero milites nomine Regio ex vicinis locis collegiſſet. Eum itaque Henrica Nicolai Pichii Mater prope ſeptuagenaria pro filio ſuo ſollicita ſic affata eſt: Ubi, quæſo, moratur filius meus cum Fratribus ſuis? Numquid & non illi venturi ſunt? Cui Leonardus: Optarim equidem, o cara Mater, vel has aures mihi præcisas, dum eos a captivitate liberos hic præsentes apud nos habere liceat. Atque his verbis Matrem collacrymantem de filii ſui periculo admonuit. Interim Clemens Claudius vir Catholicus, venia a Brantio impetrata, Theodorum Chirurgum ad Nicolaum Pichium in carcere adduxit, qui immaniter, & fœde tractatum Dei ſervum inveniens a fletu non abſtinuit. Nicolaus vero ſubridens ait: *Quid lacrymaris?* Et Chirurgus: quomodo lacrymas continere queam, qui te ita affectum video? Contra Nicolaus: *At ego modicum eſſe revera cenſeo quidquid hactenus fidei meæ causa pertuli, quum Dominus noſter Jesus Chriſtus tam multa ſit paſſus pro nobis.... Utinam mihi contingat etiam membratim, & fruſtulatim diſsecari pro fide Catholica!* His, ſimilibusque verbis Chirurgum in fide Catholica, quam profitebatur, ita confirmavit, ut Hæreticis invisus poſt duriſſima vincula in exilium sponte abierit cum uxore, & filiis, atque ad finem usque vitæ Orthodoxus permanserit.

XXIV. Venerat Gorcomium ſub his diebus Joannes Omalius, ſeu Oumallus, homo inſolentiſſimus, turpiſſimus, natura Scythicus, & ſacrorum omnium contemptor, antea Cauonicus Eccleſiæ Leodienſis, apoſtata, ſacrilegus, & pirata, a Lumnio Brila miſſus cum mandatis. In carcerem introductus captivos vultu truculento, veluti devoraturus, circumspiciens: Hem, inquit, vos Deivori. Huc ego a Domiuo meo Comite de Marca feſtinavi ea gratia, ut vos omnes a patibulis ſuspendi jubeam. Cui Hieronymus Wendanus: *Sic age, ut loqueris. Nulla in nobis eſt mora. Parati ſumus omnes, ac ne unus quidem repugnabit.* His auditis

ditis barbarus dextera manu truncus ex ictu bombardæ, impotenti ira fremens exceſſit. Adſtitit paullo poſt Lictor publicus, qui depromptos ex loculis ſuis reſtes Sanctis oſtendens ait: Adſpicite quid hic ſit. Reſponderunt Guardianus, & ex Fratribus aliqui: *Laus Deo, Deo gratia, quod hucusque pervenimus*. Tum Lictor tunicis illos exuit, relicta tantum veſte interiori, illasque abſtulit; atque interea Geuſius quidam per convicium cantillabat aliquot verſus, ſeu proſam, quæ inter Miſſarum ſolemnia, die natali SS. Petri, & Pauli, in quibusdam Eccleſiis cantari ſolet, & hæc verba clarius audiebantur: *Ibi Neronis feritas, Principes Apoſtolorum præliis plurimis victores, diverſa te, Petre, & Paule, addixerat pœna mortis. Te Crux aſſociat. Te vero gladius cruentus mittit Chriſto*.

XXV. Omalius ab Hiſpanis victus, quatuor fere a Civitate Gorcomii milliaribus apud Oppidum Bomeliæ, quod expugnatum iverat, reverſus erat die tertia Julii in Catholicos iracundior. Agebatur in Senatu, & privatis Civium congreſſibus de redimendis captivis, nullo tamen exitu, Brantio negante, ſe quidquam poſſe ſtatuere ſine auctoritate Principis Auraſii, qui nondum venerat in Hollandiam. Tentatus quoque eſt animus Lumnii; ſed quis immaniſſimam, ferocemque belluam ad humanitatem flexiſſet? Omalius tumultum veritus popularem, ſi illos Gorcomii necaret, die quinta Julii intempeſta nocte ſeminudos in navigium imponit per Moſæ fluvium Brilam advehendos. Leonardus Parochus converſis ad Civitatem oculis: *Gorcomium, Gorcomium*, inquit, *o quantum tibi malorum impendet*? Quod prophetice ab eo dictum Cives didicerunt, illatis ex die illo inter ipsos per triginta annos bello, fame, peſtilentia, & ſacrorum myſteriorum ceſſatione.

XXVI. Dordracum appulſis nihil eis milites reliquerunt, præter amiculum lineum nigri coloris camiſiæ intimæ ſuperindutum, impranſosque accurrentis plebeculæ ſibilis expoſuerunt, quæ clamabat: Ah! ſeductores, & impoſtores hominum! quam multos male credulos commentis veſtris Papiſticis, & anilibus deliramentis in errorem abſtraxiſtis! Ah! quam multa animarum millia pravis, & peſtiferis veſtris doctrinis in Inferuum præcipitaſtis! O quam pulchre nunc patibulum ornaturi eſtis! Cæterum milites cuſtodiæ deſtinati velum navigii obtendentes, & circumponentes, neminem ad spectaculum admittebant, niſi nummum ſolveret, totoque illo die, qui Dominicus erat, naviculatores, lintrarii, mesonautæ, omnisque generis nebulones, ſcurræ, & furunculi, quidquid libuit, maledictorum, & dirarum in Sanctos impuro ore vomuerunt.

XXVII. Calvinianus quidam Miniſter inſtituit cum illis quæſtionem de Euchariſtiæ Sacramento. Sed audacis, & ignorantis pseudo-theologi ſophismata profligarunt Leonardus, & Nicolaus Parochi, & Hieronymus Werdanus realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia contineri ſolidis rationibus confirmantes; hoc enim, dicebant, clariſſime ſonare S. Scripturæ verba, hanc omnium anteactæ ætatis Patrum fuiſſe ſententiam etiam tot illuſtrium Martyrum ſanguine conſignatam .... Non eſſe humani ingenii, nec Angelici intellectus Myſterium cognoscere. Non homo eſt, inquiunt, qui faciat Chriſti corpus, & ſanguinem, ut vos ſubſannando miſero nugamini modo; ſed ille, qui pro nobis crucifixus eſt Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei gratia, ac virtute propoſita conſecrantur; ait enim: Hoc eſt corpus meum. Vox autem illa ſemel quidem dicta eſt; ſed per omnia Eccleſiæ altaria,

ria, uſque ad Chriſti adventum, præſtat Sacrificio firmitatem. Quæ niſi credideritis, non iutelligetis, quum intellectus merces ſit fidei. Hic Hæreticus pudote ſuffuſus, quum nihil ultra reſpoudere poſſet, argumentis poſthabitis, conviciis Sanctos impetit, & infamibus verbis laceſſit, quibus plaudit mirum in modum circumfuſa ſtupidorum hominum multitudo, donec Nicolaus Pichius rei finem impoſuit uſurpans illud Dominicum: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*.

XXVIII. Die poſtero Brilam adsportantur, quam ob necem eis illatam Pomarium Sanctorum Geuſii ineptiſſime, ſi illorum ſenſum reſpicias, poſtmodum appellarunt. Inter populi illudentis vociferationes Lumnius pietatis parentum ſuorum oblitus, qui religioſos viros, potiſſimum Franciſcanos etiam hoſpitio excipiebant, ut ipſe quoque aliquando fecerat, atque humanitatem omnem exutus, equo advectus ad navigium adſtitit una cum Laſlato Bredenrodio, Reinetinotho, Guilielmo Treſlongo, Joachimo Ortelio, Omalio, aliiſque ſatellitibus. Illic vinctos aliquantiſper contemplatus, in cachinnum erupit adeo effuſe, ut homo vix ſui compos ſuper equum dorſo reſupinus caderet; deinde hæc dixit: „ Quid vobis eſt hic negotii, obſecro? Numquid bellum hic no-„ bis inferre, noſque hinc a ſedibus noſtris ejicere vultis? An eo con-„ ſilio huc acceſſiſtis, ut proditionem adverſus nos aliquam machine-„ mini? Quid enim cauſæ eſſe putabimus, quod non domi veſtræ man-„ ſeritis, Miſſis ſcilicet veſtris ſolito veſtro more celebrandis ſatis ſu-„ perque occupati? „. Hæc delirus, & execrabilis Tyrannus.

XXIX. Expoſiti in terram Sancti ante eum genuflectere jubentur, qui ſimulata humanitate dixit: Surgite Domini. Hinc tradito Heurico Laico Minoritæ S. Crucis Labaro, coguntur ſupplicationis ritu Civitatem verſus incedere, & multoties ſub erectum patibulum tranſire, atque elata voce hymnum quemdam B. Mariæ Virginis canere; præterea fixis humi genibus patibulum ad inſtar coronæ cingere, & *Salve Regina* decantare, ne quid ad ludibrium, & impietatem deeſſet. Carnifex ſic ſe comparat, ac ſi omnes eſſet e veſtigio ſuſpenſurus. Spectatores miſeris inſultant, magniſque vocibus conclamant: En cœmeterium veſtrum. En Eccleſia veſtra. In ea nunc, ut ſoletis, iſtam veſtram exercete Idololatriam. Poſt hæc Henrico pileum holoſericum imponunt, & duobus aliis Laicis Franciſcanis dant haſtilia in manibus ferenda, circumligatis ad ornatum in ſummitate lappis, aliiſque herbis. Inter hos duos ibat Carnifex. Martyres, ut juſſi erant, modulabantur canticum: *Te Deum*; paullulumque ceſſantes, aut vocem non attolleutes, adeo fortiter vapulabant, ut ex inflatis humeris cruor efflueret, carneque dehiſcerent, Lumnius equo inſidens, illoſque ante ſe agens virgula, quam in mauu tenebat, ſubinde verberabat, ipſo, & circumſtantibus immoderate ridentibus; ad quos Hieronymus Werdanus viriliter, celſoque animo: „ Quodnam hoc hominum genus, inquit, quæve tam „ barbara hunc morem permittit patria? Navigavi quondam ego Adria-„ ticum, Jonium, Lybicum, Syriacum maria. Adii Cretam, Cyprum, „ multaſque latrociniis infames inſulas. Peragravi Palæſtinam, vidi „ Judæos, Græcos, Saracenos, Turcas, & Mauros. Sed nuſquam hoſce „ tam Chriſtianis infenſos hoc pacto inveni. Neminem læſimus, nemi-„ nem circumvenimus; & hæc tam atrocia, atque abominanda pati „ nunc cogimur. En quomodo benigniſſimus Deus nos noviſſimos oſten-

„ dit

Digitized by Google

„ dit ramquam morti deſtinatos. Spectaculum facti ſumus mundo, & „ Angelis, & hominibus „.

XXX. Inter verbera, clamores, horrendoſque ſtrepitus inſanientium turbarum, dum maledicta, & ſcommata per Civitatis vias, & fora in eos conjicerentur, erant qui vas aqua plenum ante domorum januas juxta ſe ponerent, ſcopiſque intinctis prætereuntes aſpergerent, & canerent: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor*. Neque, ut obſervatum eſt, in tam incredibili virorum, & mulierum numero ullus pietate motus vel ſuſpirium duxit, vel miſerorum commoveri malis vultu, aut verbo ſignificavit. Sic enim vero juſtiſſimus Deus impiorum oculos excæcat, & cor aggravat, ut iu profundum malorum ruant.

XXXI. Eadem cæremonia, qua antea, patibulum medio in foro circumire coacti ſunt, & ſacras quaſdam Deiparæ laudes concinere. Orationem: *Interveniat, quaſumus Domine, nunc, & in hora mortis noſtræ apud tuam Clementiam &c.* clara voce recitavit Godefridus Dunæus. Hinc in carcerem ſub latrina ſuperiori fœtidiſſimum abducuntur, ubi reperiunt Andream ab Heinorto, & Adrianum a Maeſdamo Parochos eamdem ob cauſam vinctos, nec ſemihoræ ſpatium præterlapſum eſt, quum eo adveniunt duo Præmonſtratenſes a Geuſiis capti prope Brilam latrocinantibus. Hi primum ante tribunal ad fidem Catholicam deſerendam ſollicitati, in faciem ſeductoribus reſtiterunt. Lumnius Jacobo, qui erat ſenior, dixit: Niſi baptiſmo nuntium remittas, morieris. Cui Jacobus: *Nequaquam; non enim moriemur, ſed vivemus*. Tunc Lumnius: An ego poteſtatem non habeo occidendi te? *Ita quidem*, inquit Jacobus, *occidendi corpus, ſed non animam ſemper victuram*.

XXXII. Inſtituta in omnes quæſtione coram Tyranno, Leonardus Parochus aliquid, ut ſolebat, pro fidei defenſione libere dixit; & aſſiſtens Satelles bipenni eum percuſſit in capite. Illo autem dicente: *Percutite carnem meam, ut lubet, dum vobis permittitur; non enim diuturnum hoc erit*; ſatelles alius malleum militarem in occiput ejus impegit, & ex vulnere ſanguis exivit. Inſtaurata rurſus eſt quæſtio die ſequenti octava Julii, adductis in Curiam ſolis Leonardo, & Nicolao Parochis, Nicolao Pichio, Hieronymo Werdano, Godefrido Mervellano, & duobus Præmonſtratenſibus. Judices ſedebant Joannes Duvenvordius Urbis Præfectus cum Scriba, Andreas Parochus S. Catharinæ Apoſtata, & Cornelius Gorcomienſis nauta vini potor egregius, qui inter interrogandum ſæpius dicebat: Tantum ſuſpendite eos, tantum ſuſpendite. Erant ibi duo Germani Fratres Nicolai Pichii eo conſilio, ut ipſum, ſociosque, ſi poſſent, a barbarorum unguibus eriperent, non Religionis ſtudio, quam parum curabant, ſed in Fratrem ſuum charitate, & benevolentia.

XXXIII. Rei ſumma eo ſpectabat, ut captivi in Calvini ſententiam irent. Falſani omnes uno ore conclamarunt, in tantum, ut Andreas, & Cornelius Judices ad ſingularem diſputationem provocarent Leonardum Parochum, & Nicolaum Pichium. Determinata quæſtione de puro Dei verbo, Leonardus Andream interrogat: *Quodnam eſt purum Dei verbum*? Reſpondet Andreas: *Vetus, & novum Teſtamentum*. Quærit Leonardus, quid veteris, & novi Teſtamenti nomine intelligat? Scripturamne veteris, & novi Teſtamenti? Annuit Andreas, quem his quæſtionibus urgere cœpit Leonardus. A quo perſuaſus, & edoctus Scripturam utriuſque Teſtamenti pro Verbo Dei reciperet? Quod certum ejus

Digitized by Google

rei argumentum proferre poſſet? Premebat ſimiliter hominem Nicolaus Pichius petens: Num reciperet Evangelium? Unde Evangelium accepiſſet? Quo Magiſtro didiciſſet, hoc a Matthæo, illud a Joanne conſcriptum? Andream hæſitantem, (nam Cornelius collega pugnæ, quæ de doliis, & amphoris non erat, ſe prorsus non immiſcebat) Prætor compellavit: Hem, Andreas; quid eſt, quod ad hæc non respondes? Neſcis a quo traditum Evangelium Chriſti? Nunc loquere. Tum Andreas: „ Seductores iſti non aliud, quam ſophiſmata ſua norunt in diſ„ putationem afferre, ut nebulas offundant ſuo more. Sed aliud eſt, „ quo tendunt; nimirum id agunt, ut fateri nos cogant, ſuum Idolum, „ & Antichriſtum Pontificem uobis Verbum Dei tradidiſſe. An non „ eorum percipis fraudem, & ſycophantias? „. Ad hæc Catholici: Diſputate, inquiunt, ex Scripturis, uti placuerat; nam mutuo nos ex iis redarguere non poſſumus, niſi prius conſtet, ea, quæ libris novi, & veteris Teſtamenti continentur, vere Divinas Scripturas, & Verbum Dei eſſe; quod nos quidem credimus, veſtra intereſt demonſtrare.

XXXIV. Diſputatum eſt eodem tempore inter Jacobum Præmonſtratenſem, & adſtantes Calvinianos de veritate præſentiæ Corporis Chriſti in Altaris Sacramento, & nequicquam tentati ſunt ſimpliciores Fratres Laici Franciſcani ad illam pernegandam, quorum unus respondit, ſe omue id credere, quod credebat Guardianus ſuus. E concilio tandem neſcii quo ſe verterent Judices, dedecus inter, & rabiem, Sanctos ejecerunt non ſine horribili maledictorum tempeſtate, & crucium, laqueorum, & ſuspendiorum minis.

XXXV. Legati interea Gorcomienses Brilam advenere a Senatu miſſi, ut pro captivorum libertate, ac præcipue Nicolai Parochi inſtarent. Sed Lumni arrogantia, & Geuſiorum artibus nihil peractum. Germani Fratres Nicolai Pichii obtinuerunt denique, ut eum quo vellent, liberum adducerent. Eo tamen negante, ſe abſque aliis diſceſſurum, impetrarunt rursus, ut captivi omnes abirent, ſi fide illorum in cæteris articulis incolumi, ſolam Romani Pontificis auctoritatem negarent. Hoc fiue cœnam inſtruunt epulis, potuque affluentem, ad eamque vocatum Fratrem exhilarare nituntur, quo facilius illi persuadeant, ne pro tuendis rebus alienorum vitam ſuam in diſcrimen adduceret: „ Tu ne, in„ quiunt, adeo ſtultus es, ut pro Papa mori inducas in animum, qui „ ne digito quidem ſe cruentari tua cauſa pateretur? Et quam ille „ gratiam tibi relaturus eſt, poſteaquam pro eo mortem oppetieris? *Nemo eſt*, dixit eis Nicolaus, *in toto orbe, cujus gratia diſcedam a Domino meo, & ad partes Diaboli me transferam*. At illi: „ Minime vero, „ Frater, nos id abs te petimus, ut Deo renunties, ſed ut Papæ tan„ tummodo, qui utique non Deus eſt, ſed homo „. Mortem hinc ejus oculis teterrimam propoſuerunt, orantes, ut vitæ ſervandæ gratia ſaltem diſſimularet. „ Crede, ajunt, quodcumque placuerit, eamque fidem „ tuam clauſam in animo retine; etenim noſtra non intereſt, quam „ tu fidem eligas, teneasque; dummodo te ab hac probroſa morte „ ſalvum habere poſſimus „. Ille vero: *Quid ſtultius, quam pro vita hac mortali, cujus ne unius quidem horulæ ſpatium certum habemus, aliquantulum producenda, fidem prodere, Deum offendere, atque æternæ gehennæ obnoxium fieri, quando vel paullo poſt accidere poteſt, ut moriar, vel certe poſt ſex, ſeptemve annos ad mortem naturæ debito vocandus ſum?* Hæc dicebat, etſi ætate, & conſtitutione corporis adhuc integra, plures ſibi vitæ annos

nos haud repromittens. In cæna autem, quantum ſatis erat, manducavit, & bibit, vultumque præbuit ſerenum ut moris eſt inter amicos.

XXXVI. Quum conſtantiam labefactari non poſſe viderent, poſtquam nervos omnes, & eloquentiæ vires Germani fruſtra intendiſſent, acerbe dolentes, & in illum commoti abierunt. Interim ſeditione nata inter Geuſios, Lumnius iram, quam adverſus Marinum Brantium conceperat, qui auctor eſſe ſeditionis haud dubie credebatur, & a quo non autographum, ſed exemplar literarum acceperat nomine Principis Auraſii, qui captivos liberos dimitti jubebat, in Martyres effudit. Hinc prope mediam noctem compotationibus oppletus latam in eos mortis ſententiam Omalio tradidit exsequendam. Nihil turbatus Nicolaus Pichius dixit lictoribus: *Si me vultis, libenter comitabor. Quod Dominus dederit, recuſare non poſſum*. Educuntur omnes a cuſtodia hora prima poſt mediam noctem, eisque additur Henricus Laicus, qui ſupplicii metu una cum Parocho Measdamenſi, & Gorcomienſi quodam Canonico Geuſiis adhæſerat, factique pœnitens ad ſuos redierat, quamvis coronam promereri renueruit vel animi levitate, vel nimia adoleſcentia octodecim annos natus, & in Ordine nondum profeſſus. Deus tamen illius miſertus eſt, qui male a Geuſiis habitus, & ad Ordinem regreſſus paucos poſt annos in Cœnobio Buſcoducenſi ſanctiſſime vitam explevit.

XXXVII. Adducti ſunt Martyres ad Monaſterium Windeshemenſe S. Catharinæ, Ruggæum dictum, Canonicorum Regularium S. Auguſtini extra Civitatem, & in horreo ceſpitibus focariis ſervandis deſtinato ſuſpenſi duabus trabibus oblongis, & transverſis ad nudum exuti. Godefridum Dunnæum non difficulter Geuſii liberum dimiſiſſent, eo quod Pariſiis humaniorum literarum ſtudiis mentis alienationem paſſus deſipere videretur: ſed continuo vociferatus eſt, nolle ſe a Martyrum ſocietate disjungi, & Leonardum Parochum nonnihil tardantem in ſcalæ veſtibulo, quia amore matris ſuæ optimæ mulieris ſe commoveri ſentiebat, ita compellavit: *Cur non, Magiſter Leonarde, celeriori gradu contendis ad epulas? Hodie enim cum Deo, & Angelis convivabimur in cælis*. Interea milites clamabant: Ah! ne ſuspendatur hic homo; ſiquidem plane innocens eſt, & mentis impos. Ille autem: *Properate, quæſo, conſociare me Fratribus meis; video enim cælos apertos. Si quid adverſus aliquem deliqui, rogo per amorem Dei, ut id mihi condonetis*. Godefridus Mervellanus in illa verba moriens exclamavit: *Domine, ignoſce illis; neque enim ſciunt quid faciant*. Nicolaus Pichius Fratres ſuos tenerrime complexus: *Coronas*, dixit, *paratas, & capitibus imminentes ne per ignaviam amittatis, ſed morte contempta viriliter apprehendite*. Nicaſius Joannis militibus, qui juniorum fidem tentabant, vitæ, & commodorum ſpe oſtensa: *Non volunt*, inquit, *non facient; nunquam id admiſſuri ſunt. Nobiſcum ſtatuerunt vivere, & mori*.

XXXVIII. Querebatur in ſcala patibuli Hieronymus Werdanus de Hæretico, qui Henricum adoleſcentem a cæteris abſtraxerat, & militi, a quo ad Romanam Eccleſiam abjurandam ſubinde ſollicitabatur, magno ſpiritu dixit: *Diſcede hinc, mortalium nequiſſime, organum Diaboli; neque enim tu quidquam iſtorum loqueris, ſed quæcumque loqueris, ea per os tuum Diabolus loquitur*. His ira magis perciti execrabiles carnifices faciem ejus cultro laniatam deformarunt, & figuras Crucis Hieroſolymitanæ, quas in brachio, & pectore inſculptas geſtabat, a viva carne abraſerunt. Tradunt, aliquem junioris ætatis a militibus poſtulaſſe, ut, inciſo fune, clanculum dimitteretur, & aliquem non eamdem ac cæteri

teris alacritatem oſtendiſſe. Hæc tamen, ſi vera ſint, naturæ ſponte fiebant mortem reluctautis, nec eorum gloriam minuunt.

XXXIX. Neglecte Lictores partes ſuas egerant. Hinc alius ore funem veluti fræuum mordebat, alius extremo mento ſuppoſitum, alius gutturi quidem admotum, ſed non ſatis adſtrictum habebat. Quare licet ſupplicium incœptum hora ſecunda a media nocte, abſolutum fuerit hora quarta; mane tamen ſole luceſcente, eorum aliqui ſpirabant adhuc; quibus reverſi illuc milites, inaudita barbatie, auriculas, nares, & pudenda præciderunt, eaque galetis affixa triumphali pompa in Civitatem retulerunt, non veriti in menſis bellariorum loco per jocum apponere, ac coram matronis honeſtiſſimis, & ſacris quoque virginibus oſtendere. Aliis ventres cultro aperuerunt, intima viſcera ſcrutati, abdomen inquirentes, & præcipue ex corpore Hieronymi Werdani pinguioris adipem colligentes, quæ omnia Medici circumforanei Gorcomii in foro tamquam pharmaca venum expoſuere.

XL. Hora diei tertia pomeridiana acceſſit ad locum ſupplicii Gorcomienſis vir Catholicus, videnſque Sanctorum corpora pendentia adeo crudeliter mutilata, puerorum, & infimæ plebis ludibrium, multis precibus egit apud Præfectum Civitatis, ut ſibi terræ mandanda traderentur. Erogato pretio, votique compos inſequenti nocte in duabus foveis illa tumulavit.

XLI. Ex captivis Gorcomio Brilam advectis ad Geuſios tranſierant duo Minoritæ, nempe Henricus, & Guilielmus Leodienſis Gallus. De illo jam diximus. Alter caſtra ſequutus ſub Trelonio Duce ſtipendium meruit, piraticam exercuit, ſcortum habuit, multa audaciter fecit, multaque mala Catholicis intulit. Verum tribus circiter menſibus ab apoſtaſia, de panis, ac vini furto, & veneficio accuſatus apud Omalium, tertio Kal. Octobris laqueo vitam finivit. Hæc eadem, Deo juſtiſſimo ſcelerum vindice, utinam referre non debeant ii, qui ſequentur, Ordinis noſtri Annaliſtæ! Parochus Meaſdamenſis, & Canonicus Gorcomienſis diverſum pariter finem ſortiti ſunt; ille enim Omalii juſſu mortem ſubiit, quam pro Chriſto detrectavit; hic ab Omalii, cui inſerviebat, manibus elapſus, & Eccleſiæ reconciliatus probe vixit, Martyrumque Gorcomienſium hiſtoriam Teutonico rhythmo conſcripſit. Notatu dignum eſt, quod etſi duo Religioſi defecerint, tamen eorum numerus ad coronam pervenit, acceſſione duorum Præmonſtratenſium; quin etiam, quum Brilam appuliſſent ſexdecim Sacerdotes, nihilominus coronati ſunt decemſeptem, ſubrogato Sacerdote in locum Henrici Laici. Præterea Andreas Walterus ab Heinorto, & Præmonſtratenſes tribus Apoſtatis ſucceſſere, ut priſtino numero nihil deeſſet, & coronarum nulla poſſeſſore vacua relinqueretur, perinde ac olim quadrageſimam coronam turpiter ab uno deſertam alius feliciter occupavit. Conſimilem hiſtoriam refert Petrus Alexandrinus Magni Athanaſii ſucceſſor de novemdecim partim Presbyteris, partim Diaconis, quos Ariani excruciatos navigio impoſuerunt, & in barbaram quamdam Phœniciæ Civitatem asportarunt.

XLII. Hic Martyrum finis, quos in Beatorum album retulit anno 1675. die 24. Novembris Clemens X. Pont. Max., ſtatuto eorum feſto cum Miſſa, & Officio die nona Julii in Belgii Eccleſiis, totoque Ordine Minoritico quotannis celebrando. Effigies Nicolai Pichii ab Eſtio aſſervata adſcriptum habebat Epigramma:

Quem

Quam nova præſentet, ſi forte requiris, Imago,
Neomartyr iſte Nicolaus Picus eſt.
Fratribus ad normam, quos Cœnobiarcha regebat,
Hortator idem, Duxque Martyrii fuit.
Quam tenuit vivus, pietatem morte ſacravit,
Totumque ſe dicavit hoſtiam Deo.
Hæreticæ maledicta, minas, opprobria plebis
Vicit ferendo, nomine inſtructus ſuo.
Bis laqueum paſſus, Domino, ſociiſque fidelis
Palma triumphat, & corona duplici.

XLIII. Locus, in quo Martyres ſepulti ſunt, in magna habitus fuit veneratione a Catholicis, qui ad illum confluxerunt, licet Brilæ proximum, cui præſidio aderant milites hæretici in Catholicos infenſiſſimi; utque retulit Petrus Van Duuelant in Proceſſu remiſſoriali coram Epiſcopo Nanurcenſi anno 1658., flores albi in loco ſepulturæ creverunt prius nunquam viſi, qui vulgo flores Martyrum Gorcomienſium vocabantur, & cuſtodiebantur in honorem eorum. Apud omnes ſacra habita eſt SS. Memoria; quod animadvertentes Geuſii, illos ut Patriæ proditores traducere non deſtiterunt. Hinc Adrianum Danderum Parochum Maesdami ad veterem Moſam, qui Sacerdotium negaverat in Viridario Leonardi Cæſarii non procul a Civitate Brilæ, necarunt, perſuadentes populo, ipſum fuiſſe ſocium proditionis. Idem facere cogitarunt Pontio Heutero Delphenſi olim Canonico Gorcomienſi. Quia tamen callebat optime linguam Latinam, & Gallicam, & pro œconomo inſerviebat Joanni Omalio, idcirco eum vita donarunt.

XLIV. Sed quid hoſtes Dei facerent, ſi etiam apud Calvinianos ipſos male audiit eorum furor? In Hiſtoria Belgica Petri Hooft Calviniani legitur: „ Geuſii Gorcomium invadentes in furore impetus pepercerunt Civibus, & omnis oppreſſio, & circumventio converſa eſt in Eccleſiaſticos..... Lumnius non habebat alium finem, quam deprædandi „. Agens poſtea de Martyrum nece ait: „ Ignominiæ, afflictiones, & fœdæ contumeliæ Eccleſiaſticis illatæ ſatis demonſtrant, terram nullum adeo atrox animal alere, quam hominem, qui iniquitate apparatus ſuis feralibus cupiditatibus & Deum, & ſuum honorem oblivioni tradit. Poſtquam enim omnes in Monaſterii horreo incurie ſtrangulati tota nocte palpitarunt, & agonizantes tota nocte pependerant, crudeles milites proterviam, & immanitatem exercuerunt talem, ut illorum abſciſſa membra ſuis pileis impoſita ovantes, atque egregie Geuſios agentes in Civitatem retulerint „. Petrus Bor Chriſtiani Calvinianus in Hiſtoria Belgica: „ Erant omnes, qui Brilam cum Comite de Marca appulerunt, numero circiter ducenti quinquaginta. Leodienſes erant audaces, & ſtrenui milites, ſed valde diſſoluti, & protervi nebulones; alii erant continentiores, veſtibus obſoletis, & laceris cooperti, & pro majori parte Belgæ e ſua patria profugi.. .... Dum ad mortem Monachi procedebant, cogebantur canere litanias, varie colliſi, concuſſi, & verberati, ac plurimis contumeliis, & probris affecti non ſine magno bonorum Civium mœrore, & moleſtia, qui talem crudelitatem abhorrebant ... Perſonas Eccleſiaſticas, & Minores valde crudeliter tractarunt „. Emmanuel Van Meteren Calvinianus in Commentariis Status Belgii, geſtorum &c.: „ Ubique juſſu, & nomine Domini Lumnii, qui ſe tamquam Gubernator ubique gerebat, plurimi Papiſtæ, & Monachi necati fuere „.

Petrus Hooft in Hiſt. Belgica Amſtelodami typis Joannis Jacobi Schipper an. 1656 lib. 6. pag. 213. Ibid. pag. 217.

Petrus Bor in Hiſtoria Belgica Leidæ apud Gouardum Baſſonan. 1621. lib. 6. pag. 365. Ibid. pag. 266. Ibid. pag. 277.

Emmanuel Van Meteren in Commentariis impreſſis in Terra Scotiæ extra Danswicum apud Hermetem a Lovanio an. 1608. pag. 76.

XLV. Beatorum Martyrum oſſa tranſlata ſunt anno 1615. ab Everhardo Bottero natione Gheldro, & tribus viris Franciſcanis a loco ſupplicii ipſis indicato ab Anna Centens muliere ſeptuagenaria, ad Eccleſiam Oppidi Nivellenſis Diœceſis Namurcenſis, & recondita inter duo Altaria B. M. Virginis, & S. Franciſci ſupra portam, quæ ducit ad Chorum. Illic ad viginti circiter pedes elevata eſt cornix lignea media inter columnas parvulas deauratas hinc inde diſpoſitas, depicta coloribus marmoreis. In ea feretrum, ſeu Capſula apparet latitudinis trium pedum, altitudinis unius, ſeu paullo amplius, altitudinis duorum pedum, deſinens in apicem, tecta panno holoſerico rubro, cui aſſutæ a parte anteriori ex filo aureo literæ exprimunt hæc verba: *De Reliquiis SS. Martyrum Gorcomienſium*. Mediam capſulam circumdat fimbria ex filo pariter aureo. Ab eadem parte, in qua præfatæ literæ ſunt exaratæ, eminent duo cerei, ſeu Agnus Dei tela argentea ornati. Intus capſulam obtegit ſericum tenuius rubrum, & in eo exſtat involucrum, ſeu faſciculus ſcripturarum, nempe teſtimoniorum authenticorum, & alter faſciculus ex ſerico rubri coloris, in quo S. Reliquiæ aſſervantur.

XLVI. Martyrum ſuorum nomen Deus ſignis glorificavit. Matthias Thoranus ex Campiniæ municipio poſt horam quartam mediæ noctis, qua paſſi illi ſunt, precibus inſiſtens, vidit eos in viſione candidis ſtolis amictos, aureisque ſertis coronatos, quorum in humeros demiſſa cæſaries pulchro cincinnorum ordine diſcriminata, & decenter ſparſa eos ornare, & quamdam illis majeſtatem conciliare videbatur. Mane facto, Cives Gorcomienſes pro captivorum redemptione ſollicitos ſic eſt alloquutus: *Non eſt, Cives mei, quod illos huc reverſuros amplius ſperetis; jam enim martyrio defuncti ſunt. Ac ne dubitetis, ipſe ego, mihi credite, coronatos vidi.* Idem Matthias hernia inteſtinali laborans, adhibitisque fruſtra remediis humanis, morti proximus Divinam opem imploravit per interceſſionem, & merita Martyrum Gorcomienſium; nec mora coram adſtantibus plurimis integram ſanitatem recepit.

XLVII. Brilenſis Catholicus podagra vexatus ad ſepulcrum Martyrum, ut potuit, acceſſit, factaque oratione, incolumis domum rediit. Matthias Eſtius Gorcomienſis poſtquam pro illorum liberatione una cum uxore potiorem noctis partem orando tranſegiſſet, ante ſtratum, quod tandem petierat, non per ſomnium, vel in phantaſmate, ſed apertis, & vigilantibus oculis adſpexit Martyres ordine ſtantes, & ingenti luce perfuſos; et Franciſcanos quidem habitu conſueto, duos vero Paſtores lineis epitogiis redimitos; porro Guardianum, cujus amiciſſimus fuerat, ſingulari humanitate ſibi arridentem. Iis diſcedentibus, Nicolaus Parochus, extenſa dextera, ſigno Crucis benedixit Uxori ſuæ juxta cubanti, cujus confeſſiones audiverat. Miracula alia ex authenticis proceſſibus deprompta ad poſteriorem ætatem pertinent.

XLVIII. Eisdem ferme diebus, quibus Sancti Brilæ occiſi ſunt, Alcmariam vaſtarunt Geuſii, & Conventum Minoriticum in loco *Heilige-velt*, ubi ante Minorum adventum anno 1447. ſeptem Sacerdotes religioſe morabantur. Modo etiam vocatur Monachorum prædium *Munniken-erf*. In vincula conjecerunt ante ſummum Altare cum gemitibus, & ſuſpiriis procumbentem Danielem Arendonckium a pago non incelebri ejus nominis apud Campinienſes loci Guardianum, quem vigiliis, jejuniis, curisque continuis media etiam num ætate maceratum, pallentemque ſingularis, raraque ſacrarum Scripturarum cognitio commendabant,

Digitized by Google

dabat, quas in Cœnobio S. Franciſci didicerat Lovanii ſub Adamo Sasboutio S. Theologiæ Profeſſore, Hebraicæ linguæ, & Græcæ peritiſſimo, & inſignium operum Auctore.

XLIX. Guardianum mox ſequuti ſunt Cornelius a Platea, ſeu Dieſtenus nobili genere ortus Confeſſarius Monialium Pauperum S. Claræ ad portam Greeſterpoort, ſociusque ejus Joannes Nardenus Eccleſiæ Minoriticæ Æditus, Ludovicus Voetz ab Arquennes Gallobrabantus biennio ante ſacris initiatus, juvenis permodeſtus, Adrianus Goudanus, non Gandavus, ut ſcribit Waddingus, Cœnobii janitor, & Engelbertus Terborgius frugi homo ambo Laici. Exceſſiſſent hi omnes a Civitate ante adventum Geuſiorum, qui non procul, ac præſertim Enchuſæ tumultus ediderant, & infanda perpetraverant in Templa, aras, tabulas Sanctorum, Virgines Deo ſacras, & Sacerdotes indiscriminatim bacchantes, niſi diſcedere paratis Conſules juſſiſſent bono animo eſſe; ſibi curæ fore, ne quid damni paterentur; quin etiam de annona ex ærario ſe illis proviſuros affirmarunt. Dolum tamen, vel ſaltem Conſulum negligentiam ſenſerunt; intromiſſis enim per effractas portas hoſtibus, quum Harlemum profugere conarentur, a pernicioſis Civibus exitu portæ prohibiti ſunt, nec ullus inventus in univerſa Civitate, qui illos recipere, aut occultare auderet.

L. Educti poſt triduum a cuſtodia Enchuſam vehendi curribus imponuntur, prædonibus ſtipati, Foxo notæ crudelitatis Friſone, cui quod claudus foret, Lignipedi inditum nomen fuerat, Holbero, Ænocapitone, aliisque hujus furfuris, qui detracta a Captivorum manicis Breviaria in ipſorum caput impingunt, diriſque ora tundunt modis. Forte propinqua viæ erat taberna cauponaria, ad quam ſedandæ ſitis gratia, qua barbara hæc hominum proluvies perpetuo laborat, currus acti quum eſſent, epoto poculo, cruorem, qui a naribus Cornelii Dieſteni largiter effluebat, ſedulo nebulones excipiunt, Fratribusque propinant ita proloquuti: En Lupi rabidi. Nunc veſtro tandem ſatiamini ſanguine, qui toties noſtrum ſitiſtis.

LI. Non longe a Civitate Enchuſæ præconem jumento imponunt, qui Civibus nuntiet, captivos adventare proditores. Hinc multitudo in vias procurrit, pars in ædium veſtibulis ſtat, plerique ex feneſtris, tectisque proſpectant, & quid rei ſit cogitant, donec advenientibus vinctis, omnia ſtrepitu complentur. Gerardus Borkerodius vir ſtolidus æque ac crudelis, cui quod presbyteratu ſe abdicaverat, & Enchuſæ idcirco extorris morabatur, multum fidebat Auraſius, Danielem ad ſe adductum, prolato pane azymo, ita compellat: Hiccine Deus veſter ille Chriſtus Jesus eſt, a quo ſalutem expectatis? Cui Daniel: *Video formam azymi panis. Neſcio autem, an ſit conſecratus. Sed panis, ſupra quem Sacerdos verba conſecrationis protulerit, non effigie, verum natura mutatur in eum, qui eſt Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Atque hæc eſt fides mea, ſociorumque Fratrum meorum.* Hoc reſponſo ad furcas horrenda voce ſtatim conclamat homo nefarie ferox, omnesque in craſtinum, ut patriæ hoſtes, ſuſpendendos pronuntiat.

LII. Tota nocte vigiles ad extremum certamen mutuo ſe hortantur Sancti, captivumque militem, qui ibidem manebat, cuique ob juventam flagitioſe peractam exigua ſpes ſalutis ſupererat, ad Deum erigunt, & commiſſorum pœnitentiam, licet paullo poſt Geuſiorum artibus circumventus, & dimiſſus ad priora ſcelera redierit. Poſtridie vero in feſto

ſto S. Joannis Baptiſtæ ſummo mane Vigboldus Præfectus Fratri Adriano ad ſe accerſito mandat, ut Fratres ſuos ſuſpendat, vita propterea donandus: Cui Adrianus: *Mori*, inquit, *poſſum. At carnificem agere in eos, qui me fidem Chriſtianam, omnemque virtutem docuerunt, non poſſum.* Ipſe itaque primus necatur, quem mox alii quatuor ſubſequuntur propriis cingulis ſuſpenſi, quos Daniel præceſſit pſalmum: *In Te Domine ſperavi*, clara voce, ut a circumſtantibus audiri poſſet, pronuntians. Eorum corpora projecta extra portam Civitatis in ripa lacus, cænum ab unda refluente relictum nudata cooperuit, ardenteſque faces illis in locis per complures noctes apparuerunt. Eamdem ſortem non multo poſt ſubiit Gerardus Campenſis vir bonus, & opulentus, tum quia Catholicus, tum quia dives, productis quoque ad triſte, ac crudele ſpectaculum Uxore ejus, ac liberis.

LIII. Engelbertum ſuperſtitem, (Carnifex enim vel imperitus, vel negligens collum leviſſime ſtrinxerat) & ſe occultantem vilis femina prodidit. Hinc comprehenſus, poſtulatuſque, ut traderet vaſa ſacra, & Templi ornamenta, quum Geuſiorum voluntati morem non gereret, duriſſimas quæſtiones, & ſupplicia tolerare coactus fuit; nam ut fidiculas, pedumque exuſtiones, cataſtam, & urinam ori inſuſam, flagraque ſileam; ferunt inflictas dorſo ejus plagas ferventi ſuperinfuſas oleo, & igne, quam maxime fieri poterat, artus undique calefactos, quin etiam axillarum pilos exuſtos fuiſſe. Sub finem menſis Novembris ſitu, ac ſquallore carceris horridum, macieque deformatum Livinus Decrocius Gandenſis Centurio ad pagum Ranſdorf adduxit ex adverſo Amſtelodami, ubi ex arbore guttur ei fregit, conditusque eſt ibi prope Cœmeterium.

LIV. Ruræmunda ad Moſam in Gheltria ab Auraſio expugnata, direptiſque Carthuſianorum, & Franciſcanorum Cœnobiis, inter viginti ſex Sacerdotes necatos corruerunt die 23. Julii tres Minoritæ Joannes Vicarius, Gorgonius a Maldeberto, & Raynerius a Lintris. Poſtremum hunc juxta tabernaculum Dominici Corporis orantem veluti ſanctam, Deoque placentem hoſtiam infernales furiæ mactarunt, auribus, nari-buſque mutilatum, & plagis confectum.

LV. Delphenſe Cœnobium everſum, ut diximus, ab inſanis mulieribus illico Senatus pietas reſtauraverat, ſic ut ab excidio maximum Fratribus emolumentum accreverit, qui pro ruinoſis, & carioſis ædibus, teſte Martino Duncano, nova omnia, & meliora acceperunt. Hoc anno rurſus ab Iconoclaſtis deſtructum in forum pecuarium verſum eſt, cui adhuc adhæret nomen *Het-Broerhuys*. Exſtant Guardiani ſyngraphæ viatoriæ, quibus diſcedendi licentiam ſuis tribuit.

Duncanus in Epiſtol. ad Senatum Delphenſem.

Salutem in Domino ſempiternam omnibus has literas inſpecturis. Quum Chriſtiana Religio in Batavia ab Hæreticis, & Geuſianis miſerrime (proh dolor!) conculcetur, ita ut Religioſis nulla reſtet vitæ defenſio, idcirco huic confratri noſtro Fratri Joanni Antuerpienſi Diacono in Ordine noſtro Divi Franciſci profeſſo dedi licentiam eundi ubicumque tutiorem invenerit locum, donec favente Deo tranquillius affuerit tempus, ex animo rogans Paſtores, & alios catholicos viros, ut ſecundum fraternam charitatem humaniter eum tractent, invitent, & defendant, ſicut in ſimili neceſſitate ſibi fieri velint. Valete in viſceribus Chriſti Jeſu. Raptim ex conventu noſtro Fratrum Minorum Delphenſium anno MDLXXII. XXIV. Julii.

Fr. Adrianus Hugardius Guardianus Fr. Min. Delphenſium.

Digitized by Google

Anno Christi	Pii V.	Maximiliani II.	Religionis Minorum
1572.	anno 1.	anno 9.	anno 365.

LVI. Infami Lumnio perduellionis, & crudelitatis initia pro voto ſuccedebant. Ad interiorem Hollandiam progreſſus in Civitate Goudæ, ſeu Goldæ, ad marginem fluvii ejus nominis, qui ſub mænibus Itlæ jungitur, Guardianum, & Vicarium ad ſe adductos, & ad pedes ejus abjectos Civium rogatu vivos dimiſit, non ſine terrore, & periculo: nam ſupplicantibus cum ira, & contemptu ter reſpondit: *Sacrifici! Monachi!* Vocabatur Guardianus Antonius Nuſculus Nicolao Pichio veteri familiaritate conjunctus. Poſt aliquot dies, ambos ad necem nequicquam conquiſivit, Catholici Senatoris, & amicorum opera ſervatos. Præda fruſtratus Tyrannus, in Fratres S. Hieronymi acerbe ſævit, & in alios paſſim quoſcumque invenit.

LVII. Gertrudenbergæ in Brabantia habitabat Guilielmus Goudanus Cœnobii Lovanienſis Alumnus; poſtquam enim Dordracum in Geuſiorum poteſtatem veniſſet, profugus Gertrudenbergam, alias inter, duas habuit conciones, Cives hortatus ad conſtantiam in fide retinenda, monenſque, ut ſecum reputarent in quæ, quantaque mala Hæreticorum fautores incidiſſent, Hollandi videlicet, & Zelandi, qui eo jam pervenerant, ut viverent tamquam Athei. Quod verbum ei captivo objectum eſt, quaſi dixiſſet apud illos populos non eſſe Deum, ſtudioſe nempe verbum in deteriorem ſenſum detorquentes, quum aliunde etiam vulgo dici ſoleat, Deum non eſſe apud eos, a quibus vel ignoranter, vel non recte colitur, & Scripturæ Sacræ ad eum modum non raro loquantur.

LVIII. Civitatem hoſtes invadentes Guilielmum vinctum ad Tribunal adduxere, ut laqueo ſuſpenderetur Monachus. Ita ipſi per viam loquebantur; quod audiens ille: *Paratus ſum*, inquit, *mori pro fide Catholica. Mecum agite ut vultis.* Quibus verbis Barbari cruore madentes, qui Guilielmum Galenum Canonicum ſibi obviam factum, alioſque Presbyteros gladio paullo ante trucidaverant, contumeliis affectum, ferreis compedibus conſtrixerunt in conclavi ædium Præfecti. Manebat illic eamdem ob cauſam in vinculis Joannes Vogelſagius Tertii Ordinis S. Franciſci, ſeminudus, membriſque ſauciatus, quem pœnarum conſortem adspiciens Goudanus dixit: *Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, quod in conſpectu tuo dignus habear pro Religione Catholica hanc vinculorum, & carceris contumeliam pati. Gratias, quod me huc miſeris, Sanctorum tuorum coronis participem fieri. Da virtutem, obſecro, ut fortis in hac confeſſione perſiſtam, nec ullis Dæmonum artibus a Verbo tuo, & Apoſtolica fide abſtrahi me ſinam.* Ambo igitur, ſoli quum eſſent, Chriſtiano ritu mutuo confeſſi, precibus, & SS. Martyrum exemplis ad perſeverantiam ſe diſpoſuerunt.

LIX. Venit ad eos poſt triduum Adrianus Cocus Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ex Monaſterio Doncano prope Dordracum, Apoſtata, ut ajebat, a Principe Auraſio miſſus, ſtatimque in limine: Ubi eſt, inquit, impius ille Monachus concionator? Guilielmus nihil veritus hominis ferocitatem: *Ego ſum*, ait, *quem quæris*. At ille: Ego huc miſſus ſum examinandi tui gratia. Tunc Guilielmus, oculis in cælum ſublatis, Dominum precatus eſt, ut ſibi os, & ſapientiam daret contra adverſarium, multiſque præſentibus, inſtituta quæſtione, ejus arrogantiam ad ſilentium adegit, qui quum nihil ſolide reſpondere poſſet: Impie, & profane Monache, dixit, para te, nam cras tibi moriendum erit: & ſcurrilibus irriſionibus eum proſcidit. Illo abeunte, Guilielmus multo ſermone ſe, & Joannem ad extremam luctam accinxit,

ſcripſitque epiſtolam conſolatoriam ad Matrem ſuam, quæ ex Hollandia Religionis cauſa Bredam iverat, quacum ſæpe numero de martyrio loquutus erat, quod ſe ſubiturum ſperabat.

LX. Mane poſtero ſub horam octavam Marlianus Centurio Cuſtodem carceris interrogat: Ubi eſt Monachus ille Coucionator Papiſticus? Huic Cuſtos: Ecce ille eſt. Tum Centurio: Para te Monache; jam enim ſuſpendendus es. Ad quem Guilielmus: *Deo Gratias*, elataque voce preces ad Deum fudit. Tunc adveniens Satelles ait: Monache, porrige manus; porrectaſque fortiter ſtrinxit, & ſanguis erupit. Quare ſatelliti dixit: *Eja ſic age, quantum potes adſtringe. Præſto ſum ad quidlibet ferendum*. Oratione facta, ſocium ſuum ſalutavit; verſuſque ad lictorem: *Propera*, inquit, *propera, nam Chriſtus Sponſus me præſtolatur*. Miles quidam morti cum ipso addictus patibulum conſcendens eum compellavit dicens: *Domine ora pro me*. Ille autem, fidei Symbolo recitato, trepidantem confirmavit ad mortem pro fidei cauſa.

LXI. In ſcala conſiſtens, injecto ad collum laqueo, vocem totis viribus veluti tubam intendit, ut tota Civitate, quæ non magna eſt, audiretur: *Optimi*, inquit, *mihique cariſſimi Cives, unum hoc poſtremis verbis vos oro, obteſtorque. Permanete ſtabiles, & firmi in ſincera Catholica fide, quam frequentibus meis concionibus vos docui, quamque morte mea nunc confirmare, atque obſignare paratus ſum*. Adſtabat juxta patibulum Eccleſiaſtes Hæreticus, qui ægre ferens tantam viri fortitudinem, & libertatem, blandioribus verbis cum eo egit; cui Martyr: *Diſcede a me, Miniſter Diaboli. Non eſt, quod fidem meam tentes, quia prorſus audire te nolo*. Sed & alia in eamdem ſententiam Latine dixit; deinde ait: *Domine, ignoſce illis; neſciunt enim quid faciant*. Quæ verba irridentes Geuſii clamabant: Neſcimus quid facimus? En laqueo collo tuo innectimus. Hoc enim vero nos probe ſcimus. Petierunt autem, ut non laqueo periret, ſed quatuor equis in diverſa nitentibus in partes diſtraheretur. At Præfectus, & Centurio, ne quid forte milites ſibi per licentiam arrogarent in poſterum, ſignificarunt carnifici, ut opus abſolveret. Tunc Martyr iterum, & tertio illa verba protulit: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*. Quum de ſcala penderet, inclamabant Geuſii ad carnificem, ne guttur arctius conſtringeret, quo tardius exſpiraret. Inter inſanos ſtrepitus animam emiſit hoc anno die 4. Septembris, ut hiſtoriæ omnes noſtri Ordinis tradunt, uno repugnante Henrico Sedulio, qui ſignat annum inſequentem.

LXII. In demortui juvenis triginta circiter annorum facie gratia, quæ prius inerat, remanſit, non abſque ſpectantium ſtupore, ejuſque corpus in eam foveam ſatellites projecerunt, in qua congeſta erant corpora Regiorum militum interfectorum. Cives eum multis lacrymis luxerunt, & aliqui extremam vocem clamantis audientes in domos ſuas abierunt, foreſque clauſerunt, quod nec morientem adſpicere, nec audire ſuſtinerent. Geuſii vero nonnullos domibus per vim extraxere, ducentes ad locum ſupplicii, ut ſaltem exanime cadaver intueri cogerentur, eoſque diverſimode vexarunt, quod juſtum in nomine juſti recepiſſent.

LXIII. Menſe Decembri Theodoricus Loet Guardianus Cœnobii Zutphanienſis, olim Moderator Conventuum Neomagi, & Embricæ, comprehenditur a militibus Adolphi Guilielmi Comitis de Monte, cui adſuerat a Conſiliis, & Confeſſionibus, falſo accuſatus, quaſi a Papa (ſciebant

bant enim Geuſii, eum anno præterito fuiſſe Romæ ſocium Willegii Miniſtri Provincialis) mandatum haberet, Comitem de medio tollendi. Franciſcus Renſinck Miniſter Provinciæ Coloniæ narrat, ſibi Neomagi anno 1588. habitanti, & videnti in duabus parvis feneſtris juxta Altare maximum ad Aquilonem capita Joannis Brugmani, qui obiit circa annum 1473., & Theodorici Loet, teſtes coævos, & oculatos retuliſſe, quod Theodoricus Guardianus Zutphaniæ iverit ad Comitem de Monte Patronum, & quaſi Patrem Minorum Embricenſium, cariſſimum, & familiariſſimum ſuum, ut ligna combuſtibilia peteret pro Conventu ſuo; eique obtulerit vas vitreum aquæ odoriferæ a Fratribus diſtillatæ. Quidam ex Aulicis veriti, ne Theodoricus eo ſe contuliſſet, ut Comitem ad Hiſpanorum partes retraheret, perſuaſerunt ei, ne Monacho fidem adhiberet, qui Roma nuper reverſus Papæ promiſiſſet, ſe ipſi venenum propinaturum, quod incluſum lateret in aquæ vaſculo, quam proinde caveret, ne olſaceret; Monachum vero id negaturum non eiſe, ſi veritatem fateri cogeretur. Inſtant ergo, ut quæſtionibus ſubjiciatur.

LXIV. Comes equidem induci ægre potuit, ut ita crederet. Attamen apud rebelles ſuſpicionem vitaturus, conſenſit delatoribus. Poſtridie igitur ſummo mane adeſt carnifex cum miniſtris, captumque, & nudatum veſtibus, virum innocentem fune conſtrictum trahunt in Curiam, ubi virilibus ejus alligant lapidem prægrandem, pudenda adurunt ardenti face, aculeato inſtrumento, quo feminæ linum carminare ſolent, corpus pectunt, trochleiſque attollunt, & diſtentorum membrorum juncturas ſolvunt; laridum denique liquefactum vulneribus ſuperinfundunt, ut nedum coſtæ, ſed & viſcera nudarentur. Exclamant interea: *Bekenne, Bekenne*; hoc eſt: *Fatere, fatere. Non ceſſabunt tormenta, donec fatearis*. Reſpondit Martyr: *Ecquid fatebor*? At illi: *Fateri debes, te veniſſe, & voluiſſe aqua Comitem interficere*. Tum Martyr exanimatus, & gemebundus voce debiliori reſpondit hoc tantum verbum: *Itane*?

LXV. Reſponſo accepto, Comiti renuntiant Monachum jam faſſum crimen, mortiſque reum ſupplicio afficiendum. Comes aliquantulum perplexus Geuſiis tandem illum tradidit, qui quaſi capta præda venatores feminecem imponunt trahæ, adductumque ad patibulum capite plectunt, cadaver in quatuor partes ſcindunt, quas ad rotam appendunt, & caput in medio erigunt palo infixum. Facies ejus ſpecioſior apparuit, & plerique viderunt albas columbas ſupervolitantes, & capiti inſidentes; noctu vero lumen quaſi tædarum ardeutium. Ab ipſa necis hora Comes lanienam quamdam quotidianam ſe interius ſenſiſſe affirmavit, & viſione necati Monachi Franciſcani fuiſſe perturbatum. Fridericus Filius Ducis Albani Martyrem a rota ſublatum honorifico tumulo condidit in Eccleſia Minorum. Caput ſumma veneratione Neomagum tranſlatum perſtitit in loco memorato, donec Iconoclaſtæ Eccleſiam diruerent cum Altaribus, Imaginibus, & SS. Reliquiis.

LXVI. In his narrandis Memorias Franciſci Renſinck ſequuti ſumus. Gonzaga, productis teſtibus Joanne Priore Ordinis Prædicatorum Miniſtro Provinciali in Friſia, & Gheldria, qui Theodoricum Collegam habuerat in Evangelico miniſterio; Hermanno Lochem Guardiano Daventriæ, & Philippo Boeſtio Parocho ejuſdem Civitatis, aliiſque facto præſentibus, Martyris apologiam orditur adverſus nonnullos, qui vociferati ſunt, juſte in eum animadverſum, ut in proditorem. Itaque di-

cit, hujus rumoris auctores eos fuiſſe, quorum Theodoricus vitia carpſerat, hæreſesque convicerat, qui odio acti calumniam conflarunt, in vulgus ſpargentes, Theodoricum Romæ ab Antichriſto (ſic Sanctiſſimum Chriſti Vicarium appellabant nefarii homines) tot Indulgentiarum grana impetraſſe, quot Hæreticos diverſis maleficiorum artibus perimere poſſet, ac propterea Zutphaniam veniſſe, ut puteos, fonteſque toxico inficeret, & Comitem ignito globulo ſterneret. Addebant, eum Romam euntem diſſimulaſſe habitum, & quodammodo militariter inceſſiſſe (id fecerat, ut militares ſtationes tuto pertranſiret). Roma autem asportaſſe aliquot grana a Pontifice benedicta, multisque Indulgentiis donata Catholicis diſtribuenda. Apologiam claudit dilemmate: Cruciatuum magnitudine Theodoricus aut in mentis ſtuporem incidit, aut non. Si primum; Ergo cum innocentibus Chriſti non loquendo, ſed moriendo confeſſus eſt. Sin alterum; hoc illuſtriorem reddit Martyrem, qui, terrore victo ſeculi, mortis ſacræ compendio æternam vitam firma ſpe poſſidere incipiebat.

LXVII. Argumentum, ut ut firmum, ſupponit Chriſti Martyrem de crimine interrogatum tacuiſſe. Aſt quando nam examen ſubiit, aut ſaltem adductus eſt in judicium? Repente captus, eodemque temporis momento laniatus, uſtus, attractus, & conciſus, neſcius quid id rei foret, audiebat inſanos illos furentium belluarum ſonitus: *Bekenne, bekenne*. Hoc nimirum non examen eſt, non judicium, sed oppreſſio, ſed exſecranda vis, ſed intolerabilis tyrannis, qua nulla unquam fortaſſe extitit horribilior, iis unice digna, qui cum Religione naturam, rationem, & ſenſum omnem exuerunt. Miror, hominem tam immaniter habitum aliquid eloqui potuiſſe. Nihilominus quæſivit primo quid fatendum ei foret; deinde crimen excluſit ſimplici verbo: *Itane*? Carnificum enim dicto e diametro opponitur, vimque habet negationis, & non ſolum innocentem, verum etiam admirantem oſtendit. Cæterum quis apertam calumniam non perſpicit? Accuſatur SS. Pontifex de conſpiratione in Comitem. A quibus? A Geuſiis. Pudet, comparationem inſtituere inter virtutem ſpectatiſſimam, & ſcelerum omnium peſtem exſecrabilem. Accuſatur Minorita, qui Romæ fuerat, ob id tantum, quia Romæ fuerat, nam nec grana benedicta mortem inferebant Hæreticis, nec fontium, & puteorum infectio perfici poterat ſine incredibili pharmacorum apparatu, neque, ut popularia hæc, & vana omittamus, aquæ vaſculum ad experimentum adductum fuit. Rapitur infelix non ad judicium, ſed ad carnificinam, torquetur, comburitur, diſſecatur ... Velum obducamus horrendo huic, & infami crudelitatis Geuſiorum theatro.

LXVIII. Delphenſe Monaſterium S. Agathæ regebat Cornelius Muſius Sacerdos Sæcularis Wlardinga in Batavia oriundus, Delphi natus anno 1503. parentibus Joanne Muſio, & Eliſabetha Woudana, induſtria, & pietate magis, quam opibus præcellentibus. Triginta ſex annos in eo munere verſatus multos nobiles viros exceperat hoſpitio, in quibus ſæpe Principem Auraſium, qui illum Epiſcopatu dignum dicebat. Hoc anno, Principe apud eum cœnæ accumbente, Aulici Muſium petulanter deriſerunt, qui veritus, ne ſibi pejus accideret, de amicorum conſilio Hagam Comitum profugit, duarum ferme horarum itinere diſtantem, ubi proditum a Delphenſi propinquo ſuo, & in manus prædonum illapſum Auraſius datis literis Delphum revocavit. Interceptus in via a Lu-

Digitized by Google

Lumnio, carenis oneratus abducitur Lugdunum Batavorum, contemptusque prope Tribunal, a Ghiſberto nobili viro beneficiis a ſe cumulato, & ad Calvinianorum ſectam ſollicitatus, quæſtioni adjicitur de theſauro Monaſterii coram Præfecto rerum capitalium, eodem ingrato Ghiſberto aſſeſſorem agente.

LXIX. Detractis caligis, & thorace, ſeminudus ad ſcalam, aculei loco alligatur, funiculiſque diſtento, ac reſupino per os linteolo opertum aquam frigidam inſtillant carnifices, eouſque donec venter intumeſceret. Audiebantur ſingultus, & gemebundæ voces dolore expreſſæ. Hinc eum ſuſpendunt ex duobus pedum digitis, quibus pondere avulſis, deorſum ruit Sanctus, cano capite ad ſolum illiſo. Admotis tunc facibus eum ita comburunt, ut gravi odore locus repleretur. Jamque tormentorum vi ſenſus eum defecerat, quum barbari magis explendæ ſævitiæ cauſa, quam ad augendum ſupplicium, reliquos pedum, manuumque digitos amputant, quorum unum, vel alterum ibidem neglectum poſtridie ancilla quædam forcipe excepit, & in Cœmeterio S. Petri repoſuit. Tandem ſub horam nonam poſt meridiem die decima Decembris S. Eulaliæ Virgini, & Martyri ſacra, non octava Septembris, ut ait Arturus, multa jam nocte, per plateas, & vias alta nive contectas ad forum Civitatis tractum, & in ſublime medio fune ſublatum, laqueo craſſiori ad collum injecto, interficiunt, haud ſolliciti, ut quod accelerandæ mortis gratia fieri ſolet, arctius guttur ſtringeretur; quo factum, ut, non ſtatim intercluſo ſpiritu, pœna morienti producta fuerit.

LXX. Circa meridiem diei ſubſequentis exanime corpus dejicitur a Cruce, & homini nano ſeſquicubitali pro libidine tractandum permittitur. Ampurat impudens ille in omnium conſpectu genitale membrum; naſum quoque, & aures ei truncatas fuiſſe ſcriptum eſt. Tum diſſecto ventre, Pharmacopola circumforaneus omentum extrahit, & aufert quæſtum facturus. Poſt hæc vix datum eſt precibus religioſæ, & nobilis Virginis, ut, nulla adhibita funeris cura, in Eccleſia S. Petri terræ mandaretur. Epitaphium ipſe ſibi ſcripſerat.

Quod Cornelius Muſius
Hoc in tumulo conditur,
Nemo indecore lacrumet,
Viveus reſurget denuo.

LXXI. Martyris Iconi Bartholomæus Bodeghemius Delphius Poeta hos verſus inſcripſit.

Geuſica quem rabies immani cæde peremit,
Muſius hoc moriens ore poeta fuit.
Virgineas coluit pius, & ſine fraude Camœnas,
Virginei Cuſtos, præſidiumque chori.
Poſt pia multa Deo, poſt ſcriptaque carmina Divis,
Hac meruit Vates conditione mori.

LXXII. Venerabilis ſenis ſortem boni omnes doluerunt, in primis Petrus Opmerus, qui ejus vitam eleganti ſtylo exaravit. Ferunt, Principem Auraſium, re audita, lacrymas non tenuiſſe. Minus vere ſcribit Cornelius a Lapide: *Delphis Batavia Urbe Cornelius Muſius captus eſt, & juſſu Guilielmi Principis Auriaci ſic varie eſt excruciatus*. Ut enim diximus, neque captus eſt in ea Urbe, neque excruciatus juſſu Auraſii; immo, juxta Guillielmum Eſtium Heſellium, Lumnius, qui Delphum redeuntem intercepit, non ſolum id faciendi mandatum ab Auraſio non habe-

Cornelius a Lapide in Isaiam cap. 53. v. 7. In Danielem cap. 11. v. 35.

Eſtius cap. 3. n. 361.

habebat, quin etiam Auraſii diploma, quod Muſius pro ſui tutela legendum ei obtulit, abjecit cum riſu, & contemptu.

LXXIII. Clerus Batavus promovit Romæ ejus beatificationem quo tempore Martyres Gorcomienſes illic Divis adſcripti ſunt. Officium novem Lectionum in ejus laudem apud Batavos aſſervatum diſpoſuit Sasboldus Archiepiſcopus. Ingenii ſui monumenta aliqua recenſet Poſſevinus. Scripſit carmine familiari Inſtructionem feminæ Chriſtianæ ex capite ultimo Proverbiorum. Odas, & Pſalmos. Tractatum de temporum fugacitate, ſuorumque carminum immortalitate. Imaginem patientiæ verſu Elegiaco. Libellum tumulorum Deſiderii Eraſmi. Encomium ſolitudinis rhythmice. Hymnum de SS. Cornelio, & Agatha &c. Preces honorarias inſertas Sylvulæ precationum Regiarum. Hæc omnia typis ſunt edita. Exſtant Delphi in paſtoralibus ædibus S. Hippolyti Preces ſeptenæ, & quotidianæ ad Unum, & Trinum Deum MSS., & Lindani ſubſcriptione approbatæ Hagæ Comitum anno 1569. die ſexta Maji. Quæ compoſuerat in gratiam Chori Delphici, horum ut uſus eſſet in Eccleſia, approbavit Nicolaus Novaterranus Epiſcopus, conceſſis XL. dierum Indulgentiis pœnitentibus, qui ea religioſe legerent, vel cantarent.

Poſſevin. in Apparatu ſacro Lit. C.

LXXIV. Omnes ferme Scriptores rerum Minoriticarum occiſum ajunt hoc anno, Blommardo Duce, in patria ſua Joannem Mahuſium, ſeu Mahieu, Aldenardenſem, primum Daventrienſem Epiſcopum electum, non anno 1559., ut ſcribit Miræus, tunc enim, ipſo teſte, nondum Eccleſia Daventrienſis erat Epiſcopalis; ſed vel anno 1560., vel anno 1561.; Miræus, enim nunc dicit, literas Pontificis pro erectione ipſius in Cathedram Epiſcopalem datas uno anno, nunc altero. Daventriam Tranſylvanæ Regionis Civitatem facit poſtremus Annaliſta; ſed error eſt; voluit enim indicare regionem Tranſiſalaniæ. In Choro Fratrum Minorum Aldenardæ hæc legitur Inſcriptio:

Miræus op. diplom. tom. 1. circa finem.

Vera Effigies

Reverendi Ad. P. Fratris Joannis Mahuſii primi Daventrienſis Epiſcopi electi, in odium fidei a Geuſiis in hoc oppido interfecti quarto Octobris anno MDLXXII. de quo Martyrologium Franciſcanum quarto Nonas Octobris. Jacet ſepultus e regione hujus Tabellæ ſub lapide, cui inſculpta eſt effigies Fratris Minoris. Hanc memoriam affectus ergo curarunt renovari ejuſdem Reverendi Patris devoti, & honorabiles Nepotes D. D. Mahuſii anno MDCLV.

Ad Inſcriptionis calcem in MSS. Aloyſii Minne Miniſtri Provinciæ S. Joſeph in Comitatu Flandriæ hæc nota reperitur: „ *Error eſt in hac Inſcriptione; non enim interfectus fuit Præſul Mahuſius, ſed ſolum graviter a Geuſiis vulneratus, & nonniſi poſt quinquennium ille obiit* „.

LXXV. Arnoldus Knapper Laicus patria Amfordienſis ſenex, qui Fratribus per pagos concionantibus ſtipem colligebat, ruri deprehenſus injectus eſt uſque ad lumbos foſſæ ſubterraneæ, & balliſtis igneis occiſus die 25. Octobris. Adrianus Lambertus, & Joannes Rixtellus apud Goudam tunicis exuti, pugionibus confoſſi, per dumeti ſpinas raptati, laqueo ſuſpenſi, & medio ventre diſſecti ſunt eadem die. Hunc poſtremum paſſum Zutphaniæ contendit Ardinghellus in appendice Conmgeminatæ Vocis Turturis. Jacobus Schuerman egregius Concionator Antuerpia Wertheam miſſus occiditur in itinere non procul a Pera Leodienſis Campiniæ Oppido, ubi ante ſedem concionatoriam tumulatus eſt in Eccleſia.

Ardinghellus Oſtenſione 4. pag. 13.

LXXVI.

LXXVI. Quid autem ſcelerum, & crudelitatum intactum impii reliquerunt? Sub his furoris procellis dejecta ſunt Cœnobia Delphi, Gorcomii, Alcmariæ, Harlemi, Lugduni Batavorum, Dordraci, Zierckeæ, Ruræmundæ, Zutphaniæ, & Goudæ. Ultimum tamen Auctor Bataviæ Sacræ dicit ab Oppidanis ſplendidius ædificatum hoc anno, nec concidiſſe, niſi anno 1576. Duo exſtabant Gorcomii Monaſteria, unum primæ Regulæ S. Claræ, alterum Tertiariarum. Utroque ruinæ cedente, Virgines ex impuris accipitrum unguibus elapſæ cum Fratribus exularunt. Sorores Tertiariæ exceſſerunt a Monaſterio Dordraci, a duobus Monaſteriis Alcmariæ, a duobus Monaſteriis Endamis, & Enchuſæ, Clariſſæ a Monaſterio Alcmariæ. Frater Cornelius Weidert Confeſſarius in Monaſterio Audomarenſi de Nazareth in Zelandia, intempeſta nocte Virgines in navigium impoſuit; qua de re Geuſii certiores facti ipſum captivum abduxerunt, qui tamen ab eorum manibus ſub piſcatoris veſte Antuerpiam aufugit, Sororibus in medio turpium belluarum remanentibus, quæ dum pallentes trepidarent, & queſtubus locum implerent, ecce Vir quaſi annorum viginti turbæ inclamavit, exitium Urbi parari, niſi Virgines dimitterentur; manuque unius prehenſa, eduxit illam a navi; aliæque poſt illam feſtinarunt, nemine contradicente, vel muſſitante. Diſparuit hinc juvenis non ultra viſus. Illas mortuis, quam vivis ſimiliores Conſul Civitatis per bimeſtre benigne retinuit in ſuis ædibus, ubi militum contumeliis, & vexationibus, ipſarum una metu exanimata deceſſit. Paullo poſt Antuerpiam petentes, atque iterum exules in Oppido demum S. Audomari quieverunt, conſtructo ibi munificentia Philippi II. inſigni Monaſterio.

Batavia Sacra lib. 1. pag. 180.

Monumenta Provinc. Flandriæ.

LXXVII. Has calamitates, ut de aliis ſileam, quas Catholica Reſpublica longe lateque perpeſſa eſt, in concione ſæpius multo antea prædixerat Otto Hilverebecanus verbis Ezechielis: *Hic eſt gladius occiſionis magna, qui obſtupeſcere eos faciet*. Obſervat Henricus Sedulius in notis numeralibus horum verborum ſignari annum MDLXXI. Viſa ſunt etiam non obſcura impendentium malorum inditia in mari, & fluminibus aggeres disjicientibus, & arva inundantibus, in Aquilonari luce ſub altiſſimis noctis tenebris coruſcante, in cinereis palliis, pileiſque, & pera mendicorum, poculis inſuper ligneis, quibus Belgica nobilitas ſuperbiebat, ac ferreis catenis, quas captivarum more ad ornatum mulieres adhibebant. Nec miracula defuerunt in hiſtoriis ejus tempore fuſe recenſita; quibus rebus Belgarum nemo animum advertit, aut vitam in melius mutavit.

Sedulius loc. cit. ca. 11.

LXXVIII. Intra mænia Civitatis Encermæ, vel S. Annæ de Equitibus in Novo Regno Granatenſi, ut Indi neoconverſi in officio Civili, & Religioſo continerentur, Civium ſumptibus conſtruitur hoc anno Cœnobium Conceptionis Deiparæ, & octo Fratribus traditur incolendum cum Domorum doctrinalium cura in longe diſſitis Indorum pagis.

Gonzaga in Prov. S. Fidei con. 8.

LXXIX. Andreas de Noronha Portalegrenſium Epiſcopus transfert Fratres a Conveutu S. Antonii de Padua de Portalegre, ubi gravibus obnoxii incommodis ob nimiam a Civitate diſtantiam, & aeris inclementiam, quinquaginta annos habitaverant, ad Cœnobium alterum ſub eadem invocatione ipſius Epiſcopi expenſis erectum in loco ſalubriori, & Civitati proximo duodecim Fratribus continendis aptum.

Idem in Prov. Pietatis con. 9.

LXXX. Franciſcus a Fonſeca Dominus Oppidi de Alaejos decreverat Fratribus Provinciæ S. Joſeph Cœnobium ponere non procul ab Oppi-

Oppido. Sed publicarum rationum Miniſtri, & major pars Civium repugnarunt, arbitrati, Fratres ſibi gravamini futuros. Paullo poſt, quum locum Fratres acceptare renuerent, contradictores, illorum vivendi diſciplina proprius inſpecta, etiam operi promovendo manus adhibuere, quod hoc anno incœptum, & ad perfectionem adductum eſt ſub titulo S. Franciſci. Ex hoc tempore tanta ſegetum fœcunditas, & vini copia Oppidanis accrevit, ut Religioſorum converſatione, & convictu id evenire affirmarent. Acceſſit prodigium; unicus enim peritiſſimi Medici filius ad mortem infirmus, poſt incaſſum tentata artis remedia, Fratrum oratione optime convaluit. Hinc Pater voto ſe obſtrinxit, infirmos Fratres, quamdiu viveret, gratis curaturum. Ex hoc Cœnobio deceſſit anno 1577. iter faciens ad Inſulas Philippinas Antonius de Barriales ex loco de Valdes Diœceſis Legionenſis, Religioſus ardentiſſimæ charitatis. Floruerunt ibi Joannes de Zebreros, & Joannes Baptiſta a Viſitatione, ille defunctus anno 1626., alter anno 1641.

Idem in Prov. S. Joseph. con. 13.

LXXXI. Habitaverant Minores Obſervantes in Cœnobio S. Nicolai de Hortis Catari, ſeu Aſcrivii, quod a Waddingo dicitur S. Hieronymi, licet compertum ſit, nobilem gentem de Drago eis conceſſiſſe vetus Templum S. Nicolao ſacrum extra portam. Tranſierunt inde ad domum cum Eccleſia uno lapide a Civitate in loco, vulgo *De la Madonna*, ſub auſpiciis S. Bernardini Senenſis. Eam Senatus dirui juſſit, inſtante bello Turcarum, qui domitis Antibaro, & Vicinio, toti Illyrico imminebant, Fratreſque intra mœnia ſe receperunt in ædibus Franciſcæ viduæ Tryphonis Bucchia, quæ ſupremis tabulis hoc anno ſignatis die 17. Maji illas donavit pro hoſpitio, præſentibus DD. Judicibus, & Conſiliariis Civitatis, & R. P. Auguſtino Bizanſi.

Monumenta Provinc. Dalmatiæ.

LXXXII. In memorata Provincia S. Joſeph Moregionius Commendatarius Militiæ S. Jacobi obtulit Fratribus hortum, & ſitum adjacentem, quem uno milliari a Methimia de Campo poſſidebat in Caſtella Veteri, ad fundationem Cœnobii S. Joſeph. Ædificium poſuerunt Methimienſes Mercatores ex voto S. Joſeph nuncupato, ſi navis opulentiſſimis mercibus onuſta, quam exſpectabant, ad portum tuto appuliſſet, ut accidit, quamvis viginti quatuor Maurorum triremibus integro die fuerit exagitata. Habitant ibi XX. circiter Fratres.

Gonzaga ibidem con. 14.

LXXXIII. Acceſſit Provinciæ Algarbiorum Cœnobium Dominæ Noſtræ de Succurſu inter Oppida Alde Galega, & Alcochete. Erat illic Ædes Deiparæ dicata cognomine *Ciconia*; atque hinc vocatur aliquando Conventus de Cegonha Alcochete. Tradunt, eam olim fuiſſe Parœciam proximorum locorum, quam deſertam occuparunt Fratres Recollecti ſub juriſdictione Archiepiſcopi Ulyſſiponenſis. Patronos habet hæredes Michaelis Caroli Comitis Oppidi S. Vincentii.

Monumenta Provinciæ Algarbiorum.

LXXXIV. Surgebat Villænovæ de Aſtigiana in Sabaudia Conventus S. Mariæ Angelorum, quem bello periiſſe conſtat ex Memoriis Archangeli Bernezzi Provinciæ S. Thomæ. Fratres primo intra arcem commigrantes, piorum eleemoſynis emerunt ab Antonio de Fattis Cremonenſi Parocho S. Petri de Supponico Eccleſiam S. Pauli de Villanova, quæ conſtrui incipiebat, ut prope ipſam Cœnobium erigerent in fundo ipſis vendito a quodam Domino Familiæ de Ruvere anno 1563. Civibus deinde renuentibus, & vetantibus, ne fundum prædictum Fratres occuparent; Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ juſſit hoc anno, ut ad litem compeſcendam illis ſolverentur CCCL. aurei nummi;

Bernezzi in Chronol. pag. 102.

quo

quo demum ædes pro duodecim Religioſis inibi conſtructa eſt cum ampliſſima Eccleſia octo Sacellis ornata.

LXXXV. Ingens terræmotus in Calabriæ, & Lucaniæ finibus humi ſtravit majorem partem Cœnobii S. Franciſci in Oppido S. Martini Diœceſis Anglonenſis Provinciæ Baſilicatæ. Fratres domo profugi aliam ſibi conſtruxerunt, ut dicemus. Ad culmen pervenit Eccleſia S. Franciſci Llerenæ incœptam ſumptibus Santii de Pace Quæſtoris Caroli V., quem propterea Antonius Guſmanus Miniſter Provinciæ S. Jacobi donavit jurepatronatus. In eam illata fuiſſe hoc anno corpora Religioſorum ſepulta in Eremitorio S. Helenæ, antequam ſe transferrent Fratres ad Ædiculam Hoſpitalis S. Lazari, oſtendit Epigraphe eorum tumulo inſcripta: *Anno MDLXXII. Julii die XI. translata ſunt oſſa Fratrum XXXII. huc ex æde S. Helenæ poſt XLII. annos. Cum Chriſto ſint, & orent pro nobis.*

LXXXVI. Ludovicus a Zuniga Primipilus in exercitu Joannis de Auſtria, & Requeſennius Major Caſtellæ Commendatarius, abſoluto bello ad Echinadas, cui interfuerunt, conſtrui curarunt Cœnobium Dominæ Noſtræ de Victoria apud Oppidum Villarejo Diœceſis Toletanæ, ipſumque ditarunt optima Bibliotheca, libris Choralibus, vaſis aureis, & argenteis, aliiſque ad Divinum cultum ornamentis. Quotannis ibidem die ſeptima Octobris celebratur Feſtum Victoriæ B. M. Virginis ex conceſſione, ut ſcribit Gonzaga, Pii V. Gregorius XIII. indulſit, ut in ſummo Altari, applicato merito cujuſlibet Miſſæ, una anima a Purgatorio liberetur. Idem Pontifex ad inſtantiam Joannis Tello de Meneſes, die ſecunda Septembris affecit plenaria Indulgentia Sacellum animarum, ſeu *dos perdones*, in Eccleſia Realis Cœnobii S. Franciſci de Santarem.

Gonzaga in Prov. Caſtellæ con. 26.

Emmanuel a Spe Part. 1. cap. 13. num. 7.

LXXXVII. Conventui S. Annæ juxta Jonivillam, de quo ſuperius, munificentia Caroli Cardinalis de Lotharingia, & Ludovicæ de Borbonio adnectuntur vinea pertinens ad Prioratum S. Annæ, aliæque vinearum portiones ad uſum, & alimentum Fratrum: *Harum tenore*. Nono Kal. Novembris. Minoribus Conventualibus accedit Locus Novus in Cuſtodia Drepani fundatus die 20. Septembris ſub titulo S. Mariæ de Succurſu, quem vir pius nomine *il Signor Croce* beneficiis cumulavit. Hoc anno die 6. Julii intra muros Oppidi Celenzæ de Valfortore Conventualibus Provinciæ Calabriæ conſtruitur Conventus S. Mariæ Gratiarum, conſentiente Carolo Gambacurta dicti Oppidi Marchione, ad populi inſtantiam, qui Minores inibi ſedem habere cupiebat. Duobus milliaribus ab Oppido Roſſigni in Provincia Neapolis Conventus S. Mariæ Magdalenæ fundatus a Victoria Cameraria loci Domina, quæ ducata mille ducenta, & ſeptem idcirco erogavit. Uno milliari ab Oppido S. Gregorii in Provincia Romana Conventus S. Mariæ Novæ fundatus a Violante Farneſia de Cento, qui anno 1637. ceſſit Minoribus Strictioris Obſervantiæ. In Cuſtodia Panormitana pauper Locus Iſnelli a Confraternitate S. Mariæ Magdalenæ cum Eccleſia eidem Divæ dicata permittitur eiſdem Minoribus Conventualibus, ejuſque nulla apparet Scriptura. Confirmatur poſſeſſio Cœnobii Caſtri Talachii Diœceſis Urbinatenſis Fratribus Congregationis S. Hieronymi, B. Petri de Piſis, ſive de Gambacurta, qui anno 1569. trium votorum profeſſionem emiſerunt, a Capitulo Lateranenſi, licet aliquas conditiones non impleviſſent præſcriptas eorum prædeceſſoribus, & Fundatoribus Fratribus Tertii Ordinis S. Franciſci, dum facultatem acceperunt ipſum conſtruendi in fundo ejuſdem Capituli.

Rodulphus lib. 2. pag. 182.

Monumenta MSS. ex Archivo Aracælit. pag. 176.

Ibidem pag. 458. & 480.

Ibidem pag. 797.

Philippus Caglinla de Prov. Siciliæ expl. 1. pag. 106.

LXXXVIII. Transfertur Conventus Obſervantium Dominæ Noſtræ Viſitationis de Villa Verde Diœceſis Ulyſſiponenſis ad Recollectos Provinciæ Algarbiorum, curante Miniſtro Generali, qui viciſſim Obſervantibus aſſignavit Conventus Dominæ Noſtræ de Loreto una leuca ab Oppido S. Jacobi de Caſſem; S. Antonii de Serpa in ditione Tranſtagana ad orientale latus fluvii Anæ Diœceſis Eborenſis; & S. Antonii de Alçaceredoſal olim Imperatoria Romanorum Urbe, non intra, ut ſcribit Gonzaga, ſed extra Oppidi muros.

LXXXIX. In monumentis Provinciæ S. Joſeph invenio hoc anno fundationem Conventus S. Laurentii Martyris Civitatis Conchenſis prope fluvium Xucar, eumque in aliorum album retuliſſe circa annum 1579. Petrum de la Rivera Plici Guardianum ſub Provincialatu Franciſci ab Hinojoſa. Gonzaga pro fundatione aſſignat annum 1580., quo fortaſſe Fratres novum locum primo habitarunt. Exſtitit ſumptibus Marci a Parada Archidiaconi Alarconienſis, & Conchenſis Canonici. Eccleſia ædificata non eſt, niſi anno 1608. ſub Miniſtro Provinciali Andrea de Ocania, & Guardiano Antonio de Martyribus, primum lapidem ponente Andrea Paceco Epiſcopo Conchenſi.

XC. Poſſeſſionem accipiunt Minores Obſervantes in Provincia S. Michaelis, aut circa hæc tempora, aut præcise hoc anno Cœnobii S. Franciſci de Treſenal tribus leucis a Civitate de Xeres, in territorio Hiſpalenſi Diœceſis Pacenſis, & temporalis Dominii Equitum S. Joannis Hieroſolymitani. Item Cœnobii Dominæ Noſtræ Angelorum de Torralva, fundatum a Roderico Paceco, & Anna de Toleto conjugibus. In Provincia S. Antonii Venetiarum conſecratur die ſeptima Julii Eccleſia Cœnobii S. Mariæ de Jeſu Tarviſii fundati poſt annum 1512., quo imminentibus bellorum terroribus vetus Cœnobium extra Civitatis mænia publico decreto dirutum fuit.

XCI. Emmanuel de Tello, & Joanna de Papia Conjuges ex conſilio Antonii de Tello illius uterini Fratris fundarunt Segoviæ Monaſterium S. Claræ ſub titulo Corporis Chriſti in Eremitorio ejuſdem nominis Canonicorum Abbatiæ de Parrazes, ubi fuit olim Synagoga Judæorum, quam Epiſcopus Segovienſis Chriſtiano cultui deputavit, ob immiſſam in ferventis aquæ lebetem hoſtiam conſecratam a Don Mayr Medico Judæo, qui eam, pecunia mutuo tradita, acceperat a Sacellano Eccleſiæ S. Facundi. Factum fuſe narrant Eſpina in Fortalitio Fidei, & Colmenarius iu Hiſtoria Segovienſi. Hoc anno die 13. Januarii illud ingreſſæ ſunt undecim feminæ a liberiori vivendi conſuetudine converſæ, & una jam habitantes in æde Xenodochii S. Michaelis prope Civitatem, comitatæ quatuor bonæ famæ, & ſanctæ converſationis mulieribus. Ibant in habitu Franciſcano nudis pedibus, & Cruces in humeris geſtantes, præeunte eodem ritu Joanne Leon Doctore, & Viſitatore Eccleſiæ Segovienſis, magna circum affluente populi multitudine. Ad fores Monaſterii ſtabant Soror Philippa de Mendoza Abbatiſſa, Soror Joanna de Angelis Vicaria, & tres Moniales Regii Monaſterii S. Antonii, omneſque Regulam Urbaniſtarum ſunt profeſſæ.

Monumenta Provinc. Conceptionis.

XCII. Curam ſuſcipiunt Monaſterii S. Claræ Gavajolæ in Urbe Lucenſi tranſlati anno 1330. juxta Cœnobium S. Franciſci, Minores Obſervantes Provinciæ Tuſciæ. Quum autem ægre id tuliſſet Epiſcopus, poſt aliquot annos ſponte illud dimiſerunt. Reformatur Monaſterium Tertii Ordinis S. Catharinæ Tabernæ in Provincia Calabriæ, miſ-

ſis

ſis ad illud ex Monaſterio Medamenſi primæ Regulæ S. Claræ Lavinia, & Tiberia. Moniales partim domum redierunt, partim Clariſſarum Ordinem ſunt amplexatæ cum Regularis diſciplinæ augumento. Episcopus Callienſis Viſitator Apoſtolicus executioni mandat Peruſiæ ordinationes Pii V. de Clauſura a Monialibus ſervanda, quam Sorores Tertii Ordinis acceptare noluerunt. Hinc a Monaſteriis S. Antonii, S. Agnetis, & Colommatæ ejicit inobedientes. In Monaſterio S. Antonii nulla penitus remanet; ſed paullo poſt redeunt circiter octo, quæ Clauſuræ ſe ſubjiciunt. Monialium S. Agnetis dimidia pars tantum paret; reliquæ omnes proprias domos repetunt. Hac occaſione ceſſarunt Sorores Converſæ Montis Lucis, quæ prius exibant tautum ad mundandam, & ornandam Eccleſiam. Sorores Tertiariæ Zamorenses addictæ ſuut legibus Clauſuræ. Clariſſæ Monaſterii Corporis Chriſti Bononiæ acceperunt privilegium recipiendi CCC. Scutorum ſuper datio vini.

Gonzaga in Prov. Calabriæ Mon. Ultimo.

Monumenta Provinc. S. Francisci.

XCIII. Moniales Urbaniſtæ Aſſumptionis B. M. Virginis Aquilarii in Religioſa domo collectæ anno 1553. a Tereſia Henriquez Plicenſium Marchionis Filia, ea conditione, ut triginta ſex forent, ad hoc usque tempus numerum non exceſſerunt. Quia vero aliquæ Sorores Episcopo ſubjectæ ex Granatenſi Monaſterio Annuntiationis diſciplinæ Monaſticæ illuc introducendæ cauſa locum petierunt, hiuc octennio Epiſcopo obtemperarunt; ſed hoc anno die quinta Octobris, mandante Summo Pontifice, ad Franciscanorum regimen denuo redierunt. Congregationem Virginum Urſulinarum opera Angelæ de Diſenzano ad Lacum Benaci inter Veronam, & Brixiam Tertii Ordinis S. Franciſci reducis a ſuscepta Hieroſolymitana peregrinatione, ſpeciali Angelica revelatione inſtitutam, approbatamque ab Epiſcopo Brixienſi, & Epiſcopis aliis, hoc anno ad inſtantiam Pauli Leonis Epiſcopi Ferrarienſis, & Caroli Cardinalis Borromæi die 24. Novembris edito diplomate ratam habuit Summus Pontifex. Alio diplomate conceſsit Iudulgentias lucrandas in Sacello B. Mariæ Angelorum de Portiuncula: *Salvatoris Domini*. Die prima Maji.

Monumenta Provinc. Granatenſis.

De Gubernatis tomo 1. lib. 11 cap. 5. pag. 549.

XCIV. Cuſtodia SS. Trinitatis de Chile ſundata a Martino Robleda, Joanne de Torralva, Chriſtophoro Ravanera, Joanne a Turre, & Franciſco de Freſneda Minoritis Lima profectis, Provinciæ titulum obtinuit, renuntiato in primum Miniſtrum Joanne Vega. Extenditur Regio a Peruvia ad Terras Magellanicas, initio ſumpto ab oſtio fluvii Salado usque ad Archipelagum de Choni, per mille, & ducenta milliaria quadrata. Tota extenſio in area quadrata conficit ducenta ſexdecim mille milliaria geographica quadrata, ſuperat nempe amplitudinem cujuslibet regni in Europa. In hac enormi vaſtitate pauci ſunt habitatores, quorum duo tantum capita adscribenda forent cuilibet milliari quadrato, ſi per ſeptemdecim Provincias, quas continet, ſigillatim diſtribuerentur.

XCV. Nulla fortalle noti Orbis pars iſta aut ditior eſt, aut amœnior, ſive montana ſpectes, ſive campeſtria ob aeris tranquillitatem, frugum, pecudum, rerumque omnium varietatem, & opulentiam, maris etiam copioſas adeo piſcationes, ut piſcium numerus incredibilis judicetur. Regnum Chilenſe auri ſolidam eſſe maſſam Hiſpanus quidam ſcripſit; ita auro abundat; argento præterea refertum eſt, cupro, aliiſque mineralibus, & pretioſis lapidibus. Anni ſtationes æquabiliter ſibi illic ſuccedunt. Æſtivo tempore Atmosphæra nullis turbatur nebulis, ignotaque ſunt tonitrua, & nimbi, præterquam, licet raro, in montium ſummita-

tatibus. Imbrium inopiam compenſant nocturni rores, & ingentes fluvii a montibus deſcendentes interdiu citato curſu, noctu lente, ac ſubmiſſe, quaſi gelu obriguiſſent. Calorem temperant venti meridionales leniter flantes, & montium nives, in quibus ardent perpetuo quatuordecim Vulcani, nullo incolarum periculo. Chilenſes obnoxii non ſunt febribus, vel peſtilentiis, nec regio alit ſerpentes, ferasque noxias, & in ſylvis errantes Leones ab hominibus ſponte abſtinent.

XCVI. Regionem ſubegit circa annum 1540. Petrus de Valdivia Hiſpanus, excepta Auricauia, quæ nulla adhuc vi potuit ſub jugum mitti. Chilenſes vero non reperit cæteris nationibus cultiores, de quibus in anteceſſum loquuti ſumus. Hac tempeſtate Scriptores nonnulli de Indis mira prædicarunt, eosque in moribus, artibus, induſtria, Reipublicæ adminiſtratione, legibus, & politica œconomia Europeis, & Aſiaticis vel æquare, vel anteferre non dubitant. Haud ſolliciti, utrum quæ iſti jactitant, vera ſint, aut falſa, advertimus tantum, ex aliis Hiſtoricis fide dignis, nos ea, quæ retulimus, depromſiſſe, nec nobis perſuadere unquam potuiſſe, homines, ut erant Indi, antequam America detegeretur, deſtitutos ferro, literis, & commercio in civili cultura admodum potuiſſe proficere. Hinc iis, quæ ex adverſo narrantur, plus poeſis, quam veritatis ineſſe arbitramur.

Joannes Raynaldus Comes Caroli *Lettere Americane. Milano* 1726.

XCVII. Hæc Provincia habet Conventus.

1. B. Mariæ de Succurſu Civitatis S. Jacobi.
2. Conceptionis apud Civitatem Conceptionis, ſeu de Penco. Hoc anno Ædem terremotus disjecit, cujus vis adeo Regnum Chilenſe concuſſit, ut montes tranſtulerit ex ſuis ſedibus, fluviorum oſtia objectis molibus occluſerit, & fractis litoribus mare in terram immiſerit nonnullis in locis ad trecentum leucas.
3. S. Franciſci Serenæ, ſeu de Coquimbo.
4. SS. Coſmæ, & Damiani Oſornii.
5. S. Mariæ de Angelis Angolis.
6. S. Franciſci de Jeſu Civitatis Imperatoriæ.
7. Dominæ Noſtræ de Remediis Valdiviæ.
8. S. Franciſci Caſtri, ſive Chiloæ.
9. S. Mariæ ad Nives Civitatis Divitis.
10. S. Franciſci de Monte.
11. S. Bartholomæi de Chillan.
12. . . . . . prope Valdiviam.
13. Monaſterium Tertiariarum Oſornii.

XCVIII. In his regionibus hoc anno renuntiatur Commiſſarius Generalis Franciſcus de Guſmano, non nova officii inſtitutione, ut putat Emmanuel Rodericus, quum id tantum factum fuerit anno 1585. in Congregatione Generali Toletana; ſed delegatione auctoritatis, quæ Miniſtro Generali inerat ad univerſalitatem cauſarum in Indiis. Antea nonniſi difficulter Indorum quæſtiones tractari poterant; oportebat enim, ut in Hiſpaniam deferrentur per Fratres ipſos. Hinc ſive ageretur de Indis a militum injuriis vindicandis, ſive de opera novis Miſſionibus navanda, ſive de Domibus doctrinalibus fundandis, ſive demum de domeſticis Fratrum rebus, & Provinciarum adminiſtratione; currebant anni, priusquam innoteſceret quid agendum foret, præſertim quum Miniſter, vel Commiſſarius Generalis negotiis undique premeretur, nec uni potius rei, quam alteri poſſet animum applicare.

Rodericus quæſt. 13. art. 2.

Inſtan-

Inſtante igitur Philippo II. Rege, Chriſtophorus de Capite Fontium has dedit literas, quas mutilatas refert Dominicus de Gubernatis, non appoſito nomine Commiſſarii, ſed Regi facultate relicta quemcumque vellet nominandi.

Frater Chriſtophorus de Capite Fontium Miniſter Generalis Totius Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, & Servus.

Dilecto Nobis plurimum in Chriſto P. Fratri . . . . . .

Quum Nobis commendata ſit, licet ſine meritis noſtris, adminiſtratio Ordinis Seraphici per totum orbem diffuſi; hinc majori, quo poſſumus, ſtudio, cura, & laboribus, quoad nos pertinet, optamus, ut non ſolum in omnibus locis idem Ordo priſtinum vigorem recuperet, ſed etiam ut Fratres omnes noſtræ Juriſdictioni ſubjecti ædificent populos doctrina, prædicatione, & vita regulari, ob quam Seraphicus Pater nos inſtruxit, ut Fratres noſtros viſitaremus, hortaremur, & ſecundum peccatorum menſuram humiliter, & charitative corrigeremus. Quum hoc autem per nos ipſos perficere nequeamus, propter multitudinem negotiorum, quæ humeris noſtris commiſſa ſunt; cogimur idcirco juxta circumſtantias, & temporum opportunitates mittere noſtros Commiſſarios per varias Regiones, & Provincias, qui nomine, & auctoritate noſtra eas viſitent, & corrigant. Dubitari nequit, quin in præſentiarum Fide catholica in toto ferme Occidente pene jam labefactata, Deo O. M. ſic diſponente, vinea ejus velut ex altera Ægypto fructum Domino ſuo denegans, non ſine magno Fratrum noſtrorum labore, ac induſtria ad nova Indiarum regna translata eſſe videatur. Quum vero, ut majorem poſthac Domino ſuo fructum afferat, atque ad ultimos uſque terræ fines magis, ac magis operariorum ſudore dilatetur, ac in dies protendatur, illuc, urgentibus aliis quampluribus negotiis alio vocantibus, accedere nobis non liceat, ex probatiſſimorum Patrum maturo conſilio operæ pretium fore duximus, Generalem aliquem ſubſtituere noſtrum Commiſſarium totius illius novi Orbis, qui juxta Regiæ Catholicæ Majeſtatis piam, & religioſam voluntatem, ejuſque Indiarum Illuſtriſſimi Senatus conſilium in omnibus, quæ ad promovendam Chriſtianam Religionem prodeſſe viderit, agat, & diſponat cum omnimoda poteſtatis plenitudine. Idcirco tibi, quem ex fide dignis teſtimoniis eſſe virum ſingulari virtute, animi eximii, ardore, & zelo Religionis, magna integritate, ſumma maturitate, prudentia, diſcretione, & multimoda experientia, rerumque uſu præditum intelligimus, ſuper prædictas omnes Indiarum Provincias officii noſtri vices omnes committimus. Teque, ut muneri noſtro, & publicæ utilitati conſulamus, noſtrum legitimum Commiſſarium eligimus, & nominamus, tenore præſentium, & in virtute Spiritus Sancti, ut dictas Provincias regas, omneſque perſonas utriuſque ſexus in eis degentes nobis ſubjectas, eaſque perſonaliter viſites quocumque officio, vel dignitate præditas cum libera facultate morandi cum uno, vel pluribus ſociis in quolibet Conventu Ordinis illarum Provinciarum, qui tibi aptior videbitur ad res commodius tractandas, neque in his ſubditus aliquis noſter tibi poſſit hoc, vel alio tempore contradicere. Inſuper poteſtatem tibi facimus in utroque foro ſuper hujuſmodi Provincias, & ſingulas earum perſonas quovis officio, vel dignitate pollentes, ad effectum viſitandi tam Fratres, quam Moniales, eligendi Fratres, qui a Provinciis Hiſpaniarum tranſeant ad Indias, deputandi Commiſſarios, mittendi Fratres ab uno in alium locum, eos, qui ſcandalum præbent, inde amovendi, ſontes, atque inobedientes vinculis man-

Torrubia lib. 1. cap. 46.

mancipandi, excommunicandi etiam, ſi opus fuerit, & abſolvendi. Pariter poteſtatem promovendi quoſcumque ad officia, & dignitates Ordinis, eos ab officiis, & dignitatibus, quoties id expedire videbitur, vel perpetuo, vel ad tempus dejiciendi, alioſque ipſorum loco ſubſtituendi, literas expediendi, ut Clerici ad ſacros Ordines aſcendant, inſtituendi Prædicatores, & Confeſſarios. Item tibi largimnr, ut poſſis Fratres ad officia habiles reddere, actus legitimos declarare, eligere Procuratores, & depntare Conſervatores noſtrorum privilegiornm, omniaque ad utilitatem, & beneficium illarum Provinciarum agere, quæ nos ipſi agere poſſemus, invocato etiam, ſi neceſſe ſuerit, brachii ſæcularis auxilio. Concedimns præterea, ut deputare queas Commiſſarium, qui pro te in caſu neceſſitatis eaſdem Provincias viſitet, tibi tamen uni relicta auctoritate tractandi negotia earum Provinciarum, & Fratrum tam in curia Regis Catholici, quam in reliquis Tribunalibus vel Sæcularibus, vel Eccleſiaſticis. Mandamus in virtute S. Obedientiæ, ut ſi Fratrum aliquis extrahat ab Indiarum Provinciis vel lapidem pretioſum, vel portionem quamlibet anri, aut Platæ *contra Regis Catholici decreta, præmiſſa exemplari pœna, eaſdem res fideliter tradas Illuſtriſſimo Indiarum Senatui. Inſuper concedimus, ut retinere poſſis in tua Curia Fratres ab Indiis advenientes per totum id tempns, quo eorum negotia abſoluta fuerint; & ſi neceſſe fuerit, eos mittere aut ad Nos, aut ad Curiam Romanam. Mandamus in virtute S. Obedientia, & ſub pœna privationis officiornm, quæ obtinent, Reverendis Patribus Provincialibus, Gnardianis, Vicariis in toto Regno Hiſpaniarum, ut recipiant ſtatim in ſuis conventibus Fratres omnes, qnos Tu, vel Commiſſarii tni ad Provincias Indiarum delegabunt, donec per te, vel per illos aliud determinetur. Fratres vero ad Indias euntes, vel ab illis advenientes ſint immediate tuæ correctioni ſubjecti, qnemadmodum & illi, qui in iis locis morantur, in quibus ipſe reperiris. Mandamus, ut literæ omnes, quas expedies pro officii tni executione, legantnr publice in Refectorio, aut Capitulo coram cunctis Fratribus; in Provinciis vero Hiſpaniarnm publicentur in Cœnobiis Matritenſi, & Hiſpalenſi. Declaramus, te, tuamque perſonam nobis immediate eſſe ſnbjectam, & neminem nobis inferiorem auctoritati tuæ obſiſtere poſſe. Mandamus in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœnis excommunicationis* latæ Sententiæ, *& privationis officiornm, aliiſque tuo arbitrio infligendis, omnibus perſonis utriuſque ſexus Provinciarum in Indiis exiſtentium, omnibuſque Prælatis Hiſpanis, ut ibi pareant, ſicuti parerent nobis, in iis, quæ concernunt officii tui exectionem, neque contraria ſunt animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ, quibus Te enixe commendamus in viſceribus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Dominus te ſervet, & pro nobis eum roga. Datum Lutetiæ die XXVI. Martii MDLXXII.*

Præterea mandamus omnibus ſubditis noſtris cujuſcumque officii, & auctoritatis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, *ut nec directe,* Clauſulæ additæ poſt ſignatas literas. *neqne indirecte impediant Fratres ad Indias deſtinatos, vel eos a ſancto propoſito dimovere conentur. Concedimns tibi facultatem, ut neceſſitate id exigente in officii tui executionem mittas ad nos eum numerum Religioſorum ex Provinciis Hiſpaniarum, qui tibi conveniens videbitur. Noſtra intentionis eſt, ut tu ſolum, omnibus aliis exceptis, quacumque auctoritate, vel officio polleant, cognoſcas de negotiis Provinciarum in Indiis, quæ in Hiſpaniam per Fratres deferuntur. Fratres antem, qui in Indiis religioſum habitum ſumpſerunt, redeant ſtatim ad proprias Provincias poſt confecta negotia, ob quæ Hiſpaniam petierunt. Datum eodem die, & anno.*

Fr. Chriſtophorus de Capite Fontium Miniſter Generalis manu propriæ.

XCIX.

XCIX. Stanislaus Carnecovius, ſeu Karnkowski, Archiepiſcopus Geſnenſis hoſpitatus hoc anno in Cœnobio S. Annæ Varſaviæ, occaſione Generalium Regni Comitiorum, & accedens quodam die ad Chorum, in terram concidit ante Altare majus, nullo impulſus caſu. Quare ratus Divinam diſpoſitionem, quæſivit a Fratribus, quinam locus ille, aut cujus tumulus foret tectus deſuper prægrandi lapide. Audivit, illic condita oſſa B. Ladiſlai Gielnovii, ſeu de Gielniow, Oppido in Palatinatu Sandomirienſi prope fluvium Pilczam, ubi natus eſt circa annum 1440., quæ adnotare ſupervacaneum non eſt; Gonzaga enim Ladiſlaum, de quo loquimur, cum altero Ladiſlao Hungaro ſepulto in Cœnobio Cracovienſi temporibus S. Joannis de Capiſtrano, cui adhæſit laborum, & prædicationis ſocius, poſtquam Conventus Coslenſem, & Bythonienſem Guardianus rexiſſet, & cum duodecim Fratribus in Scythiam profectus a Duce Moſcoviæ viam redire fuiſſet juſſus, mirum in modum confundit, varia Ladiſlao Gielnovio adſcribens, quæ ei non conveniunt, & varia Ladiſlao Hungaro, quæ ſunt penitus ab illo removenda.

C. Motus Viri Dei geſtis, quæ Fratres retulerunt, Archiepiſcopus illorum negligentiam reprehendit, qui pretioſum theſaurum obſcuro in loco tamdiu conſiſtere paſſi forent, annis ſcilicet ſexaginta ſeptem, nulla adhibita veneratione. Illum itaque in lucem extrahere decrevit, & quonam pacto confici res poſſet cogitanti apparuit Beatus, admonens, voluntatis eſſe Divinæ, ut corpus ſuum honeſtiorem locum obtineret.

CI. In propoſito itaque revelatione confirmatus Legatos Sedis Apoſtolicæ Cardinales Commendonum, & Porticum, ut in re tam pia ſibi faverent, rogavit. Annuerunt ambo ea conditione, ut de virtutibus, & miraculis Ladiſlai authentica præcederet inquiſitio. Ea ab ipſo peracta, licet jure adhibendus fuiſſet Epiſcopus Poſnanienſis loci Ordinarius, die 13. Aprilis Dominica in Albis, adfuerunt Rex Sigiſmundus, Soror ejus Anna, Purpurati Patres Epiſcopi totius Regni, Abbates, cæterique Prælati, Principes Palatini, Regni Officiales, Nuntii terreſtres, ac alii Senatores. Celebratis Sacris, Archiepiſcopus Pontificali habitu lapidem ſepulchri amoveri jubet; & ecce oſſa ſancta in terræ ſuperficie modico pulvere conſperſa miro ordine diſpoſita cernuntur. Sublevata inde, vinoque abluta includuntur arca lignea, & ad dexteram Aræ maximæ ſatis decenter collocantur, non ſine reddita infirmis ſanitate, qui magno numero accurrentes de vino ablutionis ſumpſerunt. In marmore ad tumulum admoto ſculpta conſpicitur Imago Beati ſupine jacentis. Deſuper impoſita eſt Imago altera ex ejus vultu depicta, radiis in gyrum circa caput redimita. Marmor hanc habet Epigraphem.

Oſſa Ladiſlai tumulus tegit iſte Beati,
Qui minime favit mundi nequam iniquitati;
Corregnat Sanctis, ſuccurrit debilitati.

CII. Lateri ſepulchro adſtanti dextro contiguum eſt Altare, in quo Miſſa celebratur, ut plurimum, ad inſtantiam eorum, qui voti ſolvendi gratia ad Beatum recurrunt. Pendent circum ex tabula Beati, & Altari vota aurea, & argentea, cledonia, & imagines innumeræ beneficiorum teſtes, quæ devoti quotidie impetrant. Benedictus XIV. ejus

ejus cultum Apoſtolica auctoritate confirmavit. Inter primarios Patronos eum Varſavienſes, & Gielnovienſes adlegerunt.

CIII. Indulſit Pontifex, ut quatuor Religioſi Provinciæ Angelorum ſtuderent literis in Univerſitate Complutenſi: *Dum ad illam*. Die 5. Septembris. Clarebat in Conventu S. Andreæ Leontii in Sicilia Simon Oſcinius Minorita Conventualis Vir doctiſſimus, & in magna apud Pium V. æſtimatione, a quo Provincialis, & Viſitator eſt inſtitutus. In Tuſcia Franciſcus Florentinus Minorum Obſervantium Botanicæ peritiſſimus Florentiæ edidit librum quinque partibus diſtinctum de Virtutibus Simplicium Magno Etruriæ Duci dicatum. Scribit Waddingus floruiſſe hoc eodem anno Alphonſum Maldonado Commiſſarium Generalem in Indiis Occidentalibus ex Provincia S. Jacobi, Prædicatorem Apoſtolicum, qui pro Fratribus Obſervantibus moleſte a quibusdam acceptis in Hiſpania, dedit ad Regem Philippum II. eruditum tractatum idiomate Hiſpano sub titulo: *Defenſio Parvulorum*, qui exſtat, non, ut ait Waddingus, in Bibliotheca Minorum Cœnobii Lucenſis in Galætia, ſed verius S. Franciſci Lucentiæ in Gallæcia, quod eſt decimum ſeptimum Provinciæ S. Jacobi. Ego neque in Indice Commiſſariorum Auguſtini de Vetancur, neque in altero Joſephi Torrubia nomen reperio Alphonſi, ſed tantum Joſephi Maldonado Provinciæ de Quito, qui anno 1641. Regii Senatus Indiarum favore Commiſſarium egit.

Waddingus de Scriptoribus.

CIV. Confeſſarii munus exercebat in Monaſterio SSmæ Trinitatis Valentiæ Petrus Nicolaus Factor. Ibi, ut ſolebat, charitate ſuccenſus, & cor habens ſurſum ad Dominum, extra ſenſus ſemel permanſit novem horarum ſpatio coram Elvira Roiz Moniali, aliisque. In feſto Nativitatis Dominicæ in Laudibus ad primum verbum elevatus eſt, & ſacra peragens ad Auroram perſeveravit ecſtaticus duabus horis, madidus abundantia lacrymarum. In electione Abbatiſſæ Violantis Monpalau, coram Miniſtro Provinciali Petro Manrique, Religioſis, & Monialibus in Choro Monaſterii, dum caneretur: *Te Deum laudamus*, ſublatus eſt genuflexus, ut erat, in aerem lacrymas ſimiliter fundens, donec hymnus abſolveretur. Poſtulavit poſtmodum ab illo Maria Fernandes, cur lugeret. Cui Nicolaus: *Heu*, inquit, *Soror Monpalau, ſi tu ſcires tuum finem! Si tu ſcires tuum finem!* Verborum ſenſum Moniales non intellexerunt, niſi poſt ſex annos; tunc enim illa denuo in Abbatiſſam electa loco Sororis Collado, dehiscentibus lateribus cubiculi deorſum cecidit in inferiorem latrinam, & miſere occubuit.

Ex Proceſſu Valentino num. 26. pag. 105.

Ibid. num. 175. pag. 222. & seq.

CV. Spiritualia officia Monialibus ſuis ſedulo præſtabat, ex quibus Iſabellæ Joannis in extremo agone adſuit, & malignos ſpiritus, quibus illa vexabatur, ſigno Crucis expulit, obductumque eorum vi cælum nubibus eodem ſigno Crucis ſerenum reddidit, ex feneſtra cubiculi illos increpans: *Filii maligni, minime partem habebitis in anima hujus Religioſæ*. Jejunia quoque, & flagella in ſuum corpus propterea adhibuit. Hinc ab illis non ſemel correptus, & fuſtibus verberatus in atrio Monaſterii, incolumis non evaſit, niſi tutela Deiparæ apparentis, cujus ſacram Imaginem ſub titulo Virginis de Vela in medio Dormitorii interioris Monaſterii ea devotione colebat, ut in theca Reliquiarum, quam geſtandam dedit Joannæ de Luca piæ Moniali, incluſerit tria parva corda proprio ſanguine depicta, & eodem ſanguine hanc Orationem exaratam: *Puriſſima Virgo Maria de Vela, meum cor vobis commendo, & animam meam. Ab hoſte maligno defende me nunc, & in hora mortis meæ.*

Ibid. num. 26. pag. 106.

Ibid. num. 12. pag. 23. & num. 15. pag. 54. & seq.

CVI.

CVI. Eloquia ejus Virginibus Deo ſacris dulciora erant ſuper mel, & favum. Cæleſtis gratiæ torrentes ea comitabantur, & uberes virtutum fruges. Præſtantiſſimi viri opera omnes admirabantur, eorumque æmulandorum deſiderio ardebant. Portionem victus, & munera a Monialibus accepta donabat pauperibus Noſocomii S. Lazari. Sorori Paulæ Lopez dixit quodam die: *Nunc venio, & lætor, quod eripuerim hominem a mortis faucibus; hoc enim fune ſe erat ſuſpenſurus*. Manſit aliquando ecſtaticus in feneſtra cubiculi ſupra rivum ſubtus profluentem, & requiſitus ab homine tranſeunte, quidnam ei accidiſſet, reſpondit: *Fili, contemplabar modo aquas hujus rivi in mare properantes, ut in ſinu ſuo illas excipiat. Hæc autem cogitatio excitavit in me memoriam magnitudinum Dei Domini noſtri, ad quem Creaturæ omnes ire debent celeri gradu, tamquam ad immenſum pelagum perfectionum, ut in ejus centro demum quieſcant*.

Ibid. num. 56. 266.

Compañy loc. cit. lib. 8. cap. 2. pag. 219.

CVII. Superſunt duæ Epiſtolæ, & meditationes, quas hoc anno ſcripſit ab eodem Monaſterio SS. Trinitatis ad amicum ſuum Jacobum Ferrerium, ex quibus manifeſtum eſt, immerito ab aliquibus rejici in aliud tempus ejus inſtitutionem in Confeſſarium præfati Monaſterii. Meditationes non exſcribimus valde prolixas, easque differimus ad locum opportuniorem.

Ex Proceſſu Valentino num 22. pag. 88. & seq.

Admodum Illuſtri Domino Don Jacobo Ferrerio &c. mihi ex corde chariſſimo.

JESUS MARIA.

Admodum Illuſtri Domino in Chriſto Crucifixo.

Benedicat Dominationem Veſtram Deus, ac adeo ſui Amantem vos faciat, atque ſervum, ut vocatum in extrema die hujus vitæ vos laudet dicendo ſibi: o ſerve bone, & fidelis, quoniam in parvis rebus, quæ tibi mandavi, fuiſtis fidelis; intra in gaudium Domini tui &c.

De menſe præterito Julii adſunt quinque hebdomadæ, & de hujuſmodi menſe Auguſti adſunt aliæ quinque, licet non ſis finitum. Dominatio Veſtra dare poterit preſenti portitori eleemoſinam, quia debetur, & ſolvi debet cuidam Librario, quia illam illi debeo. Quo ad dicere Miſſas, Dei gratia dicuntur, ac rogo pro Dominatione Veſtra, licet ſim indignus, & miſerabilis peccator, & dulciſſimus Jeſus ſit in noſtram divinam conſervationem. Iſte peccator.

Jeſus. Frater Petrus Nicolaus Factor Confeſſor in Monaſterio Trinitatis.

Admodum Illuſtri Domino Don Jacobo Ferrerio &c.

JESUS MARIA.

Admodum Illuſtris Domine in Jeſu Chriſto Crucifixo &c.

Jeſus Sapientia Æterni Patris, ac fons totius bonitatis infundat in hujuſmodi cæleſti Oratorio ſui illuſtris cordis liquorem ſui dulcis ſaporis, ad hoc ut moleſtia affectus ſaporis terreni, reperiat, & fruatur, ſeu guſtet, quam ſuavis eſt Dominus, & ex hujuſmodi anguſto Paradiſo, & clauſura Angelica, aſcendat ad Divinam unionem, ubi eſt cognitus, amatus, & fruitur Dominus, quo-

quoniam omne hujuſmodi ſtomachatur, & defatigat, ac ſolum Deus dat requiem, & quietem Animæ, quia illam pro ſe ſolum creavit Creator, & videns illam deperditam ſuo pretioſo Sanguine redemit illam, qua propter valde parum grata erit anima, niſi correſpondeat adeo altæ obligationi ſub pœna cadendi in caſu indiſcretionis, & ingratitudinis luciferinæ. Illuc ſtent igitur noſtra corda, ubi exiſtunt Divini amores &c. De menſe Maij, & de menſe Julij adſunt octo hebdomadæ. Dominatio Veſtra faciat illud, quod mandabo, quia Dei gratia illi dico Miſſas; rogando pro ejus Anima, quod Deus illam faciat, prout illam vult, pro se; ac roget pro iſto peccatore.

Jeſus. Frater Petrus Nicolaus Factor Confeſſor in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis.

Sequuntur meditationes. Poſt quas hæc habetur ſubſcriptio: *Ex Monaſterio SS. Trinitatis, ac de menſe Novembris V. MDLXXII. Submittit ſe correctioni S. Catholicæ Eccleſiæ Romanæ iſte pauper Peccator.*

Jeſus. F. Petrus Nicolaus Factor Confeſſarius &c.

CVIII. Franciſcus Kravendonus magni nominis Concionator, qui in re Eccleſiaſtica celeberrimo Joanni Fero Moguntiæ ſucceſſerat, vitam explevit hoc anno in Cœnobio Moguntino. In lucem emiſit Sermones Joannis Langeſpergii erroribus expurgatos, quos tamen legere nequaquam oportet, quum Langeſpergius notatus ſit in Indice Romano, quippe infectus hæreſi Lutherana. Pariſiis Franciſcus Dahyi, quo Hæretici, & ſceleſti homines adverſarium vehementiorem vix metuebant. Multos a vitiorum cæno ad virtutis tramitem reduxit. Sepultus eſt in Clauſtro magna populi frequentia, qui præciſas ex ejus tunica particulas pia devotione abſtulit, & ad incredulorum hominum confuſionem tota Civitate Sanctum conclamavit.

CIX. Maſſæ in Diœceſi Firmana ad Dominum abiit Petrus Guerrerius de Maſſa poſt ſecundo expletum officium Miniſtri, & Cuſtodis Reformatorum in Provincia Marchiæ, & Guardiani S. Crucis, & S. Claræ Neapolis, doctus, & concionator eximius, qui, ut tradunt, verba faciens ad populum in Eccleſia S. Franciſci Maſſæ, impeditus garritu hirundinum, imperavit, ut tacerent, & jubenti aves obtemperarunt. Claruit prophetico ſpiritu, vitæ integritate, & obſervantia Regulari. In Conventu S. Joannis Sergiani extra Aretium Angelinus a Civitella ob mores, vitamque innocuam laudatus a Dionyſio Pulinari ſcriptore, & teſte coævo. In Regio Monaſterio S. Claræ Neapolis, cui Confeſſarius præerat, Archangelus a Villamagna prope Florentiam Theologus, & Diffinitor in Tuſcia. In eodem Conventu Sergiani Franciſcus Alpinius Aretinus Concionator Apoſtolicus, ter Cuſtos Reformatorum, ſemel vocalis, octies Diffinitor, bis Miniſter Provincialis, ac demum Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ, utique his muneribus, aliiſque illuſtrioribus digniſſimus.

Monumenta Provinciæ Marchiæ.

Pulinari part. 1. pag. 106.

Terrinca Theatr. Ord. part. 2. tit. 5 pag. 172.

Decades Etruſco-Minoriticæ ad an. 1572.

CX. In Cœnobio Lovanienſi Joannes Patritius natione Scotus, Provinciæ Scotiæ Miniſter, & Jacobi V. Regis Confeſſarius, patria ejectus ab Hæreticis una cum cæteris Fratribus anno 1557. Jacet tumulatus in domo capitulari. In Provincia Siciliæ Innocentius de S. Lucia Siculus, vitæ ſanctitate, & miraculis inſignis. In Cœnobio S. Franciſci Populæ de Angelis Michael a Torrejonſillo Provinciæ Murciæ, qui in Mexicum transfretavit, ibique Mexicana lingua conciones habuit ad Indos aſſiduas, & ferventiſſimas, quibus eorum plurimos ad Chriſtum convertit, exercitio præterea orationis, & Regulari obſervantiæ addictiſſimus. Ejus obitum

Gonzaga in Prov. Germ. Inferioris con. 2.

Bonifacius de Bonimbellis Chron. Reform. Provinciæ Rom. ad an. 1572.

obitum Arturus, aliique referunt ad annum 1566. ſed ex Chronicis accuratioribus Torquemadæ perſpicuum eſt, a veritate eos aberrare. In Conventu S. Franciſci Cinguli Valentinus de Chriſtianis Minor Conventualis, qui Anconæ, & Urbini ſacras literas cum laude docuit, rexit Provinciam Auſtriæ, & Viſitatoris Apoſtolici munus obivit in Provinciis Germaniæ. Auxit præfati Cœnobii cubicula ad commoditatem Superiorum. In Conventu Mediolani Joannes Tertius ejuſdem Ordinis Bergomenſis Sacræ Theologiæ Profeſſor in Gymnaſio Papienſi, & Theologus Concilii Tridentini. Hæc reliquit ingenii ſui monumenta: Explanationem in librum Proverbiorum, & in eumdem Ethicas Diſſertationes. Expoſitionem in librum Eccleſiaſtes, Job, & Tobiæ. Deciſiones caſuum conſcientiæ. Fragmenta in Apocalypſim. Diſſertationes in Eccleſiaſticum habitas in Templo primario Bergomenſi. Micas, quæ cadunt a menſa Domini, hoc eſt Meditationes de Euchariſtico Myſterio. Omnia Italice edita ſunt, & valde commendata a Nicolao Comneno Papadopoli in Hiſtoria Gymnaſii Patavini.

Torquemada pagina 606.

Arch S.Iſid.arm. 8. num. 48. pag. 55.

Donatus Auguſtinianus in Scena lit. pag. 22.

Papadopoli lib. 3. cap. 21.

CXI. Petrus Joannes Calaſat in Univerſitate Salmanticæ S. Theologiæ laurea decoratus, æque doctus, ac pius in Cœnobio S. Franciſci Palmæ Provinciæ Majoricarum, ægris lectum ſternere, mundare vaſa, & cubiculum verrere ſolebat. In communi menſa aut legebat, aut inſerviebat, aut coquinæ utenſilia abſtergebat. Quotidie Fratribus lectionem Theologicam recitabat, & diebus feſtis ad populum concionabatur, nec ad orationem defuit ei aliquando tempus, in qua Divini amoris flammis æſtuabat genuflexus, ab occaſu Solis, ut plurimum, usque mane. Aſperis flagellis carnem ſuam edomabat. Quum ultimam ageret Quadrageſimam in Inſula Majoricæ, & prædicationi intenderet, tribus, vel quatuor diebus in hebdomada a cibo abſtinuit, reliquos pane, & aqua refectus transegit. Diem obitus ſui prænuntiavit, multisque cum lacrymis, & devotione Eccleſiæ Sacramenta recepit. Corpus ejus repertum eſt catena ferrea cinctum cruore adſperſa. Caro vero livida, veluti diſciſſa, & ſanguinolenta.

Monumenta Provinciæ Majoricarum.

Arturus die 10. Maji.

CXII. Evangelicis laboribus finem impoſuit Petrus de Gandavo, ſeu de Mura, ſeu, ut ſcribit Torquemada, de Villa Yguen, in Americam profectus juxta Gonzagam anno 1529., & juxta Auguſtinum de Vetancur anno 1523., quod poſtremum veritati magis conſentaneum videtur; tam enim literæ Adriani VI. *Exponi Nobis*. Die 10. Maji, ad Carolum V., quam Pauli de Soncino Miniſtri Generalis: *Quum Sacra Imperialis*. Die 30. Maji, pro miſſione Fratrum Minorum in Indias Occiduas, annum præſeferunt 1522., earumque literarum exitus fuit, ut Carolus V. a Cœnobio Brugenſi Provinciæ Flandriæ tres viros ablegari illuc curaverit, Petrum de Gandavo Laicum, Joannem de Tecto Cathedraticum Theologicæ Facultatis Pariſienſis, & Joannem de Aora, quem fratrem Regis Scotiæ appellat Auguſtinus de Vetancur. Hi tres Ferdinando Corteſio novam poſt Columbum navigationem ſuſcipienti ſocios ſe adjunxerunt ſpe meſſis ſpiritualis in America obtinendæ.

CXIII. Nihil peculiare literis proditum eſt de Joanne Tectio, niſi quod meritis plenus vita functus ſit in loco de las Higueras juxta portum, ad quem Corteſius appulit in Provinciam Hondurarum; nec de Joanne de Aora aliud narratur, niſi Infidelium converſioni operam dantem obiiſſe in Tezcuco. Superſtes Petrus exiguo tempore commoratus in Tezcuco reſiduum vitæ Mexici tranſegit, ubi omnium primus artes

liberales Indos edocuit literas, picturam, & muſicam; erat namque illi ſolers ingenium, & ad quævis tractanda idoneum, ſic Deo diſponente, ut eruditione in humanis rebus gens ſylveſtris duceretur ad ea, quæ ſpiritus ſunt, intelligenda.

CXIV. Domi pluſquam quingentos pueros habebat majori ex parte hominum ditiorum, & Principum filios, qui in rebus Religionis inſtructi parentes ſuos inſtruebant; nam & officia Divina more Clericorum peragere, & concionari docebantur. Ex eorum numero ſelegerat quinquaginta ingenii excellentioris, quos mittebat ad Dei Verbum annuntiandum, quum pauci forent Evangelici operarii. Per hebdomadam itaque eis dictabat quidquid die Dominica populo explicari deberet; ac tum ii exibant, ingenti cum animarum fructu, Domino Verbum dante pueris evangelizantibus virtute multa.

CXV. Fundavit Mexici Ædiculam S. Joſeph in Regiis hortis Montezumæ a tergo humilis, & exigui Templi Franciſcanorum, in qua diebus feſtis ad ſacra, & conciones Indi convenirent. Collegium quoque, domoſque contiguas excitavit, in quibus puerorum alii artem pictoriam ediſcerent, Sanctorumque imaginibus delineandis ſtuderent; alii cæmentariam, lignariam, ferrariam, & cæteras in ſocietatis beneficium excolerent, ſe præceptore. Juxta Collegium cellulam ſeparatam ſibi poſuit, in qua interdum lectioni, & orationi vacaret, tanto rubuſtior ad temporalia rediturus, quanto Spiritu Dei plenior, & auctior. Pueri ipſum veluti parentem venerabantur, ex ejus nutu pendebant, & quidquid præciperet, vel rogaret cum alacritate faciebant. Notatu dignum eſt, quod licet impeditioris eſſet linguæ, nec a Fratribus abſque difficultate loquens intelligeretur, Indi tamen ejus verba diſtincte intelligebant. Quoties deeſſet Sacerdos idiomatis Mexicani peritus, verba ipſe ad populum faciebat, eumque ad Sacramenta ſuſcipienda ſancte præparabat. Typis excuſa circumfertur Doctrina Chriſtiana, quam præfato idiomate conſcripſit.

CXVI. Everſis Idolorum delubris, in ſolo territorio Mexicano pluſquam centum Eccleſias Deo ſacravit, quas inter, quatuor principaliores, S. Joannis Baptiſtæ de Moyotla, S. Pauli de Teopan, ſeu de Xochimilca, S. Sebaſtiani de Atzaqualco, & Aſſumptionis Dominæ Noſtræ de Tlaquechiuchun. Pia ſodalitia inſtituit, cultum Altarium, præſertim Ædiculæ S. Joſeph auxit, veſtibus, candelabris, vaſis, atque omnimoda ſuppellectile locupletavit, quæ prima eſt Indiarum Parœcias, 63000. circiter Eccleſiis Novæ Hiſpaniæ, & Peruviæ antiquior, ac merito ſub Philippo II. Rege privilegiis Eccleſiæ Cathedralis decorata. In ea habitum eſt primum Generale Concilium Mexicanum, aſſiſtentibus Senatu Urbis, univerſis Magiſtratibus, Equitibus, & Caziquis Regni, pronuntiataque Oratione in laudem Caroli V. Imperatoris. In ea quoque S. Inquiſitionis Tribunal primum actum exercuit. Ad Parœciam hanc pertinent Indi, & Eccleſiæ, de qnibus dicemus.

CXVII. Etſi autem Petrus tam eximiis clareret dotibus, humilitate tamen præcipue effulſit; monitus enim a Paulo III. Summo Pontifice, a Vincentio Lunello Miniſtro Generali, & a Nuntio Pontificio in Aula Regis Catholici, ut Sacerdotium ſuſciperet, nunquam perſuaderi potuit ad id faciendum, quamvis Imperator Archiepiſcopum Mexicanum renuntiare eum vellet; quo factum eſt, ut in Joannem de Zumaraga eam dignitatem contulerit. Hic quanti Petrum fecerit, prodit Epiſtola,

la, quam ſcripſit Mexico ad Patres Generalis Capituli Toloſani, qua illum miris effert laudibus. Ejus in Archiepiſcopatu ſucceſſor Alphonſus de Montuſar Ord. Prædicatorum dicere conſueverat: *Non ego Mexici ſum Archiepiſcopus, ſed Petrus de Gandavo Laicus S. Franciſci.*

CXVIII. Juvenis venerat in Indias, Indorumque animos ſibi adeo devinxerat, ut pluſquam centena eorum millia baptiſmo abluiſſe ſemel feratur, unoque die decem, alio quatuordecim millia, præter minoris numeri converſiones. Licet Sacerdotum numerus excreviſſet, unum tamen Petrum de Gandavo Laicum, Evangelii cultorem, præ aliis Indi diligebant, quaſi Mexicanæ Urbis, & Provinciæ adminiſtratio Religioſa ab ipſo penderet. Petierat Tlaxalam, quo conſuetas invidorum injurias, & in viros Sanctos perſequutiones ad tempus declinaret. Diuturnam vero Apoſtoli ſui abſentiam ægre ferentes Mexicani, conſtructa in modum aciei cymbarum claſſe in magna palude Mexicum inter, Tezcucum, & Tlaxcalam, triumphali ritu cum gentium undique excitarum incredibili lætitia eum in Urbem reduxerunt. Ipſe viciſſim filios a ſe in Chriſto genitos paterna cura complexus, ne ipſi re ulla ad ſalutem neceſſaria indigerent, literis ſæpe Patres Provinciæ Flandriæ excitavit, ut pergerent in Novam Hiſpaniam, ubi latiſſimus Evangelio campus patebat, & Regiones albæ jam erant ad meſſem. Ibi poſtquam annos fere quinquaginta Apoſtolica munia conſtanter exercuiſſet, Provinciæ S. Evangelii jactis fundamentis, & Cœnobiorum numero multiplicato: poſtquam etiam graves tentationes ſuſtinuiſſet in Patriam ſuam remeandi, ſexagenario major vitæ terminum explevit die 29. Junii, tumulatus in Ædicula S. Joſeph. (Montenegro lib. 1. Serm. 1. pag. 10.)

CXIX. Defunctum omnes publico, privatoque luctu proſequuti ſunt. Mulier Mexicana, quæ Religioſis quinque indumenta gratuito quotannis præbebat, dixit Fratri Melchiori de Benevento Guardiano, ſe illa attuliſſe; quumque Religioſorum nomina recitaret, inter eos nominavit Petrum de Gandavo. Tunc Guardianus: *Mortuus eſt*, inquit. Illa vero: *At ego eas Fratri Petro offero. Cui tu volueris, impertito.* Tam Indi, quam Hiſpani ex Oppidis circumpoſitis viro Dei parentaturi ad Cœnobium turmatim accurrerunt, eorumque plurimi lugubri toga. Luxit Clerus ereptum ſibi morum, & virtutum ſpeculum, populus Apoſtolum, Ordo Minoriticus Obſervantiæ Regularis cuſtodem. Juſtis perſolutis, unaquæque privatim Confraternitas, & Indorum ſocietas eadem peregit. Oblationum pro eo factarum abundantia Cœnobium redundavit. Ejus memoria toto Mexico in benedictione eſt. Viſitur ejus effigies in tabula depicta cum duodecim primis fundatoribus Provinciæ S. Evangelii. Superſunt ab eo conſcripta: Catechiſmus pro erudiendis pueris Indorum. Epiſtolæ variæ, & multæ ad Patres Provinciæ Flandriæ Liber, cui titulus: Symbolum non metentis, ſed ferentis. (Gravina in voce Turturis cap. 24. pag 61.)

CXX. Memorata Parœcia S. Joſeph præſidet populis.

1. de Iztacalco.
2. de Mexicaltzinco.
3. de Capultepec.
4. S. Mariæ.
5. Nativitatis,
6. S. Antonii de las Huerras, & aliis quinque, quorum nomina habere non potui.

Præſidet Eccleſiis extra Civitatem.

1. S. Chriſtophori de Aztacalco.
2. S. Annæ de Zacatlalmanco.
3. Purificationis de Malcuitlapilco.
4. S. Crucis de Acatla de los Raſtreros.
5. S. Lucæ de Cueztontitlan de los Carzineros.

Præ-

Præſidet Sacellis, ſeu Eremitoriis.
1. Chriſti Domini de Tzapotla.
2. S. Veronicæ de Hachuecalco.
3. S. Crucis de Tecpancaltitlan.
4. S. Petri de Cichuateocaltitlan.
5. S. Spiritus de Yopieo.
6. S. Philippi de Jeſu de Teocaltitlan.
7. S. Jacobi de Tlaxilpan cum aliis Eremitoriis.
8. SS. Regum de Tequicaltitlan.
9. .... de Atlampa.
10. Aſcenſionis de Tlalcocomoco.
11. S. Didaci de Amanalco.
12. Infantis Jeſu de Tepetitlan.
13. .... de Atizapan.
14. S. Salvatoris de Xihuitongo.
15. S. Joannis Baptiſtæ ibidem.
16. Nativitatis de Tequixquipan.
17. Conceptionis de Xoloco.
18. S. Salvatoris de Necaltitlan.
19. S. Joannis de Chichimecapan.
20. S. Antonii de Tezcatzonico.
21. S. Sebaſtiani de Copolco.

CXXI. Conſtruuntur pro Capuccinorum Familia Conventus Portus Gruarii Diœceſis Concordienſis, Aſculi, ubi locum antea acceperant, Leocate, ſeu Alicate ad dexteram oſtii fluminis Gelæ, ſeu Salſo in Sicilia ſub titulo S. Michaelis Archangeli pro quatuordecim Fratribus, 800. paſſus extra Urbem, Capitis Aquei, ſeu Capaccii in Principatu Citeriori Regni Neapolitani, Vetrii Diœceſis Compſæ, Neapolis ſub titulo SS. Conceptionis, Caſtellanetæ in Provincia Hydruntina, Cameratæ in Provincia Panormitana, Palazzoli in Provincia Siracuſæ, Caſalis Montis Ferrati, & Siciniani Diœceſis Salernitanæ, ubi hoc eodem anno ſancte obierunt Rufinus Libutanenſis, & Antonius de Lacu Nigro. Alia inter miracula, quæ Boverius contigiſſe narrat in fundatione hujus ultimi Conventus, Joannes Maſſejus nonniſi chordæ ictibus, quos dormiens accepit a S. Francisco, adigi potuit ad cedendum Fratribus fundum, in quo ædificium conſurgeret.

Sicilia Sacra Not. Eccles. Agrigentinæ tom. 2. pag. 741.

CXXII. Sacros Concionatores ex eadem Familia deſignavit Pontifex in Italia Bonaventuram Rhegienſem, & Joannem de Terra Nova, in Helvetia adverſus ſerpentes hæreſes Franciſcum ab Aquiis Bormiis cum pluribus ſociis. Miſit inſuper Petrum Placentinum, & Philippum a Rupe Contracta Algeriam, quo captivos de Turcarum tyrannide redimerent. Eos ſtrenue operi navantes mox ſequutus eſt Angelus a Forlivio Vir integerrimæ caſtitatis, & charitatis excellentioris.

Matthæus Ferrerius in Rationario part. 1 sect. 8 præamb. num. 1. pag. 55.

CXXIII. Migravit ad Dominum in Conventu Scapetiani Provinciæ Marchiæ Bonaventura de Rhegio Lepidi, prius Minorita Conventualis, facundus, & ferventiſſimus Eccleſiaſtes, cui nec propheticus ſpiritus, nec ſigna defuerunt, jam Ordinis Procurator Generalis. In Conventu Caſtrirooni Sebaſtianus a Gratterio educatus inter Minores de Obſervantia, pœnitentiæ addictus, prophetiæ dono, & miraculorum nobilitatus. Aliis in locis Ivo Meſſaneuſis, de quo alibi diximus, Alexander Catanenſis Clericus, Paulus a Villa Franca, Auguſtinus Drepanenſis, Bernardinus ab Aſculo Satriani, Petrus Ponceveranus, Angelus a S. Martino, Auguſtinus Pactenſis, Alexander Interamnenſis, Petrus de Urbino, & Joannes Baptiſta ab Aſculo. Horum vitæ puritatem, Monaſticam diſciplinam, morum auſteritatem, & orationis frequentiam, ſanctumque finem copioſo calamo deſcribunt ad hunc annum Boverius, & Arembergius.

CXXIV. Solemni apparatu Pariſiis celebratæ ſunt nuptiæ Henrici Principis Navarræ cum Sorore Regis Caroli IX. Margarita. Lætitiæ tamen cauſa non vetuit, ne Religioſorum Minoritarum ſanguis flueret hoſtili mucrone, & ædes diruerentur. In Septumania prope Aquas Mor-

Digitized by Google

Mortuas, ſeu foſſas Marianas Petrus Menquius Concionator ex Oppido S. Pauli Diœceſis Aquenſis in Provincia Phocenſi intercipitur in via a Calviniſtis ex latibulis loci de Vauverto prodeuntibus die 11. Januarii, dum Joannem Rivumtortum Miniſtrum Provinciæ S. Ludovici comitaretur Arelate diſcedentem ad regiones Occitanas. Et primo quidem Joannis contumeliis affecti, & manicis ligati collo laqueum injecerunt. Deinde, in ejus conſpectu Petrum pugione transverberarunt, & diu inſepultum reliquerunt illatum tandem in Cœnobium Arelatenſe. In Provincia Turoniæ Pictavienſis Joannes Teudricus Eccleſiaſtes Cœnobii Magdunenſis, ſævis cruciatibus exagitatus, Catholicam fidem, cui ſæpius teſtimonium reddiderat, die ſecunda Septembris ſanguine obſignavit.

Fernandus Hiſt. Eccleſ. lib. 3 cap. 19.

CXXV. Ad humum dejecti ſunt Conventus Albaterranus, & Petrogoricenſis in Aquitania Recentiori, Lenſii, ſeu Lendii, Diœceſis Atrebatenſis in Arteſia, quem hæretici injectis flammis ſecundo combuſſerunt; tempore enim Caroli V., quum Oppidum Lenſii ad Belgium pertineret, incendium alterum paſſum fuerat. Parva hæc erat domus, ſed vetuſtiſſima, & inſignis ſepulchro B. Pacifici, qui primus Miniſter rexit Provinciam Flandriæ, non Franciæ, ut ſcribit Waddingus. Surgebat non in eo loco, quo hodie viſitur intra mænia, ſed in ſuburbio, ubi monſtratur fons B. Pacifici, quem adverſus morbos ſalutiferum memorant Scriptores.

Gonzaga in Prov. Aquitaniæ Recent. con. 30. & 31.

Monumenta Provinciæ Flandriæ.

CXXVI. In feſtivitate S. Patris Franciſci poſt mediam noctem, Civibus Britterarum prope Narbonam ſomno indulgentibus, & excubias vel negligenter, vel proditorie agentibus, caterva militum *Camiſiatorum* ad mænia ſcalas erexit, ut Civitatem opprimerent. Æditus Cœnobii, matutinis abſolutis, caſu aſcendit ad pinnaculum Eccleſiæ, videnſque accedentes hoſtium cuneos ære metallico claſſicum inſonuit. Tunc illi metu perciti, relictis ſcalis, fugæ ſe commiſerunt; & quotannis in beneficii memoriam eodem die ab univerſo populo ſolemnis ſupplicatio peragitur, & gratiarum actio.

Gonzaga in Prov. S. Ludovici con. 9.

CXXVII. Neſariis hominibus, qui tot annos innocentium Civium cruore manus impune fœdaverant, advenit tandem nox, quæ S. Bartholomæi feſtum præceſſit, Veſperis Siculis Sæculi XIII. comparanda, in qua, Caroli IX., vel potius Reginæ Matris conſilio commiſſorum ſcelerum pœnas ſolverunt ingenti ipſorum edita ſtrage. Nunquam, ut ait Bernardus de Montſaucon, huic Pariſino par ſpectaculum viſum eſt. Guiſiis ducibus, in domos nobilium Reformatorum Prætoriani irruebant. Plebs in manipulos diſtributa Concives, & Artifices trucidabat eo furore, ut aliquis etiam ex innocentibus concideret, quos inter Salſeda Hispanus Tribunus militum, etſi religione Catholicus. Omnia clamoribus, & gemitibus perſonabant, aliorum Corpora projiciebantur per feneſtras vel in ædium aream, vel in publicas vias, vel in Sequanam. Sanguinis rivos in viis vidiſſes, corpora mortuorum in luto proſtrata. Nec mulieribus, nec parvulis, nec ſenibus parcebatur. Cæſorum corpora pluſquam decem millia, ut quidam narrabant, viſa ſunt Pariſiis; nam per totum Regnum eodem tempore Tragœdiam Præfecti Civitatum peregerunt. Gaſpari Collinii, ut ei prædictum fuerat a Michaele Greleto, quem morti injuſtiſſime addixerat, cadaver ſanguinolentum a feneſtra dejectum a furioſa plebe inter innumeras contumelias, obtruncatis capite, & manibus, ad Monfalconium uſque, ubi de reis ſupplicium ſumere mos erat, raptatum, & furcæ uno pede ſuſpenſum, relictumque, plures

Montfaucon ad annum 1572. pag. 193.

post

Digitized by Google

poſt dies a furente, & plaudente multitudine ſubjectis flammis ſemiuſtum eſt, nullo ludibriis, & deſpectui fine impoſito: exemplum maxime perſpicuum miſerrimi exitus hominum ſceleratorum, & monumentum vindicatæ Religionis.

CXXVIII. Ferunt, in Cœmeterio SS. Innocentium Oxyacantham, ſeu Albam ſpinam exſiccatam, Lunæ die ſequenti in meridie refloruiſſe. Accurrit Pariſina plebs, idque veluti indubium ſignum habet, peractam Hugonottorum cædem Deo gratam eſſe. Tanta vero acceſſit populi turba, ut armatorum cuſtodias admovere neceſſe fuerit. Nec diſſimulandum, aliquos dixiſſe, Franciſcani cujuſdam arte id factum, qui tali techna lanienam illam hinc probatam, acceptamque fore putabat. Aſt nunquam aut increduli defuerunt, qui naturalibus cauſis omnia adſcriberent, aut maligni, qui Religioſos viros calumnioſe traducerent. Spinam refloruiſſe teſtata eſt tota Civitas. De fraude nemini ſuſpicio injecta, niſi paucis nebulonibus ingenii adeo craſſi, ut ſibi ſerio perſuaſerint, plantam exſiccatam, arte aliqua iterum germina, & flores emittere repente potuiſſe.

Idem ibid. pag. 194.

CXXIX. Menſe Aprili in Capitulo Provinciæ S. Franciſci ad S. Mariam Angelorum Frater Gerardus Miniſter cedit officio, cauſatus, ſe requiri a Duce Urbini, cui erat a Sacris Confeſſionibus. Eligitur Miniſter Paulus de Matelica Provinciæ Marchiæ. In Comitiis Gyongyoſini confirmatur Miniſter Emericus Toriſius, qui, Provincia S. Salvatoris ſenſim imminuta, ſex domos, & LVII. Fratres regendos ſuſcepit. Quamquam vero domi Sacerdotum adeſſet penuria, tamen ad Urbes, & Oppida abierunt Verbi Dei Miniſtri, Agriam quidem Thomas de Mohats, Varadinum Joannes de Magots, Berentium Lucas de Csnadino, & Kecskmetrinum Franciscus Gyongyoſinus. Renuntiatus eſt Guardianus Hieruſalem Hieremias Brixienſis Alumnus Provinciæ S. Antonii, & Confeſſarius S. Claræ Neapolis. Superatis moleſtiis, quas ab Urbis Præfecto pertulit, ſeu Baſsà, ſuſpicione theſauri, quem ſecum in Aſiam ab Italia detuliſſe Barbari ſuſpicabantur, pontem conſtruxit inter Hieroſolymam, & Montem Oliveti, ut aquæ Torrentis Cedron in Templum Sepulchri B. M. Virginis non irrumperent; & ante ipſius veſtibulum plateam aperuit in ædificii ornamentum, & aditum ſacræ Speluncæ Gethſemani.

Viridar. Seraph. lib. 2. pag. 161.

CXXX. Hoc anno Senis inſtitutus eſt Inquiſitor Magiſter Franciſcus Pratelli Piſaurenſis, vel, ut lego apud Antonium de Terrinca, Franciſcus de Monte Florum. Florentiæ Magiſter Franciſcus Piſanus electus de mandato Pontificis die 14. Novembris; antea enim, ſcilicet ab obitu Franciſci de Saponaria, qui contigit anno præterito, fuerat tantum Vice-Inquiſitor.

Terrinca theatr. Ord. Serie p. & 10.

CXXXI. Epiſcopi renuntiantur, Joannes Mela promotus ad Eccleſiam Bosanenſem in Sardinia: *Apoſtolatus Officium*. XIII. Kal. Decemb., facta inſuper poteſtate, ut conſecraretur extra Urbem: *Qum Nos pridem*. XV. Kal. Decemb. Joannes Canavera ad Eccleſias Uxellenſem, & Terralbenſem unitas: *Apoſtolatus Officium*. Kal. Auguſti. Didacus de Landa præſentatus a Rege Catholico pro Eccleſia de Jucatan die 30. Aprilis, & a Summo Pontifice Electus in Conſiſtorio die 17. Octobris. Julius Florettus ad Eccleſiam Chironenſem, & Milopatamienſem in Inſula Cretæ ſub Cretenſi Metropolitano: *Apoſtolatus Officium*. Die 5. Septembris.

CXXXII.

CXXXII. In Monaſterio S. Deſiderii Piſtorii ad Sponſum cæleſtem migravit Helena Çelleja Leonis filia patria Piſtorienſis Abbatiſſa, quod munus plures annos laudabiliter exercuit. Moleſtiſſima ægritudine vexata, nullum unquam triſtitiæ ſignum edidit, nullumque querimoniæ verbum protulit, hilari, jucundoque vultu Deum rogans, ut ſibi cruciatus multiplicaret. Adduci non potuit, ut lineis veſtibus uteretur, ne, ut dicebat, de Cruce, quam amplexa erat, deſcenderet. Morti proxima Moniali epilepſia laboranti dixit: *Si Dei miſericordia ſalvabor, eum pro te orabo, ut ab iſta infirmitate ſaneris*; paucisque elapſis diebus, nullo adhibito remedio, repente convaluit.

Monumenta MSS. ex Archivo Monaſterii.

Joseph Donderius cap. Piſtorienſis pag. 59.

CXXXIII. Extra Muros Caſtri Xereſii in Monaſterio S. Claræ Provinciæ Conceptionis deceſſit Eliſabeth de Salsedo Deiparæ adeo devota, ut omnia, quæ habere poterat, in ejus cultum impenderet. Fini ſuo appropinquans, quum cuperet peccatum aliquod, cujus oblita fuerat, confiteri, nec id poſſet præ ſenſuum ſtupore, Sorores adſtantes Imaginem B. M. Virginis miraculis inſignem in Capitulo Monaſterii aſſervatam illi detulerunt, ſtatimque loquelam recuperavit, & dixit, ſe vidiſſe Virginum choros ordine procedentes, earumque unam ſplendidiſſimam amictu candido, reliquas ſpecie, & majeſtate ſuperantem. In Monaſterio S. Joannis Baptiſtæ de Caçorla Provinciæ Granatenſis Beatrix a Padilla vitæ integerrimæ, humilis, & pœnitentis.

Monumenta Provinc. Conceptionis.

CXXXIV. Non longe ab Oppido Tordehumos Diœceſis Palentinæ in Monaſterio S. Claræ obiit Maria de Cruce, quæ cum Sororibus converſata eſt ſexaginta annos, pœnitentiæ, & humilitatis operibus dedita. Morienti adſtiterunt SS. Vincentius, & Anaſtaſius Martyres, quos vivens maximo affectu coluit. In Monaſterio Conceptionis Vallisoleti Leonora Doria illuſtri genere nata, virtutibus, ac præcipue fortitudine ſpectabilis adverſus communem hoſtem, quocum perpetuam luctam geſſit. Die 28. Novembris in Monaſterio Ferrarienſi Corporis Chriſti Lucretia Filia Henrici II. Ducis honorifice eſt ſepulta cum Epigraphe:

Arch S. Iſid. arm. 5. num. 241. pag. 55.

D. O. M.

Lucretiæ Moribus, ac Sanctitate inſignis Her. II. Duc. Ferr. Filiæ, primoque Virgin. Divæ Clar. profeſ. H. Q. O. obiit. DXXVIII. Novembris MDLXXII.

CXXXV. Has ſequuta eſt in Monaſterio S. Eliſabeth Oppidi Spineti, ſeu de Espinar, Diœceſis Segovienſis altera Maria de Cruce Sororum Tertii Ordinis viginti annos Præfecta. Lacrymarum imbribus in oratione madebat. Lanam nebat, & linum, ut pauperrimo Monaſterio ſuccurreret. Hortum manibus ſuis raſtro, & ligone excolebat. Vinum nunquam bibit, in jejuniis, & abſtinentia vitam tranſigens. Officii Divini pſalmos recitantem vehemens ſymptoma corripuit, quo viribus deſtituta, orandi tamen affectu plena: *Deus in adjutorium*, quod unum poterat, repetebat. Dolentibus Sororibus, eam de more peccata confiteri non poſſe, venit eo præter ſpem Frater Hieronymus Olivarius notiſſimæ ſanctitatis, qui ſine calceis, ut ſolebat, per imbrium tunc decidentium, & frigoris rigorem ad oſtium Monaſterii interrogavit, an novi aliquid accidiſſet? Audito Præfectæ caſu, Pœnitentiæ Sacramentum illi miniſtravit, & diſceſſit. Ferunt, in ejus funere ſub primis noctis tenebris aves quaſi agmine facto in Templum ingreſſas ſuaviſſime ceciniſſe, nec inde evolaſſe, donec corpus terræ mandaretur juxta Cathedram concionatoriam in Eccleſia Parochiali ejusdem Oppidi.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

Joannes de Terra Nova emendatur. Floret B. Benedictus a S. Philadelpho. Novæ ædes conſurgunt, & reformantur Monaſteria. Sæviunt Hæretici in Minoritas. Clarent viri, aliique decedunt literis, & ſanctitate præſtantes. Julius Cardinalis de Ruvere Ordini Seraphico adeſt Protector, & Moderator. Conceduntur Ordini privilegia a Pontifice, & Rege Hiſpaniarum Catholico.

I. DIximus, Joannem de Terra Nova minus vere in anteactum tempus retuliſſe propagationem Sacræ Capuccinorum Familiæ in Galliis; hoc enim anno in Comitiis Anconitanis, tradita Vincentio de Monte Ulmi ſuprema rerum adminiſtratione, ſtatutum eſt, aliquot Capuccinos in eas Regiones ablegare ad inveſtigandum, an Gallis placeret, ejus Ordinis Alumnos apud ſe habere; miſſique ſunt, qui negotium perficerent, Dionyſius a Mediolano, & Remigius a Lauda, magis ob utriuſque prudentiam, & dexteritatem, quam, ut inquit Boverius, quia nominibus vocabantur duorum ex præcipuis Sanctis Gallici Regni; hoc namque, ut arbitror, tum ineptum, tum etiam lepidum aliquantulum fuiſſet. Vetuerat ipſis Paulus III., ne Inſtitutum propagarent apud Ultramontanos: *Regimini Univerſalis*. Die 6. Januarii anno 1537., qua in re Pontificem morem geſſiſſe Miniſtro Generali Obſervantium, qui id petierit, confidenter nimis autumat Boverius. Apoſtolicæ literæ proſtant in Annalibus Ordinis, in quibus nihil aliud dicitur, niſi rem in eo ſtatu eſſe manſuram uſque ad Capitulum Generale Minorum de Obſervantia Romæ celebrando. Interdictum hoc anno ſubſtulit Gregorius XIII. Capuccinis concedens, ut Conventus erigere poſſent ubique: *Ex noſtri Paſtoralis*. Pridie Nonas Maji.

Boverius ad annum. 1573.

Annales Min. ad an. 1537.

II. Alterum, quod notandum eſt in libro Joannis de Terra Nova, reſpicit objectionem, quam ſibi ſolvendam proponit, neminem ſcilicet Capuccinorum fuiſſe Sanctum, nec feciſſe miracula, ſicut Fratres de Familia. Dummodo objectio ab Obſervantibus non prodierit, omni culpa ipſi liberantur; quamvis, ut veritati locus detur, ea tempeſtate, qua id dictum ſupponitur, nemo Capuccinorum inter Beatos relatus erat. Novimus etiam S. Felicis de Cantalicio, qui hoc tempore florebat virtutibus maximis, admiratorem, & laudatorem perpetuum fuiſſe Fratrem Marcellinum celeberrimum ex Ordine Obſervantium Eccleſiaſtem, qui cum fama Sanctitatis tranſiit ex hoc mundo in Conventu de Aracæli, ut ipſi Capuccini narrarunt. Teſtem quidem ſingularem in medium adducimus, ſed teſtem tamen; quum ex adverſo nullus adducatur, qui verbum protulerit in Sanctitatem Capuccinorum.

Acta SS. ad diem 11. Maji pag. 236.

III. Hæc animadvertiſſe ſatis fuerit; nam licet subobſcurum ſit, quoſnam adverſarios ſibi Scriptor revincendos ſtatuat, ex contextu tamen nemo non perſpicit, ejus jacula dirigi in Minores Obſervantes, a quibus egreſſus erat. Quid enim attinebat, Ordinem eorumdem Ægyptum dicere? Quid Regulæ transgreſſiones, quæ nullibi erant, non eorum uni, vel alteri, ſed omnibus inverecunde objicere? Quid de Prælatis Ordinis queri tamquam de perſequutoribus? Perſequutor is tantum habendus eſt, qui alteri injuriam infert, non is, qui quantum in ſe

eſt,

eſt, impedit, ne ſubditi nova moliantur, aufugiant ab Ordine, eumque ſcindant quacumque ex cauſa, ſed maxime prætextu caputii sphærici, vel quadrati, aliarumque rerum leviſſimarum; etiamſi bona mille exinde ſucceſſu temporis profluere poſſint, quæ nemo, niſi ſpiritu prophetico polleat, unquam prævidebit. An Superioribus interdictum, ne ſubditos contineant in vocatione, in qua ſunt vocati? Sed prætermittamus iſta, libenterque ſinamus, homines quoſdam propriæ laudis, & exiſtimationis apud vulgus fundamentum ſtatuere aliorum oppreſſionem, ea demum in deteriorem partem accipieutes, quæ legitime, & rectiſſime ſunt geſta.

IV. His temporibus virtutum, & miraculorum laude coruſcabat in Provincia Siciliæ Benedictus ex Oppido S. Fratelli, ſeu S. Philadelphi Diœceſis Meſſanenſis, Niger dictus, natus anno 1524. Parentibus Chriſtophoro Manaſero, & Diana Larcana, ſeu Arcan, Æthiopibus, qui a Chriſtianis capti, & venditi Vincentio Maſanero mancipiorum more, in Sicilia Chriſtianam fidem amplexi ſunt, & conjugium mutuo inierunt. In Dei amore, & timore ſedulo educatus ſtudebat rei ruſticæ adoleſcens, & quamvis Ordini alicui Religioſo nomen dare vehementer expeteret, deſiderium tamen ſuum ſe ad exitum perducere non poſſe arbitrabatur tum ob nigredinem, qua infectus erat, tum ob ſervilem parentum ſuorum conditionem.

Ex MSS. Bonifacii Bonimbelli in Archivo S. Iſidori arm. 6. num. 54. pag. 61.

V. Quodam die dum boves ipſe per aream circumduceret frumento purgando occupatus, tranſivit forte illac Frater Hieronymus Lanza Franciſcanus, qui tunc ſub obedientia Magiſtri Generalis Minorum Conventualium, ex Pontificia conceſſione Julii III. præerat Fratribus ferme ſeptuaginta Eremiticam vitam ſectantibus ſub Regula S. Franciſci in montibus prope Caroniam ſex milliaribus ob Oppido S. Philadelphi, locis aſperis, & ſylveſtribus, contemplatuſque Benedictum, viſum eſt ei Divinum quoddam, & pietatis ſpeciem non uſitatam in illo intueri, ac dixit: Hic ex noſtris futurus erit. Nec plura loquutus verbo tantum juvenem Patri illic præſenti commendavit, & diſceſſit; adhuc enim inopportunum judicabat, eum a domeſticis negotiis retrahere, quum triticum congerendum eſſet in horreum. Rediit tamen non multo poſt, obſequentemque duxit in ſylvas.

VI. Rem ita narrat Bonifacius Bonimbelli. Aliter autem eam deſcribunt Ermenegildus de Roma, & nuperrime Joannes Alphonſus de Mendriſio diſertiſſimus Concionator, & Diffinitor Generalis Minorum Reformatorum, qui B. Benedicti vitam edidit copioſiſſimam, ob rerum delectum, nitidum ordinem, & ſtyli elegantiam ab omnibus commendatam. Quum per viam, inquiunt, tranſiret Hieronymus prope Oppidum S. Philadelphi, vidit Benedictum in agro metentem fruges cum ſociis, a quibus ob vultus nigredinem ludibrio excipiebatur: ad illos itaque converſus dixit: Vos ridetis hunc ſervulum, & paucos poſt annos audietis ejus nomen. Domino autem agri eum commendavit. Tranſactis aliquibus diebus illuc reverſus invenit Benedictum armenta paſcentem, in quibus, duos boves; quidque agis hic? inquit. Surge, vende boves tuos, & mecum perge ad deſertum. Atque ita illum duxit ad Eremitorium S. Dominicæ prope Caroniam, maxima ſui, ſociorumque ſuorum gratulatione, & lætitia.

Ermenegildus de Roma in compen vitæ B. Benedicti Romæ anno 1743. cap. 1. pag. 5. & seq.

Joannes Alphonſus a Mendriſio in Vita B. Bened. Neapoli anno 1784.

VII. Sumpſit ibi pauperem Eremitarum ſaccum Benedictus nullum ex anteactis diebus eo jucundiorem reputans; atque in iis, quæ peragenda

 ſibi

ſibi forent, ſollicite inſtructus, nihil laborum, & auſteritatum adſpectu territus, immo vero eo alacrior, & promptior, quo majores illæ proponebantur, Inſtituti Anachoretici normam ſe adamuſſim ſectaturum promiſit. Mos invaluerat, ut ei vitæ generi addicti homines tribus præcipuis votis ſe obtringerent in Religione Minorum conſuetis, aliudque emitterent perpetuo a carnibus abſtinendi, ac ter in hebdomada jejunium agerent; præterea ſeparatis in cubiculis, quæ incolebant, rerum Divinarum contemplationi vacarent, & variis, prout unicuique lubitum erat, operibus pœnitentiæ. Leve id viſum eſt magnitudini animi, & ferventi charitati, qua novus Alumnus æſtuabat, cui proinde ſatis non fuit cæteros imitari; ſed longius progreſſus ſolo pane, herbarum radicibus, & aqua corpus ſuum reficiebat, totis diebus, & noctibus inſtabat Divinis Myſteriis meditandis vel parietibus incluſus, vel in abditis nemorum receſſibus umbras inter, & ſilentium Deum ſuum quærens, & in illum cordis ſinum effundens, carnem ſpiritui cæteroquin obſequentem duriſſimis catenis vinciebat, & ne quid perfecto Anachoretæ deeſſet, quotidianis, cruentiſque aſperrime mactabat flagellis. Audivit aliquando, S. Paulum primum Eremitam ſolitum deferre veſtem ex palmæ corticibus intextam. Hinc ſimilem & ipſe ſibi aptavit, quam tamen brevi abjicere coactus eſt ob incredibilem aſperitatem, & frigus, quum recens indumentum ictibus ſuis pellem gluberet, & carnes vix tangeret, quo nudus propemodum incedere videbatur.

VIII. A loco S. Dominicæ tranſivit ad Eremitorium *della Giudeca* ad ripas fluvii Platani prope Oppidum Reuſadali, & ſucceſſive ad alterum de Manchuſa in territorio Partenici, ubi cellulas aliquas exſtruxit Sociis advenientibus accommodatas, in tantamque crevit apud omnes exiſtimationem, ut Cives Oppidi Carini non procul diſtantis frequentiſſime eum inviſerent, & veluti Sanctum magno honore, ac veneratione proſequerentur. Quapropter ut popularem auram, plauſumque declinaret, & mundo abſconditus Deo unice inſerviret, clam inde abſcedens ſeceſſit primo in Eremitorium Montis Peregrini prope Panormum celebris incolatu S. Roſaliæ Virginis Panormitanæ, deinde eiſdem motus cauſis in aliud multo ſecretius juxta Marinæum.

IX. Septemdecim annos jam abſolverat in Eremitarum Collegio, quum Hieronymus Lanza cæterorum Præfectus, & Moderator officio ſe abdicavit paſſus mentis alienationem aut veram, aut ſimulatam; non deerant enim qui dicerent, illum nimio pœnitentiarum rigore in eum ſtatum deveniſſe, & qui exiſtimarent, imminenti periculo perturbatum, quum animadverteret, homines quoſdam id unum moliri, ut Eremitarum Congregatio ſuppirmeretur, inſaniæ ſpeciem prætexuiſſe; quo videlicet honeſtius loco cederet, ſociique ſimplices, & rerum ignari, qui ſine Duce remanſiſſent, quandoquidem neceſſe ita foret, ſeorſum a populari admiratione, & ſtrepitu tacite diſſolverentur. Poſtremæ hujus opinionis erat etiam Benedictus, ut tradunt Memoriæ authenticæ Bonifacii Bonimbelli, quem utpote Scriptorem vetuſtum, & ingenuum ſequimur; cæteri namque Biographi in unam Hieronymi mortem cauſam refundunt, cur Eremitarum Congregatio ceſſaverit.

X. Quum nemo igitur foret, qui in poſterum Eremitis præeſſet, etſi ad numerum circiter ſeptuaginta excreviſſent, Religioſi eorum æmuli facile impetrarunt a Pio IV. circa finem ejus Pontificatus, ut homines

nes in ſylvis degentes, nullo ductore, ad quos ſæcularium, ac mulierum aditus Religionis cauſa pateret, licet nulla hactenus ſuſpicione laboraſſent, ob ipſius tamen periculi metum dimitterentur. Quare Pontifex literas Julii III. revocavit, & Solitariis veniam fecit quemlibet ex approbatis Ordinibus pro lubitu ingrediendi. Benedictus nihil moratus poſtquam a Capuccinis non impetraſſet, ut inter eos reciperetur, adiit Archangelum Siclenſem Guardianum Cœnobii Minorum Obſervantium S. Mariæ de Jeſu extra Panormum, a quo in Ordinem cooptatus eſt inter laicos auctoritate Capituli Provincialis Meſſanæ habiti ſub idem tempus.

XI. In virtutis palæſtra veteranus nec Magiſtro indiguit, quo doceretur, nec ſtimulo, quo vitam, moreſque ſuos in viam mandatorum dirigeret, quibus tot annos ſtuduerat. Ante, & poſt emiſſa vota, ſeu potius renovata; illa namque jamdiu Eremita profeſſus fuerat, Religioſos æque, ac Sæculares homines in ſui admirationem rapiebat, ab ipſis etiam Optimatibus, Archiepiſcopo, & Pro-Rege Siciliæ diligenter obſervatus, qui quotidie ferme ad illum accedebant, & ſecum una libentiſſime converſabantur; quod non jucundum quidem ipſi accidebat, qui procul ab hominum commercio in ſolitudine educatus Deo ſuo in abſcondito famulari exoptabat. Nihil illo innocentius, nihil pauperius, & humilius, nihil denique, quod perfectionem non oſtenderet numeris omnibus abſolutam.

XII. Regreſſus a Conventu S. Julianæ, ubi tres annos vixit, ad Cœnobium S. Mariæ de Jeſu Panormi, invitus licet, & reluctans Guardiani munus obeundum ſuſcepit, & Regularem Obſervantiam, quam iis diebus vel paullo collapſam reſtaurabant, aut ſaltem augebant in Provincia Siciliæ viri doctrina inſignes, & domus Dei zelatores, mirifice promovit; quamvis enim cæteros dignitate antecederet, illis tamen parem, atque etiam inferiorem ſe reputabat, nihil eorum prætermittens, in quibus antea occupari conſueverat, ſive ageretur de rebus ad victum neceſſariis publice conquirendis, ſive de coquendis cibis, ollis abſtergendis, mundandis cellulis, & officinis, curandis infirmis, ſive de ſubditorum, ac præcipue juvenum inſtructione, quos non verborum facundia; ea ſiquidem homo illiteratus parum pollebat; verum exemplo, præclariſque factis ad virtutem quotidie excitabat. Omnibus ipſe humilitate præibat, nec erat qui Ducem nemini æquandum, & in eorum opinione divinitus datum alacri animo non ſequeretur.

XIII. Quum ad Comitium Provinciale Agrigentinum iret cum tribus ſociis, turmatim populi ex proximis oppidis, & pagis confluebant ad eum, cujus vix nomen audiverant, inviſendum, & cognoſcendum ex officinis exeuntes, & opera relinquentes, tantumque omnibus viri species modeſta, atque humilis devotionis ſenſum injiciebat, ut Sanctum conclamarent, & particulas ex ejus veſtimentis præciderent, ſecumque auferrent. Quare ne turbæ ſe committeret, utque obsequium omne, ac venerationem vitaret, quibus ſe indignum exiſtimabat, ac præterea ne tunicam ipsam tandem amitteret, vel omnino ſciſſam, & laceram deferret, per diem quidem in Cœnobiis ſe continebat, aut in locis procul a populorum frequentia; noctu vero viam ſuam ſequebatur. Mane quodam obvium habuit Vitum Polizzi Civem Panormitanum, qui Agrigento Panormum revertebatur. Pietate motus erga ipsum, & ſocios, quos defeſſos adſpiciebat, equo deſcendens eis pro jentaculo obtulit

tulit

tulit panes toſtos, & vinum, quæ ſecum deferebat, iliisque refectis, quatuor panes, qui ſuperfuerunt, immiſit in peram cum vini amphora, in qua ea vini quantitas remanebat, quæ calicem unum impleret, & abiit multis benedictionibus a Viris Dei cumulatus. Appulsus ad locum, cui nomen Fons frigidus, aperuit peram cibum petiturus, eamque invenit miraculoſe plenam panibus usque ad culmen, & amphoram vino refertam, quod emerat Agrigenti. Rem cunctis narravit, & teſtatus eſt in Proceſſu Panormitano de virtutibus, & miraculis Servi Dei.

XIV. Agrigentum accedenti Cives, & Capitulum obviam properarunt, interque acclamationes, & plausus ad Cœnobium deduxerunt, dum alii ejus tunicam devote oscularentur, alii ſanctum, & beatum prædicarent, alii iuvicem circumfuſi eminus ſaltem advenientem hospitem intueri couarentur. Neque poſſumus, neque debemus omnia hic exsequi. Sed ſigna aliquot non omittemus, quibus circa hæc tempora Deus ipsum glorificavit.

Idem cap. 11. pag. 85.

XV. Antonius Vignes Mercator Catalanus Panormi accola navim exspectabat cum merce pannorum, rerumque aliarum a Civitate Barchinonenſi. Sed quum poſt quadraginta dierum moram nunquam illa perveniret, rogavit Sanctum, ut pro ſe Deum precaretur; ſe enim metuere, ne vel naufragio navis periiſſet, vel direpta eſſet a piratis. Cui ille: *Navis*, inquit, *incolumis eſt. In Deo spem habe*; *huc enim quamprimum accedet.* Abiit Mercator, rediitque non multo poſt de eodem negotio ſollicitus, quumque Sanctus ei diceret, navim tempeſtate detineri in quodam portu Sardiniæ, repente navigium eminus apparuit expanſis velis properans ab Occidente. Poſtulanti Mercatori, an ſuum illud foret: *Non utique*, respondit; *ſolvit enim ab Insulis Balearibus. Sed navis tua ſtatim ſequetur*; dictumque eventus comprobavit.

XVI. Voluit Antonius Vignes, recepta navi, gratum Benedicto, & Fratribus obsequium exhibere. Hinc, conſilio ſuo nemini communicato, ſtatuit, ingentem piscis cocti quantitatem ad illos afferre eo tempore, quo ad mensam accumberent. Imminebat hora prandii, quum Beuedictus juſſit, ut aliquantulum Fratres exspectarent, donec Antonius Vignes cum dapibus accederet, miſitque oſtiarium ad januam Cœnobii, qui oblatum donum acciperet. Venit ille, audiensque rem patefactum, de qua penitus ſiluerat, propheticum spiritum Viri Sancti admiratus disceſſit glorificans Deum.

XVII. Antonius Benaccoltus Panormitanus de filio ſuo in Hispania degente anxius, a quo multos poſt menses nullum nuntium acceperat, conſuluit Fratrem Benedictum, qui ei dixit, filio suo bene eſſe. Appulit Panormum iis diebus Eques Hispanus, & retulit Auguſtino, filium graviter ægrotare. Turbatus itaque Pater per famulum rem Benedicto nuntiavit: At ille ſubridens: *Redi*, inquit, *& dic Domino tuo, ne triſtetur, & bono animo ſit*. Quum tamen deinde nihil Pater de Filio resciret, adiit Benedictum, qui ei dixit: *Redi domum, ibique literas invenies, quibus lataberis*. Abiens autem quæ Sanctus dixerat, omnia vera eſſe cognovit.

XVIII. Joanna Carena ſterilis viginti annorum spatio ab inito conjugio, metuens, ne hydropiſiæ morbo laboraret; ventrem enim tumidum, atque inflatum habebat; acceſſit ad Benedictum, qui ei dixit: *Tu paries filium masculum, qui Joseph vocabitur, & erit Sacerdos; ſed*

diutius

diutius non gaudebis. Quod ordine impletum eſt, ut prædixit. Similiter mulieri dolenti ob perverſos Filii ſui mores dixit: *Filius tuus brevi morietur, & male morietur. Sed hoc ipſa minime videbis*. Poſt quatuor menſes deceſſit Mater, & poſt alios quatuor Filius enſe percuſſus interiit. Mulieri alteri pro Filio ſuo ſollicitæ, ne ab inimicis, quos plures habebat, necaretur: *Equidem*, dixit, *Dominum Deum pro illo rogabo. Verum illum hortare, ut ſit cum Deo; cito enim tribulationem patieris*. Nec multo poſt cecidit miſer ille interfectus.

XIX. Eodem modo mortem prænuntiavit intra præfixum terminum obeundam Blanchæ Sorori Germanæ Marchioniſſæ de Calatanixetta, & Filio Dianæ de Aragonia; ſanitatem autem recuperandam Dominico de Vito, & Nicolao Stizza, qui fuit poſtea Epiſcopus Cephaludenſis, etſi ambo graviſſime ægrotarent, & Medici de illorum ſorte jam deſperaſſent. Jacobus Baldeſi ad extremum vitæ redactus, & a Medicis derelictus miſit amicum ſuum, qui ſe Fratri Benedicto commendaret, quem ſimulac Sanctus adſpexit: *Tu*, inquit, *a Jacobo ad me venis, ut Deum rogem pro illo. Vade ergo, & dic ei, ut ſperet in Domino, & nihil timeat; nam hac infirmitate non morietur*. Et non multo poſt perfecte convaluit.

XX. Morti proxima Antonia de Vita, ut ſolatium aliquod animam agens inveniret, juſſit duobus ſervis, ut ad Cœnobium pergerent, & Fratrem Benedictum ad ſe adducerent. Eos a longe ille venientes conſpicatus dixit ſocio ſuo: *Hi veniunt ad vocandum me*; accedenſque ad oſtium Cœnobii, antequam ſervi mandatum referrent, dixit eis: *Una eamus ad Dominam veſtram, quæ in magno diſcrimine verſatur*. Ingreſſus autem domum illius fecit ſuper eam ſignum Crucis, quæ poſt duas horas ſurrexit a lecto ab omni incommodo liberata.

XXI. Octavius Boscus filiolam habebat variolis periclitantem, quam Sanctus putredine infectam, & conſumptam intuitus, facto ſuper eam Crucis ſigno, Patri quidem dixit, Puellam certo morituram; Matri vero: *Gaude, Domina, quia fers in utero filium maſculum, & hunc Altiſſimus tibi reſtituet pro filia tua*. Et lacrymas, quas ambo ſuderunt in natæ funere, excepit gaudium prænuntiatæ prolis, quam illa edidit.

XXII. Libertus Nicolai Genuenſis, qui Panormi habitabat, profeſſione lignarius, opera quædam perficiebat in Cœnobio S. Mariæ de Jeſu, quum in celſiſſimam pinum aſcendit ad fructus colligendos. Ad altitudinem octo circiter decempedarum crus extendit ſuper ramum, manuque alterum proximum apprehendit. Diſruptis vero utriſque, toto corporis pondere deorſum cecidit in area lapidibus ſtrata, ibique remanſit ſenſu, & anhelitu deſtitutus. Properarunt Fratres ad ſtrepitum, qui hominem jam extinctum arbitrati vocaverunt Fratrem Benedictum. Hic autem, cunctis ad bene ſperandum in Domino hortatis, cœpit eum palpare manibus in capite, & toto corpore; ſtatimque exanimis ille, & ferme conciſus ſurrexit inde abſque ulla læſione, & ad opus ſuum redivit.

XXIII. Exercebat Vir Dei coquinariam in eodem Cœnobio, thynnoſque, & alios piſces ſale condiebat, quum nobilis Matrona ophthalmia laborans ad januam eum acceſſivit. Cucurrit eo Benedictus, & illius auxilium, & interceſſionem ſuam implorantis oculos tetigit manibus, ſalis, & piſcium inquinamento ſordidiſſimis, factoque ſigno Crucis, eo ipſo temporis momento perfectum oculorum uſum ei reſtituit, omnibus, qui aderant, admirantibus.

XXIV.

XXIV. Matronæ nobiles Panormitanæ Leonora de Ferro, Aurelia Benvenuta, Lucretia de Carolo, & Franciſca Beatrici redibant a Conventu S. Mariæ de Jeſu ad Civitatem rheda advectæ, quam equi fortuito conciti, & præcipites in diverſas partes traxerunt, ſic ut, labente illa, mulieres in ſe invicem ruerent, & in terram proſternerentur; Leonora autem lapſu ſuo filiolum opprimeret, quem tenebat in brachiis; qui propterea pallidus, apertiſque labiis nullum amplius vitæ ſignum edebat. Ad locum confeſtim Fratres properarunt. Benedictus vero mulierem cernens humi ſedentem, & lacrymantem ab illius ſinu abſtraxit puerum faſcibus ſolutum, cœpitque eum attrectare, & preces fundere, donec Crucis ſigno munitum reddidit Matri, cui dixit: *Accipe, & lacte eum reſice*. Illa exanimem adhuc intuita, & digitum in ejus os inferens: Nihil opus eſt, ait, ut mortuo mamillam porrigam. At Sanctus: *Crede*, inquit, *& dicta exſequere*. Paruit illa, & ſtatim puer mamillam ſuxit, atque ita ſe habuit in poſterum, veluti ſi nihil mali paſſus foret. Jacebat humi Lucretia de Carolo, cui rotæ præterlabentes ventrem gravidum læſerant, ſemianimis inter ſingultus, & gemitus proxima abortui faciendo. Super hanc Sanctus fecit pariter ſignum Crucis, nec mora ſurrexit incolumis, & opportuno tempore filium peperit integrum, & ſanum.

XXV. Signo Crucis ſanavit duos filios hernioſos Joannis Baptiſtæ Pontiani, & Petri Narſani, qui Medicamentarios agebant Panormi; ex ulcere in facie, & ſyphilide ſamulum Julii Trabonæ; ex ſtrumis, quæ collum undique obduxerant, filium Jacobi Antonii Contarini. Uſum brachii reſtituit filiæ Vincentii Lucidi, loquelam puellæ, quæ eam amiſerat infirmitate, oculorum lumen Vincentio Canona, Moniali cuidam Monaſterii Abbatiæ Novæ Panormi, & Lucretiæ filiæ Laurentii Cataniæ graviſſimo dolore capitis excæcatæ. Leonora Filia Franciſci Miſciulli octo annorum, conſumpta macie ex phthyſi, & morti proxima bonam valetudinem recuperavit Signo Crucis a Fratre Benedicto munita, & oleo lampadis peruncta, quæ pendebat ad Altare Deiparæ. Joannes de Panormo Ordinis Minorum Obſervantium ſtranguria cruciatus adiit Fratrem Benedictum; & mihi, inquit, adſis, Frater, jam enim dolore moriar, niſi orationibus tuis opem feras miſero, qui remedia omnia humana fruſtra ſum expertus. Cui ille, ſigno Crucis eum tangens; *Abi*, inquit, *latus, & Domino Deo gratias age*; eodemque momento Joannes ſe perſanatum cognovit. Andreas Stagnetta ſtrumis oppletus incurabilibus inſtantius rogavit Sanctum, ut ſuper ſe preces aliquas recitaret. Et quamvis humilis Frater ſe excuſaret, & peccatorem diceret, importunitate tamen victus fecit ſignum Crucis, eumque miſit ad orandum ante SS. Altaris Sacramentum. Quod quum perageret, ſtrumæ omnes penitus evanuerunt.

XXVI. Antonia Conjux Laurentii Chiama Civis Panormitani a Dæmone acerbiſſime vexata, nulliſque trium annorum intervallo exorciſmis libera, aut ſublevata, curationis ſpe propemodum deficiente, adducta eſt a Marito ad Fratrem Benedictum, qui precibus nuncupatis ad Altaris tabernaculum, advocataque muliere, dixit: *Præcipio tibi, maligne Spiritus, ut exeas ab hac Creatura in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, utque id facias ſine ulla offenſione; & in ſignum egreſſus tui jubeo, ut extinguas lampadem ante Aram B. M. Virginis*. His dictis prolapſa eſt humi energumena, inuſitatos, horrendoſque fremitus edens, ac ſemimortua

tua ibidem remanſit, & lampas illico lumen amiſit. Tunc Benedictus ad illam acceſſit, & manum ſuper caput illius ponens recitavit Orationem Dominicam; qua expleta, Mulier menti ſuæ reſtituta egit Altiſſimo gratias, & decem annos vitam produxit nulli amplius obnoxia diſcrimini.

XXVII. Vir quidam ſcipione innixus; medietatem enim corporis inferiorem apoplexia perdiderat; acceſſit ad Cœnobium de Jesu, poſtulavitque a Portario, ut ſibi indicaret Fratrem Benedictum. En ille eſt, inquit Portarius, qui exit ab Eccleſia. Tum Infirmus ad pedes ejus provolutus, petiit ſanus fieri, acceptoque ab eo ſigno Crucis poſt præmiſſam orationem, ſcipionem repente projecit, & exclamans: *Miraculum, miraculum*, expeditus cucurrit per clauſtrum, & proximam ſcalam, omnibus, qui aderant, admirantibus.

XXVIII. Hæc collegimus ex authenticis proceſſibus pro Beatificatione, & Canonizatione Servi Dei. Plura autem alibi erunt dicenda. Non procul a mænibus Oppidi Fontinentis, ſeu de Ontinent, Diœceſis, & Provinciæ Valentinæ fundatur hoc anno ære publico Cœnobium S. Antonii Abbatis, quatuordecim Fratribus continendis aptum, quibus pro victu, & veſtitu non deeſt munifica, & liberalis Civium pietas. In eadem Provincia Monaſterium Conceptionis B. Mariæ Hondæ, Diœceſis Dertuſenſis, deficientibus Sororibus Tertii Ordinis, ad quas ſpectabat, transfertur ad Moniales Conceptioniſtas, quæ Regularis diſciplinæ ſtudio laudabilem exiſtimationem, & venerationem apud omnes ſortiuntur.

Gonzaga in Prov. Valentiæ con. 23.
Idem ibid. mon. 8.

XXIX. Franciſcus de Fonſeca Auctor Cœnobii S. Franciſci de Alaejos aliud hoc anno poſuit in Oppido Cocæ Diœceſis Segobienſis, in quo dominium temporale exercebat, S. Paulo Apoſtolo ſacrum, tum propriis, tum Oppidanorum ſumptibus, ut Conjugi ſuæ Ludovicæ Henriquez juxta Gonzagam, vel Ludovicæ de Roſas juxta Monumenta MSS. Provinciæ S. Joſeph, S. Pauli devotiſſimæ gratum faceret, receptis Fratribus, qui habitabant in parvo Hoſpitali juxta Eccleſiam S. Marinæ ſub S. Crucis invocatione, in ædibus ſuis, donec opus perficeretur. Quodam die dum ipſi pranderent in Conclavi inſtar Cœnaculi diſpoſito, vetus paries altus, & craſſus, cui major illorum pars adhærebat, per medium diviſus corruit ad eorum pedes, leniter tangens capita ſubjacentium, & ſe flectens in modum arcus. Aberat menſæ Miniſtrator, quem Guardianus forte miſerat ad coquinam, exitiumque vitavit, quod oppetiviſſet, ſi illic ſervitium præſtitiſſet. Strepitu exciti Oppidani ad ædem convolarunt, ubi inter disjecta ſaxa, & ruinas neminem læsum invenerunt.

Idem in Prov. S. Joseph con 15.
Monumenta Provinciæ.

XXX. Sexdecim milliaribus a Civitate Lamacenſi prope Oppidum Regium, ſeu Villæ Regalis, Diœceſis Braccarenſis in tractu Ultramontano, curante Marco Ulyſſiponenſi Provinciæ S. Antonii Miniſtro, conſtruitur Conventus S. Franciſci in æde, quam inibi acceperat Antonius de S. Vincentio. Expenſas contulerunt pii Cives, & Marchio Villæ Regalis. Continet tresdecim Fratres. Juspatronatus pertinuit ad Marchiones ejusdem Oppidi, poſtea devolutum ad Petrum II. Portugalliæ Regem.

Gonzaga in Prov. S. Antonii Portugalliæ con 9.
Monumenta Provinciæ.

XXXI. Duo in Provincia Baſilicatæ exſtruuntur Cœnobia, alterum Nativitatis B. Mariæ Virginis Caſtellutii, expenſis Communitatis Ma-ratheanæ: *Piis fidelium*. Kal. Maji, alterum S. Franciſci in Oppido S. Martini, quod ſuperiori anno terræmotu dirutum, non in eodem loco,

Gonzaga in Prov. Baſilicatæ con. 13. & 8.

ut Gonzaga videtur ſupponere, iterum excitatum eſt, ſed extra mænia, Rogerii Guardiani opera, qui non leves moleſtias propterea tulit, publico edicto excommunicatus una cum Fratribus a Joanne Paulo Amanio Epiſcopo Anglonenſi, eo quod fabricam incœpiſſet, non impetrata prius ab ipſo facultate. Cenſuram ſuſtulit hoc anno Pontifex, novamque fundationem approbavit: *Sacræ Religionis*. Kal. Maji. Memorat Pirrus datum hoc tempore Minoribus Obſervantibus Conventum S. Hippolyti in Oppido Maxarini Diœceſis Siracuſanæ, de quo nullam aliam notitiam invenio.

Monumenta Provinciæ.

Sicilia Sacra tom. 1. pag 689.

XXXII. Hoc anno Provinciæ Granatenſi accrevit Cœnobium S. Franciſci in Oppido Martos, juriſdictionis Militiæ Calatravenſis, fundatum a Civibus ſub Regiis auſpiciis. Præfatæ Provinciæ S. Joſeph Cœnobium alterum prope Oppidum Martinmunnoz Diœceſis Abulenſis erectum in Eremitorio Corporis Chriſti ſub eadem invocatione auctoritate Epiſcopi, & Civibus eleemoſynas large congerentibus, quamvis non admodum divitiis abundarent.

Gonzaga in Prov. Granatenſi con. 625.
Idem in Prov. S. Joſeph con. 16.

XXXIII. Ex teſtamento Didaci Gusmani Marchionis Ardalenſis, & Comitis Tebenſis Ludovicus ejus filius fundaverat Tebæ anno 1551. pro Fratribus Ordinis Prædicatorum Conventum S. Petri Martyris; quem, his poſt decennium excedentibus, hoc anno attribuit Obſervantibus, & licet invitis Patribus Provinciæ Bethicæ, Garcia de Ribera Miniſter in aliorum ejuſdem Provinciæ album retulit ſub titulo S. Franciſci.

Idem in Provinc. Bethicæ con. 30.

XXXIV. Fratribus Provinciæ S. Gabrielis facultas a Pontifice eſt facta recipiendi Cœnobium S. Antonii de Velada Diœceſis Abulenſis ſitum in Regno, & Provincia Caſtellæ, & ædificatum a Gozemulo, ſeu Gomez de Avila Marchione Veladanorum; abnuebant enim novam ædem incolere, eo quod proxima forent Cœnobia Talabricæ, & Oropesæ Provinciæ Caſtellæ, magnaque ipſum inter, & loca cætera Provinciæ S. Gabrielis intereſſet diſtantia. Apud Gonzagam legitur nomen Pii V., ſed Apoſtolicæ literæ aliud ſonant: *Sacræ Religionis*. Die 23. Junii. Venerabilis Frater Petrus de Valentia ſancto fine locum illuſtravit. Cœnobium S. Franciſci Camerinenſe reſtauratur ex pecunia, quam pro aliis uſibus reliquit Petra de Fratta Sciolta pia mulier, data ad id a Pontifice facultate Epiſcopo Camerinenſi: *Quum ſicut accepimus*. Die 18. Aprilis. Ad inſtantiam Miniſtri Provincialis Marchiæ auſertur Fratribus Cœnobii S. Franciſei Corinaldi poſſeſſio bonorum ſtabilium, eaque adjudicatur Syndicis Montis Pietatis cum obligatione de neceſſariis Fratres ipſos providendi: *Copioſus in miſericordia*.... Julii.

Idem in Prov. S. Gabrielis con. 23.

XXXV. Blaſcus de Natoli Sperlincæ Princeps ære proprio fundamenta poſuit Cœnobii juxta Oppidum Raccudiæ Diœceſis Meſſanenſis in prædio, quod poſſidebat, & prope Sacellum marmoreum B. M. Virginis ſub titulo Annuntiationis. Fundationis cauſa extitit ſacra Deiparæ Imago, quæ inibi pluribus diebus ſudore madida palam apparuit. Hinc paucis tranſactis menſibus, horrida fames Siciliam invaſit, & peſtiferum contagium, quæ mala, ſupplicationibus ad hunc locum inſtitutis, ceſſarunt. Dum Eccleſia conſtrueretur, ajunt, Clementem a Pactis Guardianum miraculoſe abſque boum opere detuliſſe illuc enormia ſaxa ſex, vel octo. Deceſſerunt ibi cum ſanctitatis opinione Rufinus de Raccudia Theologus, Clemens de Raccudia vir doctiſſimus, & Provinciæ Siculæ Viſitator Apoſtolicus. Jacet etiam Franciſca Accordino Tertii Ordinis S. Franciſci maxime pœnitens, de quibus ad ſuos annos.

Monumenta Provinciæ MSS. Joſephi Antonii de Meſſanà.

XXXVI.

XXXVI. In Oppido de Almanguel, & Provincia S. Franciſci de Quito Minoriticum Conventum ædificarunt pii Cives, eumque Patres cæteris aliis adſcripſerunt in Provinciali Congregatione, quæ hoc anno ſubſequuta eſt. Fratres inibi degentes curam exercent duarum Domorum doctrinalium. Bonifacius Cajetanus, (quem minus vere Gonzaga appellat Cardinalem; nemo enim ex Cajetanorum gente per hoc rempus erat purpura inſignitus præter Nicolaum) Domincellus Sermonetæ Cœnobium S. Antonii Abbatis excitavir pro Fratribus Obſervantibus prope mænia Oppidi Ciſternæ Diœceſis Hoſtienſis, quod ex conceſſione Gregorii XIII. hoc anno Fratres receperunt. *Exponi Nobis*. Die 5. Maji. Ex his literis patet, erraſſe Ciacconium, dum ſcribit, Nicolaum Cajetanum Cardinalem a fundamentis exſtruxiſſe Monaſterium Minorum Obſervautium S. Antonii Abbatis prope Ciſternam in Latio.

Gonzaga in Prov. S. Franciſci de Quito con. 12.
Idem in Prov. Romana con. 32.
Ciacconius ad an. 1534. tom. 3. pag. 643.

XXXVII. Fundatur iu Provincia Neapolis Minorum Conventualium Cœnobium S. Severi Neapolis opera Magiſtri Lucæ della Torella, Archiepiſcopo conſentiente. In Provincia S. Nicolai augetur Cœnobium Spinatiolæ Diœceſis Venuſinæ ſub titulo SS. Annuntiationis extra Oppidum, nonnullis a Balthaſſare Juſtiniano Epiſcopo conditionibus præſcriptis, ac præſertim ut inibi degerent duo, vel tres Fratres ſeniores vitæ probatæ, & ſanctæ, quorum alter Theologi, & Concionatoris munere fungeretur, Sacramenta miniſtraret, & quadrageſimales conciones, aliaſque per annum haberet in Eccleſia. In monumentis Provinciæ ſignatur non auctio ædificii, ſed fundatio hoc anno facta. Verum repugnat Rodulphus, cnjus teſtimonium ſuperius adduximus. In Provincia Siciliæ conſtruirur Cœnobium S. Franciſci Gruttarum, ſeu de Grotis, Diœceſis Agrigentinæ, auctum pietare Deſiderii de S. Philippo Oppidi Domini, & Equitis Hieroſolymitani; fabricæ ramen ſumptuoſe incœptæ ad perfectionem adductæ non ſunt. In eadem Provincia Cœnobium de Palizzi Diœceſis Cephalæditanæ; niſi fortaſſe hoc anno fuerit reſtauratum; in quibuſdam enim MSS. fundatio rejicitur ad annum 1340. In Provincia Marchiæ Cœnobium SS. Conceprionis in Oppido Barbaræ Diœceſis Senogallienſis conceſſum Fratribus a D. Abbate Ceſis Oppidi Domino.

Monumenta MSS. lib. 2. pag. 155.
Ibid. pag. 142.
Cagliola Man. 8. pag. 129.
Monumenta cit. pag. 844.
Ibid. pag. 200.

XXXVIII. Reſtauratum eſt Cœnobium S. Joannis Baptiſtæ Seravallis Diœceſis Cenedæ, in Provincia S. Antonii fundatum anno 1483. In Clauſtro legitur Epigraphe: *Cœnobium hoc ex redditibus D. Chriſtophori Galletti, ejuſque Uxoris D. Floriſiæ, illius Fabricæ RR. PP. Fr. Antonio Bergamo, & Fr. Franciſco de Fonte Seravallen. Rectoribus, olim conſtructum eſt. Poſtea cauſa R. P. Bonaventuræ Maventi a Gabbiano Brixiæ Sac. Theol. Profeſſoris reparatum eſt, & in hanc formam redactum An. Domini MDLXXIII.*

Ibid. pag. 241.

XXXIX. In Provincia Germaniæ Inferioris pars fundi, qui ſpectabat ad eoſdem Minores Conventuales Oſnabrugi, & direptus olim a Geuſiis Magiſtratui Civitatis fuerat adjudicatus, tradita eſt Laurentio Scrabæo injuſte poſſidenda. Literis Pontificiis: *Ex commiſſo Nobis*. Idibus Januarii, reſtauratur Cœnobium S. Crucis Florentiæ; aliiſque: *Piis fidelium*. Nonis Decembris, præſcribitur conſtructio Cœnobii Fratrum Conventualium Reformatorum S. Luciæ de Monte Neapolis.

XL. Pro Capuccinis conſtruitur hoc anno in Provincia Baſilicatæ Conventus Salæ Diœceſis Capitis Aquei, in Provincia Barulitana Conventus Baruli, & Sutignani non longe ab Oppidi mænibus, in Provin-

cia S. Angeli Conventus Venafri, in Provincia Brixiæ Conventus Soncini Diœceſis Cremonenſis, ac prætcrea Conventus Volaterræ in Etruria, Peruſiæ, Monticuli ſub titulo S. Savini Diœceſis Camerinenſis, Meltii Diœceſis Mediolanenſis, Cevæ Diœceſis Albenſis, & Motycæ Diœceſis Syracuſanæ ad 300. paſſus ab Oppido. Inde tamen ob fluminis vapores ægrotantes ſæpe, alio commigrarunt, ut refert Pirrus. Quum autem in Sicilia Conventuum numerus mirum in modum excreviſſet, nec ab uno Provinciali viſitari commode poſſent; hinc tota Provincia diviſa eſt in Meſſanenſem, Panormitanam, & Syracuſanam.

Sicilia Sacra in notitiis Eccleſ. Syracuſanæ pagin. 585.

XLI. Reformatum invenio Cœnobium S. Viti Terræ Cluſarum, conſecratam Eccleſiam S. Crucis in Civitate Piſana, & erectum in Cœnobio S. Franciſci Vimarani, ſeu Guimaraes, Diœceſis Braccarenſis in Provincia Interamuenſi inter Durium, & Minium, pium Sodalitium in honorem B. Gualteri, qui ſocius B. Zachariæ, aliorumque Fratrum ſub exordiis Seraphici Ordinis profectus eſt in Luſitaniam ad annuntiandum Dei Verbum, ibique ſanctiſſime quievit, miraculorum gloria decoratus. Obitus annum ſignat Waddingus 1258.; Antonius vero a Purificatione 1236. Diem adnotat Antonius Brandaon trigeſimam Junii ex Necrologio S. Crucis Conimbriæ his verbis: *II. Kal. Julii obiit F. Gualterus ex Ordine Diſcalceatorum*. Sed hæc de Gualtero noſtro non ſunt accipienda, qui non Conimbriæ ad S. Crucem, verum Vimarani deceſſit die 2. Auguſti, quam Vimaranenſes natalitiam ei conſecrarunt.

Annales Min. an. 1258. num. 8. Antonius a Purificatione pag. 30. Brandaon in Monarchia Luſit. lib. 23. cap. 13.

XLII. Franciſcus de Souſa Oppidi de Vinho in Provincia Portugalliæ accola ædificavit ſuis ſumptibus Monaſterium Matris Dei ejuſdem loci, in quo trigintaquinque circiter Urbaniſtæ Sorores morantur. Gutierrus a Zetina Canonicus Eccleſiæ S. Juſti Complutenſis facultates ſuas erogavit ad fundandum Monaſterium SS. Conceptionis, ſeu S. Urſulæ intra mænia Civitatis Compluti in Provincia Caſtellæ pro vigintiquatuor Monialibus Ordinis Conceptionis.

Archiv. S. Iſidor. arm. 5. num. 61. pag. 58.

Gonzaga in Prov. Caſtellæ Mon. 35.

XLIII. Apud Tranſtaganos in Oppido Salatii, ſeu de Alcacere, Diœceſis Eborenſis Rodericus Saleme, & Catharina de Soto Major Conjuges fundarunt Monaſterium S. Claræ Urbaniſtarum, dictum de Aracæli, auſpiciis, & beneficentia Sebaſtiani Regis, qui obtulit veteres ædes ſpectantes ad Magiſtrum Ordinis militaris S. Jacobi, & Sacellum S. Jacobo ſacrum, cujus Imaginem Moniales in Eccleſia aſſervare deberent. Ædem initio incoluerunt trigintatres Sorores, quibus, annuente Pontifice, aliæ ſubinde acceſſerunt. Donatur Sodalitio Animarum Purgatorii. In dormitorio colitur effigies Immaculatæ Deiparæ, quæ Monialem ſeptennio energumenam liberavit, & in Eccleſia caput unius ex ſociis S. Urſulæ. Narrant, in horto arborem mali ab Abbatiſſa fuiſſe plantatam, a qua quum fructus latrunculi abſtuliſſent, Abbatiſſa dixit: *Jubeo per obedientiam, ne fructus ulterius producas*. Et ſtatim arbor arefacta eſt. Rurſus alia Abbatiſſa præcepit, ut fructus ferret, & ſtatim eos tulit. Hinc *malus obedientiæ* vocata eſt multos annos. Locum acceptavit Emmanuel Cochilha Miniſter Provinciæ Algarbiorum.

Idem in Prov. Algarbiorum Mon. 7.

Monumenta Provinciæ.

XLIV. Retulimus ex Gonzaga, duo Monaſteria Hinojoſæ Tertiariarum in unum Conceptioni ſacrum antea coaluiſſe opera Franciſci de Zuniga Ducis Vexerani, & Comitis Bellalcazarenſium, cui ſupremæ tabulæ Ludovici de Zuniga confectæ, antequam is Franciſcanam Regulam profiteretur, commiſſæ erant. Eadem invenimus apud Andream de Guadalupe in Hiſtoria Provinciæ Angelorum, ex quo deduximus, Gonzagæ

epo-

epocham accuratam eſſe. At utrumque minus vere loqui oſtendunt literæ Pontificis hoc anno datæ: *Catholicorum Ducum*. Die 15. Septembris, quibus Joanni de Hieruſalem Provinciæ Angelorum Miniſtro facultas tribuitur uniendi prædicta Monaſteria Hinojosæ ex bonis Teſtatoris, quæ impendenda erant ad fundandum Monaſterium Clariſſarum in Oppido Bellalcazarii ſub invocatione Conceptionis, & cura Fratrum Minorum.

Andreas de Guadalupe lib 11. cap. 8. & 9. pag. 577.

XLV. Catharina Evangeliſta Abbatiſſa Monaſterii Conceptionis Oppidi Daniel in Provincia Caſtellæ ex domeſticorum, & conſanguineorum facultatibus redegit in amplam, & pulchram Eccleſiam ſuperiori, & inferiori Odæo inſtructam, privatum Oratorium, ubi Divina perſolvebant Sorores Tertii Ordinis. Ædem ipſis conſtruxerat circa annum 1480. Alphonſus Calvillius Militiæ Calatravenſis Eques, & Oppidi Commendatarius, ſub Roderico Lopetio ejuſdem Militiæ Magiſtro, junctam medio ponte cum Eccleſia proxima SS. Conceptionis. Poſt aliquot annos quidam Eques Militiæ Calatravenſis, & Præſes Oppidi Almagri pontem dejecit, quem nullo jure conſtructum putavit; Moniales enim facultatem, qua conſtructum eſſet, proferre non potuerunt. Nova Eccleſia ſub eodem titulo paucis menſibus ad faſtigium pervenit.

Gonzaga in Prov. Caſtellæ Mon. 18.

XLVI. Monaſterium S. Claræ Portus in Luſitania Reformationis leges ſubiit, ſub Reformatricibus ex Monaſterio S. Claræ Villæ Comitis Maria a Præsepe Abbatiſſa, Maria a Conceptione Vicaria, Maria ab Incarnatione, & Isabella de Matre Dei, utriſque ipſius Abbatiſſæ Conſanguineis. Ad alterum S. Claræ Oſcæ ſub Epiſcopo Petro Auguſtino, Provinciæ Aragoniæ Moderator Franciſcus Nabatro, ſeu Nabaſtro, ex Monaſterio Calagurriæ adduxit quatuor Reformatrices Oſcam ingreſſas die 21. Octobris, & ab Eccleſia majori procedentes ſolemni ſupplicatione in Monaſterium immiſſas. Clauſuram profeſſæ ſunt, velumque ſuſceperunt Sorores Tertii Ordinis Illeſcis in Provincia Caſtellæ, quibus cunctationem amoverat Pius V., veritis, ne novam obligationem inde contraherent. In Monaſterio Conceptionis B. Mariæ Virginis de Logroño Ordinis S. Claræ in Diœcesi Calagurritana ampliatur numerus triginta Monialium, quæ inibi commorari debebant ex decreto Pauli III., uſque ad quadraginta: *Debitum Paſtoralis*. IV. Kal. Aprilis.

Monumenta Provinciæ Aragoniæ.

Gonzaga in Prov. Caſtellæ Mon. 15.

XLVII. Ex Monaſterio S. Hieronymi Civitatis Averſæ, Pontificia conceſſione, Balduinus Epiſcopus educit Sorores Chriſtianam de Amoroſa, & Angelam Martujam, easque Reformatrices immittit in Monaſterium recens exſtructum in eadem Civitate ſub invocatione S. Spiritus Ordinis S. Claræ: *Quum ſicut accepimus*. Die 30. Maji. Bonaventura de Clavaro Commiſſarius Generalis Ordinis, eadem Pontificia conceſſione, reducit ad propria Monaſteria Seraphinam Baronam Monialem S. Euchariſtiæ Aquilæ Abbatiſſam in Monaſterio S. Claræ, Agatam Boniſaciam Monialem S. Hieronymi Aversæ Abbatiſſam in Monaſterio S. Mariæ Ægyptiacæ, aliamque Monialem S. Luciæ Aquilæ Abbatiſſam in Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Neapolis, cæteraſque Moniales, quas ſecum illæ adduxerunt: *Exponi Nobis*. Die 3. Junii. Confirmatur vero electio Antoniæ Sylveſtræ in Abbatiſſam, & Isabellæ de Franco in Vicariam ejuſdem Monaſterii S. Claræ: *Quum Nos nuper*. Die 3. Junii; eiſque Pontifex largitur, ut in Sacello S. Claræ, ubi quieſcit corpus B. Philippi Alaquerii Ordinis Minorum, a Purgatorii pœnis Miſſarum ſuffragiis animæ liberentur: *Ex injuncto Nobis*. III. Idus Januarii.

XLVIII. Conceditur Ludovicæ de la Cerda, de qua ſuperius loquuti ſu-

ti ſumus, facultas ingrediendi Monaſteria Monialium a ſe fundata: *Exponi Nobis*. Die 23. Junii. Eadem facultas Blanchæ Lomellinæ Uxori Petri Lopez quoad Monaſterium Conceptionis B. M. Virginis Valliſoleti: *Meritis tuæ devotionis*. Die 16. Junii. Lucretiæ Uxori Evangeliſtæ Canobii incolæ Oppidi Methymiæ de Campo, quoad Monaſterium B. Mariæ de Pietate Ordinis S. Franciſci Valliſoleti: *Exponi Nobis*. Die 4. Martii. Iſabellæ de Caſtilla Nobili Toletanæ quoad Monaſterium S. Iſabellæ Ordinis S. Franciſci Toleti a ſuis Majoribus fundatum, & dotatum: *Meritis tuæ devotionis*. Die 14. Martii.

XLIX. Joanni Pico Magiſtro Generali Minorum Conventualium dantur literæ a Pontifice pro convocatione Capituli Generalis anno proximo habendi in Civitate Senarum: *Cupientes*. Die 27. Maji. Minores Obſervantes Familiæ Ciſmontanæ obtinuerunt jus eligendi Miniſtros ex propriis Provinciis. Adeo id certum eſt, ut in Comitio Aſſiſii electus fuerit Felix de Peruſio in Miniſtrum Provinciæ S. Franciſci; in Comitio Florentino Franciſcus de Piſis in Miniſtrum Provinciæ Tuſciæ; in Comitio Maceratenſi Ludovicus de Petra Acuta in Miniſtrum Provinciæ Marchiæ loco Sanctis ab Orta officio ſuſpenſi, Romamque vocati a Cardinale Cribellio. Quid acciderit neſcio; eum tamen, licet conſuetis invidorum fraudibus, & otioſorum, ignorantiumque hominum falſis criminationibus traductus fuerit, invenio anno 1581. renuntiatum Miniſtrum Provinciæ Romanæ in Comitio Corneti, cui præfuit Franciſcus Gonzaga Miniſter Generalis. In Comitio Viterbienſi, Præſide Bonaventura de Clavaro Commiſſario Generali, electus eſt hoc anno Vincentius de Roma Miniſter ejuſdem Provinciæ Romanæ. Scribit Caſimirus Romanus, ad annum uſque 1571. morem viguiſſe, ut in Provinciis Fratres exteri Miniſtri forent; quum ex adverſo nonniſi eodem anno mos iſte relate ad Provincias omnes incœperit brevi ſublatus.

L. Reformantur in Provinciis Auſtriæ, & Hungariæ Fratres Obſervantes, qui venia a Superioribus minime petita, vel obtenta, errabant per

Caſimirus Romanus de Eccl. & Cœnob. Prov. Cap. 19. pag. 477.

oppida, & domos Sæcularium, in ipſiſque Epiſcoporum ædibus recipiebantur ad ſæcularia Beneficia Eccleſiaſtica miniſtranda deputati cum Fidelium ſcandalo. Eorumdem reductio committitur Archiepiſcopo Strigonienſi: *Accepimus nuper*. Die 25. Auguſti. Archiepiſcopo Pragenſi committitur, ut aſſumat ad Magiſterii gradum Georgium Benignum de Doyonis Ordinis Minorum Conventualium probitate, & doctrina præſtantem: *Accepimus*. Die 18. Aprilis. Vincentio Hiſpano, & Antonio Piſano Ordinis Capuccinorum ad navale bellum adverſus Barbaros inſtauratum proficiſcentibus confertur ſpiritualis poteſtas in milites Claſſis Chriſtianorum. *Ut animarum*. Die prima Septembris.

LI. Corruerunt Hæreticorum armis in Provincia Coloniæ Cœnobia Zeghenenſe in Comitatu Haſſiæ, Corbejenſe, atque Embricenſe Mon-

Gonzaga in Prov. Coloniæ con. 17. 10. & 11.

tis Calvariæ a Comite de Monte ante decem annos fundatum non longe ab Embrica Juliacenſium. Geuſii Milites Batavi, ejectis Fratribus, bona cerviſia illic inventa ad ebrietatem uſque fruebantur; quod advertens Euſebius Neomagienſis Laicus clam Cœnobium ingreſſus non

Monumenta Provinciæ.

mediocrem ſacræ ſupellectilis copiam ſecum aſportavit, Jeſuitis poſtmodum attributam. Quum vero ſæpius rediret, incidit tandem in militum manus, qui exutum tunica, ſpiniſque toto corpore dilaceratum abire permiſerunt, mortem comminati, ſi denuo illuc reverteretur.

LII. Tranſactis diebus nonnullis, advenæ quidam ſub noctis crepuſcu-

puſculum ab ingreſſu Embricæ excluſi, quum inter diruti Cœnobii rudera pernoctarent, hora quaſi undecima audiverunt Campanæ ſonitum, & cantum, veluti ſi Matutinæ a Fratribus perſolverentur. Viderunt ſubinde circumeuntium ſupplicationem, quam claudebat Presbyter toga Eccleſiaſtica nigri coloris amictus, revinctuſque collum ferrea catena. Mane poſtero viſionem ipſis narrantibus renuntiatum fuit, Parochum vicini pagi a Geuſiis diris contumeliis affectum, eumque una cum catena tumulatum in Cœmeterio Fratrum, quum illam pii Catholici ſolvere non potuiſſent, ramum propterea amputantes. Hæc ſe audiviſſe ex ore Fratrum, qui Embricæ morabantur, teſtatus eſt Franciſcus Renſinck ſupra laudatus, qui valde ſenex cum opinione Sanctitatis deceſſit Bonnæ anno 1630. apud ſuos Obſervantes ſepultus in Sacello S. Gertrudis.

LIII. Non iidem in Gallia tumultus vigebant, ac antea, Henrico Duce Andegavenſi jam Poloniæ Regnum adepto, & libertate Religionis facta Hugonottis Rupellæ, aliiſque in locis, ſed impendebant, ſciſſis civium animis non opinione tantum, verum etiam nominibus; erant enim *Malecontenti*, erant *Fideles Hugonotti*, erant *Novi Catholici*, illi nempe, qui cædis S. Bartholomæi memores tales ſe eſſe ſimulabant. Augebant Barbari terrores Chriſtifidelium. In actis Conſiſtorialibus die 12. Auguſti hæc lego: ,, SS. D. Noſter dixit inſtare feſtum Aſſumptionis B. M. ſemper Virginis Dei Genitricis, & quod in eo erit Capella in Ec- (Acta Conſiſt. an. 1573.) ,, cleſia S. Mariæ de Aracæli, & quod convenit pro die illa se præ- ,, parare ad Divinorum Sacramentorum celebrationem, vel ſuſceptio- ,, nem, & ideo hortatus eſt Cardinales, ut etiam eorum familias mo- ,, neant ad confitendum peccata ſua, & ad humiliter rogandum Deum, ,, ut dignetur avertere iram ſuam a nobis, & reſpicere in nos, & in ,, Eccleſiam ſuam, & populum Chriſtianum; quandoquidem tantis pre- ,, mimur, tantiſque urgemur calamitatibus undique, ut niſi ſuffulti ,, Divino præſidio ſublevemur, de re Chriſtiana male actum eſſe videa- ,, tur; præſertim quum potentiſſima Turcarum claſſis nobis immineat, ,, atque ruinam, & exitium minetur. Quare rogandus eſt Deus eni- ,, xe, ut Nobis, & Chriſtianæ Reipublicæ, & Eccleſiæ ſuæ neceſſita- ,, tibus miſericorditer provideat, & Nos faciemus in Eccleſiis haberi ,, inſtantes orationes, & in Miſſarum Sacrificiis Collectas prærecitari ,, contra Turcas, & Infideles, atque pro his, & aliis neceſſitatibus ,,. Hæc acta ſunt feria quarta; die vero Sabbati in prædicta Eccleſia S. Mariæ de Aracæli, aſſiſtentibus XXV. Cardinalibus coram Pontifice, Felix Perettus Cardinalis de Monte Alto Miſſam celebravit, elargita fidelibus Indulgentia XXV. annorum, & ſic totidem.

LIV. Nominat hoc anno Rodulphus Fratrem Diegum, seu Didacum (Rodulphus lib. 2. pag. 196.) de Herrera, de quo inquit: *Vir tam doctus, quam pius ab origine Sanguinis lineam ducens inter primos fuit, qui habuit notitiam peregrinarum Inſularum (Sinarum) ubi exploravit illorum animos, novit, quam dociles ſint, ut in eis dogmata Chriſti imprimantur; novit quoque, quam facile cuique ſit, Deo adjuvante, in viam veritatis deducere*. Gonzaga in Deſcriptione Provinciæ S. Gregorii in Nova Hiſpania nullam Didaci mentionem facit, ſed auctorem navigationis Fratrum Minorum in Inſulas Salomonis, Philippinas, & Sinarum Regnum aſſerit Antonium de S. Gregorio non hoc, verum anno 1577., ut narrabimus.

LV. In Cœnobio S. Mariæ de Jeſu in horto Valentiæ Petrus Ni- (Ex Proceſſu Valentino num. 41. pag. 189.) colaus Factor in Vigilia Nativitatis Dominicæ Sermonem habuit dictum

de la

de la Calenda, ut ipſi imposuerat unus ex Cœnobii Superioribus. Dum verba faceret, ecſtaſi correptus eſt in Chori ſubſellio, quod occupabat, pluſquam dimidiæ horæ ſpatio, multaque in eo ſtatu dixit interrupte, ſine ſtylo, & humili voce de Religione Chriſtiana, ejus propagatione, de Regis Catholici, & Inquiſitionis S. Officii conſervatione. Fundebat etiam lacrymas, quum de Hiſpania loqueretur, rebuſque aliis diverſis. Reverſus ab ecſtaſi ſtatim ſe contulit ad cubiculum. Ita retulit Ludovicus Balleſter Sacerdos facto præſens, quod ſuadet, hanc ejus ecſtaſim non eſſe confundendam cum alia ſuperius relata, quæque huic ſimilis videtur.

LVI. Converſatus feria ſecunda Paſchalis Reſurrectionis cum S. Ludovico Beltrando, cæteriſque amicis, quos Didaco Perez Doctore comitatus inviſerat in Cubiculo ipſius Ludovici, poſt multa de rebus Divinis, colloquia, quum, inclinata jam die, diſcedendum ei foret a Cœnobio S. Onuphrii, dixerunt ii, qui aderant, percommodum fore, ſi curru uteretur. Ille autem: *Ego*, inquit, *in curru? Quoniam igitur de curru loquuti eſtis, volo omnibus vobis pedes oſculari*. Quod illi audientes, partim ſedilia, & lectum aſcenderunt, partim exierunt a cubiculo, quos inter Ludovicus exceſſit. Nec mora Petrus Nicolaus poſt ipſum celeriter cucurrit fugientem apprehendere conatus, emenſoque dormitorio, tenuit tandem in ſummitate ſcalæ, altera manu tunicam ejus ſtringens, alteram autem ad pedes extendens, ut eos ſiſtere, & oſculari poſſet. Quo in opere ſurſum uno brachio elevato, altero deorſum protenſo, Ludovici membris adhærens remanſit ecſtaticus, ad inſuetum ſpectaculum cunctis obſtupeſcentibus, qui a cubiculo Ludovici, & Fratrum cellulis illuc ad ſtrepitum feſtinaverant. Tunc Ludovicus leniter mentum ejus tetigit utraque manu; atque ille reverſus a raptu: *Pater*, ait, *ego, & Tu nihil perficimus*, verſuſque ad Didacum Perez dixit: *Huic Deus donum Apoſtolicum communicavit. Tu vero læto ſis animo, nam ſedes tua poſita eſt inter Angelos*.

Ex Proceſſu Valentino num. 46. pag. 179.

LVII. Iverat alio die Sanctus una cum Fratribus Jacobo Tos ejus socio, Petro Canalis, qui poſtea Capuccinis adſcriptus eſt, aſſumpto nomine Narciſi a Denia, & Ludovico Beltrando ad domum Sororis Margaritæ Augulonæ, quæ Valentiæ degebat prope Monaſterium Coronæ Fratrum Recollectorum S. Franciſci, ut præſens eſſet devoto cuidam exercitio, quod illa facere ſolebat in memoriam Paſſionis Dominicæ. Sedebant omnes in pavimento, nullum enim ſcamnum illic aderat, & Dei Servam intuebantur, quæ manibus ad modum Crucis expanſis, unoque genu humi poſito, altero erecto, & extra ſenſus rapta magnam Crucem reſpiciebat, quæ appenſa erat in pariete. Statim autem Petrus Nicolaus, & alii duo Minoritæ ſe elevarunt, illiusque ecſtaſis duabus, vel tribus horis continuavit, quum interim Ludovicus caput moveret nihil dicens in admirationis, & lætitiæ ſignum, quibus afficiebatur. Alias ſimiliter dixit Sanctus Sorori Augulonæ: *Canamus, Canamus*. Et dicentes: *ſic ſic*, remanſerunt abſtracti, ille quidem adhærens lateri Servæ Dei, oculis ad cælum verſis, hæc vero fixis oculis eum intuens; & ambo ſine palpebrarum, aut membrorum motu, donec, præterlapſo dimidio ferme horæ quadrante, Soror Augulona immiſit brachia ſub ſede chordis contexta, in qua alter recumbebat, ſurſumque illam egit, ſic ut Petrus Nicolaus humi cecidiſſet, niſi Fratres Joannes Araus lapſum prohibuiſſet, nec tamen propterea ad ſenſus rediere

Ibidem num. 41. pag. 181.

Digitized by Google

diere ecſtatici, eodem Joanne, & pluribus aliis facto præsentibus.

LVIII. His temporibus vitam explevit Lovanii Franciscus Meerbecanus, qui anno 1571. veritus, ne Fratribus Conventus Dordracenſis, ubi Guardianum egerat antea, negotium faceſſerent Hæretici, quorum conatus eo spectabant, ut vel promiſſis, vel ſuppliciis ad fidem deſerendam Catholicos pertraherent, eo ſe contulerat, ibique pericula nihili faciens, & in medium libere proſiliens in Anabaptiſtas, quibus Civitas redundabat, plures habuerat conciones. His fidei oſores commoti, quum audirent, palam ſe Watterramens, ſeu aquæ venditores appellari; eorum ſiquidem proſelyti aqua a Miniſtris non adspergebantur ad contemptum veri basptismatis, niſi nummos ſolviſſent, apprehenſum, contumeliis affectum, cæsumque verberibus horrendo carcere incluserunt, ubi inter squallorem, ærumnasque perſtitit viginti tres menses, argento tandem redemptus ab hoſtium manibus piorum Catholicorum opera. Lovanium regreſſus macie conſumptus, & tabefactus poſt ſeptem dies obiit ætate annorum quadraginta die 18. Aprilis tumulatus in Eccleſia Cœnobii. Marzana ad diem 18. Aprilis.

LIX. Lego apud Hueberum: *Roſſi in Languedocia circa annum 1573. Julianus Giuliacco pro Romana Eccleſia confeſſione inſigne Martyrium ſuſtinuit; quum enim poſt occultas inſidias ab Hugonottis deprehensus fuiſſet, ſtricto ferro ita vehementer confoſſus expalluit, ut cuspis ex altera corporis parte prolixe prodierit.* Addit alio in loco: *Colleti in Gallia circa eumdem annum Emericus Vitetus pro tuenda Catholica fidei confeſſione vitam objecit, & tormenti globo confectus, breve Martyrium glorioſa cade conſummavit.* Primum Waddingus in Catalogo Martyrum Ordinis appellat Julianum Gileer, ſeu Gubier, Baretius Julianum Giubicum, Picquetus non Julianum, ſed Guilielmum. Pariter Martyrii locum Waddingus ibidem ſtatuit Cœnobium de Cloſis, Gonzaga Cœnobium Roſarum, quod alibi Closense vocat; Daza, & Hilarion a Coſta Cœnobium de Oſis. Ita fit, ut ob nominum varietatem scepticismo fere implicemur. De Emerico Viteto loquitur etiam Baretius, ſed palam eſt, hunc temporum epochas pro lubitu ponere. Hueberus ad diem 21 Augusti, & 20. Octobris.

LX. Petrus Morselinus Gallus Minorita hoc anno vulgavit Pariſiis in Typographia Jacobi Kerver Martyrologium Romanum a se recognitum. Florebat Alphonsus Gutierrez Miniſter Provinciæ S. Jacobi, qui præter alia opuscula inedita, quæ aſſervantur in Bibliotheca Fratrum Minorum Zamoræ, scripſit Tractatum doctum, & pium, quem Memoriale nuncupavit, ad Philippum II. Regem Catholicum pro defenſione Ordinum Mendicantium. Exſtat impreſſum in quarta parte Chronicorum Ord. Minorum Antonii Dazæ. In Provincia S. Antonii Portugalliæ Marcus Ulyſſiponenſis, qui hoc ipso anno Provinciam adminiſtrandam ſuscepit. In Provincia Conceptionis Franciscus Horantius, qui idem munus in ipsa exercere cœpit, quo expleto poſt tres annos, egit Confeſſarium Joannis ab Auſtria, & Vicarium Generalem in Flandria, donec Episcopalem Cathedram Ovetensem conscendit. In Provincia S. Gabrielis Antonius de S. Maria vir doctiſſimus ſimiliter Provinciam moderandam aggreſſus.

LXI. Floruiſſe ſcribit Rodulphus hoc anno Matthiam Feliſium Brovers, ſeu Breuuer, Danum Miniſtrum Provinciæ Germaniæ Inferioris, Rodulphus part. 2. pag. 329. eumque edidiſſe eruditam, & Catholicam elucidationem Inſtitutionis Chriſtianæ optima methodo per loca communia diſtributam. De Viro

hoc, quem Waddingus Zelandum facit a Browerſhaven in Inſula Scaldiæ, nobili gente Catziorum natum, plenius agemus ad annum 1576., quo obiit Lovanii.

LXII. Tumulatus eſt hoc anno die 14. Julii Lovanii præ foribus Aulæ literariæ Balthaſar de Myriaca Belga pietate, & doctrina ſpectabilis, ob virtutem, & gratiam, qua pollebat in opere Apoſtolico, dictus Prædicator Angelicus. Præfuit quatuordecim annos Confeſſarius Monialibus S. Claræ Lovanii, quibus habuit 85. Sermones ſuper Cantica Canticorum mira eruditione, & ſuavitatis ſpiritu refertos, quos ſacræ Virgines æque, ac Sæculares ſcripto avidiſſime exceperunt, in Religioſorum etiam menſis legi ſolitos. Expoſuit Miſſarum officia per Quadrageſimam. Exaravit inſuper 60. ſermones de Paſſione Dominica diviſos in ſeptem partes, quæ ſeptem horis Canonicis accommodari poſſunt. In Pſalmum 85. ſermones octo. In Pſalmum 45. ſermones duos. In Pſalmum 90. ſermones ſeptem. In Pſalmum 83. ſermones octo. In Pſalmum 102. ſermones decem. Commentarios in Miſſæ rubricas.

Carolus de Coudhenove Chron. Prov Germ. Infer. pag. 12.

LXIII. Vir alius præſtantiſſimus deceſſit Nivellæ XIII. Kal. Februarii Petrus Regis ſociatus Franciſco Regis patruo ſuo, acutiſſimo Theologo, & Divini Verbi Concionatori facundiſſimo, quo Carolus V. Imperator ſumme delectabatur propter fervorem ſpiritus, doctrinam, animique candorem, & ingenuitatem, quique ejuſdem Imperatoris eleemoſynis, & amitæ ipſius Margaritæ Auſtriacæ, aliorumque Principum, quibus erat a Confeſſionibus, magnificum Templum extruxit in Cœnobio Nivellenſi, ubi quievit anno 1544. die prima Maji, conditus ex adverſo majoris Aræ. Ingenio, moribus, & eloquentia huic Fratris filius parem ſe præbuit, auctoritate etiam, & gratia apud eumdem Imperatorem, ejuſque Sorores Leonoram Galliarum, & Mariam Hungariæ Reginas, quarum fuit Confeſſarius, eaſque in Hiſpaniam comitatus eſt. Maximo zelo concionabatur; ſingularis tamen ejus virtus enituit in inſectandis, & exagitandis Hæreticis, quibuſcum acerrimum bellum exercuit, ſic ut *Calvinianorum flagellum* diceretur. Audomari, Athi, & Nivellæ Sacram Theologiam multos annos docuit, & Guardiani munus obivit undecim annos. Bis Provinciam Flandriæ rexit Miniſter, electus prima vice Brugis anno 1549., altera Gandavi anno 1561. utrobique Miniſtro Generali ad Comitia aſſiſtente. Propugnavit Myſterium Immaculatæ Conceptionis, tantaque apud omnes valuit auctoritate, ut nefas videretur de ejus dictis dubitare, etiam poſtquam deceſſiſſet. Reliquit patrio idiomate conſcripta: Dialogos de reali Corporis Chriſti præſentia in Sacra Synaxi: Tractatum de Voluntate Dei. Conciones varias, ſeu aureas; quæ omnia recenſent Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, & Dupinus in Supplemento. Ejus tumulo hæc inciſa ſunt Carmina.

> Monte ſub hoc tegitur Frater, ſed nomine Petrus
> Regis, & hic noſtræ gloria prima domus.
> Ille fuit quondam Reginæ clarus alumnus
> Hungariæ, & noſtræ Religionis honos.

LXIV. Sacrarum literarum profeſſor, morumque innocentia, & eloquentiæ laude eximius, Henrico II. Galliarum Regi acceptiſſimus, cujus in aula ſacras habuit Conciones, obiit in Conventu S. Annæ juxta Jonivillam in Provincia Franciæ, die ultima Aprilis Nicolaus This a Tretis oriundus, ætatis ſuæ annum agens ſexageſimum quintum, multis

Monumenta Provinc. Franciæ.

tis expletis laboribus pro Catholicæ Religionis augumento, & defenſione.

LXV. Hos ſequuti ſunt ex Ordine Minorum Conventualium in Conventu Brixiæ Hieronymus Girellus, & in Conventu Bononiæ Franciſcus Vicedominus Ferrarienſis, alias Franciſcbinus. Fuit ille Auditor Hieronymi Gadii Bononienſis, & Præceptor Petri Rodulpbi de Toſſiniano inſignis Auctoris Hiſtoriarum Seraphicæ Religionis, & Episcopi Senogallienſis. Floruit Patavii Philoſophus, & Tbeologus magni nominis. Scripſit de primo cognito, de ſpeciebus intelligibilibus, & expoſitionem lucidam in diſputationes Averrois contra Algazelem. Quamvis Brixiæ vitæ finem impoſuerit die quinta Martii ætatis ſuæ anno 83. arthritidis, vel podagræ morbo, tamen Alumnus ejus Maximianus Beniamus Cremenſis Episcopus Clodienſis Patavii hoc monumentum ei poſuit in Templo S. Antouii. Rodulphus lib. 3. pag 150. & 318. a tergo.

Hieronymus Girellus Nobilis Brixienſis Ordine Franciſcanus, poſt naturalem Philoſophiam, & Metaphyſicam prius Bononiæ, ac Ticini explicatam Paduam vocatus, ad Sacraque elatus Theologiam XXV. annos publice eſt interpretatus At non contentus, eam in rivulis deguſtare, fontem vivum quærens, vitam hanc virtutis in eam gloriæ commutavit.

Apud Rodulpbum hos de ipſo verſus invenio.

Brixia quo gaudet, pauca bæc monumenta Girelli,
Lector habes, doctis cætera nota viris.

LXVI. Franciſcus Vicedominus egregia quadam indole, candidis, & virgineis moribus ornatus, ingenioque apto ad quaslibet ſerias diſciplinas capeſſendas, ab ineunte juventute in literis Latinis, Græcis, & Hæbreis excultus, & ad Magiſterium evectus rexit celeberrimum Collegium Bononienſe, & alia, ſumma cum dignitate, & laude. Eloquentia commendatus tota Italia sacras habuit conciones; veluti alter Demoſthenes, invita prorſus, ac reluctante natura; quum enim ei lingua, & vox perpetuo interrumperetur, atque hæreret loquenti, ut Waddingus de Scriptoribus Lit. F. primas dictionum ſyllabas in privatis colloquiis iterum, atque iterum anhelando repetere cogeretur; ſic tamen repugnantis naturæ malignitatem fortiſſimo laterum robore, & validiſſimo ſpirituum omnium conatu domuit, & expugnavit, ut miraculum ſit, quomodo vir lingua hæſitans, & in familiari congreſſu vix ſubmiſſa voce verba referens, potuerit in publicis declamationibus expeditiſſime, exactiſſime, & gratiſſime loqui, & quod mirabilius auditoribus videbatur, curſu ab exordio uſque ad finem concionando inoffenſa lingua decurrere, eodem ſemper actionis impetu. Eum Cornelius Muſſus Episcopus Bituntinus appellabat *Suggeſti delitias, & Cytharam noſtræ ætatis*; & magnopere laudavit Fridericus Cardinalis Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis in libro de ſacris ſuorum temporum Oratoribus.

LXVII. Deceſſit die 29. Octobris, cunctis, qui aderant, collacrymantibus, quum ſine voce labia movens, dulci quodam murmure exprimeret verba illa: *Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi*. Exſtant typis impreſſæ ingenii ejus productiones. Homiliæ decem de Spiritu Sancto Italice. Homiliæ multæ Latinæ de Adventu, de Quadrageſima, & de Catechiſmi Romani Expoſitione. Homiliæ pro reliquo totius anni tempore. Homiliæ in Pſalmos Davidis, ac præcipue in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales. Homiliæ in Iſaiam, in Evangelium Joannis, in Epiſtolam D. Pauli ad Coloſſenſes, in Epiſtolam primam Petri. Homiliæ de Pœ-

nis, & ſuffragiis animarum. De SS. Trinitate. De Imitatione Chriſti. Disputationes aliquot de rebus fidei, quas in Concilio Tridentino habuit cum Hæreticis. Oratio habita in eodem Concilio anno 1562. Dominica 24. poſt Pentecoſten de duplici myſterio, abominationis uno, desolationis altero.

Ejus Iconi Petrus Rodulphus appoſuit hæc carmina:

Visdomini ille ego ſama jam ſuper æthera notus,
  Aurea cui Dominus, ſanctaque verba dedit.

LXVIII. Idem Rodulphus Præceptori ſuo erexit Bononiæ in Templo S. Francisci lapidem cum epigraphe, quo tempore erat ibidem Commiſſarius Generalis, & Regens.

Francisco Vicedomino Ferr. Viro liberalium artium ſcientia, Theologia, ſacrarumque concionum facultate, quas aggreſſus a puero perpetuo conſtantiſſima, ſummaque cum omnium Italiæ Civitatum admiratione habuit, præſtantiſſimo. Qui Provincia Bonon. mirabiliter adminiſtrata, honeſtisque muneribus pro Religione perfunctus, pie, feliciterque obdormivit anno ætatis ſuæ LIX. Die XXIX. Octob. MDLXXIII.

LXIX. Magno Valentinorum Civium concursu tumulatus eſt circa hæc tempora in Cœnobio S. Francisci Valentiæ Antonius Nuñez Sacerdos in Theologia Myſtica exercitatiſſimus, operibus pœnitentiæ ita deditus, ut flagellis, ciliciis, jejuniis, atque vigiliis vetuſtos Anachoretas æmularetur, dono prophetiæ clarus, quo prædixit Melitæ a Turcis oppugnatæ liberationem, S. Jacobo Apoſtolo id ſibi in viſione nuntiante, Dæmonum victor, qui ad ejus adſpectum ululantes a corporibus obſeſſorum exibant, & de hora mortis ſuæ admonitus a S. Archangelo Michaele.

LXX. In pago de Navaelsaz ad portum de Pico in Veteri Caſtella ad Dominum migravit ætate admodum provectus Chriſtophorus Bravo jam Coriphæus, & Cantor Eccleſiæ Cathedralis Zamorenſis, antequam fieret Minorita. Quarto a profeſſionis ſuæ anno Guardianum egit, deinde Miniſtrum Provinciæ S. Joſeph, ad quod munus ſingularem attulit modeſtiam, charitatem, & vigilantiam. Romam profectus eſt, quia tum ipſi, tum ejus Fratribus probro dabatur, quod qui Regulæ zelatores haberi vellent, Franciscanis Conventualibus ſubeſſent, & quia
Gonzaga in Prov. S. Joseph sub initium. rumor accedebat, eosdem Conventuales in Hispania eſſe reformandos. Interim S. Petrus Alcantarenſis ad obedientiam Obſervantium tranſiens voces omnes compescuit. Provinciæ regimine expleto, Chriſtophorus tota animi contentione ad metam feſtinavit, quam ſibi propoſuerat,
Joseph a S. Maria lib. 1. & 2. cap. 19. perfectionis viam ingreſſus. Ejus paupertas in rebus etiam neceſſariis, patientia in laboribus, & infirmitatibus, conſtantia in adverſis, ardor mentis in oratione, vigiliæ, & abſtinentiæ ad extremum usque vitæ productæ illum hominibus admirabilem, & dilectum Deo reddiderunt.

LXXI. Matriti in Cœnobio S. Bernardini obiit Antonius a Secura Sacerdos excellenti in pauperes charitate, & integerrimis moribus donatus, fortis etiam in pugnis cum Dæmone, quem puritati ſuæ inſidiantem, multisque portentis timorem ſibi injicere conantem, oratione, & ſigno Crucis fugavit. Similiter Petrus de S. Maria doctiſſimus, & ferventiſſimus Concionator, & juvenum Novitiorum Præfectus, quibus nihil unquam agendum præcipiebat, quod ipse prius non exsequeretur. Vir fuit magnæ orationis, & pœnitentiæ. Memorat Bibliotheca Franciscana alterum ejus nominis, ejusdemque Provinciæ, qui circa hæc tem-

tempora vivebat, cujus exſtat impreſſum Manuale Sacerdotum, Speculum Chriſtianorum, & Tractatus de Cæremoniis Miſſæ. Fortaſſe idem hic eſt cum primo. In eodem Cœnobio Didácus a S. Martino Laicus, quadraginta quinque continuis annis partim in Provincia S. Michaelis, partim in Provincia S. Joſeph educatus in humilitate, ſuique agnitione, & contemptu.

LXXII. Prope Bargam in Conventu S. Mariæ de Gratiis in Tuſcia Julianus a Barga Sacerdos, qui innocentia vitæ, & monaſticæ diſciplinæ obſervantia, pia converſatione, & zelo ſalutis animarum, pro qua nullum renuit ſubire laborem, ſummam apud omnes nactus eſt Sanctitatis opinionem, quam ad tumulum detulit. In Conventu Florentino Omnium SS. Thomas Sermannius Eccleſiaſtes cæleſti Spiritu flagrans. A vocatione ſancta, inquit Antonius de Terrinca, non declinavit ad dexteram, vel ad ſiniſtram, nec adſpexit retro; ſed ad anteriora ſemper ſe extendens, fidelis factus eſt uſque ad mortem. Memorat idem Terrinca hoc anno obitum Joannis Tancredi a Colle Magiſtri Generali Conventualium; ſed hac in re eum falli ſatis ſuperque eſt compertum.

Theatrum Etruſco-Minoriticum tit. 9. ſpect. 6. num 23.

Ibid. ſpect. 12. num. 6

LXXIII. Didacus de Abuſeio natus Juliobrigæ, Hiſpanice Logrono, miſſuſque Salmanticam a parentibus amicitiam ibi contraxit cum S. Proto-Martyre Japponenſi Petro Baptiſta, cum eoque communicato conſilio, poſt expletum S. Theologiæ ſtudium, Minoribus ſe adſcripſit in Conventu Pennaradæ olim Provinciæ S. Joſeph, nunc S. Pauli. Sacerdos inſtitutus enituit zelo ſalutis animarum, humilitate, & paupertate, vili, & aſpera contectus tunica, nudiſque plantis in hyemis etiam rigore incedens. Infirmus delatus eſt a Cœnobio Roſarii ad Valetudinarium Oropeſæ, ubi ad eum accedens quidam Religioſus vidit cubiculum ſplendenti claritate fulgidum, quo obſtupefactus voces emiſit, aliique accurrentes idem ſpectaculum intuiti ſunt, quod perſeveravit, donec ille animam Deo redderet. Ingens populorum multitudo ad funus acceſſit, ejuſque corpus quieſcit illic in Monaſterio Conceptionis.

Didacus de Fontalita in Memoriis Prov. S. Joſeph.

Arturus ad diem 28. Auguſti.

LXXIV. Nannetis in Templo Fratrum Minorum honorificus tumulus excepit Julianum David, cujus inſignis eruditio maxime refulſit in duobus Comitiis generalibus proxime habitis Valliſoleti, & Romæ. Ex ejus Schola, & diſciplina Lutetiæ Pariſiorum literatiſſimi, & optimi diſcipuli prodierunt, qui ſucceſſione quadam non interrupta alios inibi moribus, & literis imbuerunt, donec micantes virtutum radios miſerrimis iis in locis exceperunt tenebræ vitiorum, & ignorantiæ.

LXXV. In Provincia Algarbiorum Petrus de Atougia vir eximius in omni virtutum genere, & in Cœnobio S. Antonii de Caſtanheira Provinciæ S. Antonii Portugalliæ circa hæc tempora ad Deum abiit Joannes de Outeiro aliquando Guardianus Cœnobii S. Antonii Ulyſſiponenſis; aſſiduæ orationi, & pœnitentiæ deditus, qui adductam ad ſe puellam energumenam liberavit, maligno ſpiritu coram ſe horribiles fremitus edente, cui Joannes præcepit, ut egrediens ab obſeſſæ corpore ter cymbalum, ſeu æs campanum pulſaret, quod & ille fecit, ſervum Dei contumeliis, & maledictionibus proſcindens. In Cœnobio Poſnaniæ Provinciæ Poloniæ Bernardinus de Kanczeige Laicus ſpecialis ingenii, & eloquentiæ, ſociuſque Sacerdotum, qui in Vinea Domini adlaborabant. Hæreticos pluries aggreſſus illos facundia, & rationum pondere ad ſilentium adegit. In Valetudinario de Zaraziglios, ſeu Zaray-

Baretius part. 4. lib. 7. cap. 8.

Monumenta Provinciæ Poloniæ.

Vind. Seraph. lib. 1. part. 2. pag. 334.

rayceio prope Cœnobium Villæ Vitioſæ Franciſcus Melo ex Familia Discalceatorum exemplaris vitæ, inculpatus, & perfectus Sancti Petri Alcantarenſis imitator.

Arturus ad diem 19. Octobris.

LXXVI. Hoc anno reſeratum fuiſſe ſepulchrum B. Balthaſaris Laici, qui jacebat in Cœnobio Dominæ Noſtræ de Conſolatione Oppidi Calabazanos in Territorio Palentino adverſus Blanconam, qui annum ſignat 1530., aſſerit Arturus. At utrumque a veritate abludere manifeſtum eſt. Gonzagæ textus, quo utuntur, eſt hujuſmodi: *Quum ante duodecim annos ſepulchrum, in quo Religioſiſſimus quidam Frater Laicus nomine Balthaſar, per quadraginta annos jacuerat, forte fortuna aperiretur, ejus corpus integrum, incorruptum, tractabile, ac ſuaviter redolens inventum fuit; quod præter miraculum accidere non potuit.* Opus Gonzagæ de Origine Seraphicæ Religionis editum fuit prius anno 1587., deinde anno 1603. Itaque expreſſio illa: ante duodecim annos, vel ſignificat annum 1575., vel annum 1591.

Gonzaga in Prov. Conceptionis Mon. 2.

LXXVII. Ex Sanctimonialibus Ordinis in Domino obdormierunt Alcazarii Diœceſis Toletanæ Maria Monacha Tertii Ordinis S. Franciſci oratione, humilitate, & patientia; ſimplicitate præterea, & innocentia incomparabili prædita, ſic ut nunquam eam lethaliter peccaſſe tradant Blaſius Langhina, Thielmanſ, & Marianus in Chronicis Reformatorum. In Monaſterio S. Iſabellæ Regiæ Toleti Iſabella Enriquez Vidua Tertiaria ex ſtirpe Dionyſii Regis Portugalliæ. Suſcepit habitum Religionis cum tribus filiabus, & quindecim annos Monaſterium rexit Abbatiſſa, cui ſucceſſit Anna, de Guſmanio dicta, ejus filia tam raræ humilitatis, ut indignam ſe reputans comedendi appoſitos ad communem menſam cibos, fruſtilla panis a Sororibus emendicata colligeret. Omnes charitate excelluerunt, maxime erga infirmos, matremque optimam lugentes natæ tumulo compoſuerunt.

LXXVIII. In Conventu S. Franciſci Mexici Minoribus nomen dedit ut Frater Laicus Sebaſtianus ab Apparitio ſub Guardiano Cœnobii Joanne Baltidas, Magiſtro Novitiorum Ludovico de Guſman, Commiſſario Generali Michaele Navarro. Virum Dei, cujus vitam anteactam inferius proſequemur, Beatorum faſtis nuper adſcripſit in Ordinem Seraphicum perpetuo beneficentiſſimus, & clementiſſimus Princeps PIUS VI. PONTIFEX OPTIMUS MAXIMUS. Auguſtinus de Vetancur ſcribit in Menologio Mexicano, hoc anno Sebaſtianum, aſſumpto habitu Tertii Ordinis, inſervire cœpiſſe in Eccleſia Monialium S. Claræ Mexici, quibus libere donavit viginti argenti pondera ex prædiorum, & armenti, quæ poſidebat, venditione; & citat acta publica Joannis de Oroſco Scribæ Regii, Monaſterium Vicarii nomine moderante Fratre Didaco Miranda, & Abbatiſſa Sorore Maria de S. Nicolao. Quæcumque ſit hujus Scriptoris auctoritas, quem novimus hiſtoriam ſuam concinnaſſe ex Memoriis Joannis de Torquemada, ſeu Turrecremata; certo certius eſt, eum hac in re a Magiſtri ſui dictis diſcedere, qui præſentem annum ſignat pro receptione Sebaſtiani inter Fratres ipſos Minores in Conventu Mexici ad probationis annum, & tirocinium peragendum, ut etiam habetur in actis pro ejus Beatificatione, & Canonizatione.

Menologium Franciscanum die 25. Februarii.

Torquema'a Vita B. Sebaſtiani. Mexici an. 1602. cap. 4.

In libro poſitionis ſuper dubio: An conſtet &c. Romæ an. 1694.

LXXIX. Similiter ſub hoc tempus Ordinem Capuccinorum ingreſſus eſt Aſſiſii in Cœnobio dicto *le Carcerelle*, Provinciam adminiſtrante Urbano de Monte Ulmi, Euphranius filius Joannis de Deſideriis, & Franciſcæ de Paulinis, natus anno 1556. Leoniſſæ Oppido Re-

gni

gni Neapolitani in confiniis Sabinorum, ſive in Veſtinis, dominii quondam Gentis Farneſiæ. Ea, quæ Dei ſunt, ferme ab incunabulis ſequutus, ac pie, honeſteque a Parentibus inter Cives primariis educatus. poſt illorum mortem, quam luxit adhuc adoleſcentulus, Viterbii moratus eſt apud patruum ſuum Baptiſtam de Deſideriis, qui iuibi juvenes literas humaniores publice docebat. Ingenio plurimum excellens in Academia Viterbienſi prolixam Orationem babuit cum Civium admiratione intra paucas horas memoria mandatam, alterius vices agens, qui partes ſuas exſequi non poterat morbo impeditus. Nuptias a Patruo ſibi propoſitas cum illuſtri, ac divite puella, eademque pulchra, & honeſta ineundas conſtanter recuſavit, ne virginalis candoris jacturam faceret, quem ad finem uſque vitæ integrum ſervare decreverat. Paullo poſt valetudinis cauſa reverſus Leoniſſam, & Divinarum rerum amore ſuccenſus petiit habitum Capuccinorum, quem obtinuit, aſſumpto Joſephi nomine, conſanguineis ægre id ferentibus, ac præſertim Lælio Erculano Conſobrino ſuo, qui bis Aſſiſium profectus, ſemel quidem ſolus, iterum vero cum Germano Alimente, juvenem domum reducere nequicquam tentavit, etiamſi non verbis tantum, & promiſſis, ſed auro quoque, & ampliſſimis muneribus ejus animum expugnare aggrederetur, paupertatem divitiis præferentis. Angelus Maria de Rubeis in Vita S. Joſephi de Leoniſſa cap. 1. & 2.

LXXX. Occurrit hoc anno beata mors Anſelmi Panormitani, qui Provinciæ Siciliæ cum Regularis Obſervantiæ augumento præfuerat, Andreæ de Tuderto, cui Dominus diem obitus revelavit, quem ſanctiſſime clauſit in Cœnobio Ferrarienſi; Pauli de Pedona juvenis Clerici, Antonii Aletini, & Proſperi de S. Angelo Piſaurenſi Laicorum, Joannis de Terra Nova, & Vincentii a Flaviano. Poſtremi tres pertinebant antea ad Minores Obſervantes. Proſper de S. Angelo iis valedixit, & tranſiit ad Capuccinos, Boverio teſte, territus ſpectaculo Fratris cujuſdam, quem in Conventu quodam viderat a Diabolo per nemus miſerrime trahi toto corpore; Guardiani enim ſui præceptum parvipendens, panem, quem ille juſſerat in annonæ caritate nemini dandum, detulerat in nemore Diabolo ipſi ſub ſpecie SS. Virginis apparenti. Circumſtantias omnes refert Annaliſta, in quibus, ut ſincere fatear, immorari pudet. Ex narratione autem concludit, Proſperum hoc exemplo ad ſecurum Capuccinorum aſylum ſe contuliſſe.

LXXXI. Nemini nos certe decus, laudemque invidemus, multoque minus Fratribus noſtris, quos non ſolum diligimus, verum etiam in Domino amamus ex animo, quocumque tandem utantur nomine, & indumento. Sed quænam inſania eſt Boverii, ut hoc ipſo anno, quo Capuccinorum Ordinem tutum Aſylum appellat, ad quod Obſervantes, ſi ſalvi eſſe vellent, confugere deberent, hoc, inquam, ipſo anno narret, Fratrem Marium de Cannis, alioſque Capuccinos apoſtatas abiiſſe ab Ordine, idque Monopolitanis Civibus gravi adeo ſcandalo ceſſiſſe, ut in cæteros ejus Ordinis Alumnos adverſo animo forent, nec niſi miraculo a concepta opinione diſcederent? Ubinam jactatum illud aſylum, morum nempe, & Religionis, a quo mala hæc profluebant? An idem eſt a Diabolo decipi, eique panis eleemoſynam deferre, (ſi tamen Boverii narratio veritate nitatur, cujus nullum præbet inditium) ac deliberate fugam ab Ordine moliri, propriamque mentiri profeſſionem? Nemo hæc in malam accipiat partem, quæ dicta tantum ſunt adverſus moleſtiſſimum conviciatorem.

LXXXII.

LXXXII. Joannem de Terra Nova ſupra memoravimus. Sequutus eſt ad Capuccinos abiens Ludovicum Rheginum, & Bernardinum Georgium primos Calabriæ Patres, & Reformatores, librumque præfatum exaravit, in quo nonnulla minus vera, aut exaggerata narravit, quod viro maximis virtutibus inſigni vitio uon damus; nemo enim eſt, qui aut partium ſtudio, aut errore in diverſa plerumque non abeat. Eccleſiaſtes ferventiſſimus ſcelera, & hæreſes verbo, ſcriptoque exagitavit. Spiritu prophetico multa prædixit, quæ evenerunt. Claruit miraculis, inter quæ Agatium quemdam Galatrinum Sutorem dolore laterum laborantem ſigno Crucis ſanum reddidit. Obiit Galatri, & defunctus Fratri oranti apparuit, cui ſe cum Deo eſſe teſtatus eſt.

LXXXIII. Vincentius de Flaviano a pueris etiam, ut Boverius narrat, prophetiæ dono, & ſanctitate morum excellens, in Ordine Minorum Obſervantium Sacerdotio inſignitus *Dignitatem Angelis venerandam cum Angelica vita conjunxit*. Quod ſane probat, nihil ei eorum defuisse, quæ ad perfectionem deſiderantur apud ſuos, quos dereliquit. At, inquit Boverius, nonnihil in Ordine Franciſcano Regularis Obſervantia deflexerat, nec Reformatio ſæpe a Superioribus promiſſa unquam fiebat. Quid vero oportebat, ut Ordo reformaretur, qui Angelos in ſinu ſuo fovebat? Quod ſi tales omnes Obſervantes non erant, nemo neſcit, obtineri non poſſe, ut inutiles paleæ frumento permixtæ non reperiantur; quod omni ætate contigit, & in omnibus ſodalitiis religioſis, ne illo quidem excepto, quod ad reformandum Ordinem Franciſcanum primi Capuccinorum Patres inſtituerunt.

LXXXIV. Eamdem vitæ normam, quam Vincentius ſectatus eſt inter Obſervantes, tenuit Capuccinus, asperis carnis ſuæ flagellationibus inſtans, omnigenum pœnitentiarum rigori, rerumque cæleſtium contemplationi, quibus in ecſtaſes rapi a terra ſublimis, & Deiparæ adſpectu recreari promeruit. Zelo ſalutis animarum ſuccenſus aliquando, abjecta tunica, ſolis ſibi lineis femoralibus relictis, & Crucem humeris bajulans pleraque Etruriæ Oppida uno die peragravit exclamans: *O viri pœnitentiam agite; cito enim veniet ira Dei*. Quod fecit ex oblata ſibi viſione ingentis tempeſtatis ſanguineæ, quæ Etruriam inundabat. Futura prænuntiavit. Signo Crucis ægros ſanavit, irruentes canes compescuit, & fluvios per medium diviſit. Colludebant cum illo aves, quarum unam tibiis fractis jacentem juniperi oleo ſanitati reſtituit, quæ circumvolitans, & cantillans nunquam ab eo diſcedebat. Nardo conterraneo ſuo homini pauperrimo apparuit in Gallia, paneſque dedit, quibus nunquam in via deficientibus, reverſus eſt in Italiam. Deceſſit Piſtorii ſeptuagenarius inter hymnos, Divinaſque laudes, quas decantabat. Corpus diu manſit incorruptum, tametſi tumuli locus humidiſſimus foret, ſuavemque odorem emiſit.

LXXXV. Seraphicum Ordinem Protector moderabatur hoc tempore Julius Feltrius de Ruvere Cardinalis de Urbino ſuffectus in locum Caroli Cardinalis Borromæi, qui Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis negotiis diſtentus ultro munere ſe abdicavit, licet Vice-Protectores Romæ haberet Alexandrum Cardinalem Cribellium, qui hoc nomine præfuit Comitiis Generalibus Romæ habitis, & Franciſcum Cardinalem Alciatum. Dominicus de Gubernatis pro incerto ponit, utrum Alciatus pro Carolo, vel pro Julio ſuppleverit. Quod ſi, inquit, Alciatus pro Carolo Vice-Protectorem agebat, Julius Protectoris officium aſſumpſiſſe videtur

detur circa annum 1576. At ex monumento, quod produximus, patet, ipſum hoc anno officium exercuiſſe. Petrus Antonius Venetus in Viridario Seraphico poſt Rodulphum Pium Cardinalem Carpenſem, qui deceſſit anno 1564., ponit Ordinis Protectorem Julium de Ruvere, deinde Franciſcum Alciatum, ac poſtremo Carolum Borromæum; qua in re a veritate apertiſſime abludit, una cum Didaco de Le-Quile, qui eamdem tradit Chronologiam in Hierarchia Franciſcana, & a Gonzaga, ac Rodulphi Catalogo nulla prorſus ratione ſuffultus recedit. Quo præciſe tempore Protectoris munus Julius ſuſceperit, non conſtat. Ciacconius poſt nonnulla ejus geſta memorata anno 1570. addit: „ Civitatis inſuper Ravennæ civibus ipſis ſupplicantibus, Ordinis item Minorum Conventualium Obſervantium, & Capuccinorum, ac Sacræ Lauretanæ domus protectiones in Curia recepit „. Quidquid ſit, ex quo Cardinalis Cribellius præfuerit, ut diximus, Comitiis Aracælitanis, ut Vice-Protector, & ex precibus Deo ibidem nuncupatis pro ipſo, & Cardinali Borromæo, pronum eſt deducere, Julium non ante annum 1571. renuntiatum Ordinis Protectorem.

Virid. Seraph. tomo 1. part 3. cap. 3. pag. 478.

Ciacconius ad an. 1534. pag. 731.

LXXXVI. Defuncto Marco Antonio Cardinali Amulio anno 1570., cujus corpus Roma circa hæc tempora Venetias delatum conditum eſt in Sacrario Eccleſiæ S. Jobi Minorum Obſervantium ſine ulla ſepulchrali Inſcriptione, Vice-Protectoris munus, quod ipse obibat Familiæ Capuccinorum pro Julio de Ruvere, quem primum ei Protectorem datum legimus a Pio IV. anno 1564., ſuſcepit Julius Antonius Cardinalis S. Severinæ, qui ſubinde dictus fuit Protector.

LXXXVII. Unicum renuntiatum invenio Epiſcopum Roſnenſem Antonium Polum de Matthæis, de quo loquuntur Rodulphus, & Emericus Pavich de Buda, qui eum appellat Ex-Provincialem Boſnenſem, quamvis in antecedenti, quem profert, Catalogo Miniſtrorum Provinciæ Boſnæ nullus Antonius de Matthæis legatur, niſi fortaſſe ſit Antonius Matkovich, quem recenſet ad annum 1529. Corrigendus eſt Auctor Viridarii Seraphici, qui ad hunc annum ponit translationem Hieronymi de Albornoz ab Eccleſia Epiſcopali de Tucuman ad Archiepiſcopalem S. Fidei in Novo Reguo Granatenſi; ex una enim parte Hieronymus mortuus eſt Epiſcopus de Tucuman circa annum 1577., eique eodem anno ſucceſſit Hieronymus de Villacarrillo Commiſſarius Generalis in Peruvia; ex altera vero Archiepiſcopalem Eccleſiam S. Fidei regebat hoc tempore Aloyſius Zapata de Cardenas, nec ei ullum Franciſcanum ſucceſſiſſe lego.

Rodulphus lib. 2. pag. 235.

Emericus Pavich in Ramo Viridantis Olivæ sect. 24. pag. 97.

Virid. Seraph. tomo 1. part. 3. pag. 594.

Torubia in Chronol. Seraph. Religionis in Append. pag. 20.

LXXXVIII. Confirmat hoc anno Pontifex diſpoſitiones factas inter Bernardum de Freſneda Epiſcopum Cordubenſem, & Patres Provinciæ Burgenſis ſuper patronatum, & donationem majoris Sacelli Conventus Calceatenſis: *In Apoſtolatus dignitate*. Kal. Februarii. Approbat transactionem, & concordiam inter Fratres S. Mariæ Novæ Neapolis, & aliquot Sæculares: *Romanus Pontifex*. Idibus Decembris; & emphyteuſim domus, quam Moniales Monaſterii S. Franciſci de Eleemoſyna Neapolis cedunt Joanni de Piccolominis ab Aragonia ſub certis pactis perpetuo poſſidendam: *His, quæ pro Religioſorum*. Idibus Januarii. Afficit Indulgentia Eccleſiam Monaſterii S. Eliſabeth Ameriæ: *Salvator Noſter*. Idibus Decembris. Modificatur Conſtitutionem Pii V. circa electionem, & munus Prælatorum Ordinis &c. *Conſuevit Romanus Pontifex*. Die VIII. Septembris. Rata habet privilegia conceſſa a Pio V. Ordini Minorum, ut ex ſequentibus patet.

Julius Feltrius de Ruvere miſeratione Domini Epiſcopus Præneſtinus, S. R. E. Card. Urbin. & totius Ordinis B. Franciſci protector, gubernator, & corrector. Quum Reverendus P. Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ Fratrum Minorum de Obſervantia exhibuiſſet Sanctiſſimo Domino Noſtro Gregorio divina providentia Papæ XIII. quamdam cedulam continentem nonnullas gratias alias a felicis recordationis Pio V., ut aſſerebat, conceſſas partim Reverendiſſimo Patri Miniſtro Generali, partim vero ipſi Commiſſario in favorem Ordinis præfati de Obſervantia, eique ſubjectorum, & humiliter ſupplicaſſet Sanctitatem Suam, ut dignaretur eas omnes confirmare, ampliare, & declarare ut ſequitur; cujus quidem cedulæ tenor talis eſt, videlicet: Gratiæ conceſſæ a Sanctitate felicis recordationis Pii V. partim Miniſtro Generali, & partim Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, quæ ut confirmentur a Veſtra Sanctitate, humiliter ſupplicatur.

1. *Conceſſa Miniſtro Generali ſunt videlicet in primis: Auctoritas abſolvendi fratres, & ſorores noſtræ curæ commiſſos, ab omnibus caſibus Suæ Sanctitati reſervatis.*

2. *Item auctoritas abſolvendi ab omni irregularitate, præterquam de illa, quæ incurritur ex homicidio voluntario.*

3. *Item, quod Moniales provectæ ætatis, quæ præ ſenectutis infirmitate, vel caligantibus ex ſenio oculis non poſſunt ſatis commode dicere Divinum Officium ſecundum novum Breviarium, poſſint illud celebrare ſecundum formam antiquè Breviarii, dummodo in Choro Monaſteriorum celebretur ſecundum ordinem novè Breviarii, quod conceſſit vivæ vocis oraculo.*

4. *Item, quod Fratres, qui per ignorantiam peccaverunt introducendo mulieres in Monaſteria, ſeu Cœnobia noſtra contra motum proprium ſuper hoc factum, poſſint reſtitui ad actus legitimos, quia remittitur illis quod deliquerint de præterito.*

5. *Commiſſario Generali conceſſit, quod quum aliqui Conventus noſtri, præſertim ex illis, qui fuerunt Amadeorum, & Clarenorum, habeant vineas intra ſepta conventuum, ex quibus colligunt ſingulis annis vinum, quod non videtur convenire puritati Regulæ, & profeſſionis noſtræ, poſſimus illas tenere, & illis uti pro ſerenitate conſcientiæ, quia ſic diſpenſavit, & benigne conceſſit.*

6. *Item, quod Syndicus, ſeu Procurator noſter ſæcularis poſſit vendere fœnum, quod colligitur in pratis noſtris, & convertere pretium in alias res Conventibus, & Fratribus neceſſarias.*

7. *Item, quod Confeſſores Monialium Tertii Ordinis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes poſſint ingredi Monaſteria ipſarum Monialium, ibique in interiori Eccleſia celebrare Miſſas, & Monialibus Sanctiſſimum Sacramentum miniſtrare, in illis dumtaxat Monaſteriis, quæ non habent locum commodum ad recipiendum divinum Sacramentum, & donec aptetur locus ad id miniſterium idoneus, ſeu feneſtella.*

8. *Item, quod liceat mulieribus ſæcularibus, honeſtis tamen, ingredi primam portam dictorum Monaſteriorum, ibique inter primam portam, quæ eſt ſecus viam, & ſecundam, qua intratur in clauſtrum, tractare negotia ad invicem de ſuis laboribus, & aliis rebus neceſſariis.*

9. *Cum ampliatione, Pro-Confeſſores Monialium Tertii Ordinis non ſolum in feſtivitatibus prædictis, ſed etiam ſemel in menſe ingredi poſſint Monaſteria, & interiores Eccleſias ad allegatum effectum, & quod idem liceret etiam ubi eſſet feneſtella ad recipiendum Sanctiſſimum Sacramentum, ſed ad minus apta judicio Miniſtrè, vel Commiſſarii prædictarum, donec melius aptetur; & cum declaratione, quod Commiſſarius Generalis eamdem facultatem in præmiſſis, &*

eorum

eorum quilibet, quam ipse Generalis Miniſter, obtineat. De quorum confirmatione, ampliatione, & declaratione ne aliquando dubitare contingat ex auctoritate nobis a præfato Sanctiſſimo Domino vivæ vocis oraculo attributa fidem facimus indubiam per præsentes, quas ad hujusmodi effectum propria manu noſtra, ac Secretarii noſtri infra scripti subscriptas, noſtrique ſoliti ſigilli impreſſione communitas fieri juſſimus.

Datis Rom. ex ædibus noſtris die XV. Maji MDLXXIII.

LXXXIX. Singulare privilegium indulsit Fratribus Minoribus Philippus II. Rex Hispaniarum in Seraphicum Ordinem amantiſſimus, & beneficentiſſimus Princeps.

Dominus Philippus Dei gratia Caſtellæ Rex, Legionis, Aragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierusalem &c. Vobis Conciliariis & Senatoribus, Equitibus, Deambulonibus, Officialibus, cæterisque hominibus probis omnium Civitatum, Oppidorum, & locorum Regnorum noſtrorum & Dominationum; & etiam noſtris Equitum, Peditumque Diversoria parantibus, Regii corporis cuſtodibus, nec non quorumcumque Magnatum, & personarum particularium noſtri exercitus, & claſſis, quæ Nos nunc ducimus, & poſtea decrevimus erigere, cæterisque personis, ad quas attinet, vel aliquo modo attinere poteſt quodcumque in hoc noſtro Diplomate infra continetur: omnibus & ſingulis vobis, in veſtris locis, jurisdictionibus, & officiis ſalutem & gratiam.

Rodericus quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 39. art. 1. pag. 122.

Optime scitis, ſicuti omnibus nota eſt altiſſima paupertas, quam Fratres Minores de Observantia horum Regnorum noſtrorum profitentur, & patiuntur propter Domini Dei noſtri ſervitium, & sui Ordinis Observantiam, & quot quantaque bona spiritualia generalia offerunt in his Regnis noſtris, & peculiaria pro horum Regnorum personis privatis, qua de causa & propter magnam devotionem, quam erga dictum Ordinem afficimur, favere cupientes conservationi illius Observantiæ, & etiam dictis Religioſis, & gratiam referre personis devotis, illos charitative hospitio domibus suis accipientibus, ut majore cum honeſtate, et ſilentio, quam in Diversoriis valcant Divinum Officium, horas, & devotiones recitare, & eorum personæ non ſint in locis profanis. Ut ergo personæ, quæ ſupradicta exercent, majorem habeant rationem & causam in poſterum continuandi, ſicut etiam ut alii majore cum voluntate, & liberalitate ſimile opus præbeant, non ſolum propter Dei ſervitium, quod aliquo modo eos cogit, & ob devotionem, & charitatem, quæ in dictum Ordinem haberent, & vellent dictis Religioſis dare. Noſtra ergo Regia voluntas eſt, ut nunc, in poſterum, & ſemper in omnibus Civitatibus, Oppidis, & locis horum Regnorum noſtrorum & Dominationum, ubi non fuerit Conventus Sancti Francisci, vel ejusdem Ordinis, ſeu Observantiæ, una domus cujuscumque personæ, quæ propter dictas cauſas velit ſe obligare ad dictos Religiosos Ordinis itinerantes, vel per dictas Civitates Oppida, & loca transeuntes hospitio recipere, libera ſit ab hospitibus, dummodo talis domus ſit ad hunc effectum, consentiente domino, aſſignata a Guardiano Monaſterii dicti Ordinis, & Observantiæ viciniorís tali domui, & quod oſtendens in illa hoc noſtrorum diploma, ſeu exemplar manu alicujus Notarii publici ſubscriptum, cum littera patentali dicti Guardiani, ex quibus conſtet talem domum ad ſupradictum esse aſſignatam; non collocent in illa alios hospites, nullum Equitum, peditumque noſtri corporis cuſtodem, nec Magnates, nec Equites noſtri exercitus, & claſſis, nec aliquas personas cujuscumque ſtatus, conditionis, & praeminentiæ, & dignitatis; nec ſervos talium Magnatum nobilium, nec Ducum. Sed omnibus notum ſit, quod ſi eveniret, quod nos, vel Princeps Dominus Ferdinandus Filius meus charus & amatiſſimus, vel Reges

ſucceſſores noſtri per dicta loca tranſirent, in tali eventu, & per totum illud tempus, quo in tali loco, vel locis moraremur, dicta domus ab hoſpitibus ſint immunes, ſalvo ſi tunc aliqui Fratres dicti Ordinis Obſervantiæ itinerantes fuerint hoſpitio recepti: quia in tali caſu noſtra intentio eſt, ut ab illis minime expellantur, & hoſpitio priventur, & etiam ut dictas perſonas aliqua gratia peculiari afficiamus, noſtra voluntas eſt, quod nunc, in poſterum, & nullo unquam tempore, nec aliquo modo extrahant ab illis culcitras, ſindones, vulgo Lenzuoli, nec ſtratum, nec paleam, nec lignum, nec aliquas res, diverſoria parantibus neceſſarias. Quoniam Nos eos propter Dei ſervitium, & propter cauſam & rationem ſupradicta ab his oneribus liberamus, & mandamus ſupradicto Sereniſſimo Principi Domino Ferdinando, & Infantibus, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Magnatibus, Ordinum Magiſtris & omnibus noſtri Conſilii, Præſidi, tribunalium noſtrorum Judicibus, Gubernatoribus noſtræ Curiæ, Domus, & Cancellariæ Apparatoribus, & etiam Prioribus Commendatariis, & Subcommendatariis, Gubernatoribus Caſtellorum, & Domorum fortium, & planarum, & omnibus Conſiliis, Prætoribus, Gubernatoribus, Aſſiſtentibus, exiguarum regionum Præfectis, & Judicibus, & omnibus tribunalibus eorum, officialibus quarumcunque harum Civitatum, Oppidorum & locorum horum dictorum noſtrorum Regnorum, & Dominationum, etiamque noſtris peditum, & equitum turmis diverſoria parantibus, & dicti Sereriſſimi Principis, & noſtri exercitus, & Regii Corporis Cuſtodum, & quibuſcumque Magnatibus, exercitus, & armorum, aliarum quarumcumque Perſonarum cujuſvis gradus, præeminentiæ, & conditionis, cæteriſque perſonis ſubitis noſtris, tributariis, & indigenis in locis, & juriſdictionibus, muneribus, & officiis, quæ nunc ſunt, & in poſterum erunt, omnibus & ſingulis ut obſervent, & adimpleant, & faciant obſervare & adimplere hoc noſtrum diploma, & omnia in illo contenta in omnibus, & per omnia, prout in ipſomet continetur: contra ipſius tenorem, & formam minime agatis, nec alios quocumque tempore, vel modo tranſgredi annuatis, ſub noſtra voluntatis pœna, & decem mille quadrantium noſtræ Curiæ applicandorum, omnibus qui in contrarium fecerint, & ſub eadem pœna jubemus cuicumque Notario, & Juridico ut vobis illud denunciet, & de hac juridica monitione teſtimonium perhibeat, ut Nobis conſtet quomodo hoc noſtrum mandatum adimpletur. Datum Matriti die XXVII. Auguſti MDLXXIII.,, Dominus Epiſcopus Segovienſis,, Licentiatus Petrus Gaſco,, Licentiatus Joannes Major,, Doctor Franciſcus Villafane; Licentiatus Rodericus Vazquez Arce: Ego Petrus a Marmore Catholicæ Majeſtatis Regius Tabularius ex ejus Ordine ſcribere feci, aſſentiente Conſilio: In tabulas publicas illud retuli Georgius de Olaal de Vergara Pro-Cancellarius. Georgius de Olaal de Vergara.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Deſcribuntur geſta B. Sebaſtiani de Apparitio. Minoritæ in Indiis propria privilegia tuentur. Sacrum Capuccinorum Inſtitutum propagatur apud Ultramontanos. Decedunt Virgines. Ædium numerus augetur. Renuntiantur Epiſcopi. Obeunt Martyres, & Viri tum literis exculti, tum Sanctitate præſtantes. Summus Pontifex nonnulla indulget privilegia.

I. Roderico de Sequera Commiſſario Generali in Nova Hiſpania, Miniſtro Provinciæ S. Evangelii Antonio Roldan, Guardiano Cœnobii Mexicani Franciſco de las Navas, & Marco de Camera Novitiorum Magiſtro, ſolemnem profeſſionem in ſtatu Laicali emiſit die 13. Junii S. Antonio Patavino ſacra Sebaſtianus ab Apparitio, ut Scriptores omnes ejus vitæ tradunt, quibuſcum concordant acta Proceſſus pro ejus Beatificatione, & Canonizatione, uno diſcrepante Auguſtino de Vetancur, qui ſignat diem nonam Junii hujus anni non pro illius profeſſione, ſed admiſſione ad habitum.

Ex libro Poſitionis ſuper dubio: An conſtet de virtutibus Servi Dei &c. Romæ 1694.

II. Servi Dei vitam typis commiſerunt Daza, Rapinæus, Le-Quile, Benedictus Mazara, Iſidorus de S. Michaele, Didacus de Leyva, Felix Contilony, Baretius, & Arturus. Plenius vero de ipſo loquuntur Joannes de Torquemada, quem in eo ſolum, quod ſupra notavimus, deſerit ducem Auguſtinus de Vetancur, Bartholomæus Parexo Medicus, Paulus Marianus a S. Flora Magiſter Ordinis S. Auguſtini, & Nicolaus a Plumbo Minorita Epiſcopus Diacovenſis in Boſna. Librum Parexo habere non potui. Marianus vero ita res componit, ut romanenſes potius fabulas, quam biograpbiam exarare videatur. Nicolaus a Plumbo multa commiſcet extranea, quæ non biſtoriam, ſed panegyrim redolent excerpta a Bartholomæo de Letona. Quæ ab his narrantur, non ſolum proſequi, ſed conſulere res infiniti propemodum eſſet laboris. Hinc præcipue mihi ſectandam propono Biographiam editam Romæ typis Salomoni anno 1789., quam Italico ſtylo elegantiſſimo pariter, & ſimpliciſſimo ex memorati Proceſſus monumentis elaboravit Gaudentius Patrignani de Coriano amicus meus, S. Theologiæ Lector Jubilatus, & Philoſophiæ Profeſſor in Collegio Urbano de Propaganda Fide, quem plurimi facio tum ob ingenuos mores, animique candorem, tum ob eximiam, qua pollet, doctrinam, & eruditionem ſingularem. Aliud tamen, ubi id commodum acciderit, a cæteris etiam deſumam, & prolixitatem vitabo, quam neceſſe fuit, ut ipſi ſequerentur, quum ex inſtituto argumentum tractarent.

Auguſtinus de Vetancur die 25. Februarii pag. 18.

III. Natus eſt Sebaſtianus anno 1502. die 20. Januarii S. Sebaſtiano Martyri ſacra Gudinæ Diœceſis Orenſis, ſeu Aquarum Calidarum, bumili pago juriſdictionis Comitum de Monterrey in Gallœcia, parentibus Joanne de Apparitio, & Tereſia de Prado agricolis, pauperibus, & honeſtiſſimis, vitæque inculpatæ. Sacro Baptiſmate ablutus in Eccleſia Parochiali S. Martini, Sebaſtiani nomen accepit, Confirmationis etiam Sacramento tempore opportuno obſignatus. Ingenio docilis, & corde ſimplex duos Fratres majores, quos ſortitus erat, virtute antecedebat, cujus præcepta ſibi a Parentibus tradebantur, adeo ut creſceret in puero cum lacte pietas, & in Domini amore, & timore in dies augeretur.

IV.

Ex Proceſſu citato pag. 7.

IV. Ætatis annum agens non ſextum, ut minus certe ſcribit Nicolaus a Plumbo, ſed duodecimum, armentorum curæ præfectus, quum ſæva lues, ſeu morbus epidemicus Gallœciæ Regnum inficeret, & populos undique letho daret, peſtiferum ſubiit anthracem vel in capite, vel in inguine. Quamobrem lege, quæ vigebat, excluſus a populari conſortio, & in ſolitudinem amandatus campeſtre quoddam ſemidirutum tugurium incoluit, ad quod ſollicita Mater ſingulis diebus accedebat cibaria deferens, eaque juxta habitaculum caute ſeponens, abitura filium vocabat, ut exiret ad illa deſumenda. Gravius quodam die morbo conflictatus neque ad Matris vocem reſpondit, neque egreſſus eſt. Hinc illa mortuum rata incredibili cum dolore diſceſſit, cibo tamen ibidem relicto. Non multo poſt Sebaſtianus exiguos ſpiritus, qui ſupererant, recolligens, ad locum acceſſit, ut potuit. Verum quum cubiculum repeteret, aut ex inadvertentia, aut ex debilitate oſtium non clauſit. Accidit autem, ut caſu illac pertranſiens lupus locum ingrederetur, qui juvenem humi jacentem, ac ſomno parumper correptum intuitus, & anthracem odoratus ulceris cruſtas dentibus evulſit, & humorem inde ſcatentem lingua ſenſim lambendo elinxit; quo factum eſt, ut æger convaleſceret, & domum ad Parentes rediret, qui de illius vita jam deſperaverant.

V. Priſtinas artes domi reſumpſit, & Agriculturæ inſuper ſtuduit, quam ſingulari morum innocentia, & beneficentia erga omnes excoluit ad annum uſque ætatis vigeſimum, quo non lucri cupiditate illectus, ſe interiorem quamdam impulſionem ſequutus, qua ad peregrinandum in exteras Regiones adigebatur, abiit in Caſtellam, ubi pluribus Oppidis peragratis, Salmanticæ conſedit, animo ulterius proficiſcendi, ſi pecuniam ad iter neceſſariam compararet. Quare oblatam illic ſibi occaſionem nobili, & diviti mulieri viduæ pro campeſtri œconomo inſerviendi libenter arripuit; quumque munere ſibi concredito fideliter fungeretur, plauſtriſque olerum, frumenti, & lignorum ſarcinas ex agris domum adſportaret, & ſingula, quæ agenda erant, diligentiſſime exſequeretur; ac præterea manſuetudine, peculiarique obſervantia Dominæ animum ſibi devinxiſſet, inauſpicato amore illa ardens ſervi ſui pudicitiam expugnare cogitavit. Animadvertens vero, illum nec oculorum ardore, nec verborum illecebris, nec femineis machinamentis ullis, & laqueis capi poſſe, blanditiaſque ſe fruſtra adhibere, flammis repulſa perpetuo ſuccreſcentibus, illum in apertam vim provocavit. Accerſitum itaque, ut peracta cœna ſibi ad cubiculum pergenti adeſſet cum funali, obſequentem habuit nil mali ſuſpicatum. Ibi vero inverecunda veſtes deponere cœpit, nudatoſque lacertos oſtendere; quam turpitudinem modeſtiſſimus juvenis cernens: *Nonne*, ait, *Domina, magis deceret, Te hac hora, & in re hujuſmodi opera ancillarum uti?* Illa impudicam mentem prætexens cum contemptu reſpondit: Nobiles mei ordinis feminæ malunt ſe nudas a viro ſincero, & ſimplici conſpici, quam ab ancillis. Si te vero tædeat, me ſic adſpicere, ad lectum tuum abi.

VI. Diſceſſit hæc audiens Vir Dei, qui tamen nunquam ſibi in animum inducere potuit, Heram inhoneſto conſilio ita ſe geſſiſſe. Paucos alios dies apud illam moratus, & Zafram profectus ſervitio Petri de Figueron Duci de Ferias conſanguinitate conjuncti ſe addixit, jumentorum cuſtodiæ oneribuſque ferendis deſtinatus, quo in munere meruit gratiam in oculis filiæ adoleſcentulæ Domini ſui, quæ toti domui œco-

œconoma præerat, quæque illum dulciſſimis verbis cum familiaritate ſtudioſe alloquebatur, & munuſculis allicere ſatagebat, ut ſibi bene vellet. Die quodam parva artocreata, ſeu offas frugibus medicatas ei obtulit comedendas. Ille vero vel quia ſe ludibrio haberi cupiebat, vel quia nihil tale unquam viderat, aut guſtaverat, acceptam eſcam, præſente Domina, immiſit in os proximi jumenti. Tunc ſubridens illa dixit: Sebaſtiane, recte ajunt, homines: Melli deguſtando non omnibus ſapit palatum. Cui alter: *Domina*, inquit, *molliuſculis his cibis imparem me agnoſco*.

VII. Nobilium virorum famulatum exoſus, licet a Petro de Figueroa non impetraſſet, ut dimitteretur ſtatim, quatuor tamen poſt menſes Bethuriam verſus iter feſtinavit, manſitque in Civitate Sicapi, ſeu de Guadalcanal infirmitate detentus. Appulit deinde ad portum Sanlucar de Barrameda, ubi operibus ruſticis vacans, Matronæ, cui inſerviebat, brevi rationes meliores effecit, & rem domeſticam auxit. Habebat illa duas filias juvenculas, & venuſtas, quarum altera matrimonio ſe ipſi jungi tantopere exoptavit, ut nullum blanditiarum genus præteriret, rejectaque acrius inſtaret, quidvis potius experiri parata, quam ſpem ſemel animo conceptam abjicere. Hinc noctu ad eum in lecto recumbentem furtim acceſſit, flammaſque, quibus urebatur, audacter ei patefecit; & quamvis fruſtrata deſiderio abierit, ſecundo tamen reverſa eſt, eodem ſemper exitu; fieri namque non potuit, ut novi hujus Joſeph pudicitia læderetur.

VIII. Conſiderans itaque Apparitius, ab his pugnis victoriam facilius referri poſſe fugiendo, quam decertando, periculum declinavit, oblatumque ſibi a viro divite prædium excolendum eo lubentius ſuſcepit, quo extra hominum frequentiam, & ſtrepitum, ruri manere ſibi dabatur, vitæque ſuæ innocentiam tueri. Ejus porro laboribus, benedicente Domino, ſegetes copioſiſſimæ obveniebant, & pluſquam duplici fœnore reddebat ager, quod antea nunquam contigiſſe Herus fatebatur. Quare induſtrium Colonum ex animo diligebat, ipſique obſequutus, quotannis ſe daturum promiſit dimidiam menſuram ſementis, Hiſpanice *Paguxal*, præter ſtipendium, quod cum eo ſub initium pepigerat. Quo factum eſt, ut Apparitius Sororibus ſuis pecuniam miſerit ad honeſtum conjugium ineundum.

IX. Aulicus Dynaſtæ Oppidi de Ayamonte non procul diſſiti, & nobilis quædam Virgo male auſpicato amore correpti, inito auſugiendi conſilio, navigium conſcenderant. Sed re mox comperta, puellæ parentes remiges delegarunt, qui citatis velis fugitivos inſequerentur, domumque reducerent. Quod ut illi animadverterunt; remiges enim properantes, & adverſum se euntes eminus adſpiciebant; opacæ noctis tenebris freti, quoniam Ulyſſiponem, quam petebant, ire negatum erat, ad portum Sanlucar retrogrado curſu feſtinarunt, ubi in litus expoſiti, & proximum nemus ſecuritatis ergo ingreſſi, in abditis, deviiſque receſſibus diu errarunt, neſcii quo tenderent, donec fortuito ad domum ruſticam Apparitii pervenerunt. Illic, oſtio pulſato, accurrit Apparitius, hoſpiteſque ignotos intuitus ſudore madidos, & metu pallentes: *Quid vobis*, inquit, *eſt hora iſta, & in his locis*? Tunc raptor: Quæſo, ait, Frater, per Dei amorem recipe, & cuſtodi apud te adoleſcentulam hanc: ego enim hinc diſcedam, ne in manus incidam inimicorum meorum, qui me ad necem quærunt. Cui ſimplex agricola: *Quoniam amo-*

amore Dei rogas me, amore Dei negotium ſuſcipiam. Abi igitur; ipſe etenim Virginis hujus curam ut Sororis geram. Abeunte illo, puellam domi ſuæ retinuit quadraginta dies, honeſtiſſime cum ea converſatus, & ſi contingeret, ut illa verbis aliquando luderet, nihil penitus ipſe respondebat. Proprium lectulum hoſpiti ſuæ aſſignavit, quumque cubiculum anguſtiſſimum foret, extra januam ſtoreis contectus ſomnum ipſe capiebat.

X. Interea Puellæ pectori impudicus ignis familiaritate ſuccreſcens inſedit, præſertim quum nullum ſuis malis remedium præſtari poſſe cogitaret, & Sebaſtiano placere ſtuderet, tamquam homini, qui, ſi vellet, neque deſperationis periculum, in quod inciderat deſerta ab Amico, neque Parentum ſuorum iram, ſi reperiretur, incurreret. Variis fruſtra ſuſceptis tentaminibus, technisque amatoriis; ſiquidem ille nihil hujusmodi intelligebat, nec fieri poterat, ut ſpeciali Numinis auxilio fultus in inſidias ullas incideret; quodam die ſe lavandi gratia coram eo nuda conſtitit toto corpore, cujus facti impudentiam vir innocentiſſimus, & caſtiſſimus aſperrimis verbis objurgavit, & in partem ſe recepit; nec inde precibus, & querelis dimoveri potuit, ut induſium, quod illa ad ſtratum pergens humi dejectum ſtudioſe reliquerat, ad eam afferret.

XI. Nihil illa hac re territa, aut exanimata non multo poſt palam ſe Apparitio amantem detexit, & nupturam profeſſa eſt, promptamque ad proficiſcendum una ſecum in quaſcumque vel remotiſſimas Orbis regiones; interdum enim ab ipſo audiverat, iter in Americam ei fore ſuſcipiendum. Cui Sebaſtianus, ne moleſta amplius foret, dixit: *Conjugium inire nondum cogito. Quoniam vero juvenis, qui te huc duxit, non redit, neceſſe eſt, ut de te ipſa aliquid deliberes; hic namque ſatis ſuperque morata es.* Negante illa, ſe ad patrios lares reverſuram, vir ſanctus in eo ſtudium, operamque collocavit, ut cujuſnam eſſet hoſpes ſua resciret, brevique certior factus de parentum ipſius nomine, & conditione, eo pacto filiam illis reſtituit. ut incautæ parcerent, quod & impetravit.

XII. Anno 1533., vel juxta Auguſtinum de Vetancur, anno 1531., conſcenſa navi, in Indias Occiduas transfretavit, ſedemque delegit in Civitate Veræ Crucis. Quamvis autem ea regio nuper detecta integris adhuc, & fœcundiſſimis metallorum venis, divitiiſque abundaret, nulla tamen ei ſe obtulit opportunitas, ut illic maneret cum aliqua utilitate. Quapropter abiens inde petiit Populam de Angelis triennio ante Fratrum Miuorum conſiliis, & laboribus fundatam, ut diximus, Epiſcopalem Cathedram moderante Antonio Nuiz de Morales, ut ex accuratis regeſtis conſtat. Atque hinc corrigendus Nicolaus a Plumbo, qui ejus Civitatis Epiſcopum ſcribit Julianum Garzes Ordinis Prædicatorum, defunctum Tlaxcalæ anno 1540., nondum Eccleſia novæ Civitatis in Epiſcopalem erecta.

XIII. Cultui agrorum eo loci operam dedit annis duobus. Sed continuo immutata voluntate, non ſibi uni conſulendi, verum univerſam Americanorum rempublicam juvandi rationem excogitavit. Viderat illic immenſo ferme numero juvencos, tauroſque per paſcua indomitos nullo cuſtode palantes vagari, minimo incolarum emolumento, qui ad venationem exeuntes coria tantummodo occiſorum domum referebant, relictis carnibus pullorum gallinaceorum turmis, qui venatoribus

bus recedentibus, ad voranda cadavera confeſtim ea multitudine undequaque advolabant, ut Solem ipſum alarum umbraculis obſcurarent. Hinc ferocia animantia ſubigendi conſilium cepit, ut plauſtris ea alligaret, commerciumque promoveret; antea enim merces, & vectigalia nonniſi cum ingenti pecuniæ diſpendio, & enormi difficultate jumentorum humeris ferebantur a maritimis oris ad Civitates, & loca mediterranea. Rem aggreſſus experimento didicit, boves illic ſub jugum mitti poſſe, docilesque reddi ad labores, eorumque ferocitatem, & ſylveſtrem vivendi modum refundi in incolarum negligentiam, vel ignorantiam. Deerat tamen faber lignarius, qui plauſtra moliretur. Sed, ita Deo diſponente, hominem tandem nactus aſciæ, & bipenni tractandis idoneum, ipſum operis totius ſimpliciſſimum mechanismum docuit; ac brevi tempore juxta regulas a ſe traditas conſtructo curru, primus auriga Indiarum Occidentalium viſus eſt, atque, ut ita dicam, Triptolemus novi Orbis, ſtupentibus undique Mexicanis hominis ingenium, & inventionem, queis hactenus neque mos, neque cultus erat, nec jungere tauros, aut componere opes norant.

XIV. Vecturis conſtitutis, & multiplicato plauſtrorum numero, domicilium elegit in Civitate Mexici, ad quam aſportabat argentum effoſſum in Provincia de Zacatechas hoc metallo cæteris opulentiori in Audientia Guadalaxaræ ad centum ſexaginta circiter leucas a Mexico ſub Tropico Cancri. Quum autem via, qua erat incedendum, inter ſcopulos, & montium ardua, denſiſſimiſque arboribus conſitas ſylvas, difficultatem, & periculum non leve præberet; hinc iteratis obſervationibus, & luſtratis circum ſitu, & poſitione regionum, alteram ipſe aperuit, & ſtravit longe commodiorem, & breviorem a loco fodinarum ad Civitates Mexici, & Populæ de Angelis productam, per quam dum tranſiret, barbari Cicimechæ, qui viatoribus mortem inferre, & humanis carnibus veſci ſolent, turmatim a montibus deſcendebant, ut cibaria acciperent mactati juvenci, quæ eo fine ſecum ille deferebat, eique ferinis moribus parumper depoſitis, refrænatoque impetu in necem, & prædas, alacriter blandiebantur, eorum nemini infeſti, quem in comitatu illius deprehenderent, aut ejus familiarem eſſe ſcirent.

XV. Semel contigit, ut unius ex plauſtris rotæ prætereuntes vel apud Zacatechas, ut ſcribit Auguſtinus de Vetancur, vel in foro Mexici nonnulla vaſa teſtacea in nundinis diffringerent. Iratus proinde figulus inſanos edit clamores in Apparitium, qui poſtremo currui rhedarius inſidebat, currumque inſequutus execrabiles diras in eum evomuit, teſtatus, aut pecuniam, aut ſanguinem illati damni mercedem futuram. Reſpondebat Apparitius, ſe invito vaſa eſſe diffracta, nec culpæ adſcribi poſſe, quod caſu tantum evenerat. A conviciis autem, & maledictis abſtineret honeſto indignis. Quum ad angulum Civitatis perveniſſent ab hominum frequentia remotum, furioſus ille, evaginato gladio: Deſcende, inquit, e curru, vile animal; non enim hinc ſum abiturus, ante quam te occidam. Tunc alter poſtquam mitiſſimis verbis illum compeſcere tentaſſet, duplici objectus diſcrimini, vel opes non ſuas, quas advehebat, fuga deſerendi, vel vitam exponendi implacabilis hoſtis furori, in terram properavit, conſertiſque cum illo manibus, apprehenſum, & jactatum humi projecit, enſe prius in fronte vulneratum, ejusque capulo ter tuſum in facie. In periculo figulus conſtitutus, ſibique metuens: Parce, inquit, Sebaſtiane. Pœnam

equidem merui. Sed amore Dei parce miſero, qui tecum poſtbac æternam ex animo amicitiam geram. Cui Apparitius: *Animadvertis, homo ſuperbe, me tibi vitam eripere poſſe nullo negotio injuſte provocatus. Attamen amore Dei injuriæ obliviſcor lubentiſſime, teque in poſterum reſpiciam, ut hominem erga me innocuum.*

XVI. Divitias, quas vecturis congerebat, partim propriis commodis reſervabat, partim egenis largiebatur, impendebatque liberandis captivis, alendis viduis, & pupillis, dotandis innuptis, præſtandiſque pharmacis, & alimentis infirmis paupertate laborantibus; in tantamque propterea exiſtimationem crevit apud omnes, ut nobilis quidam, ſed non admodum opulentus Civis Azcaputzalci filiam ſuam ei obtulerit in matrimonium. Renuit Apparitius; quum vero nunquam a moleſto homine dimitteretur, ei dixit: *Quoniam omnino vis, ut uxorem ducam, æquum eſt, ut de dote verba faciamus*. Tunc ille: Quoſdam pro dote habebis agros, domoſque campeſtres. *Non utique*, regerit Sanctus; *ſatis enim rerum harum poſſideo. Niſi nummos ſolvas, infecta res eſt.* Aliud, inquit Nobilis, non habeo, quam ſexcentum petias de octo. *Ego autem*, reſpondit Apparitius, *parem ſummam impendam tibi, ut filiam tuam colloces. Supereſt, ut domum meam aliquem mittas, cui illam tradam.* His dictis, ſalutatoque homine diſceſſit.

XVII. Tranquillioris vitæ deſiderio poſt ſeptemdecim annos divenditis bobus, & curribus ſuis, prædium coemit prope Mexicum inter Tlalnepantlam, & Azcaputzalcum, cui adjecit poſſeſſionem armentorum. In rebus ſuis operoſe occupatus ſortem ſuam auxit, & ex redditibus, quæ ei large affluebant, egentibus proximis agricolis pecuniam mutuam dabat nullo fœnore, nec eos ad reſtitutionem, etſi illiberales, adigebat. Debita deſunctorum conjugum viduis dimittebat. Quibusvis præterea, quorum paupertatis conſcius foret, præſto erat. Homini familiæ illuſtris non mediocrem argenti ſummam commiſerat, qua vitæ neceſſitatibus occurreret, quum fortunæ bonis deſtitueretur, uxoremque, & tres filias haberet. Eo mortuo, Apparitius, ſecum ducto Tabellione ad ejus domum, coram uxore, & filiabus præſtitæ fidei ſyngraphas laceravit. Incidit alias in hominem, quem ære alieno gravatum ſatellites trahebant in cuſtodiam, rogatiſque fruſtra ſatellitibus, ut miſerum illum abire ſinerent; ipſe enim illius nomen in ſe eſſet tranſcripturus; quæſivit quantum deberet. Tria millia petiarum de octo, reſponderunt. *At ego*, inquit, *pecuniam hanc numerabo*. Quæ dum fierent, advenit ſorte Prætor, qui Sebaſtianum agnoſcens, ejuſque fidem perſpectam habens, juſſit, ut captivus dimitteretur, pauciſque poſt diebus pecuniam a Sebaſtiano accepit, qui hominem, cui beneſaciebat, ne de facie quidem noverat.

XVIII. His moribus, & quia nihil unquam vel otioſum, vel ingratum ore ſuo excidiſſet, nulloque defectu, aut noxa, aut levitatis nævo adnotatus fuiſſet, omnium in ſe oculos convertit, auctoritate eouſque præpollens, ut cuncta Regionis illius negotia, & controverſiæ ad ipſum, veluti ad oraculum, componendæ deferrentur. Horas partim ruſticis occupationibus, partim orationi impendebat. Cubabat ſuper humum ſubſtrata vili ſtorea, & paupere extenſa penula, ſæpiuſque inſidens equo, & haſtili innixus ſomnum eludebat; veſci aſſuetus placentis ex frumento Indico confectis, intincta piperitide contrita, *Chile* appellatis, & in feſtis ſolemnioribus modica bubula refectus

refectus, mediis in opibus, quibus abundabat, unicam quærens abſtinentiam, & mortificationem.

XIX. Morti proximus, ut credebatur, in infirmitate, quam contraxerat, ſupremas tabulas confecit, quibus bonorum ſuorum hæredes ſcripſit Fratres Ordinis Prædicatorum Azcaputzalci prope Tlalnepantlam, ubi ipſe habitabat. Sanitati reſtitutus annum agens ætatis circiter ſexageſimum, ne ſolus domi maneret, uxorem ducere cogitavit, quacum pacifice, & ſancte vitam tranſigeret. Verum deterrebant eum conjugii munia; abs re enim videbatur, ut virginitatis florem, quem intactum a tot periculis adoleſcens eripuerat, ſenex macularet. Incertus, & ad Deum preces fuudens, ut quid conſilii caperet intelligeret, importunitate magis Parentum honeſtiſſimæ puellæ, quam propria voluntate motus eam ſibi deſponſavit, dotemque illi conſtituit duo mille petiarum de octo.

XX. Degebat eo temporis Chapultepeci, quod eſt nemus amœniſſimum media fere leuca ad Occidentem ab Urbe Mexici, virorum nobilium, qui ruſticandi cauſa eo confluunt, aliorumque frequeutia cultum; palamque fuit omnibus, ſe id feciſſe, ut Virginis conſuleret pudicitiæ, quæ in diſcrimen adducebatur, inopia, & pulchritudine ſingulari, qua excellebat; maxime quum meliores nubendi occaſiones ille rejeciſſet, vitamque ad ſenectam uſque produxiſſet abſque ulla criminis ſuſpicione. Narrat Nicolaus a Plumbo, eum Sponſæ ſuæ prima nocte perſuaſiſſe, ſervandam mutuo eſſe virginitatem, non minus blando, quam erudito eloquio, recenſitis exemplis SS. Henrici, Elzearii, Eduardi, Salomeæ Colomani Polonorum Regis Uxoris, aliorumque; quod ſane maximam illius peritiam in hiſtoriis ſupponit. At e contra ex univerſis ejus vitæ Scriptoribus, & Proceſſu pro Beatificatione &c. compertum eſt, Apparitium fuiſſe hominem rudem penitus, & illiteratum, bobus, plauſtriſque tractandis aſſuetum, qui audiens aliquando Minoritam aſſerentem, quod Jeſus, Maria, & Joſeph fuiſſent Judæi, turbatus dixit: *Tu loqueris hareſes*. Quod ejus dictum cenſuræ Promotoris Fidei ſubjacuit. Alias Sacro inſerviens in Eccleſia Monialium S. Claræ Mexici, quum primum inibi Tertiarii habitum ſumpſit, ad *Orate Fratres*, quod Sacerdos pronuntiavit, neſcius quid ſibi faciendum, aut dicendum foret, verſus ad Chorum Monialium exclamavit: *Matres, Deo gratias*. Itaque eloquens illud, & eruditum eloquium inter figmenta amandandum eſt. Simplicem, innocentemque puellam, eamdemque ætate tenerrimam duxerat Vir Dei, quantumque in ſe erat mores illius cuſtodire ſibi unice propoſuerat. Quare, ut in comperto eſt, etiamſi exempla caſtorum Conjugum ſciviſſet, nihil oportebat, ut eis inopportune uteretur, quæ Virginem in iis erudire poterant, quorum omnino erat ignara; ut enim ait Joannes de Torquemada, tempus, quod abſente Marito aliquando vacuum habebat, terebat in ludis puerilibus, & cum illo interdum equitabat, ſedens in arcu ephippii, dum ille, ut mos viget in nova, & veteri Hiſpania, quoties mulieres a viris equitantibus comportantur, lævam in formam arcus a tergo Conjugis teneret, ne retro caderet, & dextera ante illius ſinum habenas regeret; nam feminæ equo inſident tibiis junctis, non, ut ſolent homines, ab utroque latere diviſis, quod etiam fit in quibuſdam Italiæ locis.

XXI. Vivebat cum nupta ut pater cum filia, eamque ad Religionis, & pietatis normam inſtituebat, ſedulo cavens, ne quid unquam

illi deeſſet eorum, quæ victus, & ornatus muliebris expoſtulant, neve aliorum conſortio, aut ſui ipſius inconſiderantia aliqua, juvenculæ ſimplicitas, & pudor jacturam paterentur. Illa ſtrato cubabat; ipſe humi. Jurgio omni, & ſimultate remotis, caſtiſſimus amor utriuſque pectoribus inſidebat, voluntateſque, & deſideria ſociabat.

XXII. Rebus ſecundo curſu fluentibus, in medium proſiluit avarus Socer, qui ſperans, nemini alii, quam filiæ ſuæ pinguem Apparitii hæreditatem obventuram, eum triſtiſſimis verbis objurgavit, quod Sponſam negligeret, & quæ ſui muneris erant exſequi detrectaret. Cui Apparitius: *Non ignoras*, inquit, *quo fine filiam tuam duxerim. Mihi pauperrimam obtuliſti, ut facultatibus meis ejus honeſtatem tuerer. Ipſa aliunde mecum conſentit, nec queſta eſt cum quoquam, nec, ut ſpero, unquam queretur*. His alter nequaquam acquieſcens ſecum animo reputabat, non virtute duci Apparitium ad continentiam, ſed organico vitio, quo laboraret; abſurdum namque profano videbatur, poſſe quemquam ab uxore adoleſcentula, & formoſa abſtinere. Judicio proinde cum illo contendere decrevit. Sed vix expleto conjugii anno, Puella deceſſit, cui mœſtiſſimus Conjux juſta perſolvit in Eccleſia S. Franciſci, vel, ut ſcribit Torquemada, S. Gabrielis Archangeli Tacubæ in regione de Tlacopan una ferme leuca a Civitate Mexici, ejuſque Parentibus integram dotem propriis commodis retinenda indulſit.

XXIII. Rediit deinde Apparitius Tlalnepantlam, ſeu Azcaputzalcum, loca invicem vix uno milliari diſtantia, ibique ætatis anno ſexageſimo tertio, Mariam Eſtevam inopem, nobilemque Virginem, quam educationis gratia prius Monaſterio incluſerat, ſuiſque expenſis aluerat, conjugem duxit, eodem continentiæ propoſito, eodemque fine, ut illius innocentiam, & honeſtatem in tuto collocaret. Novæ nuptæ par cum illo voluntas, par mutuus amor, & benevolentia. Lætiſſimos dies tranſigebant animo conjuncti, non corpore, terrenis rebus affluentes, & cæleſtibus anhelantes. Adeo id verum eſt, ut ad vitæ anguſtias morbi magnitudine Sponſus redactus advocatis Parentibus dixerit: *Attendite vos; ego enim filiam veſtram vobis reddo Virginem, ut eam mihi dediſtis*.

XXIV. Ne autem quidquam a priori alterum hoc conjugium differret, querimonias importuni illi in medium protulerunt, non tam adeundæ hæreditatis gratia; ſciebant enim, eum Sponſæ ſuæ facultates omnes ex teſtamento legaviſſe; quam quia ægre ferebant, Filiam Virginem relinqui. Novas propterea moleſtias ſubiit, reprehenſus etiam ſemel a Confeſſario, cui illi rem detexerant, quod Uxorem cælibem eſſe ſineret, atque ipſe in ſtatu peccati mortalis reperiretur. Sui tamen conſcius, & probe intelligens, Confeſſarium ex aliorum ſententia loqui, ut multo clarius poſtea innotuit, quum ea de re nihil ultra ei diceret; deliberatione non excidit; noverat enim, quamvis literarum ignarus, matrimonium non eſſe inſtitutum propter ſolam liberorum procreationem; ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Uxorem igitur ſuam diligebat, veſtium, & ornamentorum copia ditabat, comitem habebat in deambulationibus, & ſi quandoque ſine illa domo egredi neceſſe foret, oſtium clave occludebat, ejus honeſtati proſpiciens; quin etiam cubitum ab ipſo ſeparatim eunti exteriorem tunicam detrahebat, in rebus quoque minimis id agens, ut Sponſam unanimem, ſeu potius ſociam pudoris, & caſtitatis haberet. Sed Deus illum cura omni liberavit; nam paullo poſtquam ipſe ab

ab infirmitate, in quam inciderat, convaluiſſet, domo profectus eſt. Quum vero ſtatis horis non redeuntem Uxor fruſtra exſpectaſſet, in vicinam arborem aſcendit, ut proſpiceret, an eminus detegeretur. Videns autem illum jam ædibus propinquantem, ut citius deorſum feſtinaret ei obvia futura, in tellurem cecidit ab arboris ramis, graviterque percuſſa, & ſaucia, omnibus licet remediis adhibitis, interiit, & sepulta eſt in Eccleſia S. Dominici Azcaputzalci, incredibili cum Mariti mœrore, & lacrymis. Submiſit vero ipſe & hujus Parentibus duo mille petiarum de octo, quibus eam dotaverat, gemmaſque, & monilia, ac pretioſa ornamenta.

XXV. Non defuerunt nonnulli, qui eum crimini obnoxium ſe reddidiſſe contenderent, quod torum, actuſque conjugales præterierit. Hæc tamen objectio obſoleta jam eſt, valideque refutata cum Sanctorum virorum exemplo, qui abſque noxa virginitatem in conjugio ſervarunt, tum ex rei ipſius circumſtantiis; conſtat ſiquidem, neque unam, neque alteram uxorem ab Apparitio poſtulaſſe, ut debitum redderet; adeoque quum ageretur de matrimonio rato, per quod abſolute non transfertur corpus unius Conjugis in poteſtatem alterius, ſed conditionate ſolummodo, nullam obligationem contraxerat Apparitius matrimonio utendi; quod adeo verum eſt, ut Eccleſia, quæ filios ſuos chariſmata meliora æmulari cupit, lege concedit ante matrimonii conſummationem, ut ambo, vel unus ex conjugibus, altero etiam invito, intra bimeſtre diſcedere, & Religioſam vitam amplecti poſſit. Alii imprudentiæ ſaltem nota eum inuſſerunt conjugio rurſus operam dantem, poſtquam Virgo ab altero evaſerat. Nihil, inquiunt, neceſſe fuit, ut periculo iterum ſe exponeret, quoniam caſtitatis ſervandæ amantiſſimus erat. Verum hæ quoque voces evanuerunt, examine a S. Rituum Congregatione ſæpius inſtituto, rebuſque diligentiſſime perpenſis, quarum ſumma liquido oſtendit, Apparitium Sanctitatis viam non uſitatam tenuiſſe, prout Academici Theologicæ Facultatis Pariſienſis, Salmaticenſis, & Patavinæ adnotarunt conſulti a Philippo V. Rege Hiſpaniarum, & a Cardinalibus Cornelio, & Gesures, ut apertum eſt ex eorum reſponſionibus Latino idiomate Romæ impreſſæ anno 1722. in Typographia Vaticana. Cæterum duo hic probe conſideranda opinamur. Primo Apparitius poſt emiſſa vota ſanctiſſime vixit in Ordine ultra viginti annos in humilitate, oratione, pœnitentia, cæteriſque virtutibus, nec a perfectionis ſemita unquam declinaſſe, prophetiæ etiam dono, & miraculis fulgens. Hinc etiamſi aliquid in ſæculo deliquiſſet, quod tamen eſt falſum, culpam omnem anteactam bonum ſubſequens cumulatiſſimum abunde compenſaſſet. Secundo: Non ſemper hominum Sanctorum geſta ſeorſum ſunt inſpicienda, & ab aliis veluti ſeparata contemplanda; præſtat enim, immo neceſſarium eſt ſæpiſſime, ut ſingulorum nexus, & harmonia perpendatur, & totam Sanctitatis imaginem ex diverſis coloribus compactam, varioque lucis, & umbrarum diſpoſitione coagmentatam rite intueamur, atque admiremur.

XXVI. Solutus Matrimonii vinculis, ut Deo unice inſerviret, demiſſo cultu corporis mundiori, & elegantiori, rudem ſumpſit amictum cineracii coloris, nihil ſollicitus quidquid de ſe alii dicerent. Humi, ut antea, cubabat, & ne deſiderio lectum petendi teneretur, ipſum pauperibus diſtribuit continuo poſt ultimæ Uxoris funus. Recumbens diu ante fores præſepis boum, non mediocrem contraxit dolorem in brachio,

chio, & morbum, oportuitque, ut ad amicum ſuum divergeret, qui licet commodum, & molle ſtratum ægroto ſterneret, non obtinuit tamen, ut in eodem ille jaceret ſupra ſtoream projectus, donec ſanitatem recuperavit.

XXVII. Communis animarum hoſtis Virum Dei per virtutum tramitem incedentem, injectis ſuggeſtionum imaginibus, & pravarum cupiditatum ſtimulis, ab incœpto retrahere pluries nequidquam aggreſſus, in apertum tandem bellum erupit, aſſumptaque Æthiopis forma, Apparitium dormientem excitavit, & oſtenſa vanno, quam manu tenebat: Surge, inquit, cribremus ſrumentum, quod eſt in area. Et re vera ab hoc opere Apparitius paullo ante ceſſaverat. Expergefactus ad clamorem: *Quomodo*, ait, *cubiculum ingreſſus es, occluſis foribus*? Noverat enim, ſe peſſulo oſtium obſignaſſe, nec Dæmonem eſſe adverterat hoſpitem ſuum, rei novitate perculſus. Mox, fraude cognita, ſigno Crucis inſidiatorem ejecit, Rurſus ſub noctis umbris inimicus rediit tauro ſimilis ruenti, & indocili, quem Apparitius e ſtorea ſurgens, in qua requiem captabat, cornibus apprehendit cum eo luctatus ad horam uſque ſecundam poſt mediam noctem, ut ſurentis belluæ impetum, & violentiſſimas impulſiones refræuaret. Orabant interea Minoritæ poſt Matutinas in Eccleſia S. Franciſci Tlalnepantlæ, placuitque Deo Sebaſtiani periculum Joanni Baptiſtæ de Lagunas pio Fratri revelare, qui miſeratione ductus dixit Antonio Morbillo Guardiano: *Eamus, quæſo, & opem cito feramus optimo vicino noſtro Fratri Apparitio, quem infernalis hoſtis graviſſime laceſſit*. Iverunt ergo ſimul ad illius domum, & in via illum offenderunt, qui, expleta pugna, ad Cœnobium properabat in tuto illic ſuturus. Cui Joannes Baptiſta: *Veniebamus*, inquit, *ut tibi præſto eſſemus*. Ille autem: *Quisnam vobis id patefecit? Certe qui vobis id dixit, ille me periculo liberavit*; gratiasque ſimul Deo agentes Cœnobium petierunt.

XXVIII. Reverſum domum ad munera ſua Tentator quietum vivere non eſt paſſus; depoſitis enim formis terribilibus, pulcherrimæ, & delitias ſpirantis ſeminæ ſpecie ſe illi exhibuit ad inhoneſta provocantis. Impuro tamen ſpectro in diſcrimen non incidit vir caſtiſſimus. Vocem Dei ad cor loquentis, & ad Religioſum Ordinem vocantis audiens ſignificavit conſilium ſuum Guardiano S. Franciſci Mexici, quem habebat Confeſſarium, a quo reſponſum tulit, rem eſſe maximi momenti, de qua ſerio foret cogitandum, ne temere negotium ſuſciperetur. Dimiſſus, pluribusque diebus in ſolitario receptaculo Deum deprecatus rediit ad Confeſſarium, cui difficultates adhuc non parvas objicienti reſpondit: *Conſtantiſſime, Pater mi, mundo valedicere deliberavi, & facultates meas in pauperes diſtribuere, ut quod reliquum manet vitæ Deo conſecrem, & ex parte ſaltem præterita reparem damna*. Etſi vero hæc Confeſſarius ſincere dici non dubitaret, nihilominus in ſententia perſiſtens ſuaſit ei, ut orationem continuaret per dies aliquot præfixos. Quod quum ille feciſſet, hoc eum Confeſſarius ſermone compellavit: „ Ea,
„ quæ poſtulas, Fili, maximæ conſiderationi ſunt, nec illico perfici
„ queunt. Tu autem apud me adeo inſiſtis, ut tempus auſeras ſerio
„ de omnibus cogitandi. Dolerem utique, ſi rei, cujus ſucceſſu tem-
„ poris te poſſet pœnitere, imprudens tibi eſſem auctor. Sed quia mo-
„ ræ impatiens videris, expedit omnium primo, ut partem bonorum
„ tuorum pauperibus largiaris, partim Virginibus S. Claræ hujus Ci-
„ vita-

„ vitatis, quarum, ut vides, Monaſterium adhuc ſub artificibus eſt, „ magnaque ipſe premuntur egeſtate „. *Bene habet, Pater mi*, reſpondit Apparitius. *Hoc equidem mihi gratiſſimum accidit. Sed de me quid fiet?* „ Quoniam, ait alter, vis ingredi Religionem, poteris modo habitum Tertii Ordinis ſuſcipere, & tamquam oblatus Monialibus in- „ ſervire; decet enim ætatem tuam adeo provectam, ut arctius viven- „ di genus ſubito non arripias. Poſtea Deus per viam ſuam facile te „ deducet.

XXIX. Conſilium probans Sanctus jugera omnia, & armenta ſua pretio ſexdem circiter mille petiarum de octo æſtimata Monaſterio S. Claræ libere donavit, nulla appoſita conditione, vel limitatione, inſtrumento confecto, & ſubſcripto Mexici coram Joanne de Oroſco ſcriba Regio, ſub F. Didaco de Miranda Monaſterii Vicario, & Maria de S. Nicolao Abbatiſſa. Nummos vero, quos domi habebat, ſuppellectiles, & ſubſtantias omnes egentibus erogavit, quamvis ab amicis, & familiaribus ſuis reprehenderetur, quod mendicandi periculo ſe exponeret ſi a Religione caſu aliquo ejiceretur. Ipſe quoque malignus Spiritus ſic eum eſt alloquutus: Cur bona tua donas feminis adeo fatuis, ut ſua propria reliquerint? *Ego*, reſpondit Sanctus, *Monialibus S. Claræ mea dono non illarum gratia, ſed amore Dei*.

XXX. In famulatu Monaſterii ſedulo verſabatur habitu Seraphico indutus. Quum autem tum ruſticus foret ab arvis, & armentis aſſumptus, tum contemni ipſe vellet, & ruſticior haberi, nonnulla incondite peragebat, nonnulla veluti inconſiderate, nonnulla etiam negligenter infecta relinquebat, ex quorum omiſſione nil mali ſequi perſpiciebat. Humilitati addebat zelum honoris Divini. Licentioſo juveni, qui quicquid in buccam veniſſet, inhoneſte loquebatur, & cum muliere illicitam familiaritatem exercebat, dixit: *Quæſo, Frater, per amorem Dei, cautior ſis tam in ſermone, quam in opere; Chriſtianos enim vel ipſis cogitationibus oportet eſſe Sanctos*. Nihil illum hortatione motum irruens Diabolus quodam die in faucibus corripuit, ſtrictumque tenuit ſuffocaturus. Adſuit periculo Sebaſtianus, & ait: *O homo perdite, qui ad meliorem frugem recipere te noluiſti, ſcito, hæc Deum permittere in pœnam iniquitatis tuæ. Regredere in viam rectam; Deus enim infinite miſericors ad pœnitentiam te exſpectat*. His auditis, vitam ille ſuam emendavit.

XXXI. Maligni Spiritus bellum, quod in aliis compeſcebat, in ſe ſuſtinuit, nullaque nox, dieſque decurrebat, quin ille horrendorum phantasmatum, & terribilium ſpecierum multiplici varietate cinctus ſibi non appareret; quo fiebat, ut ne minimo quidem ſomno Sanctus frui poſſet, vitamque duceret inter ingentes formidines perpetuo ſollicitam, & turbatam. Hinc loco excedere cogitavit. Moniales vero, ne hominis jacturam facerent optimi, & beneficentiſſimi, duos ſæculares ei dederunt ſocios, qui noctis tempus cum ipſo tranſigerent. Primo die circa noctis dimidium, recumbentibus ipſo, & ſociorum uno, altero autem ad accenſam lucernam devotum librum legente, Apparitius nondum ſopore correptus irrumpentes vidit in cubiculum duos leones, quorum alter aggrediebatur ſocium in lecto jacentem, veluti ſi dentibus, & unguibus eum ſcinderet in fruſta; alter lucernam a manu legentis eripiebat, ſurſumque pluries cum vi jactabat, nunquam tamen extincto lumine; quodque in his magis mirum erat, nec oppreſſus quidquam lamentabatur, nec alius lectionem interrumpebat. Facto denique

nique ſigno Crucis, viſio omnis evanuit. Interrogatus ſubinde ille, qui lectioni vacabat, nihil ſe vidiſſe affirmavit. Alterius vero corpus nigro colore infectum inventum eſt mane poſtero. Ambo vero exceſſerunt domo illa, nec eo amplius redire ſunt auſi.

XXXII. Duobus annis exactis in ſervitio Monaſterii, a graviſſimo morbo incolumis, quo ſepulchro proximus fuerat, Minorum Ordini ſe adſcripſit, ut dictum eſt, in Cœnobio Mexicano S. Franciſci. Quamvis autem ætate maturus, vegeta tamen, & vivaci habitudine pollebat, viribusque ad quæcumque munia præſtanda accommodatis ſic, ut nihil foret, quod minus Novitiis cæteris, quindecim, aut viginti annos natis exſequeretur, in verrenda domo, coquendis cibis, deferendis oneribus. Neque hic tamen a Dæmonis inſidiis quievit, immo vero vehementius exagitatum ſe agnovit, diesque vix abſuit, quin cum hoſte dimicaret, nunc in ſe irruente, nunc ſibi tunicam eripiente, ſtrepitum excitante, & horrorem incutiente, ut deſperatione ille ductus Minoribus valediceret. Nocte quadam, antequam ſomnum caperet, lecti ſtragulis ſe totum operuerat ad corpus funiculo ligatis, ſperans, ſe hoc pacto Dæmonis moleſtias vitaturum; quum ecce inimicus una cum ſtragulis e lecto eum rapuit, involutumque a feneſtra projicere tentavit deorſum. Aſt clamantem, & Religioſos altis vocibus excitantem, invocantemque Dei nomen humi abjecit, ubi ipſum invenerunt in pavimento cubiculi Magiſter Novitiorum, & alii Fratres, qui illuc ad rumorem properarunt, ſolutoque ſtragulorum involucro viderunt carnes ejus tumefactas, & lividas ex verberibus, quæ a Dæmone acceperat.

XXXIII. Perſeverabat in oratione mentali, diſciplinis, & ciliciis, leve ſomnum captans plerumque ſuper tabulas, aut ſilices, ſoloque pane, & aqua, paucis additis oleribus inſipidis, & crudis, victitans. Quo vitæ inſtituto non modo hoſtilium tentationum robur fregit, verum etiam illarum frequenti exercitio, ut aurum per ignem probatior, & perfectior fiebat. Expleto anno, nonnulli Fratres arbitrabantur eum inhabilem ad Regulæ rigorem, provectæ admodum ætatis hominem: in hoc equidem factis, quæ viderant, abſurde repugnantes, nemo enim fortaſſe ipſorum Regulam hactenus Apparitio melius obſervaverat; nec animadvertentes non ſenectam impedire, ne Religioſus ea, quæ ſtatus ſui ſunt, voluntate ſaltem, qua Deo ſola placere poſſumus, peragat; ſed affectus animi immoderatos, quibus Apparitium penitus deſtitutum cognoverant. Dum hæc agerentur, Religioſus quidam ei dixit: Quid de te erit, Sebaſtiane, ſi a Religione te ejicient? Ille nil motus: *Amplexus ſum*, inquit, *Religionem, quia credidi me a Deo vocatum. Si a profeſſione excludar, cognoſcam, Deum velle, ut ad priſtinos meos labores redeam, & parebo voluntati Dei*. Obſtacula tamen omnia, diſponente Deo, tandem evanuerunt, admiſſusque fuit ad ſolemnia vota nuncupanda. Illi lætitia exultanti ob expletum animæ ſuæ deſiderium, tribus continuis noctibus apparuit in viſione Seraphicus Pater S. Franciſcus cæleſti gloria redimitus, tenerisque verbis, & amplexibus eum excitavit ad terendam ſemitam, quam erat ingreſſus, Dæmonis inſidiis, & artibus omnino contemptis, de quo relatam victoriam pleni fructus in patria conſequerentur. Profeſſum miſit Miniſter Provincialis ad Conventum S. Jacobi Apoſtoli de Tecali, ſeu Tecallis, quinque fere leucis a Civitate Populæ de Angelis, ubi per integrum annum moratus Janitoris, Hortulani, & culinæ miniſteria peregit, ac ſi hæc omnia unum officium fuiſ-

fuiſſent, Fratribuſque inſervivit non ſolum ibi, ſed & in quatuor circumpoſitis Sacellis, Conceptionis, S. Mariæ Magdalenæ, S. Jacobi Minoris, & S. Crucis.

XXXIV. His in locis hoc anno Martinus Enriquez Pro-Rex Mexici promulgavit coram Miniſtris Provincialibus leges ſequentes Regiis literis Philippi II. ſtatutas ad inſtantiam Epiſcoporum. I. Nemo Religioſorum ſubditus, vel Prælatus transeat in Novam Hispaniam, absque Regis licentia. II. Nemo Prælatorum major, vel minor exerceat officium ſuum, niſi prius Pro-Regi conſtet de ejus electione. III. Prælati omnes tradant Pro-Regi catalogum Eccleſiarum, & populorum omnium, qui eorum juriſdictioni ſubjacent. IV. Iidem quotannis conficiant catalogum eidem Pro-Regi exhibendum omnium ſubditorum Fratrum cujuslibet Provinciæ cum eorum muneribus, & qualitatibus. V. Conficiant, exhibeantque catalogum ſubditorum Fratrum Parochorum, qui exercent curam Domorum doctrinalium; quem Pro-Rex mittat ad Epiſcopum Diœceſanum, ut ſciat, an Domus doctrinales proviſæ ſint, & quænam perſonæ illas occupent. VI. Parochus ſemel inſtitutus removeri non poſſit inconſulto Pro-Rege, aut loci Præſide. Vetancur ibidem contradictione 1. pag. 10. & seq.

XXXV. Non difficulter obtentum eſt a Fratribus, ut Regio edicto conſentirent, exceptis poſtremis duobus articulis. Dixerunt, ſe nomina quidem Parochorum Pro-Regi miſſuros; ſed Dominis Epiſcopis notum id facere, idem fore, ac controverſiis anſam præbere, ac efficere, ut Epiſcopi a Miniſtris Provincialibus poſtularent, cur potius Fratrem unum, quam alterum Domui doctrinali præfeciſſent, cui quæſtioni ſatisfacere nec commodum, nec honeſtum accidebat; plerumque enim Prælati Ordinis cauſam, cur aliquid agunt, in vulgus efferre nequeunt absque Fratrum, & Ordinis ipſius jactura; quod magis in negotio præſenti valebat, in quo agebatur de comparatione dignitatis, & meritorum. Addebant, id unum ſatis eſſe, ut Domos doctrinales moderarentur viri docti, & probi, omni comparatione ſecluſa. Ad ultimum dixerunt, legem adverſari municipalibus exemptionibus Ordinis, quibus cautum eſt, ut Miniſtris Provincialibus jus ſit a ſæculari poteſtate independens, ac liberum, de Fratribus ſuis diſponendi, eoſque, prout rectius ipſis videretur, commutandi, & ad munera alios aſſumendi, quin alicujus mores ad ſæcularium Tribunal expendendos afferre cogerentur; quemadmodum ipſæ quoque conceptis verbis decernunt Apoſtolicæ Conſtitutiones. Res eo proceſſit, ut Regiæ literæ executionem non obtinuerint.

XXXVI. E vivis ſublato Joanne de Serra Petronum Magiſtro Generali Minorum Conventualium, ex ventriculi imbecillitate, qua vexabatur, ſepultoque in Cœnobio Patriæ ſuæ, ut ſcribit Rodulphus, in ejus locum deſiderium ſui maximum relinquentis ob ſummam humanitatem, literas, mores, & Regularis diſciplinæ zelum, ſuffectus eſt Petrus Antonius Camillus de Nuceria prius ut Vicarius Generalis a Pontifice renuntiatus: *Quum ſicut accepimus*. Die 6. Martii; deinde ut Magiſter Generalis electus in Comitiis habitis in Civitate Senarum, quibus præfuit auctoritate Apoſtolica: *Quum ſicut accepimus*. Die 22. Aprilis. Corrigendus hic Rodulphus, qui de hoc Capitulo agens in præſens tempus rejicit Martyrium Fratrum Gorcomienſium, quos etiam duodecim appellat. Rodulphus lib. 2. pag. 198. a tergo. Ibidem pag. 245.

XXXVII. Vincentius de Monte Ulmi Capuccinorum Familiæ Moderator deceſſit hoc eodem tempore Meſſanæ apud ſuos in die Cinerum,

cum bonorum omnium mœrore, qui viri ingenium ad quidvis expeditum, animi fortitudinem, ſapientiam, fidem, & pietatem admirabantur, curamque præterea, quam dies, noctesque exerebat, ut magis, magisque Fratres ſibi concrediti in virtutibus augerentur. Ipſum minus vere Rodulphus renuntiatum ſcribit Generalem anno 1568. die 3. Junii in Capitulo Anconitano; is enim annus ſecundus fuit ab electione in Generalem Marii de Foro Sarſinio, qui Officium produxit usque ad annum antecedentem, confirmatus in illo, ut diximus, anno 1570. Defuncti partes explendas ſuſcipiens, interini Vicarii nomine, Hieronymus de Monte Florum jam Procurator Generalis, & actu Generalis Diffinitor Capitulum indixit Romæ celebrandum anno inſequenti, qui Jubileus futurus erat, & in Comitio Provinciali, ad quod habendum Meſſanam miſerat Commiſſarium Generalem Hieronymum de Typherno, executioni dedit anteactum decretum, quo præcipiebatur diviſio Provinciæ Siciliæ in deſcriptas ſuperius partes.

Rodulphus lib. 2. pag. 201.

XXXVIII. Petierant Galliam Dionyſius a Mediolano, & Remigius a Lauda, & Lutetiam pervenerant, ubi Carolus Cardinalis Lotharingiæ perhumaniter advenas exceperat, utque a Galliæ finibus non excederent, ædem ipſis aſſignaverat in loco de Piquepus juxta Lutetiam, quam ut hoſpitium, ſeu Reſidentiam incolerent. Interim vigore literarum Apoſtolicarum: *Ex Noſtri Paſtoralis Officii*, quas anno inſequenti datas pridie Nonas Maji ſcribit Boverius, Benedictus vero Sambenedecti Boverii traductor hoc anno die 6. Maji, facta Capuccinis venia, ut in Regiones Ultramontanas, & in alias, ubi lubitum foret, ſacrum Inſtitutum propagarent, Hieronymus de Monte Florum Commiſſarium delegavit in Galliam Pacificum de S. Gervaſio virum expertum, Alumnum quondam Monaſterii S. Georgii in Alga Venetiarum, a quo ad Capuccinos tranſiens præfuerat Provinciis Apuliæ, & Venetæ, & Commiſſarium egerat in Inſula Cretæ; cui proficiſcenti ſocii adfuerunt Hieronymus de Mediolano Guardianus Cœnobii Mediolanenſis, Clemens Neapolitanus Guardianus Cœnobii Aretini in Etruria, Franciſcus a Briga Provinciæ Genuenſis, Antonius Piſanus, Ludovicus Belga, Leonardus, ſeu Leander Venetus Verbi Dei Concionatores, Petrus de Campis Presbyter, Ludovicus Gallus Clericus, & duo Laici, quorum acta ad annum poſteriorem reſervamus.

XXXIX. In ſolemnitate Paſchali hujus anni ad Agni nuptias in cælis tranſlata eſt Anna Capponia Nobilis Florentina Tertii Ordinis in Monaſterio S. Urſulæ patriæ Civitatis genere, & virtutibus illuſtris, charitate in primis, qua annis multis Pharmacopolæ munus exercens miſeris intra, & extra Cœnobium abunde ſubvenit; patientia, qua diuturnas ſuſtinuit infirmitates; humilitate, qua omnium minimam, licet aliis præeſſet, ſe exiſtimabat, viliſſima interim officia lubens, & volens peragenda ſuſcipiens; Religione, qua de bonis paternis ſibi devolutis, aliiſque proprio labore, & induſtria partis nihil ſibi retinuit, ſed prædium Monaſterio coemit, ſuppellectiles auxit, & Eccleſiam ornamentis ditavit.

Monumenta Provinc. Tusciæ.

XL. Haud multo poſt in eodem Monaſterio obiit Evangeliſta Annæ diſcipula, in laboribus ſocia, & virtutum æmulatione, quæ quum tumulo mandaretur, alterius corpus integrum, & incorruptum apparuit. Boppardiæ in Monaſterio S. Martini Provinciæ Colonienſis Clara de Francofurto olim a Cœnobio, in quo vota emiſerat, prope Francofur-

Pulinari 3art. 2. pag. 79.

Monumenta Provinciæ Coloniæ.

furtum cum aliis ſororibus a Comite de Salm ex odio fidei exturbata, & Boppatidiæ recepta ibidem ſanctiſſime vixit. Alcazarii in Territorio Toletano Franciſca a Cruce Fundatrix Monaſterii SS. Conceptionis ejuſdem loci, Virgo incredibilis pœnitentiæ, & contemplationis, cui in opere a ſe inchoato adfuerunt ſociæ Maria ejus conſanguinea, & Ludovica, quæ hoc anno in locum defunctæ ſuffecta eſt, & ambæ cum ſanctitatis opinione ibidem deceſſerunt.

Marianus libro 6. Chronicarum capit. 23.

XLI. In Monaſterio S. Claræ de Santarem quievit hoc anno Maria de Plagis, ex nobiliſſima familia de Chagas. Adhuc adoleſcentula Monaſterium ingreſſa Deo alacriter inſervivit devotiſſima S. Patris Franciſci, pœnitens, & ecſtatica. Nihil aliud quærens, niſi Deum ſuum, Monialibus ſæpe dicebat: *Sorores meæ, adeſte mihi, ut glorificem Dominum, & vobiſcum purificem animam meam*. Non recte Arturus ejus obitum ſignat die 13. Julii. En epitaphium tumulo ejus inſcriptum: *Sepulchrum Sororis Mariæ de Chagas filiæ Marchionis Villæ Regalis D. Petri III., & Marchioniſſæ D. Brites. Obiit die IX. Novembris MDLXXIV.*

Emmanuel a Spe in Hiſt. Portugalliæ part. 2. cap. 24. lib. 5. pag. 544.

XLII. In Monaſterio S. Claræ Portus deceſſit Iſabella de Cruce, quæ tempore Clauſtralium vocabatur Iſabella de Madureira, in Civitate Portus nobiliſſimo loco nata. Præfuit Monaſterio Abbatiſſa zelo æſtuans Obſervantiæ Regularis, orationi addicta, in qua uberes lacrymas fundebat, in corporis afflictationibus vitam tranſigens, in laboribus exercitata, & quidvis adverſum ob Dei amorem lubentiſſime ſuſtinens. Horæ mortis præſcia ſocias ſuas rogavit veſpere, ut ſecum eſſent, quia mane poſtero ad Sponſum ſuum eſſet itura. Corpus defunctæ poſt ſex, aut ſeptem annos incorruptum ſuavem emiſit odorem. Extra hoc Monaſterium in paterna domo, quam tenebat morbi cauſa, vitam explevit circa hoc tempus Magdalena ab Annuntiatione. Florebat in ipſo Anna de Chagas, quæ Vimarani, ubi Pater ſuus morabatur, nobiliſſimum conjugium inire recuſavit, ipſoque nuptiarum die, abjectis pretioſis ornamentis, ſumptoque humili amictu, & galero quodam capite impoſito, in medium proceſſit dicens: *Hoc modo, & hac pompa nubo ego Dei Filio, cui deſerviam toto vitæ meæ tempore in Ordine S. Franciſci*. Vixit in jugi humilitate, oratione, & pœnitentia, eamque imitatæ ſunt Franciſca a Jeſu juvenis 24. annorum rapta in cælum anno 1580. Nomen ejus relatum exſtat in Hagiologio SS. Luſitaniæ. Franciſca de Spiritu Sancto, cujus vitam perpetuum jejunium fuiſſe perhibent, inter aſperrima flagella, & rigores productum ad annum uſque 1582., quo obiit, Chriſtodolinda de Angelis, Theodolinda de Præſepe filia Georgii Correga de Monte Negro Commendatarii de Barrò, & Catharina de Filio Dei, de quibus, cæteriſque deinceps agemus.

Ibidem cap. 30. pag. 185.

Hagiolog. Luſitanum die 21. Januarii Lit. D.

XLIII. Perpiniani in Monaſterio S. Claræ ab humanis exceſſit Stephania Beneta Lutetiæ Pariſiorum nata magnæ orationis, humilitatis, & pœnitentiæ, multiſque gratiis a Deo cumulata. In Monaſterio de Pedralbes Urbaniſtarum extra Barchinonem Euphraſia Rovira, quæ, Marito defuncto, ex quo filios genuerat, mundo valedicens ibidem profeſſa eſt in ſtatu Laicali, patientia, & prophetiæ ſpiritu illuſtris. In Monaſterio S. Claræ Allaritii in Provincia S. Jacobi Conſtantia Suarez, ad quam infirmam, & eſurientem; valetudinarii enim Præfecta nihil habebat, quod ad illius refectionem pararet; palumbus per feneſtram advolavit; ſperandum ſiquidem in Domino Præfectæ dixerat, qui ad ſe clamantes exaudit. Beatrix de Arauxo devotiſſima S. Patris Franciſci

eum videre meruit ſibi in agone conſtitutæ apparentem una cum S. Antonio Patavino. Nec prætereunda eſt Catharina de Robles Beneventana, quæ Fratris ſui Filiam Eliſabetham de Carvajal ad ſilentium hortata, poſt mortem bis ei apparuit, idem commendans, & interitum comminata, niſi tacuiſſet, in quem paullo poſt miſere incidit.

XLIV. Eadem in Provincia, & Monaſterio Conceptionis Villæ Franchæ Beatrix a Reinoſo de Caceres, charitate ſuccenſa admirabili, aurea quædam ornamenta, quæ poſſidebat, liberaliter in pauperes erogavit hoc anno in maxima fame Regionis. In Monaſterio S. Paulæ Mantuæ circa hæc tempora (in quodam MSS. notatur annus MDLXIX. die 11. Aprilis) obiit Paula Gonzaga Filia Marchionis Franciſci, & Soror Ducis Federici, quæ ætate trium annorum Monaſterium ingreſſa eſt, undecim annorum habitum Religioſum ſumpſit, & quatuordecim annorum profeſſa ſanctam adeo vitam duxit, ut in oratione ſplendoribus redimita apparuerit, Angelis aureum ſertum cervici ejus ſuperimponentibus, & in ejus obitu Angelici concentus auditi fuerint, poſt quem miraculis coruſcavit. Tres etiam aliæ Virgines ejusdem Familiæ ignoti nominis his temporibus ibidem ſunt conditæ.

Gonzaga in Prov. Carthaginenſi con. 29. Monumenta Provinciæ.

XLV. Hoc anno in Oppido de Carabaca, ſeu Caravacca, non procul a mænibus excitavit Civium pietas in Provincia Carthaginenſi Cœnobium S. Franciſci, ſeu S. Mariæ de Gratia, deſumpto titulo ab Eremitorio ejus nominis, in quo fundatum eſt. Locum Sacræ Recollectioni deſtinatum illuſtravit Petrus ab Eneca, ad cujus funus univerſi Lorceñſes confluxerunt vel pedes deoſculaturi, vel ſuffragium apud Altiſſimum petituri, ac ſubinde Alphonſus de Caſra, Joannes de la Sierra, Joannes de Albacete, Michael de Villar, Sebaſtianus de Tomilloſa, Chriſtophorus Ximenez, Franciſcus Diaz, Melchior Proſper, &

Gonzaga ibidem con. 30. Monumenta Provinciæ.

Alphonſus Conchenſis. In Oppido Mortalliæ, ſeu Moratellæ, Diœceſis Carthaginenſis aliud Cœnobium exſtitit Civium ſumptibus fundatum in Eremitorio S. Sebaſtiani extra mænia, & vulgo S. Franciſci appellatum,

Gonzaga ibidem con. 31.

ubi floruit inter Recollectos Joannes Baptiſta Laicus eximiis virtutibus, ſignisque. In Oppido Mulæ ejusdem Diœceſis fundamenta jacta fuerunt Cœnobii cujusdam, quod tamen ad complementum non adductum ob aeris insalubritatem, & populorum nimiam frequentiam, Fratres cum alio commutarunt, quod, annuente Gomezulo Zapata Epiſcopo Carthaginenſi, ſeptem poſt annos ipſis poſuerunt Mulenſis Communitas, & Mentia Requeſenia a Zuniga Oppidi Domina, & Beneventanorum Comitiſſa juxta Sacellum Conceptionis Deiparæ Oppido ipſi propinquum.

Idem in Provinc. S. Joseph con. 17.

XLVI. Communi ære Oppidanorum Arroy del Puerco, ſeu Rivuli Porci, ditionis Comitis Beneventani ſex milliaribus a Civitate Garenſi in Provincia S. Joſeph fundatum eſt hoc anno Cœnobium S. Franciſci medium inter Cœnobia Petroſi, & Sylvæ Lorianæ. Franciſci Gonzagæ tempore adhuc perfectum non erat ob tenues Civium opes. Modo vero

Monumenta Provinciæ S. Gabrielis.

numeris omnibus abſolutum incolitur a duodecim Fratribus Provinciæ S. Gabrielis Diſcalceatorum, ſubestque juriſdictioni Epiſcopi Coriani. Jacet in planitie quadam extra Oppidum. Abiit in Scholam Lutheranorum Cœnobium Berolini in ditione Brandeburgenſi ad Spream fluvium.

Gonzaga in Prov. Nominis Jesu de Guatemala con. 8. 9. 10. & 25.

XLVII. In Provincia Nominis Jeſu de Guatemala fundantur Cœnobium Oppidi Sanconatæ, ſeu SS. Trinitatis, Civium eleemoſynas colligente F. Martino a Specu, vel de la Cueva, Alumno Provinciæ Bæticæ; Cœnobium Oppidi S. Salvatoris, cura F. Joannis Vici ejusdem Pro-

Provinciæ incœptum, & ad complementum adductum; Cœnobium Oppidi S. Michaelis, induſtria F. Joannis Palacios ejusdem Provinciæ, & Hiſpanorum ſumptibus; Cœnobium Oppidi Nacaomi, expenſis Indorum, qui ſoli ibidem degunt. Cœnobium vero S. Franciſci Caſtri, ſeu Chiloæ, hoc tempore rurſus intrarunt Fratres; antea enim, variis emergentibus rerum viciſſitudinibus, locum deſeruerant. In unaquaque harum Ædium quatuor tantum Fratres commorantur. Idem in Provinc. SS. Trinitatis de Chile con. 8.

XLVIII. In Provincia Principatus exſurgit hoc anno Cœnobium Vicenſe S. Mariæ a Chieja ſeſquimilliari a Civitate Vici ære publico, & ex facultate Gregorii XIII. *Piis Fidelium*. Idibus Auguſti. In Provincia S. Nicolai Cœnobium S. Joannis Baptiſtæ Turi ſumptibus Franciſci Moles ejusdem Oppidi Domini temporalis poſitum, brevique abſolutum, eodem Pontifice indulgente. Pertinet a tempore Reformationis initæ ſub Clemente VIII. Summo Pontifice una cum aliis Provinciæ Domibus ad Fratres Strictioris Obſervantiæ. In Provincia Baſilicatæ Cœnobium S. Mariæ de Conſolatione Marathex Diœceſis Caſſanenſis, non procul ab Oppido, expenſis Communitatis conſtructum in gratiam Fratris Ruffini a Milionico, qui ab Oppidanis ſummo in pretio habebatur. Acceſſit beneplacitum Summi Pontificis: *Piis Fidelium*. Kal. Maji. Idem in Provinc. Principatus con. 4. In Prov. S. Nicolai con. 44. In Prov. Baſilicatæ con. 22.

XLIX. Hoc tempore inhabitandum ſumunt Fratres Obſervantes Provinciæ S. Gabrielis Cœnobium S. Mariæ de Angelis, ſeu de Porticuncula, fundatum jam a Roderico Pacieco primo Marchione Oppidi de Serralvo non longe a mænibus in confinio Portugallenſium, & Caſtellanorum pro Fratribus Provinciæ S. Michaelis, qui tamen ob loci diſtantiam, & incommoditatem poſſeſſionem renuerunt. In Prov. S. Gabrielis con. 24.

L. In Eccleſia S. Petri in Monte Aureo die Lunæ V. Nonas Maji tumulo conditum eſt Corpus Joannis Riccii de Monte Politiano Cardinalis defuncti ætatis anno LXXVII., in Sacello a ſe ædificato, picturis, auro, & ſtatuis ornato, ubi hæc legitur epigraphe.

Joannes Riccius Politianus S. R. E. Cardinalis S. Vitalis memor Officii ſui Sacellum hoc Deo dicatum quod moneantur omnes inter humana negotia antiquiss. Dei curam habend. Pon. Cur. ann. Sal. MDLXIII.

LI. Hac tempeſtate completum eſt ædificium novæ Eccleſiæ SS. Cæciliæ, & Margaritæ in Civitate Mutinenſi, cujus primum lapidem poſuerat anno 1543. D. Gaspar Linus ad Fratrum inſtantiam, qui a veteri Cœnobio S. Cæciliæ extra Civitatem juſſu Herculis II. Ducis ad terram disjecto, ne hoſtes, qui undique imminebant, in eo propugnaculum quærerent, intra mænia ſe receperant, primo quidem in Domum Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ; deinde vero in Ædes prope Parochialem Eccleſiam S. Margaritæ, quas una cum Eccleſia Joannes Antonius Bonini Parochus deſignatus ab Eccleſiæ Rectore Franciſco Pazzano eis ceſſerat non compaſſus, neque compatiens Fratrum per incertas ſedes errantium neceſſitatibus, ut ſcribunt Waddingus, & Gonzaga; ſed erogato mille Scutorum aureorum pretio, additisque aliis pactis, & conditionibus, quibus Eccleſiam ipſam reciperent, & animarum cura deinceps adminiſtraretur; quæ omnia rata habuit Paulus III. Summus Pontifex anno 1538. Idcirco autem novo operi exſtruendo Fratres manus admoverunt, quia vetus Eccleſia præ vetuſtate ruinam minitabatur; nec ſumptus eis deerant partim ex venditione fundi, & cæmentorum antiqui Conventus, partim ex eleemosynis Antonii Flordebelli Episcopi Lavellini, & Fratris ſui Ludovici, ut indicat epigraphe in majori Flaminius de Parma tom. 2. pag. 71. & seq.

Digitized by Google

majori Sacello lapide sculpta: *Chriſto Deo, & Salvatori noſtro Antonius Episcopus Lavellinus, & Ludovicus Flordebelli Fratres fecerunt*. Prædictus Episcopus in hac ipsa Eccleſia ſibi ſepulchrum posuit, ubi ante Aram maximam eſt tumulatus. Epigraphen ſepulchro adnexam paullulum mutilatam refert Ughellus. Genuina vero eſt hujusmodi.

Joanni Nicolao Flordebello Patri Optimo, Ludovico Flordebello Fratri Kariſſimo Antonius Episcopus Lavellinus fecit & ſibi, & Pompejo Fratris filio Ordinis Chriſti Equiti, poſterisque ejus anno ab ortu Salvatoris MDLXXIV.

LII. Eccleſia jam conſtructa, homines Parœciæ addicti veterem S. Margaritæ Eccleſiam recuperare tentarunt, in jus vocatis Fratribus hoc anno die 15. Julii coram Joanne Fontana Vicario Generali Sixti Episcopi Mutinenſis his verbis: „ Reverendos Guardianum, & Fratres „ Monaſterii, & Eccleſiæ SS. Cæciliæ, & Margaritæ ob Eccleſiam „ novam ab ipſis nuper fabricatam, aliam Eccleſiam veterem, quæ „ eſt ipsorum hominum alias ipſis Fratribus auctoritate Apoſtolica tra„ ditam, & conſignatam dereliquiſſe, & omnibus ſuis ornamentis spo„ liaſſe, & altaria omnia illius devaſtaſſe, nec amplius in ea Miſſas, „ & alia divina officia celebrare, & quia ipſi volunt, & intendunt „ in dicta Eccleſia tamquam ſua propria, non autem in fabricata de „ cætero Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, mortuos ſuos ſepelire, & „ confeſſiones facere, omniaque alia ad curam eorum animarum spe„ ctantia, & neceſſaria recipere, & facere; propterea inſtiterunt, & „ petierunt a prædicto R. D. Vicario committi prædictis RR. Guardia„ no, & Fratribus, ut Venerabili Domino Nicolao de Lippis Presby„ tero Mutinen. ejusdem Eccleſiæ Capellano a prædictis Fratribus cum „ conſenſu ipsorum hominum deputato, tradant, & conſignent cla„ vem dictæ Eccleſiæ veteris, cum qua ad ejus libitum introire, & ex „ illa ad ejus libitum exire valeat &c. „. Aloyſius de Placentia Guardianus non difficulter moleſtos homines removit, productis literis Pontificiis Pauli III., quibus absolutum jus Fratribus tradebatur in eamdem Eccleſiam, pro qua aliunde memoratam pecuniam ſolverant, aliisque obtentis hoc anno die 10. Decembris a Gregorio XIII., qui ipſis indulſit, ut controverſam Eccleſiam, ſi vellent, diruerent, & Guardianus, Fratresque Cœnobii, aut Miniſter Provincialis in poſterum Religiosum eligeret, qui Parochi officio in Eccleſia nova fungeretur.

LIII. Sacræ Imagini Deiparæ dictæ de los Remedios, quam Joannes Rodriguez ſocius Ferdinandi Corteſii in Mexicum detulit, miraculis inſigni, & per incertas ſedes delatæ hoc anno ad inſtantiam Minoritarum Tacubæ Martinus Enriquez Pro-Rex Mexici, Petrus Moya de Contreras Archiepiscopus, & Garcia de Albornoz Civitatis Præses Templum erexerunt in monte ejus nominis magnificum, & ampliſſimum, cujus primum Sacellanum conſtituit Antonius Roldan Miniſter Provinciæ S. Evangelii Philippum de Penafiel Presbyterum, aſſignatis domo, & redditibus, quibus ſuſtentaretur, inſtitutoque pio ſodalitio, quod curam haberet, ut ſingulis feriis ſecundis ſacra fierent ibidem pro Hispanis Mexici victoribus.

Theatrum Mexicanum part. 4. tit. 5. num. 64. pag. 130.

LIV. Fundatos hoc anno Conventus S. Annæ de Monte, & S. Antonii de Padua Ayoræ Auctor eſt Gonzaga. At in Chronica Provinciæ S. Joannis Baptiſtæ ab Antonio Panes elaborata utriusque fundatio refertur ad annum antecedentem, quo ſcilicet Franciscus Ximenez Cuſtos electus die 11. Junii in Capitulo, cui præfuit Petrus Manrique Mini-

In Prov. S. Joan. Baptiſtæ con. 7. & 8.
Antonius Panes in Chron. Prov. ejusdem lib. 1. cap. 22. & 23.

Miniſter Provinciæ Valentinæ, priorem Conventum excitavit in Eremitorio S. Annæ de Jumilla Diœceſis Carthaginenſis, & Dominii Marchionis Villenici, qui Eccleſiam pretioſis Reliquiis SS. ditavit, una leuca ab Oppido, loco ſolitario, & ſylveſtri, qui maximam ſimilitudinem habet cum S. Monte Alvernæ in Etruria. Alterum Conventum cæteris adſcripſit die 18. Octobris poſitum juxta muros Oppidi de Ayora Diœceſis Oriolanæ, & Dominii Gentis de Infantado, quæ una cum Civibus ad ædis conſtructionem ſumptus erogavit. Floruerunt ibi Michael Teniel, Gabriel Gomez, Ludovicus de Benevento, Bartholomæus Ximenez a Mauris pro Chriſti fide occiſus inter Ayoram, & Carcerem, Joſeph Condè, vel de Cardenete, Joannes Ximenez, Alphonſus Rubius, & Joannes Paſtor, viri perfectiſſimi, qui inibi profeſſionem emiſerunt. Circa hunc annum in Conventum Clarenorum S. Laurentii de Valle Fulginei Thomas Orſini Epiſcopus immiſit Fratres Congregationis B. Petri de Piſis.

Lodovicus Jacobilli in Vita S Feliciani lib. 2. pag. 165.

LV. Sub hoc tempus idem Franciſcus Ximenez Cuſtodiæ S. Joannis Baptiſtæ adjecit Conventum Dominæ Noſtræ de Nivibus, ſeu, ut inquit Gonzaga, qui fundationis annum aſſignat 1576., Dominæ Noſtræ de Angelis. Diſtat quinque leucis a Civitate Valentiæ, & pertinet ad Diœceſim Dertusensem. Conventum Dominæ Noſtræ de Angelis Oppidi Liriæ Diœceſis Valentinæ, quem tamen Fratres deſeruerunt anno 1582., quum paludi proximus foret, ipſumque occuparunt Patres Trinitarii. Hic Minoritico Ordini nomen dedit Lucas Salas Laicus de Laçar in Minorica, qui deceſſit in Inſulis Philippinis. Recens Liriæ Conventus S. Franciſci exſtitit anno 1603. non procul a porta Aragoniæ.

Antonius Panes ibidem cap. 16. Gonzaga loc. cit. con. 11.

LVI. Literas Pii V. pro fundatione Cœnobii Fratrum Diſcalceatorum ejuſdem Cuſtodiæ in Civitate Valentiæ ad inſtantiam Joannis de Ribera Archiepiſcopi nullum exitum habuiſſe reperio. Hinc Franciſcus Ximenez alias obtinuit a Gregorio XIII., quibus privilegia revocabantur ab aliis Pontificibus conceſſa, ne ubi exſiſteret Conventus Minoriticus, alius ejuſdem Ordinis exſtrui poſſet in circuitu quinque leucarum. Quare in Eremitorio Montis Oliveti ad marginem fluvii Turiæ prope Ruçafam, Archiepiſcopo annuente, ædis fundamenta ponere cœpit. Sed quum Eremita illic degens contradiceret, & populi tumultus propterea in Fratres excitarentur, optimum duxit Archiepiſcopus, ut ad oppoſitam fluvii ripam empto prius fundo, pretio CCC. ducatorum, quæ ipſe erogavit, domum Fratres ſibi conſtruerent, quod ipſi perfecerunt hoc anno die 3. Maji, non anno inſequenti, ut ſcribit Gonzaga, erecta ſibi æde tabulis contexta cum Odæo, Altari, cæteriſque neceſſariis, non plurium dierum, ſed unius noctis ſpatio, ſic ut ii, qui ab Oppido de Grao Valentiam ibant, novum ædificium Sole luceſcente mirarentur, & Valentiæ renuntiarent, Angelos ea nocte domum conſtruxiſſe S. Joanni Baptiſtæ ſacram, atque ingens Valentinorum concurſus illuc fieret. Opus ſubinde ampliavit Franciſcus Joannes Roca Decanus Gandiæ, Archidiaconus Alziræ, & Canonicus Valentinus, quum Joannes de Ribera, qui illud propriis expenſis promovere cupiebat, occupatus foret in fundatione Collegii Corporis Chriſti.

Antonius Panes ibid. cap. 24.

Gonzaga loc. cit. con. 9.

Scriba in hiſtoria Vitæ Joannis de Ribera cap. 21.

LVII. Ad Eccleſiam Conventus B. M. Virginis de Laureto prope Tancos in Provincia S. Antonii Portugalliæ adſportarunt Fratres a propinquo Oppido de Dunhete ſimulacrum vultus Deiparæ devotum, & pulcherrimum, quod multa patraverat miracula. Annuit tranſlationi Parochus loci. In novam Eccleſiam illata ſacra Icon tot miraculis fulge-

ſulgere cœpit, ut, Eccleſia Oppidi relicta, omnis populorum concursus ad Conventum fieret; quod ut impediret, ſimulque Fratrum quieti conſuleret Marcus Ulyſſiponenſis Miniſter præcepit Petro de, Sanctis Guardiano, ut Iconem ad priſtinam ſedem remitteret. Guardianus, accepto mandato, Templum ingreſſus cum duobus Fratribus coram Imagine dixit: *Domina, ne deinceps miracula facias, ſi hic nobiscum remanere vis; nam Provincialis mihi juſſit, ut te hinc auferam*. Ex tunc autem miracula omnia ceſſarunt.

LVIII. In Conventu S. Mariæ de Moſteiro Guardianum agebat Didacus ab Angelis, cui hoc anno in rerum omnium inopia, quum fames valida per totam regionem graſſaretur, & divites etiam ipſi eſurirent, Antonius ab Alſaro vir magnæ charitatis Guardianus Cœnobii S. Antonii Caſtanheiræ pluſquam ſexaginta leucas Moſterio diſſiti miſit panes toſtos, & arcam tritici, ex qua longo tempore, quamdiu fames perduravit, non ſolum frumentum non defecit, ſed eo plena denique inventa eſt, cunctis rem admirantibus, Deumque collaudantibus, qui ſervos ſuos nunquam derelinquit. Factum invenio deſcriptum in vetuſtiſſimo codice Provinciæ S. Antonii Portugalliæ.

LIX. Reſtauratum eſt, & non ignobili Bibliotheca inſtructum hoc tempore Chriſtifidelium eleemosynis in Civitate Phariæ Minoriticum Cœnobium S. Mariæ de Gratiis, quod Piratæ Mahumedani diripuerant, flammiſque combuſſerant, appulſi triremibus ad Inſulam ejus nominis in Dalmatiæ litoribus. Ædem poſuerant anno 1461. in loco Sredgni Rat appellato Fratres Raphael, & Lucas de Leſina ex pecunia, quam Petrus Superantius Venetæ Claſſis Præfectus ob acceptum ibidem miraculum a B. Virgine legaverat Jacobo Zecich ad Cœnobium exſtruendum. Degunt illic decem circiter Fratres.

LX. In Eccleſia Omnium SS. Florentiæ conſtructum Odæum, locumque aptatum ad ſervandum SS. Euchariſtiæ Sacramentum sequens epigraphe prodit, quam genuinam habui.

Pandulphus Alberti F. Philippi N. e Nobiliſs. Bardorum Fam. Ortus, quæ Vernii dominatur, ac Franciſci Med. Magni Etruriæ Ducis Magnus Cubicularius, quum in Æde Omnium Sanct. locus deeſſet, in quo pie, ſancteque Euchariſtia ſervaretur, ac Fratres Sacerd. laudes Deo Opt. Max. canerent teſtudinem hanc a fundamentis pietatis C. ædificari C. P. S. An. MDLXXIV.

LXI. Carolus Archi-Dux Auſtriæ ad preces Mariani de Boſna Guardiani, edito gratioſo reſcripto, in ſuam recepit tutelam Cœnobium B. Virginis Gratiarum montis Sanctis Diœceſis Goritienſis paullo ante traditum Minoribus de Obſervantia Provinciæ Boſnæ Croatiæ.

Nos Carolus Dei gratia Archi-Dux Auſtriæ, Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ &c. Comes Tyrolis & Goritiæ &c.

NOtum facimus hiſce noſtris litteris omnibus in communi, & cuilibet in particulari, quod nos gratioſiſſime perpendentes honeſtam, Religioſam, probam, Catholicam vitam, pietatem, & utilitatem, quam Franciſcanus Ordo in Eccleſia Dei promovet, injurias quoque, & perſecutiones, quas obinde Religioſi ejuſdem inſtituti a pluribus perpeti debent, Fratrem Marianum a Boſna Guardianum Conventus B. V. ſupra Salcanum cum omnibus ſui Ordinis Alumnis ubivis locorum, aut gentium, in noſtram, ac noſtræ Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ gratiam, protectionem, & patrocinium ſuſceperimus, & admiſerimus. Notum pariter facimus velut Imperans Dominus, & Terræ Princeps, quod prædicti Ordinis Religioſi ex nunc noſtra ſingulari gratia, patrocinio, protectione, &

tuta-

tutamine licite frui, & gaudere abſque ulla pertubatione poſſint, & valeant. Mandamus inſuper omnibus, & ſingulis noſtris ſubſtitutis, juſdicentibus, ſubditis, & fidelibus cujuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis ſint, & ſerio volumus, quatenus prænominatum Guardianum una cum ſui Ordinis Religioſis ſub noſtra ſingulari ſecuritate, cuſtodia, & protectione, ut ſupra dictum, imperturbate & quiete vivere ſinant, gratioſam præterea hanc reſolutionem noſtram fortiter manuteneant, ipſos ſtrenue defendant, & nullo modo ipſi in contrarium faciant, neque quavis ratione alios operari permittant, quam charum cuilibet eſt indignationem noſtram, & pœnam evitare, in hoc quippe ſita eſt noſtra gratioſa voluntas, & intentio.

Datum in noſtra Civitate Gracenſi die XXV. Febr. MDLXXIV.

Carolus. (*L. S.*)

LXII. Conabantur hoc anno Incolæ Terræ Varalli Diœceſis Novarienſis Fratres Obſervantes exturbare a poſſeſſione Sacri Montis, quem plurimis ab hinc annis tenuerant, & miro artificio ornaverant, excitatis Sacellis, & picturis Paſſionis Dominicæ Myſteria repræſentantibus. Nihil tamen Adverſarii profecerunt; Fratrum enim jus ſingulari diplomate confirmavit Summus Pontifex, committens Carolo Cardinali Borromæo, ut illos tueretur: *Exponi Nobis*. Die 5. Martii. Hæc in Italia. At graviori diſcrimini in Palæſtina Minoritas objectos invenio his temporibus, ubi non tantum eorum duodecim pro Fide Martyrium ſubierunt anno 1568. in civitate Hieruſalem; ſed vix loca ſancta retinuerunt; ut ſequens Monumentum oſtendit, quod ſatis eſſe putabamus, ut in Archivo Terræ Sanctæ lateret, producendum, ſi neceſſe foret, adverſus conſueta Græcorum machinamenta. Verum eo res ætate noſtra proceſſerunt, ut ad Religioſos homines tutandos, & tempeſtatem, ſi fieri poſſit, depellendam, nihil unquam ſuperfluum in tanta errorum caligine, & morum corruptela videatur ubique terrarum.

Viridar. Seraph. tom. 2. part. 6. pag. 203.

LXIII. *Notum ſit Reverendiſſimis PP. Guardianis Hieruſalem, aliiſque Religioſis Terræ Sanctæ, quatenus anno MDLXVI. Ego F. Thomas de Bergomo Alumnus Provinciæ S. Antonii, & Vicarius Sacri Montis Sion cum omnibus Religioſis hujus Familiæ notabiles moleſtias perpeſſi ſumus abſque ulla cauſa a Græco Patriarcha nomine German, qui inſtitit apud Antiſtitem Sacrorum Turcarum* (Cadì), *& Præſidem S. Civitatis* (Emir), *ut ſe conferrent Bethelem, nobis inſciis, comitati innumerabili populi multitudine acciti non ſolum a Civitate Hieruſalem, quin etiam Damaſco, & a locis proximis, & hoſtium turbas exhibentis, qui vociferantes Redemptorem inſequuti ſunt uſque ad Calvariam. Coactus fui ſiſtere coram Cadi, quia Græcus Patriarcha, queſtus erat, jam ab annis 30. Fratres Minores ſibi eripuiſſe Claves S. Præſepis; quod comprobare tentavit teſtimoniis pecunia corruptis. Dum hæc agerentur, decem teſtes pro re noſtra produxi veridicos, & ſinceros, & monumenta MSS. vetera, & moderna, quibus examinatis cauſam obtenui, lata a Cadì pro Nobis ſententia. Græci ad priſtinas artes redeuntes Urbis Sangiacum, ſeu Senatorem adverſus nos irritare non deſtiterunt; quo factum eſt, ut denuo Monumenta ipſa, latamque ſententiam illi præſentare debuerim, qui rationibus noſtris perpenſis, alia ſententia nos in poſſeſſione confirmavit, etſi maximas propterea expenſas facere neceſſe fuerit. His Patriarcha haud acquieſcens quemdam ex Græcis Conſtantinopolim ablegavit, qui ibidem centum Græcis concitatis, & turbis aliis, in Aula magni Viſiris ingenti clamore Fratres Minores traduxit ut Hiſpanos, & Meliteníes hoſtes Imperatoris Turcarum, ex illis, qui quotidie Turcas interficiebant, aſſeruitque, Cœnobium Hieroſolymita-*

Ex Chron. Terræ Sanctæ lib. 5. cap. 18.

num eſſe plenum armis, Fratreſque velle Hiſpanis Civitatem tradere, ſibi ipſis autem ſubditis, & Tributariis Imperatoris Turcarum eoſdem Fratres a 30. annis eripuiſſe Claves, & Lampades S. Præſepis. Quod quidem in aperto collocare non poterant Græci, niſi ex falſis teſtibus; nullam enim habent ſcripturam, quum nos poſſeſſione fruamur, & Scripturis abundemus 230. annorum. Diplomate interea, ſeu Firmano ad votum obtento, fraude, & dolo, redierunt Græci Hieroſolymam, inde Gazam profecti Cadì ejus loci, ſi ipſis faveret, magnam pecuniæ ſummam ſe daturos promiſerunt. Die prima Maji curarunt, ut Cadì Hieruſalem, Emir, & Subassì, ideſt Curiæ Bethlehem officialis locum recognoſcerent. Die 5. ejuſdem Menſis vocatus fui a Cadì, qui non obſtante diplomate Græcorum Conſtantinopoli allato, peculiari ſententia favit Minoritis, non abſque gravi argenti diſpendio. Non adhuc Græci ſilent, omnibus modis quærentes, ut Cœnobio excedamus, ipſeque Patriarcha minitatur, ſe a propoſito non diſceſſurum, niſi nos penitus perdat, aut efficiat, ut Eccleſia Bethlehem abeat in Meſchitam Turcarum, aut male pereat, ne noſtra ſit. Perſuaſus ſum, ſucceſſu temporis pejus futurum, niſi promptum his remedium afferatur; anno enim præterito eorum opera ſolvi 600. nummos aureos, alioſque mille hoc anno. De quorum veritate, aliarumque plurium, quæ brevitatis gratia reticeo, teſtes advoco primo Deum, deinde Reverendos Patres Terræ Sanctæ, & nationes cæteras Orientales; & in fidem veritatis his literis appono Sigillum Conventus, eaſque manu mea ſubſcribo. Die XXIII. Maji anni MDLXVIII.

LXIV. Minores Conventuales Provinciæ Neapolis facultatem acceperunt conſtruendi Cœnobium in Oppido Rocchæ Raynolæ Diœceſis Nolanæ in parvis, antiquiſque ædibus prope Eccleſiam Confraternitatis SS. Conceptionis, quas Cives tradiderunt Fratri Antonio Cæſario de S. Angelo Lomardo, confecto donationis inſtrumento die 28. Novembris a Vincentio Majeſta Avellano Notario, coram Magiſtro Fratre Joanne Baptiſta Gabrielis de Alvito Commiſſario, & Vicario Magiſtri Generalis ſtatutis pactis, ut Fratribus quotannis ſolverentur duodecim ducata, & viciſſim ipſi Confratribus cubiculum aſſignarent in novo Cœnobio, & ad eorum funera aſſiſterent.

LXV. In eadem Provincia de conſenſu, & auctoritate Marii Carafæ Archiepiſcopi Neapolitani Fabius Eques de Seggio Montano eiſdem Conventualibus conſtruxit in loco Capitis Montis extra Suburbium Virginum Neapoli Cœnobium ſub titulo S. Franciſci, ſervato ſibi, ſuiſque hæredibus jure patronatus, ac inſuper facultate illic aliquando hoſpitandi, quoties ſubitum ei foret.

LXVI. In Provinca Romana fundatum eſt pro eiſdem Cœnobium S. Valentini Podii Mirteti ad radices Montium SS. Coſmæ, & Damiani, aſſentiente Alexandro Cardinali Farneſio, locumque recipiente Eutichio de Aſſiſio Magiſtro Provinciali, ut ex inſtrumento M. Corſi Galeotti die 23. Aprilis. Fabricam promovit F. Franciſcus Ciſaſſo Calvenſis. Cœnobium S. Mariæ de Jano, ſeu Giano, Civitellæ Diœceſis Balneoregienſis, conceſſum die 15. Junii. Cœnobium S. Angeli Anagniæ, de quo exſtat Breve Pontificium: *Regimini univerſalis Eccleſiæ*. Die 7. Martii hoc anno. Habitarunt ibi primo Minores extra Civitatem in loco de Portu; deinde ad S. Baſilium; tertio ad Eccleſiam S. Matthæi, ac tandem anno 1565. ad Eccleſiam S. Mariæ de Palatio, in quam ipſos admiſit Epiſcopus Anagninus, quum in priori loco adverſus homines ſeditioſos, & contumaces Pii IV. Summi Pontificis juſſu militare pro-

re propugnaculum conſtrui deberet. Cœnobium S. Mariæ de Palliano ſatis exiguum acceptum a Magiſtro Provinciali die ultima Julii, Civibus offerentibus.

Cagliola exploratione 3. pag. 119.

Sicilia Sacra in notitiis Eccleſiæ Agrigent. pag. 748.

LXVII. In Provincia Siciliæ Cœnobium S. Antonii Abbatis Favaræ Diœceſis Agrigentinæ fundatum anno 1530., inde conceſſum Carmelitis, & hoc anno Conventualibus, ut invenio in MSS., quæ apud me ſunt, & apud Cagliolam, qui hæc habet: *Comes Fabariæ in Sicilia hoc anno Fratres, qui poſt annum 1530. dimiſerant Conventum ejus loci occupatum a Carmelitis, revocavit, & dedit Eccleſiam S. Antonii Abbatis*. Pirrus Cœnobium hoc non Favaræ tribuit, ſed Bivonæ, alteri nempe Oppido ejuſdem Diœceſis ordine inverſo: *Carmelitæ ab anno 1574. Ædem D. Antonii Abbatis, quæ hoſpitium ab anno 1530. Fratrum Minorum Conventualium fuerat*. Cœnobium S. Mariæ de Jeſu Cataniæ Diœceſis Meſſanenſis conſtructum auctoritate Joannis Ariaca Archiepiſcopi Meſſanenſis, & abſque ulla obligatione conceſſum Fratribus die 28. Maji. Cœnobium S. Mariæ Gratiarum Ramettæ fundatum auctoritate Magiſtri Generalis in loco ſolitario, tranſlatumque poſtea ad Civitatem S. Luciæ; & Sacellum S. Antonii de Padua, cujus nunc obtinet titulum.

LXVIII. In Provincia Calabriæ Cœnobium S. Franciſci in Oppido Mottæ S. Luciæ Morſignatenſis Diœceſis Marturanenſis fundatum longe ab Oppido ſub Epiſcopo Gregorio de Cruce, a M. Franciſco Flaſſina de Marturano Provinciali, & F. Curtiſano de Motta, tranſlatumque poſt duos annos ad Civium inſtantiam intra Oppidi mænia in Eccleſia S. Luciæ, ac demum ad alium locum emptum pecunia Joannis Thomæ Sarſalis, & Catharinæ Spagtrana piorum Conjugum, qui etiam ædes, & vineam donarunt. Cœnobium S. Mariæ de Gratia Scalæ Diœceſis Geruntinæ, & Cariatenſis fundatum a M. Petro Corina de Cutiliano eleemoſynis Lucæ Joannis Baptiſtæ Præſidis Generalis Territorii Cariatenſis, & Franciſcæ Spinelli ejuſdem loci Duciſſæ.

Acta SS. ad diem 18. Maji pag. 3 4.

LXIX. Recipiunt Capuccini Conventus Itri, Meſoracæ, in Oppido de Alcara, Jacii, Savocæ, Parmæ, Burgi S. Domnini, Sabionetæ, Caſalis Puſterlengorum, Foſſani, Spoleti, & Rhegii Lepidi. Romæ autem circa hæc tempora migrant Capuccini de Eccleſia S. Euphemiæ, quam, derelicto veteri Cœnobio S. Mariæ Miraculorum prope portam Flaminiam non longe a Tiberi ob fluminis inundationes, obtinuerunt in radicibus Montis Eſquilini, ad Eccleſiam S. Nicolai in Foro Suario juxta montem Quirinalem, ubi inſequenti anno Conventum excitarunt cum Eccleſia S. Bonaventuræ ſacra. Denique in Civitate Caſalis transferuntur a Cœnobio, ubi plura incommoda patiebantur, ad locum nuper inchoatum, & aptiorem, auctoritate a Pontifice facta Epiſcopo Caſalenſi: *Exponi Nobis*. Die 16. Junii.

Sicilia Sacra in notitiis Eccl. Mazarenſis pag. 880.

LXX. Fratribus Tertii Ordinis, quos Pirrus Diſcalceatos appellat, conſtruitur Conventus S. Rochi in Civitate Drepani, in qua horrida peſtis graſſabatur. Opus ſuſcepit die 20. Martii, perfecitque Magiſter Michael Burgio nobilis Drepanenſis, vir religioſiſſimus, qui bis Provinciam adminiſtravit, ſumptus largiente Berardo Ferro Drepanenſi illius filio, qui Fratrem Jacobum, ejuſque Congregationem antea vexaverat. Illatæ ſunt in novam ædem Reliquiæ S. Thomæ Cantuarienſis. Vixerunt inibi pietate, auctoritate, & literis illuſtres M. Joannes Baptiſta Provinzanus iterum Generalis, M. Fulgentius a Drepano tertio Provincialis, M. Seraphinus Ciambra eximius Concionator, & Provincialis, M.

Hieronymus a Drepano literarum ſtudio, & Concionatoris munere no-
Bordonus in Chronologia pag. 419.
tus iterum Provincialis, M. Joannes Baptiſta Provinzanus alter a memorato, qui non in Provincialatus Officio, ut inquit Pirrus, ſed ſecundo Generalis deceſſit. In hoc Cœnobio habuerunt circa hæc tempo-
Idem ibid. pag. 454.
ra Fratres Tertii Ordinis Capitulum Provinciale, electo in Miniſtrum Patre Hieronymo Riccia Nobili Drepanenſi, ex auctoritate Julii Feltri Cardinalis Protectoris, qui Fratres a Sicilia profugos, & Romæ degentes, ut inibi implorarent auxilium Sedis Apoſtolicæ, domum remiſit.

LXXI. In Provincia Genuæ acquirunt iidem Fratres Cœnobium
Ibidem pag. 332.
Parochiale S. Mariæ de Granirolo extra Genuam, quod Bordonus receptum ſcribit hoc anno a Franciſco Gonzaga Viſitatore Generali, qui deinde Ordinis extitit moderator. In Provincia Umbriæ Cœnobium Colleſcipolis, ſeu Collis Scipionis, ſub titulo S. Mariæ Poſcargani uno ob Oppido milliari Diœceſis Narnienſis, a quo excedunt Obſervantes, non
Ibidem pag. 395.
quia, ut inquit Bordonus, Fratres non habebant ad ſervitium ejusdem Eccleſiæ; quum enim parva foret domus, tres, aut quatuor Fratres ſufficiebant; sed ob loci anguſtias, ædeſque ruinoſas, ut lego in Monumentis Provinciæ S. Franciſci. Ædem recepit die 14. Januarii Frater Benedictus Bellottus ex mandato M. Bonaventuræ Pezzei Provincialis
Ibidem. pag. 390
Provinciæ Romanæ. In Oppido Arsuli Ditionis temporalis Familiæ de Maximis Conventus S. Bartholomæi Apoſtoli fundatum a Pompeo Zambeccario Epiſcopo Sulmonenſi vices gerente Joannis Audreæ Epiſcopi Tiburtini, cujus Mensæ ſingulis annis ſolvuntur duo Caroleni in ſignum recognitionis.

LXXII. Monaſterium SS. Annuntiationis B. M. Virginis Rutheni in Provincia Aquitaniæ Antiquioris ingreſſæ sunt octo Sorores ex Monaſterio Albienſi Annuntiatarum, & duæ ex Monaſterio Bituricenſi ejusdem Ordinis, quæ Novitias bonis moribus, & Religioſis ritibus im-
Annales Min. an. 1349. num. 20.
buerent. Locum hunc fundatum ſcribit Waddingus ante annum 1349. Gonzaga autem ætate multo poſteriori, videlicet ſub Pontificatu Leonis X., ſumptibus Helionis Geoffrerii utriuſque Juris Doctoris, Albienſis Eccle-
Gonzaga in Prov. Aquitaniæ Ant. Mon. 7.
ſiæ Præpoſiti, & Canonici Cathedralis Ruthenenſis, qui ipſum honeſtis etiam redditibus ditavit. Fortaſſe aliud Helio non egit, niſi ædificium vetus reſtaurare; Waddingus enim literas citat Clementis VI., quibus Pontifex approbat electionem Beatricis de Magnipolo in Abbatiſſam ejuſdem Monaſterii, quamvis non perveniſſet ad annum ætatis trigeſimum. In Eccleſia hujus loci jacet Gilbertus Nicolai, ſeu Gabriel Maria, vel ab Ave Maria, his enim nominibus deſignatur, Vicarius Generalis Familiæ Ultramontanæ Obſervautium, & Monialium Annuntiatarum Inſtitutor, defunctus die 27. Auguſti anno 1532. Servatur in Noſocomio Monialium ejus grabbatum, super quod Sorores morituræ deferuntur, & ſolamen recipiunt.

LXXIII. Ædificatum eſt Truxilli in Provincia S. Michaelis piorum elee-
A ch. S. Iſidori arm 5. num. 148. pag. 587.
moſynis Monaſterium S. Antonii Excalceatarum jactis fundamentis die 18. Auguſti, Provinciam moderante Alphonſo Altemirano, & Eccleſiam Placentinam Martino de Corduba, & Mendoza Epiſcopo, qui fundationis licentiam indulſit. Redierunt Moniales Urbaniſtæ exules ab anno
Idem ibid. num. 4.
1569. a Monaſterio Montis Marſanici in eadem Provincia Aquitaniæ ad priſtinam domum, Hæreticorum furore partim bonis expoliatam, partim combuſtam, eidemque reſtaurandæ operam impendere cœperunt; ſed poſt triennium rurſus illinc excedere coactæ ſunt ædificio humi ſic æqua-

æquato a nefariis hominibus, ut vix fundamentorum rudera agnoſcantur.

LXXIV. Datur hoc anno facultas Archiepiſcopo Cæſatienſi, ut in Monaſterium S. Laurentii Piſarum Ordinis S. Franciſci immittat Aloyſiam Damianam, aliaſque duas Moniales Monaſterii S. Martini ejuſdem Civitatis ab ipſa Aloyſia eligendas ad prædicti Monaſterii Reformationem, conſtituta Aloyſia in Abbatiſſam ad triennium, atque etiam ad beneplacitum, eaſque, expleta Reformatione, ad proprium Monaſterium teducat: *Quum ſicut accepimus*. Die 17. Februarii. Similem facultatem obtinet Curtius Petruccius Clericus Romanus Archiepiſcopi Salernitani Vicarius, quoad reformationem Monaſteriorum S. Sophiæ, Pietatis, S. Michaelis, S. Benedicti, & S. Franciſci, quæ exempta erant a juriſdictione Archiepiſcopali: *Sincera devotionis*. Die 24. Februarii. Monaſteria omnia in ditione Caroli Archiducis Auſtriæ exſiſtentia Ordinis Minorum, Prædicatorum, aliorumque transferuntur a reſpectivis Ordinibus ad Epiſcoporum juriſdictionem: *Quum ſicut accepimus*. Die 22. Novembris.

LXXV. Cives Oppidi Salarum Dioeceſis Dertonenſis ſe inſtrumento obligarunt, ex publicis redditibus neceſſaria ad victum, & veſtitum largiendi decem Monialibus Urbaniſtis Monaſterii S. Claræ ejuſdem loci, quod incoepit paullo ante annum 1500. Sub initium Moniales erant novem, vel decem numero, & ſepeliebantur in Eccleſia S. Bernardini, in qua adeſt lapis cum inſcriptione: *Sepulchrum Monialium Monaſterii S. Claræ Salarum*. Succeſſu temporis earum numerus exctevit ſupra triginta, quibus, quum paupertate laborarent, nec ob clauſuram exire amplius poſſent Converſæ ad eleemoſynas conquirendas, partim pii Cives ſubvenerunt, partim Pontifex Gregorius XIII., qui ſub hoc tempus ipſis, reliquiſque Monaſteriis Tertii Ordinis indulſit, ut Converſarum opera, ſicut antea, uterentur.

LXXVI. Solemniter oleo inungitur Eccleſia Monialium Diſcalceatarum de Truxillo. Eumdem ritum peragit in duobus Altaribus Eccleſiæ Monialium SS. Coſmæ, & Damiani de Urbe Joannes Franciſcus Sormanus Epiſcopus Feretranus. Hoc in loco primo quidem anno 1246. die 2. poſt Dominicam Paſſionis, Theodinus Epiſcopus Aſculanus de Mandato Stephani Cardinalis Vicarii Innocentii IV. Summi Pontificis conſecravit Altare in honorem SS. Coſmæ, & Damiani. Secundo autem anno 1476. die Dominico 11. Aprilis Octava Reſurrectionis Simon Archiepiſcopus Patracenſis, ſeu Patrenſis, de mandato Sixti IV. Summi Pontificis conſecravit prædictum Altare, totamque Eccleſiam ab eodem Pontifice a fundamentis integre reſtauratam. En Monumentum conſecrationis factæ hoc tempore.

Deo Optimo Maximo.

Anno Domini M. D. LXXIV. die vero XV. Menſis Novembris Sedente Gregorio XIII. Pontificatus Sui anno III.

Reverendiſſimus Dominus Joannes Franciſcus Sormanus Mediolanenſis Epiſcopus Montis Feltri De licentia Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. Jacobi Cardinalis Sabelli Epiſcopi Portuenſis Vicarii Urbis conſecravit in hac venerabili Eccleſia SS. Coſmæ, & Damiani duo altaria, videlicet Altare majus in honorem SS. Martyrum Coſmæ & Damiani, in quo recondidit reliquias Sancto-

ctorum Innocentium, Sancti Tiburtii martyris, & Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris. Altare aliud, quod eſt in honorem Sancti Michaelis Archangeli, in quo recondidit reliquias Sancti Calixti Papæ, & martyris, Sancti Dionyſii Epiſcopi & martyris. Nec non Sanctorum quadraginta Martyrum. Omnibus etiam Chriſti fidelibus utriuſque Sexus ſingulis annis in Conſecrationis Anniverſario eorumdem altarium devote viſitantibus dies quadraginta de vera indulgentia conceſſa in forma Eccleſiæ conſueta.

LXXVII. Hac in Eccleſia ſancte quieverunt temporibus proxime anteactis, nimirum anno 1565. Clementia Romana, Paulina Romana, Anna...., & Agata Lancellotti. Anno 1566. Æmiliana Romana, & Lucida Urſina. Anno 1568. Philippa de Bergomo, & Julia Subatara. Anno 1570. Bernardina Giardini Sermoneta. Hæc ſuis in locis non appoſuimus, monumentorum, quæ tandem acquiſivimus, defectu.

LXXVIII. Ex Monaſterio Aſſumptionis de Faro in Provincia Algarbiorum ingreſſæ ſunt hoc anno die 14. Octobris Monaſterium S. Helenæ Montis Calvarii, quod in Civitate Eborenſi fundatum diximus anno 1570., quinque Moniales, quas inter Bernardina de Jeſu de Setubal, & Maria de Paſſione; aliarum enim nomina latent; Provinciam moderante Alvaro de Olivence, earumque cura, & laboribus floruit inibi Regularis Obſervantia, quæ quamplures laudabiles Virgines Chriſto peperit.

LXXIX. Epiſcopalem dignitatem obtinuerunt Didacus de Medullin promotus ad Eccleſiam S. Jacobi de Chile, ſeu Novi Extremi, vacantem per obitum Ferdinandi de Barrio Nuevo: *Apoſtolatus Officium*. XIV. Kal. Julii. Antonius de Zayas oriundus a Civitate de Ezija promotus ad Eccleſiam Nicaraguæ, ſeu Novi Regni Granatenſis vacantem per translationem Gometii Epiſcopi Guatimalenſis: *Apoſtolatus Officium*. XIV. Kal. Februarii. Hunc Epiſcopum minus vere ſcribit Joſeph Torrubia renuntiatum in Conſiſtorio anno inſequenti, niſi fortaſſe in numeris ſit error, ut eſt certe in illis, quibus exprimit ejus adventum in Nicaraguam; dicit enim eo perveniſſe anno 1677. Anſelmus de Oliveriis promotus ad Eccleſiam Veſtanam in Apulia ad radices Montis Gargani vacantem per obitum Antonii Garguſiæ Epiſcopi, quem Ughellus dicit defunctum hoc anno die 8. Martii; Antonium vero ad Epiſcopatum perveniſſe die 29. ejuſdem menſis. Loquitur etiam de eo Rodulphus. Conſtantius Vincentii Bargellini Bononienſis Minorita Conventualis promotus die 17. Septembris ad Eccleſiam Reatinam vacantem per translationem Alphonſi Epiſcopi ad Eccleſiam Camerinenſem. Poſtea & ipſe translatus eſt ad Eccleſiam Fulginatenſem. Hunc Rodulphus non Conſtantium vocat, ſed Bartholomæum. Dionyſius Odiera promotus ad Eccleſiam Mayonenſem in Hibernia, ut lego apud Rodulphum. At in Viridario Seraphico Petri Antonii de Venetiis Epiſcopum hunc appellatum invenio Demetrium Hibernum. In eodem Viridario nomen habetur Thomæ Secundi Archiepiſcopi Tarantaſiæ in Alpibus Grajis, ſeu in Sabaudia, electi anno 1570.; quod prætermittendum non duximus, ne quis forte negligentiæ nos arguat.

Torrubia in Appendice pag. 15.

Ughellus tom. 7. pag. 770.

Idem tom. 1. pag. 1214.

Rodulphus lib. 2. pag. 255.

Virid. Seraphicum tom. 1. part. 3. pag. 549.

LXXX. Sub hoc tempus facultatem, quam ab anno 1254., ſub Innocentio IV., hactenus habuerunt Miniſtri Generales Ordinis Minorum inſtituendi Inquiſitores contra hæreticam pravitatem in Tuſcia, & locis aliis, abſtulit Conventualibus S. Congregatio Generalium Inquiſitorum de Urbe, qui eam ſibi reservavit, ut ex literis Cardinalis Piſani ſub die 4.

Junii

Junii hujus anni miſſis ad Franciſcum Piſanum S. Theologiæ Magiſtrum, ac Florentiæ Inquiſitorem, quas Antonius de Terrinca reperiri ait in tabulario S. Inquiſitionis Florentiæ. Dicitur in ipſis, Generalem Magiſtrum Minorum Conventualium notificaſſe S. Congregationi commutationem Inquiſitorum Florentiæ, & Piſarum a ſe factam, eique S. Congregationem reſpondiſſe, ſe translationem illam non admittere; ac proinde ipſe Florentiæ munus proſequeretur, addens, Summum Pontificem Gregorium XIII., Sacramque S. Officii Congregationem, facultatem inſtituendi, deſtituendique de cætero Inquiſitores ſibi reſervaſſe. Hinc licet Magiſter Julius Columbertus de Aſſiſio deſignatus antea fuiſſet Inquiſitor a Generali Magiſtro in Civitate Utinenſi, & toto Patriarchatu Aquilejæ, confirmatus tamen eſt in officio ſpecialibus literis Pontificiis: *Quum ſicut accepimus*. Die 25. Junii.

Terrinca in Theatro Etruſco-Minoritico part. 2. tit. 2. pag. 187.

LXXXI. Generales Inquiſitores ſolius Tuſciæ ſupra recenſuimus monumentorum defectu, quæ fruſtra conquiſivimus, quæque tandem, quamvis non integra, adepti ſumus. Anno 1567. in ditionibus Adriæ, & Rhodigii Sacrum Tribunal moderandum ſuſcepit M. Marcus Antonius de Meldula. Anno 1565. in Patriarchatu Aquilejæ, & Concordiæ M. Franciſcus Sporenus Utinenſis, cui anno 1567. ſucceſſit præfatus Julius Columbertus. Anno 1569. in Civitate Cenetæ Marchiæ Tarviſinæ M. Daniel Sbaratti, cui hoc anno ſucceſſit Euſebius Sylvanus Ordinis Prædicatorum, poſt quem ab anno 1584. alii omnes ſunt Minores Conventuales. Anno 1567. in ditione Tarviſina M. Bonaventura Belliorius de Pinariolo, & anno 1570. M. Theophilus Borgondi de Rhodigio. Hoc anno Patavii Inquiſitorem agebat M. Maximilianus Beniami Cremenſis renuntiatus anno 1585. Epiſcopus Clodiæ. Tridenti M. Franciſcus ab Aſculo, quem unicum reperio electum anno 1560. In Iſtria, & Dalmatia M. Michael Volpinus de Arba una cum M. Nicolao Difinito de Sebenico.

LXXXII. Vitam clauſit in Gallia Rex Carolus IX. juvenis vigintiquatuor annorum, poſtquam duodecim annos regnaſſet, populosque ſuos reliquit iisdem perpetuo tumultibus agitatos; quamvis enim paullum antea intermiſſi ii forent, nemo tamen facile vel Hugonottorum animum prorſus compeſcuiſſet hominum audaciſſimorum, & in nefas omne ſuapte natura ruentium, vel ab ipſis boni aliquid ſperare unquam potuiſſet. Nuvius belli ſignum extulit in Pictavienſi Regione, coacto exercitu, domitiſque Oppidis Luſignano, Fonteneo, & Mela; atque hinc ſeditiones plurimæ ſequutæ ſunt in Delphinatu, Provincia, Septumania, & Aquitania. In hac poſtrema Regione Petrus Guarriguejus Sacerdos incola Cœnobii S. Pergeti, ad Mauriacum Oppidum tertio tantum milliari diſtans a Guardiano ſuo miſſus, perficiendorum quorumdam negotiorum cauſa, necatus eſt die 7. Octobris ob Chriſti confeſſionem ab Hæreticis, qui Oppidum ipſum expugnabant. Ejus corpus, nefariis hominibus prohibentibus, inhumatum remanſit per integrum diem; ac poſtmodum noctu a Fidelibus ſublatum honorifico tumulo conditum eſt, non ſine maximo mœrore, & lacrymis circumſtantium.

Gonzaga in Prov. Aquitaniæ Antiq. con. 30.

LXXXIII. Soluta matrimonii curis Regina Eliſabeth Auſtriaca Caroli IX. Regis vidua, licet viginti annos nata, a ſecundis nuptiis adeo abſtinuit, ut non prius Viennam redierit, quo eam Auguſti Parentes invitabant, niſi cautione accepta, ſibi nullas unquam nuptiarum moleſtias eos illaturos, ſcriptamque cautionem arcula diligentiſſime incluſit, cujus cla-

Greiderer lib. 9. cap. 4 §. 12. num. 212.

clavem collo pendulam gerebat. A Gallia tamen non diſceſſit, niſi anno inſequenti, poſtquam Henricus III. Mariti ſui Frater a Polonia redux, ubi Regno potitus erat, in Regem Galliarum eſſet coronatus, a quo Cardinalem Ferrarienſem accepit, qui illam feſtivo cum famulatu in Germaniam comitaretur.

LXXXIV. Inter Sanctimoniales Clariſſas S. Lini Volaterrarum florebat Cæcilia de Gottis Volaterrana, quæ quantum charitas ſuadet, obedien- *Pulinari part. 2. pag. 227.* tia præſcribit, Marthæ partes abſolvit in Miniſterio Sororum; cæterum Mariam orando avidius imitata die, noctuque cæleſtibus intendebat; unde plures divinitus, dum in contemplatione hæreret, accipere meruit favores; hoc namque anno in Vigilia Pentecoſtes Spiritus S. Adventum tum in Jordane ſuper Filium Dei, tum in Cœnaculo ſuper Apoſtolos dum attente recolerent, Spiritum ipſum in Columbæ ſpecie ſuper ſe ſtantem vidit; & in nocte Nativitatis Dominicæ Divinam expendens *Monumenta Provinciæ Tusciæ.* dignationem erga homines, ſpecioſiſſimum puerum Jeſum a cælis deſcendentem, & in ſinum ſuum illabentem excepit, ac tenuit, ſicut antea pluries exceperat, & tenuerat; quod ipſamet paullo poſt læta ad Sponſum abiens faſſa eſt.

LXXXV. Reperio in Proceſſu Valentino pro Beatificatione, & Canoni- *Ex Processu Valentino num. 47. pag. 202.* zatione Petri Nicolai Factor, Servum Dei ab anno 1571. ad annum hunc Matriti habitaſſe, prout teſtatur Franciſcus Ortiz Lucio Sacerdos Minorum Obſervantium. Id iis opponitur, quæ ſuperius retulimus ex eodem Proceſſu, ubi literarum ipſius teſtimonio probavimus, eum anno 1572. fuiſſe Confeſſarium in Monaſterio SS. Trinitatis Valentiæ, nec proinde rem hanc in aliud tempus eſſe rejiciendam. Arbitror, non omnia, quæ in Proceſſibus congeruntur, ita minute eſſe accipienda, ut circumſtantiæ aliquæ factis additæ, quæ ad rei ſummam, ſeu cardinem non pertinent, quæque ut extraneæ ſpectari debent, veritati adamuſſim reſpondeant; ſufficit enim, ut ſanctitas, de qua agitur, comperta ſit, atque extra dubitationis aleam poſita. Rite omnibus perpenſis, probabilius eſt, Franciſcum Ortiz memoria lapſum fuiſſe, quam Petrum Nicolaum ipſum pro uno anno alterum ſcripſiſſe.

LXXXVI. Prætereundæ non ſunt literæ, quas ex Regio Monaſterio Diſcalceatarum Matritenſium, in quo Vicarium, & Confeſſarium agebat Sanctus hoc tempore, dedit ad Abbatiſſam Monaſterii SS. Trinitatis Valentiæ, tum quia maximum pietatis, & devotionis ſpiritum redolent, *Ibidem num. 32. pag. 84.* tum etiam quia evincunt, eum anteactis annis ibidem ſpiritualia ſervitia Monialibus præſtaſſe.

Admodum Reverendæ Dominæ Abbatiſsæ Monaſterii SS. Trinitatis Valentiæ.

Jeſus Maria.

Admodum Reverendæ Dominæ in Chriſto Crucifixo.

Gratia Sanctiſſimi Sacramenti reſideat in ejus anima, ſuoque amore illaqueetur, ac illi permittat facere ſuam Sanctiſſimam voluntatem. Suam recepi Epiſtolam cum omnibus aliis, & multam conſolationem cœpit, & equidem laute, videns & Dominationem Veſtram, nec non omnes iſtas Dominas exiſtere, ac credo ad præſens etiam exiſtere omnes bonas, quia ſine finitione illi dico, nunquam exiſtimarem, quod fuiſſem percepturus tantam triſtitiam ob abſentiam hujuſmodi Angelorum, quæ licet non habeant nomen Diſcalceatarum,

tarum, neque tantum rigorem, uti hoc in loco, ſi deferunt ſolium in omni Dei re, nihil ſupereſt, quod petatur, cum hæc domus, & moniales omnes olent, & ſunt Dei. Sed Domus Sanctiſſimæ Trinitatis Valentiæ, ita prout habet nomen, tenet effectum, & valorem pertinentem ad magnos Dei Servos; & insuper illi dico, quod nunquam putarem lacrymas fundere, quæ ſemper, quod recordor hujus cæleſtis Domus, insurgunt in meos oculos, ac sum me conversurus ad Deum, licet illi a me præteriri non poſſit Sanctiſſima Trinitas. Equidem magnam rationem habet recordari hujus pauperis Fratris, quoniam ſemper illas præsentes tenet in ſupremo gradu perfectionis erga Deum. Hucusque me deſinui scribere, sed minime a memoria abiit a me, a Deo amata, & ſignanter Dominatio veſtra, & haud obliviscor illius, quod facere vellem. Pro hujusmodi Domo expectatur occaſio, quia diverso modo conſideratur hæc curia extra illam, & alio in illa reſidendo. Deo placeret, quod ego illic me detinerem, quia illud omne, quod hic ſe habet, meo in animo legebam, ſeu conſiderabam, & plus video, & denique plus valet iſte angulus, quam exiſtimari poſſit teſtis cantantibus Organis. Commendationes det Dominæ Donnæ Joannæ de Toledo, ac Donnæ Mariæ ejus Filiæ, jam eſt mea Filia spiritualis Domina Donna Joanna, & eſt una magna Dei Serva, & gratiam mihi faciat Domina Abbatiſſa omnibus iſtis Dominis Filiabus, & Sororibus meis me commendare in Jesu Chriſto, ac Dominabus antiquis, mediocribus, & parvis, ut Deus mihi permittat redire ad iſtam meam Matrem, & Provinciam Valentiæ, quodque Dominatio veſtra multum me commendet in Domino, ac Sorori Cæciliæ: donum erat tale, ut videretur descendere de Cælo; Dulciſſimus Jesus ſit in veſtrum divinum adjutorium. Magna obligatione me ſtrinxit domus de Mendozza, quod ſi non ſint amitæ, & Sorores Consobrinæ Dominarum Comitiſſarum de Consentaina, jam ignoro alium favorem in hac curia, bene apparent, quæ ſint; ſignanter Donna Anna de la Cerda Hispania harum Dominarum, & omnibus tribuat Deus ſummum bonum; & nobis ſolatium. Madrid de Mense Januarii II. Anno MDLXXIV. Valde Filius Dominationis veſtræ peccator &c. Jesus F. Petrus Nicolaus Factor.

LXXXVII. Epiſtolam excipiunt piæ nonnullæ conſiderationes, ſeu monitiones animæ ad eamdem Abbatiſſam perscriptæ, quas dabimus, quum de Servi Dei scriptis recurret ſermo.

LXXXVIII. Virginum Deo sacrarum Dux in virtutis ſemita verbo, & exemplo eis præibat, quæ illum veluti divinitus ſibi datum diligebant, & venerabantur. Hoc in loco ante Imaginem Seraphici Patris S. Francisci retulit prophetico spiritu Paschali Baylon, qui ſecum erat, viſionem illam, de qua ſuperius egimus, aſtri infinitæ magnitudinis, quæ Paschali ipſi objecta fuerat in Cœnobio de Jumilla, vel de Almansa, quamque cum nemine communicaverat. Hoc in loco Miſſæ Sacrificio præſens tanto arſit spiritu erga Altaris Sacramentum, ut ex Tabernaculo sponte ad ipsum miraculose abierit una ex consecratis formis, atque in os ejus illapsa suspirantem, & præ dulcedine, quæ cor inundabat, deficientem Angelorum esca refecerit. Alio die Sacrum peragens in Eccleſia Monaſterii, repente tamquam ad alia negotia diſtractus apparuit. Hinc Sacerdos quidam ſæcularis, apprehensa extremitate ejus veſtis, ad latus eum bis, terque traxit, ut excitaret; ſed immoto illo perſiſtente, intellexit, Divinum eſſe, ſoporem, & ecſtaſim, qua cum Deo jungebatur, ideoque admiratus in partem ſe recepit.

Compañy lib. 1, cap. 10.

LXXXIX. Erat ei contracta amicitia cum Francisco de Cruce Religioſo celſi ſpiritus, & perfectionis, qui hoc eodem anno ei dixit: *Fra-*

Ex Proceſſu Valentino num. 47. pag. 303.

ter Nicolae, hodie ſunt futura magna ſuper verſum illum: Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam. Cui alter labiis in riſum compoſitis, & æſtuans ardore charitatis, pauca verba reſpondit. Deinde ſacras ſumpſit veſtes ad ſupplicationem peragendam, qua expleta, Miſſam celebravit, quumque perveniſſet ad verba illa Evangelii Joannis: *Verbum caro factum eſt*, remanſit in ecſtaſi per multum temporis, ita ut adſtantes Religioſi ab Eccleſia egreſſi iverint ad prandium, & ipſe interea ante pedem Altaris majoris, facie ſurſum elevata, perſeveravit immobilis, & a ſenſibus alienus, donec ſenſus recuperans ivit ad cœnaculum, ubi maxime jucundus a Fratribus petiit, ſi foret aliquid, quod Amore Dei ſibi daretur ad manducandum.

XC. Frequentes Viri Dei ecſtaſes in cauſa fuerunt, ut quandoquidem ipſæ per ſe inſpectæ non ſunt adeo evidens ſignum Gratiæ, & Sanctitatis, ut non poſſint eſſe naturales, aut artificiales, & ſub melle venenum occultare; (quod S. Ludovicus Beltrandus adnotaverat in concione habita in die Transfigurationis Domini, teſte Franciſco Gonzaga in libro, cui titulus: Hiſtoria verax Vitæ, & Miraculorum S. Ludovici) ad Tribunal S. Inquiſitionis Petrus Nicolaus hoc ipſo anno ſiſteretur ſub Licentiato Vaca Inquiſitore in Archiepiſcopatu Toletano: aderant enim qui ipſius ecſtaſes probarent, & qui dicerent, etiam lamiis eas paſſim contingere. Quomodo res geſta fuerit ſequens oſtendit monumentum.

Ibidem pag. 302.

XCI. *Toleti die 11. Menſis Aprilis MDLXXXV. fuit petitum a me Fratre Franciſco de Guſman Sacerdote Ordinis Sancti Franciſci ex parte Admodum Reverendi Patris Fratris Chriſtophori Moreno Miniſtri Provincialis Provinciæ Valentinæ, & ſuo nomine Frater Coſma Damianus Camacho Sacerdos ejuſdem Ordinis, & Provinciæ petivit a me, an ſcirem, quod Domini Inquiſitores Diſtricti Diœceſis Toletanæ examinarunt vitam Patris Fratris Nicolai Factor, & ego cum conformitate ſua voluntatis, & deſiderio fidem do, & teſtimonium in verbo veritatis, quod quum redirem in Monaſterio Sancti Franciſci Oppidi Matriti, & adminiſtrarem munus Commiſſarii Generalis Indiarum, & D P. Fr. Nicolaus Factor eſſet Confeſſarius Monacharum in Monaſterio Monialium Diſcalceatarum dicti Oppidi, vidi quod aliquibus vicibus concionans dictus Pater in dicto Monaſterio remanebat in ecſtaſi, & raptu, & ſimiliter quando abſolvebat Sacrificium Miſſæ, per multas horas in raptu manebat, & cum hoc divulgaretur per illud Oppidum, venit illuc Dominus Licentiatus Vaca Inquiſitor ſupradictæ Diœceſis, qui viſitabat illud Oppidum, & Curiam, qui ſciens, quod eram Commiſſarius, & Viſitator illius Monaſterii Diſcalceatarum, petivit a me, & exhortatus fuit, quod altera die ſequenti vocarem dictum Patrem Fratrem Nicolaum hora aſſignata, curans illum remanere in mea Cella, & dictus Dominus Inquiſitor veniret eodem tempore, quia erat tractaturus aliqua cum dicto Patre ſpectantia ad ſervitium Dei, ac ipſe redegi ad opus, quod dictus Dominus mihi ordinavit, & feci venire dictum Patrem, & illum mecum habui uſque quo venit dictus Dominus Inquiſitor, qui duo ſe viderunt, & ſoli permanſerunt clauſi in Studio meæ Cellæ ſatis ſpatio temporis, & quod ſucceſſit a colloquio illo, & examine, fuit, quod dictus Dominus Inquiſitor exivit illinc valde ſatisfactus, & ædificatus propter ſpiritum, bonitatem, & integritatem Chriſtianam dicti Patris Fratris Nicolai, & gratias agens, & benedicens Deum propter illud, & hoc ſucceſſit in principio anni MDLXXIV.*

XCII. Æquo Inquiſitoris judicio probatus, & dimiſſus Sanctus Matrito abire cogitavit, & ad priſtinam quietem Valentiam reverti, ut ſcilicet

licet Regiæ Aulæ ſtrepitum, vulgique plauſus, & acclamationes vitaret; ubique enim de ipſo mira Matritenſes prædicabant. Poſitus in oratione ante Imaginem B. Mariæ Virginis de Atocha, quæ eſt in Cœnobio Fratrum Prædicatorum, audivit eam ſibi dicentem lingua Valentina: *Cur, Nicolae, relinquere vis filias meas Diſcalceatas?* Ille autem tamdiu ſe excuſavit, donec Virgo veniam diſcedendi ei fecit. Ibidem.

XCIII. Illuſtravit Felix Cardinalis Perettus de Monte Alto nobili ſepulchro, & elogio in Baſilica Liberiana corpus Nicolai IV. Summi Pont. in neglecto latitans. Antea conſtruere ibidem incœperat proprio ære Sacellum Præſepis Domini, quod ipſemet appellat opus viribus ſuis, & facultatum ſuarum tenuitate majus, ſpemque animo conceperat in eo collocandi S. Hieronymi corpus, tumulatum, ut vetus traditio ferebat, in eadem Baſilica, ſi forte reperiretur. Veritus tamen, ne Pontifex Gregorius XIII. id ſibi interdiceret, veniam ab eo obtinuit transferendi corpus Nicolai IV. ad locum decentiorem. Itaque conſilium ſuum occultans ſagaci prudentia juſſit, ut humus nunc in uno, nunc in alio angulo effoderetur, non tam tumuli ponendi deſiderio, quam ſacrum depoſitum, quod quærebat, inveniendi. Spe ſua fruſtratus monumentum demum erexit ad dexteram Tribunæ, translatum modo ad lævam majoris januæ in proſpectu tumuli Clementis IX., marmoreis, & porphyreticis lapidibus, opere vermiculato, & eleganti emblemate ornatum, in quo viſitur ſimulacrum Pontificis dextero brachio extenſo, manuque aperta, cui adſtant Juſtitia, & Religio. In ſummitate hæc leguntur.

Nicolao IV. Aſculano Piceno Pont. Max. Cum in neglecto diu ſepulchro fere latuiſſet, Felix Perettus Cardinalis de Monte Alto in Ordinem, & Patriam pietate motus Poſuit an. MDLXXIV.

XCIV. Baſis inciſas has literas magnarum virtutum Nicolai teſtes ampliſſimas exhibet.

Nicolaus IV. Pont. Max. Ordinem Minorum profeſſus, Philoſophus, ac Theologus egregius, Conſtantinopolim a Gregorio X. miſſus, Græcos ad Romanæ Eccl. communionem, Tartaros ad fidem reduxit, poſt S. Bonaventuram Generalis, ſanctitate, & doctrina Ordinem propagavit, Nicolai III. Nuntius inter Francorum, & Caſtellæ Reges pacem conciliavit, S. Pudentianæ Cardinalis, Legatus Honorii IV. in Galliam Senatoriam P. R. dignitatem Sedi Apoſtolicæ reſtituit, Factus Pontifex Rempublicam ſublatis diſcordiis compoſuit, Chriſtianos Principes ſacro fœdere junxit, Ptolemaidem copiis adjuvit, Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit, Publicum in Monte Peſſulano Gymnaſium inſtituit, probos, & eruditos in Cognatorum loco tantum habuit, Lateranenſem, & hanc Baſilicam ſtructuris & opibus auxit, Tandem juſtitia, & Religione Orbem Terræ moderatus magna ſanctitatis opinione obiit pridie Non. Aprilis MCCXCII. Pontificatus ſui anno V.

XCV. Antonius Olano Luſitanus Minorita ſcripſit, ut habetur in Bibliotheca Hiſpana, librum cui titulus: Relatio Martyrii Fratris Andreæ de Spoleto, impreſſum hoc anno una cum Ærario Virtutum Alphonſi de Isla, ſeu Ilha, pariter Minoritæ. Florebat in Provincia S. Nicolai Paulus de Gravina doctiſſimus, & rerum agendarum peritiſſimus, electus hoc anno Miniſter in Comitio Terlitii. Bibliotheca Hiſpana tom. 1. pag. 14.

XCVI. Provinciam Conceptionis decorabant literariis laboribus Nicolaus de Ramos promotus ſubinde ad Epiſcopatum Portus Divitis, & Joannes de Pineda. Provinciam Cataloniæ Angelus de Pas præſtantiſſimus, ſummuſque Theologus, multorum voluminum doctrina, & eru-

ditione ſingulari refertorum auctor, ferventiſſimus Concionator, de quo Angelus Juſtinianus Epiſcopus Gebennenſis teſtatus eſt, ſibi perſuaſum eſſe, duos tantum in Miniſterio Verbi Dei tunc excelluiſſe, nimirum Franciſcum Panigarolam, & Angelum de Pas. Pietate etiam clarus, fulſit prophetico ſpiritu, & miraculorum gloria, ſepultus anno 1596. in Eccleſia S. Petri in Monte Aureo de Urbe. De ipſo plura erunt inferius dicenda.

XCVII. Alexandrum Bonannum Ordinis Minorum Conventualium virum doctiſſimum, & eximium Concionatorem hoc tempore vixiſſe ſcribit Auctor Bibliothecæ Franciſcanæ, & Waddingus in libro de Scriptoribus Ordinis, typiſque commiſiſſe Sermones quadrageſimales ſub titulo, *Portus Panormitani*, laudatos a Poſſevino in Apparatu Sacro. Eadem habet Rodulphus, qui ita loquitur: *Alexander Bonannus Siculus, Panormitanus edidit Quadrageſimale, quod Portum Panormitanum prætitulavit anno* 1574. Unum invenio Antonium Mongitorem in Bibliotheca Sicula, qui ipſum fato functum aſſerit Panormi in Cœnobio S. Franciſci die 31. Auguſti anno 1571., ubi hoc ei texit elogium: „ Scientiarum ornamen-„ to, Sacrarum Literarum eruditione, & ſingulari eloquentia celeber-„ rimus effulſit. Ex hujus ore mirabilis in Auditores concionando ef-„ fluebat ſuavitas, adeo ut, undique irruentibus populis, omnium ani-„ mos ſibi conciliabat, magnaque apud omnes exiſtimatione valuit. „ Provinciam Siculam rexit anno 1562., & pietate emicuit. Obiit.... „ Funeri celebrando honoris cauſa interfuiſſe legitur Canonicorum „ Capitulum Panormitanæ Eccleſiæ, ut ex defunctorum libris ejuſdem „ habemus. De eo vide Præfationem, ſive elogium D. Leonardi Cer-„ toſa Veneti, quod Alexandri concionibus præfixit „.

Rodulphus part. 3. pag. 306. a tergo. Bibliotheca Sicula tom. 1. pag. 14.

XCVIII. In Cœnobio S. Franciſci Pennæ Provinciæ S. Bernardini deſideratus eſt Antonius Angelinus, quem Rodulphus ortum ſcribit ex Matre Apollinaria, Patria Pennenſem, morum integritate, doctrina, prudentia, & charitate ornatum, qui triennio Provinciam S. Bernardini ſapientiſſime moderatus eſt, multas celeberrimas Urbes lectionibus Theologicis, & concionibus illuſtravit, multaque beneficia contulit Pennenſi Cœnobio. Virum inſignem præceſſerat anno 1510. Jacobus Antonius Angelinus, & ſubſequutus eſt Nicolaus ejuſdem nominis, ambo ſpectatæ pietatis, & eruditionis S. Theologiæ Magiſtri.

Rodulphus lib. 2. pag. 277.

XCIX. Omnium tamen laudem ſuperat Cornelius Muſſus anno 1511. Placentiæ in Italia nobili ortus genere, & in baptiſmo Nicolaus dictus eorumdem pariter Minorum Conventualium Alumnus, vir incomparabili ferme ingenii felicitate, ut continentia, & pietate excellens, ad eloquentiam natura ipſa conformatus, ſic ut ab ætate annorum duodecim (annos enim novem natus ex voto, quod Cornelia ejus mater nuncupaverat, Minoriticum habitum ſumpſerat) publicum ſacrarum declamationum munus aggreſſus ſit, tanto omnium plauſu, & audiendi deſiderio, ut ad pueri conciones, veluti ad inſueta miraculorum ſpectacula, innumerabilis populorum fieret concurſus.

C. Curam ſuſcepit egregii juvenis Frater Jacobus Roſa de Candazo, qui eum ſecum duxit Carpium ad humaniores literas ediſcendas, ibique ejus præclaram indolem miratus Leonellus Pius literas commendatitias ei dedit, ut Venetias profectus coram Senatu concionem haberet. Quod munus ſumma cum laude explevit, etſi Veneti Patres parum ſibi de eo repromitterent, ob ætatem juvenilem, exiguam corporis ſtatu-

Joseph Muſſus in Vita Cornelii Muſſi.

ſtaturam, vultuſque, ac membrorum gracilitatem. Ex iis Petrus Zenus, Aloyſius, & Jacobus Cornelius ampliſſimi Senatores in Muſſum adeo benevolos ſe præſtiterunt, ut eum Patavium miſerint cum honore, ubi Philoſophiæ ſtudiis expletis ſub Zimara, Theologiæ ſub P. Simonetta, linguæ Græcæ ſub Lampridio, Hebraicæ inſuper, & Chaldeæ ſub eximiis Præceptoribus, auditoque Petro Bembo poſtea Cardinali, a quo præcepta didicit elegantioris ſtyli Latini, atque Italici, lauream ſumpſit, & per Quadrageſimam ea in Urbe concionatus eſt, omnibus viri inauditam hactenus facundiam mirifice extollentibus, ipſumque Demoſthenem Italum appellantibus. Venetiis etiam id muneris abſolvit, aliiſque in locis; ſed Romæ præſertim in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi, & in Aula Pontificia; quum enim Paulus III. ad prædictam Eccleſiam accedere commode non poſſet, voluit, ut Cornelius coram ſe Latinas conciones perageret, & diſputationes circa textus Evangelii, quod ſingulis diebus legebatur.

CI. Metaphyſicam explicavit in Academiis Papienſi, & Bononienſi. Sacrarum literarum ſtudiis addictus annuos ſermones Bononiæ diebus feſtis peroravit, inſolenteſque, & heterodoxos adverſarios confudit tum ſapientia ſua, tum auctoritate Cardinalis Campegii Antiſtitis Bononienſis. Ochinum Apoſtatam oppugnavit, perque omnes honoris gradus ad Epiſcopalem dignitatem evectus eſt anno 1541. die 14. Novembris Eccleſiarum unitarum Foropopilienſis, & Bertinorienſis, quas tres annos rexit, translatus anno 1544. die 27. Octobris ad Eccleſiam Epiſcopalem Bitunti in Apulia Peucetia, ubi in Eccleſia Cathedrali, hoc ei inſcriptum eſt epitaphium, licet Romæ oculos vitæ clauſerit.

Ughellus tom. 7. pag. 611. Idem tom. 1. pag. 690.

D. O. M.

Cornelio Muſſo Placentino Bituntino Epiſcopo doctrina, ac eloquentia celeberrimo, deque fide Catholica optime merito, qui quum Epiſcopatum hunc ſeptem, & viginti annos ſumma cum pietate rexiſſet, demum a Pio V. Pont. Max. Romam accitus, ibique ſub Gregorio XIII. ſtudiis, & laboribus confectus LXIII. an. ſuæ ætatis IX. Jan. obdormivit in Domino MDLXXIV. Joſeph Muſſus Archipresbyter Bituntinus familiaris amantiſs. faciendum curavit.

CII. In Eccleſia SS. Apoſtolorum de Urbe, ubi ejus corpus quieſcit ad lævam Aræ majoris, hoc alterum legitur epitaphium, in quo unus ei additur ætatis annus.

Cornelio Muſſo Placentino Minoritæ Bitontinenſium Epiſcopo vitæ innocentia, morum integritate, & ſanctitate inſigni, Doctrina, omnibuſque ſcientiis præclaro, Concionatori facundiſſimo, atque incomparabili, Catholicæ fidei propugnatori acerrimo, cujus ingenii, & eloquentiæ præſtantiam nunquam interitura monumenta teſtantur. Vixit an. LXIV. Obiit V. Idus Januarii anno MDLXXIV.

CIII. Habuit in Concilio Tridentino, cui interfuit, duas Orationes, alteram Italico idiomate de perſecutionibus, & victoriis Eccleſiæ, pro expeditione Caroli V. adverſus Lutheranos, quos Imperator admirabili prælio ſubinde fudit ad Albim fluvium anno 1546.; alteram Latinam anno 1545. Dominica tertia Adventus, Patres ad ſpirituale gaudium hortatus ob bona, quæ œcumenica Synodus univerſo Orbi Catholico erat allatura. Incipit: *Gaudete in Domino*, & habetur in collectione Labbei.

Labbeus tom. 20. pag. 166.

CIV. Quæ ſuperſunt opera ab ipſo exarata, hæc numerantur.

In

In Rhetoricam. In Logicam. In Metaphyſicam. Super I. Sententiarum Scoti. Commentaria in omnes Epiſtolas Pauli ad Aſcanium Cardinalem Columnam. In Epiſtolam Pauli ad Romanos. In Pſalmum CXXVI. Super Magnificat. De Vita B. M. Virginis. In Decalogum. Homiliæ Latinæ de modo viſitandi. Synodus Bituntina. De Divina Hiſtoria libri tres. I. De Divinæ eſſentiæ æternitate. II. De Divinæ naturæ veritate. III. De Divinæ naturæ, & vitæ fœcunditate. Elogium ſolitudinis rhythmice. De arte prædicandi Latine. Homiliæ Latinæ in Epiſtolas & Evangelia totius anni ad Paulum III., & Pium IV. habitæ. Sermones quadrageſimales Italice. Sermones habiti ad Regem, & Reginam Bohemorum. Conciones variæ Italice.

CV. Symbolum Apoſtolorum interpretatus eſt per Conciones, quas habuit coram Paulo III. Pontifice, & anno 1598. ex Italico in Gallicum idioma vertit in duos tomos diſtinctas Gabriel Chapuis Hiſtoricus, & Secretarius Regius Pariſiis; in Hiſpanum vero Didacus Zamora Ordinis Prædicatorum editas Salmanticæ anno 1602. Ex his conciones decem Caſtellanas fecit Petrus a S. Anna, & ad prælum maturas reliquit aſſervatas Pinciæ in Bibliotheca Comitis de Gondomar. Tomus primus hujus operis publici juris factus Venetiis apud Junctas continet ſequentes articulos, quibus præfixa eſt præfatio Bernardini Tomitani, in qua eorum aperit methodum, characterem, & elegantiam. De neceſſitate inſtitutionis Chriſtianæ. De facilitate vitæ Chriſtianæ. De fide. De primo arcano ſapientiæ hominis. De primo articulo Symboli Apoſtolorum. De productione Diviua. De generatione æterna Filii Dei. De Morte Chriſti. De deſcenſu ejus ad Inferos. De Reſurrectione. De Aſcenſione. De extremo judicio a Chriſto faciendo. De Spiritu Sancto tertia in Sacroſancta Triade Perſona. De Eccleſia Catholica. De Communione Sanctorum, & Remiſſione peccatorum. De Reſurrectione Carnis, & Vita æterna. Summarium longæ expoſitionis Symboli Apoſtolorum. De Sapientia Divina. De Dilectione Dei, & proximi, & in primis Amore Dei. De Amore erga proximum. De Amore mutuo, qui eſt finis vitæ Chriſtianæ. De operibus vitæ Chriſtianæ, ſine quibus frigeſcit Charitas.

CVI. Tomus alter. De operibus neceſſariis homini Chriſtiano contentis in Decalogo, & inſculptis lapidi, traditiſque Summo Monarchæ Populi Iſrael, & per eum toti Mundo. De honore, & cultu Dei. Contra immemores adorandi Deum in ſpiritu, & veritate, totam fiduciam conſtitueutes in cæremoniis, ſignis duntaxat, & imaginibus viſibilibus: ſimiliter contra eos, qui contenti ſolo ſpiritu negligunt cultum Dei exteriorem, & cæremonias. Quod homines majus peccatum committere non poſſint, quam lingua, qua Deum inhonorant, quod beneficio linguæ cæteris creaturis antecellunt. De requie ſpiritus Deo conſecrati. De cultu exteriori, qui fit Deo, determinato ab Eccleſia. De operibus ſex dierum, quibus Deus creavit Mundum, & requie diei ſeptimæ poſt completum opus. Item de loco cultus Dei in die Dominica. De pietate filiorum in parentes. De reverentia debita Sacerdotibus, & Senioribus. De non occidendo proximo. De prohibitione iræ, & invidiæ. Contra adulteros, & fornicarios. Contra avaros. Contra maledicos. De juſtitia interiore refrænante animæ concupiſcentiam. De Paſſione Jeſu Chriſti. Horum operum Catalogus habetur in Bibliotheca Franciſcana.

CVII.

CVII. De his concionibus hæc habet Sixtus Senenſis in Bibliotheca
Sancta : „ Exſtant (Cornelii Muſſi) conciones luculentiſſimæ Etruſca Bibliotheca Sancta lib.4.pag 352.
„ lingua editæ , Gregorii Magni , Baſilii Magni , Chryſoſtomi , & cæ-
„ terorum Græciæ Patrum ſermonibus propter doctrinæ , & facundiæ
„ majeſtatem comparandæ . Inter has autem ea maxime excellit , cui
„ titulus eſt *de Beneficio* , in illam ex Evangelio Joannis ſententiam :
„ Sic Deus dilexit Mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret , in
„ qua ipſe omnes ingenii , eruditionis , & eloquentiæ vires ſuas ſic
„ effudit , ut nec doctius , nec diſertius , quidquam eo in genere aut
„ dici , aut excogitari potuerit „ . Non diſſimulandum tamen eſt , teſte
Sixto Senenſi , nonnullos viros eruditos fuiſſe , qui Muſſi conciones in-
diſpoſitæ compoſitionis , moleſtæ prolixitatis , juvenilis affectationis ,
vanæque oſtentationis vitio notarent ; in quibus Hieronymus Treviſa-
nus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Veronenſis , celebris declamator
ejus ætatis , & eloquentiæ preſſioris , ac nervoſæ , earum auctorem
conferre conſueverat minutarum rerum negotiatori , omnium ſuarum Rodulphus lib. 5.
mercium ſuppellectilem in nundinis expoſitam oſtentanti . De altero pag. 515.
Muſſi adverſario queritur Rodulphus : „ Quidam , inquit , non minus ſui
„ ipſius , quam primævæ Religionis immemor , in qua annos 40. coa-
„ luit , aculeato , & livido dente tantum Virum , & clariſſima ejus
„ monimenta expungit , & adulatione parum ſobria clariſſimum hunc
„ virum adumbraſſe videtur . Sed hæc eſt naturæ humanæ perverſitas ,
„ ut quæ imitari nos poſſe diffidimus , falſa putemus , aut debita laude
„ defraudemus . Sic invidia virtutis hoſtis perpetuus judicium perver-
„ tit ; & ſuperbia , vitiorum omnium mater , virtutem obſcurare ni-
„ titur . Sed quis cum mortuo contendit , vel mortuo invidet ? „ .

CVIII. Inutile foret doctiſſimi viri hic texere apologiam , quem
cunctæ Italiæ Urbes admiratæ ſunt , literatiſſimi homines laudibus cu-
mularunt , Patres Concilii Tridentini , ut alias diximus , magno habue-
runt in pretio utpote ſummum Theologum in auguſto illo conſeſſu
inter doctiores doctiſſimum , Romani Pontifices maximis muneribus de-
corarunt , quos inter Paulus III. , qui eum duabus Cathedris Epiſco-
palibus dignum duxit , Julius III. , qui ad Concilium miſit , Pius IV. ,
qui ad Aulam Ferdinandi I. Imperatoris honorificentiſſime ablegavit de
graviſſimis negotiis acturum ; ab ipſis etiam Heterodoxis celebratus ,
qui veluti ingenii , & doctrinæ portentum Muſſum admirantur , ac
potiſſimum a Petro Bayle , quem minus æquum in res , moreſque , & Bayle tom. 3.pag.
fidem Catholicorum norunt omnes . Unum addemus teſtimonium Fe- 2036.
derici Cardinalis Borromæi , qui laudibus Savonarolæ , quo cum nemi-
nem comparandum aſſerit , has addit de Muſſo : „ Crediderim , laude
„ ipſius , & nomine , & recenti adhuc fructu poſt aliquot annos , di-
„ cendi ſtudium placuiſſe Cornelio Bitonto , qui ſicuti literati tunc Federicus Borromæus de ſacris
„ homines ajebant , primus in ſacrata clauſtra urbanam , atque nobi- oratoribus lib. 1.
„ lem formam invenit , poſthabita rudi , & agreſti , qua uſi fuerant pag. 24.
„ priores . Neſcio an pari quiſpiam alius laude tunc ſcribere concio-
„ nes potuiſſet Italica lingua . Debetur ei tamen venia , quod ſtylo
„ fuerit ſolutiore , ac minus ad ejus linguæ leges exacto , & religioſo ,
„ quam certe fuiſſet , ſi contigiſſet ei , ut noſtram hanc in ætatem
„ incideret . . . . . Bitontus non putavit ſibi eſſe faciendum , ut redige-
„ ret linguam in anguſtum , & arcte circumſcriberet ; ideo vocem ar-
„ ripiebat omnem , quacumque urbani modo , & recte loquentes ute-
„ ren-

„ rentur. In actione, ſive geſtu, ſumma fuit ejus cura, tantaque ſollicitudo, ut manarit hæc fama, neſcio certe quanta cum ipſius laude, conſueviſſe ipſum, adhibito etiam ſpeculo, componere, ac moderari motus omnes, privatimque faciendo periculum ſui, ſolitum eſſe cavere ſine fine, ne quid publice faceret omnino præter decorum„. Celebre exſtat de eo elogium Henrici Willoti.

Athenæ Ortodox. Lit. C.

CIX. Vivere deſiit Pariſiis die 19. Novembris Jacobus Hugonis Delphinas Alumnus Cœnobii Tanlai, quem præclaram legationem apud Philippum Regem Catholicum ſuſcepiſſe ſcripſimus. Fuit doctor Pariſienſis, Eccleſiaſtes, & Confeſſarius Henrici II., Franciſci II., & Caroli IX. Galliarum Regum, ab eodem Carolo miſſus ad Concilium Tridentinum tamquam Procurator Joannis Urſini Epiſcopi Tricorenſis. A nullo horum Regum induci potuit, ut oblatos admitteret Epiſcopatus. Carolus eum in deliciis habuit, valdeque familiarem, & abſque comitatu frequenter inviſebat; cubicula illi conſtruxit, annuamque dabat penſionem, quam ille, obtenta facultate Apoſtolica, in Fratrum uſus convertebat, maxime in ornatu, & cultu Divino, conflatis, ut ait Picquetus, a quo hæc ſumimus, quæ adhuc videntur, in Sacrario Pariſienſi vaſis argenteis deauratis, pondo ferme centum Marcarum. Sepultus eſt in Magno Conventu ante Altare ſupremum eodem in tumulo cum Petro a Cornibus Præceptore ſuo. Henricus III., dum Regnum gubernaret Poloniæ, ubi eum deceſſiſſe audivit, valde contriſtatus eſt, & ſolemnibus ei parentavit exequiis.

Picquet in con. Tanlay.

CX. Quievit in Cœnobio SS. Annuntiationis de Cuernavaca, ſeu Quauhnahuac, duodecim leucis ad meridiem a Civitate Mexicana Ferdinandus de Leyba, ſeu Liva, ſepultus die 22. Octobris prope oſtium veteris domus. Laicus erat profeſſione natus in Oppido Cidamonii, & Alumnus Provinciæ Burgenſis. Zelo ſalutis Indorum accenſus mare trajecit; ſed quum operi Evangelico ſe imparem agnoſceret ob cranius ingenium, & memoriæ debilitatem, exemplo ad Chriſti fidem, & pietatem Indos allicere deliberavit. Quare ſandaliis abjectis, nudis plantis incedebat, pauperrimo indutus ſacco, extenuatus pœnitentiarum rigore, & vigiliis, quas Divinarum rerum meditationi impendebat, laboribus inſuper, quos exerebat in plantandis oleribus, & leguminibus, ut Fratrum, pauperumque neceſſitatibus opitularetur, quibus ſi quidpiam deeſſe animadverteret, auſteritates in corpus ſuum charitate fervens duplicabat. Hiſpanos, Indoſque ad virtutem quotidie hortabatur, apud quos magnam Sanctitatis opinionem reliquit. Marchioniſſa de Valle una cum ingenti populorum multitudine adſtitit ad ejus funus, eſfigieſque Viri Dei viſitur in aditu ejus tumuli.

Torquemada loc. cit. pag. 593.

Marianus lib. 1. cap. 26.

CXI. Eadem in æde Guardiani munus peragens obiit die 17. Aprilis Franciſcus Simbronius, ſeu Zimbron, ex Civitate Abulæ equeſtri familia natus, & Ordini Minoritico addictus in Provincia Conceptionis. Multum inſudavit in Indorum converſione, ad quos quotidie ferme Mexicana lingua, quam optime callebat, concionabatur, Sacrarum Literarum, & orationis ſtudioſiſſimus, omnibusque inſtructus dotibus, quibus Idololatras, & Barbaros ad Religionem perduceret. Minus vere Ægidius Gonzales Abulenſis ſcribit, eum tumulatum in Cœnobio S. Franciſci Mexici. Viro Dei pietatis, & amoris cauſa ſepulcrum Fratres poſuerunt.

Gonzaga in Pro. S. Evangelii con. 35.

Menologium Fraciſc die 17. Aprilis pag. 41.

CXII. Deceſſit in Conventu Panormitano, vulgo dicto la Granja, Michael Servian, unaque cum ipſo Joannes Fè vir probatiſſimus, ambo Pro-

bo Provinciæ Majoricarum. Michaeli Pius V. Summus Pontifex commiſit Clauſtralium Reformationem. Philippus II. eum Conſiliarium adhibuit. Joannes Auſtriacus in ſuum Confeſſarium, & Pœnitentiarium elegit, eique dono dedit venerandam Crucifixi Imaginem honorifice asſervatam modo in Eccleſia Cœnobii S. Mariæ de Jeſu extra muros Civitatis Palmæ, quam manibus tenens Princeps celebrem victoriam ad Echinadas de Barbaris reportavit. Egit Inquiſitorem Generalem in exercitu, & claſſe Chriſtianorum, literaſque patentes ſuperius retulimus. [Monumenta Provinciæ Majoricarum.]

CXIII. Hoc anno Bernardini de Lizano Piſtorienſis Sacerdotis Regularis Obſervantiæ charitas maxime eluxit, & in proximum amor. Frequenter inviſebat pius iſte Pater ægrotos, & languentes in Xenodochio Cippi Piſtorii. Animadvertens autem, eos miniſtrorum penuria laborare, ſummis precibus obtinuit, ut in illorum numerum ipſe referretur. Admiſſus dies, noctesque inſomnes traducebat, omnibus aderat, ſolabatur omnes, in viliſſimis, abjectiſque etiam muneribus occupatus. Lethali demum morbo, quem inibi contraxerat, affectus animam Deo reddidit hoc ipſo anno, conditus in Conventu S. Franciſci Cechrini, ſeu Jacherini, ſecundo lapide a Civitate Piſtorii. [Decades Etrusco-Minoriticæ ad an. 1574.]

CXIV. Albertus Pomerius Flander Epiſcopus Tripolitanus, qui ab Africa in Hiſpaniam profectus, ut gravia quædam negotia in Aula Regia Philippi II. exsequeretur, Epiſcopali dignitati nuntium remittens, illic in Conventu S. Mariæ de Jeſu Complutenſi in Provincia Caſtellæ habitum ſumpſit Minoriticum, & ſolemniter profeſſus eſt, ſanctum finem hoc anno obtinuit in Cœnobio Dominæ Noſtræ de Spe Occaniæ, quod ſibi in receſſum delegerat, ut pietatis operibus quietius vacaret. Ita Euſebius Gonzalez in ſuis Chronicis, ubi etiam ſcribit, hoc anno in odium Chriſtianæ Fidei occiſum ab Hæreticis Patritium Helium Anglum Epiſcopum Majonenſem in Hibernia renuntiatum a Gregorio XIII. Sed Eccleſiæ Majonenſi præerat hoc tempore Epiſcopus Demetrius Hibernus, de quo jam diximus; nec Patritius Helius eamdem obtinuit, niſi anno 1577., ut ſuo loco narrabimus. Waddingus etiam loquitur de Patritii Martyrio, dicitque, eum obiiſſe in Civitate Limiricenſi una cum Connacio O-Ruereche incly ti Principis Bernardi ejus nominis filio anno 1579., licet in libro de Martyribus ſcribat annum antecedentem. [Gonzalez in Chron. Seraph. part. 6. lib. 3. cap. 31. pag 475.] [Ibidem.] [Annales Min. an. 1580. num. 52.] [De Martyribus Ordinis Lit. P.]

CXV. Jacet in Provincia S. Evangelii Clemens a Cruce ob zelum in annuntiando verbo Infidelibus Angelus appellatus, Angelicis quoque moribus inſtructus, vir eximiæ doctrinæ, & perfectionis, Alumnus Provinciæ Caſtellæ, & in Cœnobio S. Mariæ de Jeſu Compluti jam Novitiorum Magiſter. In Conventu Senonenſi Provinciæ Franciæ Rogerius Ruchrius Theologus, & Concionator, hoſtis Hæreticorum Calvinianorum, quos inſectatus eſt verbis, & vitæ integritate. Inſuper Stephanus Fidelis, cujus tumulus in medio Chori hos habet verſus inſcriptos:

Hic jacet arte Plato, Cato vita, Tullius ore.
Corpus alit vermes, Spiritus aſtra colit.

CXVI. In Cœnobio Minorum Conventualium Caſtri Bononienſis Magiſter Antonius Beltraminus de eodem Caſtro, & Provinciæ Bononienſis Secretarius, literis, & pietate excultus. In Cœnobio S. Antonii Ulyſſiponenſis Franciſcus Noe, qui cum aliis egregiis viris a Provincia Portugalliæ migravit ad Cuſtodiam S. Antonii, quum primum ab illa ſejungeretur. Valuit olim gratia apud Henricum Cardinalem; ſed tractu temporis Provinciæ Miniſter electus, quum Purpurato repugnaſſet in re-

in rebus nonnullis ad Provinciæ regimen ſpectantibus, ab eodem auctoritate Legati a Latere, qua fungebatur, dejectus eſt ab officio, & Vianam amandatus; quod ille patienter tulit, volens potius moleſtias omnes ſubire, quam Religionis jugum relaxare. Idem Princeps non multo poſt ab exilio eum revocavit, & Ulyſſiponem ire juſſit, ubi ſanctiſſime vixit, & obiit hoc anno conditus in periſtylio Cœnobii.

CXVII. Viget in Cœnobio S. Franciſci Mantuæ memoria Sixti Firmini Mantuani nobili ſamilia orti, qui Ordinem Minorum Obſervantium ingreſſus in Scoti doctrina plurimum profecit, optimi Concionatoris famam obtinuit, ingenio præſtans, & in abjectioribus Cœnobii officiis verſatus. Epiſcopatum ſibi ab Hercule Cardinali Gonzaga oblatum conſtanter recuſavit, qui eum cupiebat habere Suffraganeum. Ferunt, illum cum maligno Spiritu aliquando de fidei articulis diſputaſſe. Aſſerunt nonnulli, Virum Dei deceſſiſſe anno *1566.* in nocte Nativitatis Dominicæ. Viget etiam memoria Octaviani de Mantua Theologi doctiſſimi, qui ad Concilium Tridentinum ſequutus eſt eumdem Purpuratum. Compoſuit Breviarium S. Barbaræ ad inſtantiam Guilielmi Ducis Mantuæ.

CXVIII. Capuccinorum Familiæ decus auxit glorioſo fine ſub hoc tempus Alexius de Petra Rubea Laicus Provinciæ Marchiæ in Conventu Foroſempronii, ubi Alphonſo Lupo, qui biennio ante a Diſcalceatis ad Capuccinos se receperat, mulier cæleſtem illius gloriam nuntiavit, qui ſibi miraculoſe apparuerat, dum laqueo mortem iuire deſperata ſtatuiſſet. Baldus de Callio Sacerdos ejuſdem Provinciæ, cujus merita, & demerita, ut ait Boverius, Angelus, & Dæmon ejus cellam ingreſſi in Cœnobio de Petra Rubea degentis, & ægroti in lancem impoſuerunt; quumque lanx in æquilibrio maneret, perterritus ille, poſtquam ab infirmitate convaluiſſet, totum ſe Deo dedit, & bonorum operum cumulum auxit. Angelus Savonenſis Clericus, qui moriens Jeſum Chriſtum, Deiparam, & S. Franciſcum ſibi adſtantes videre meruit. Seraphinus Savonenſis jam Guardianus, Diffinitor, & Vicarius Provincialis literis eruditus, & librorum compingendorum artifex, quo ex opere a Bibliopolis libros ad Fratrum uſum multos acquiſivit. Illi Deipara obitus diem revelavit. Ejus corpus in Conventu S. Barbaræ poſt ſexdecim annos integrum repertum eſt. Paulus Ferrarienſis Guardianus Bononienſis Cœnobii, qui Fratri Baſilio tertiana febre correpto juſſit in virtute S. Obedientiæ, ut, quum primum febris acceſſiſſet, nullum ei locum præberet, antequam ab ipſo benedictionem peteret. Ludovicus Parmenſis Clericus ſexto poſt profeſſionem menſe ſublatus, & in mortis limine Jeſum Chriſtum intuitus, qui æterno Patri ſanguinem vulnerum ſuorum offerebat. Franciſcus a S. Martino prius Minorum Obſervantium clarus miraculis, quæ ſigno Crucis ſæpe peragebat. Franciſcus a S. Petro Sacerdos Provinciæ S. Nicolai, & verbi Dei concionator; Ludovicus Nerinus Sacerdos Provinciæ Syracuſanæ Syracuſis defunctus; & Gervaſius ab Hyrminio, ſeu Raguſa, Siciliæ Oppido, Laicus magnæ orationis, & pœnitentiæ, Dæmonis victor, qui vel Fratribus inſidiabatur, vel ſibi in Æthiopis forma apparebat, & vulnera fuſtibus infligebat, vel poſt mortem ſuam energumenas mulieres agitabat, Deiparæ adſpectu recreatus, miraculis fulgens, quibus undas cohibuit, ne deorſum laberentur, ægrotos ſigno Crucis morti proximos ſanavit, & prophetiæ dono. Horum acta fuſo calamo deſcribit Boverius, eoſque appellat decem lapides Civitatis cæleſtis.

CXIX. Ad hunc annum ſcribit Joſeph Maria ab Ancona referendum eſſe obitum Joannis Baptiſtæ Laritionenſis, quem Boverius ſignat anno 1564., ea motus ratione, quia hic Dei ſervus prædixit navalem victoriam relatam anno 1571. ſub Pio V. Pontifice, a Joanne Auſtriaco contra Turcas. *Merito*, inquit, *ab eodem hoc anno 1564. ad anachroniſmum evitandum expungenda narratio, & judicio noſtro ad annum 1574. referenda*. Hic ego eruditi Annaliſtæ judicium paullulum deſidero. An anachroniſmum is committit, qui narrat, aliquem obiiſſe antequam id accidat, quod futurum prænuntiavit? Inquit Boverius: *Tanta Vir Dei ad futura proſpicienda Dei luce perfundebatur, ut quum in Conventu Cataci nonnullas triremes mare ſulcantes cerneret, veluti ſpiritu exultans multis adſtantibus dixerit: Beati oculi, qui poſt aliquot annos æquora iſta Chriſtiana Claſſe ſtrata conſpicient, unde amplior Chriſtiani nominis gloria, & Catholicæ Eccleſiæ ſplendor accedet. His verbis navalem victoriam innuere volens, quam Chriſtianorum Claſſis ſub Pio V. Pontifice, & Joanne Auſtriaco Ductore anno 1571. de Turca revexit; quam tunc, Deo revelante, futuram præſignificavit.*

Annales Minorum an. 1564. num. 8.

Boverius ad an. 1564.

CXX. Maxima frequentia hoc tempore accurrebant Americani ad ſepulchrum B. Martini de Valentia, licet ejus corpus nullibi reperiretur. Hac de re loquuti jam ſumus; ſed audire præſtat Fridericum Torerum Societatis Jeſu in libro, cui titulus: Palma Triumphalis Eccleſiæ: „ Corpus ejus, inquit, triginta tres annos integrum, incorruptum„ que permanſit, innumeris quotidie fulgens miraculis. Urnæ tandem „ incluſum, & ſepultum, quum anno MDLXVII. Apoſtolicæ Sedis jus„ ſu, & authoritate, recludi theca, & ſacræ ejus Reliquiæ, ſolemnio„ ri honore, efferri juberentur, ſigilla quidem tumbæ omnia integra, „ & illæſa comparuere, at ſacrum corpus non eſt repertum: neque „ quod inde clam fuerit aſportatum, ubi ſumma diligentia a Magi„ ſtratu inquiſitum, ſuſpicionis locus eſt relictus. Credidere cordati „ omnes, ſacrum hoc pignus aut divinitus translatum, aut Reſurre„ ctionis gloria, ſingulari privilegio, ante communem Carnis humanæ „ vivificationem, dotatum. Et ſicut Indi Orientales Sanctiſſimum „ P. Franciſcum Xaverium Apoſtolum nacti, eo nomine ſummos ipſi „ honores impendunt: ſic Occidentales Indi, ſub ipſis hæreſeos Lu„ theranæ incunabulis, Martinum iſtum mirabilem adepti, velut Apo„ ſtolum divinitus ad ipſos deſtinatum, ſumma uſque in hodiernam „ diem veneratione proſequuntur. Unde quum ſacrum Corpus ejus præ„ ſto non ſit, ejus quæcumque utenſilia, veſtimenta, veluti cæleſtia „ quædam cimelia, colligentes, ſacro in loco repoſuerunt, e quorum „ tactu, morborum omnium, peſtiferæ luis etiam, & quorumcumque „ contagiorum medelæ promanant „.

Fridericus Torerus lib. 1. cap. 11.

CXXI. Circa hæc tempora conditus eſt in Eccleſia Omnium SS. Florentiæ Franciſcus Maurus Hiſpellas Umber inſignis Poeta laurea donatus a Coſmo Mediceo Etruriæ Duce Mæcenate ſuo, ut indicat etiam viri ejus effigies aſſervata in Tabulario Ducum Etruriæ Coronam ab eodem Coſmo accipientis. Adulta jam ætate Ordinem Minoriticum ingreſſus, quum Pater ipſum antea prohibuiſſet, ne id faceret, Vitam Seraphici Patriarchæ complexus eſt heroico carmine in tredecim libros digeſto ſub titulo Franciſciados, quod divinum, & eruditum opus appellavit Franciſcus Florentinus; & Libertus Houſthemius Leodius Poeta dicere ſolebat, Auctorem ingenti lætitia de opere conſummato perfu-

ſum obiiſſe. Opus excuſum eſt Florentiæ anno 1570. Coſmo Duci dicatum. Anno 1572. Autuerpiæ ex Officina Plantiniana. Anno 1634. Ludovicus Cavalli Gallus Minorita Bolonienſis curavit, ut Rothomagi imprimeretur, præmiſitque ad ſingulos libros argumenta, notas marginales, & in fine operis Scholia cum Indice periphraſium Poeticarum, brevi Auctoris vita, & Epiſtola nuncupatoria ad Franciscum Harlæum Archiepiscopum Rothomagenſem, & Neuſtriæ Primatem. Emicuit præterea vir doctiſſimus pietate; quamvis enim ſtudiis impeditus, nullo
Polinari part. 1. pag. 115. unquam tempore aut Choro, aut communi menſæ, aut publicis aliis monaſticis exercitiis defuit. Longa, & moleſta infirmitate gravatus conſtanti animi virtute dolores ſuſtulit, refectusque Eccleſiæ Sacramentis ſereno vultu mortem excepit.

CXXII. Concidit hoc anno die ſexta Martii Geuſiorum gladiis in Brabantia uno milliari ab Oppido Dieſtemii Joannes Cuyper Laicus patria
Rotissa in Auctario ad natales SS. Belgii Molani. Trajectenſis, & Socius Patris Arnoldi Hallis, qui ad concionandum pergebat in pagum Loo. Ipſo trucidato, Arnoldus vulneribus ad necem confoſſus vix a ſatellitum manibus elapsus eſt, domumque reversus. Arſit etiam, Rodulpho teſte, Hæreticorum opera die 22. Auguſti Cœnobium Minoriticum Antuerpienſe. Non idem tamen furor has Regiones ac antea vaſtabat; quum enim Dux Albanus in Hispaniam rediiſſet,
Le Clerc in historia Prov. Unitarum tom. 1. lib. 3. pag. 41. Belgii Provincias Regis nomine adminiſtrabat Ludovicus de Requeſeus, qui veniam rebellibus a Rege datam publicavit die ſexta Junii Antuerpiæ, & Bruxellis, quamvis nec venia, nec arte ulla improborum animi placari potuiſſent in Religionem Catholicam æque ac in legitimum Dominum infenſi, Hispanosque crudelitatis inſimulantes, & præcipue Ducem Albanum, a ſceleratis hominibus jure pœnas repetentem, dum ipſi innocentium virorum, & Sanctorum ſanguine redundarent. Novo Duci a ſacris Confeſſionibus adhæſit Stephanus de Molina, quem toties ſupra memoravimus: *Sincerus in Religionem*. Die 9. Januarii; eique conceſſum eſt, Auctoritate Apoſtolica, ut per manus tertiæ perſonæ annua mercede, aliisque pecuniis, quæ ſibi obvenirent, licite uteretur ad ſui, ſociorumque ſuſtentationem, & quosvis uſus pios, caligis præterea conficiendis, aliisque veſtibus, ſoleis, & equitatu: *Sincerus in Religionem*. Eadem die.

CXXIII. Fratribus Cœnobii S. Crucis Oenipontis Diœceſis Brixinenſis indulget Pontifex, ut recipiant duo mille florenorum ipſis aſſignata in perpetuum a Ferdinando Archi-Duce Auſtriæ per modum eleemosynæ pro eorum uſibus, & neceſſitatibus. *Exponi Nobis*. Die 5. Januarii. Nicolao Episcopo Paduano Apoſtolicæ Sedis Nuntio in Hispania committit, ut recuperet bona relicta a Fratre Adriano Socio, & Secretario Miniſtri Generalis Minorum Observantium, eaque applicet Cœnobio S. Francisci Matriti, & impendat in alia pia opera: *Volumus*. Die 18. Decembris. Eximit Moniales Monaſterii de Monte Chriſti Diœceſis Tudertinæ Ordinis S. Claræ a ſolutione datiorum pro bonis obvenientibus ex prædiis Caſtri Collasoni: *Exposcit veſtra*. Die 31. Auguſti. Largitur Indulgentias in Eccleſia S. Herenæ Ordinis S. Francisci Oppidi de Thomar nullius Diœceſis in Regno Portugalliæ: *Quum ſicut accepimus*. Die 10. Septembris. Confirmat in munere Abbatiſſæ Monaſterii B. Mariæ de Altabas Diœceſis Cæſarauguſtanæ Ordinis S. Francisci de Observantia Annam de Aragon illuc translatam a Monaſterio S. Catharinæ ejusdem loci, auctoritate Miniſtri Provinciæ Aragoniæ: *Expo-*

Digitized by Google

Exponi nobis. Die 6. Novembris. Confirmat literas Pii V. pro Monaſteriis S. Claræ, S. Mariæ Magdalenæ, & Ægyptiacæ Neapolis. *Proviſionis noſtræ*. Die 7. Septembris. Ex Pontificis indulto Gabriel Alexandrius Bergomas Ord. Præd. Episcopus Gallesanus, Suffraganeus, & Generalis in spiritualibus Vicarius Tridentinus conſecravit Roboreti Altare Sacelli ſiti in Palatio tunc Comitum de Arco, modo Monialium Clariſſarum S. Caroli, in honorem S. Bernardini Senenſis, repoſitis in eo Reliquiis S. Lucæ Evangeliſtæ, SS. Tiburtii, & Valeriani Martyrum, & S. Mariæ Magdalenæ, conceſſiſque diebus LXXX. Indulgentiæ viſitantibus idem Sacellum die 20. Maji in Feſto S. Bernardini.

Monumenta Provinc. Tyrolenſis.

CXXIV. Coronidis loco dabimus duo monumenta ſpectantia ad annum *1566.*, quæ non ante hoc tempus habuimus. Primo committitur a S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quos Pontifex præfecerat causæ Canonizationis S. Didaci, tribus Hispaniarum Regni Episcopis, nimirum Segobienſi, Seguntino, & Conchenſi, ut causam ipsam examinent. Altero, tribuitur facultas Guardiano, & Fratribus Cœnobii S. Mariæ a Jesu Montis Oliveti translati anno 1555. ſumptibus Ducis de Naxera Comitis Jubino prope muros Oppidi de Navarrete Diœceſis Calagurritanæ, & Calciatenſis, a ſitu remotiori, in quo exſtabat, transferendi oſſa Fratrum, qui in veteri Eccleſia conditi erant.

Ex lib. 3. Francisci Pegnæ de vita, & Canoniz. S. Didaci cap. 7. pag. 135.

CXXV. Nos Joannes Episcopus, Joannes Baptiſta, Clemens, & Vitellotius Cardinales vobis Reverendis Patribus Segobien., & Segontin. ac Conchen. Episcopis prædictis, de fidei ſinceritate, religionis integritate, & famæ veſtræ candore, ſolliciteque pariter & debite, erga hanc ſedem obedientia plurimum in Domino confidentes, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo ex vobis, per vos ipsos vice noſtra, omnes & ſingulos teſtes, literas, scripturas, inſtrumenta, & monumenta, & alia quævis probationum genera, quæ coram vobis præsentari, & produci contigerit, de & super interrogatoriis, ac poſitionibus & articulis, quæ & quos noſtris, ſub ſigillis inclusas, & inclusos vobis transmittimus in dicto Oppido Compluten., & in loco per vos in eodem Oppido deputando pro tribunali ſedentes admittatis, & ab illis juramentum de veritate dicenda ſuper his, ſuper quibus examinabuntur, in manibus veſtris recipiatis, teſtesque ipsos ſuper eisdem interrogatoriis, & articulis per vos ipsos coram fideli Notario, per vos deputando diligenter examinetis, ipsorumque teſtium atteſtationes, & dicta, nec non literas, scripturas, inſtrumenta, jura, monumenta coram vobis exhibita fideliter transcribi faciatis, nobisque clausa, veſtrisque ſigillis munita per fidelem nuncium quantocitius ad nos transmittere curetis, ac demum depoſitionibus teſtium, ac literis, ſcripturis, inſtrumentis, juribus, & monumentis hujusmodi quaſi diligentiæ, & devotionis veſtræ symbolo Sanctitati Suæ per nos oblatis ſuam, & dictæ Sedis Benedictionem, ac æternæ retributionis premium exinde conſequi valeatis. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præſentes manibus noſtris, & Secretarii, ac Notarii infraſcripti ſubſcriptas expediri, & ſigilli prædicti Joannis Episcopi Portuen., antiquioris Cardinalis jussimus, & fecimus appenſione communiri.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum in Palatio Apoſtolico, in quo pro negotio hujusmodi expediendo congregati ſuimus Anno Domini MDLXVI. die vero mercurii XXX. Menſis Octobris Pontificatus prælibati S. D. N. Pii Papæ V. Anno I.

CXVI.

CXXVI. Joannes Baptiſta Caſtaneus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Rosanenſis, Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domiui Noſtri Domini Pii Divina providentia Papæ V., & Sanctæ Sedis cum poteſtate Legati de Latere, in Hiſpaniarum Regnis Nuntius, Dilecto in Christo Guardiano, & Fratribus Monaſterii *Beatæ Mariæ de Jesu* Oppidi de Navarrete, Diœceſis Calagurritanæ, & Calciatenſis, Ordinis S. Francisci de Observantia Salutem in Domino.

Singularis devotionis affectus, quo Romanæ Eccleſiæ &c. &c. Dudum ſiquidem pro parte veſtra fuit expoſitum coram nobis, quod veſtrum Monaſterium, ſeu Conventus erat in quodam loco deserto; & propter multas rationes fuit vobis conceſſum authoritate Apoſtolica, quod illud poſſetis transferre prope, & extra muros dicti Oppidi; & quum poſt Translationem Veſtram, antiqua Eccleſia dirupta fuiſſet, & profanata, & in Cœmeterio, & in particularibus ſepulchris manserint oſſa mortuorum ibi ſepultorum; & propterea eorum propinqui abſtineant a viſitatione novæ Eccleſiæ, & ab Eleemosynis, quas tradere conſueverant, in maximum præjudicium veſtrum. Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis licentiam traderemus, oſſa præſata in novam Eccleſiam, ſive Cœmeterium transferendi: nec non ad hoc, ut die Translationis conflueret multitudo populi ad illud charitatis, & pietatis opus peragendum, ac aſſociandum, aliquam Indulgentiam concederemus. Nos igitur hujusmodi veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, qua cum facultate Legati de Latere in hac parte fungimur, vobis concedimus, ut præſata oſſa ad novam Eccleſiam, ſeu Monaſterium, vel Conventum, ac Cœmeterium conferre poſſitis. Nec non omnibus utriusque Sexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui die Translationis per vos faciendæ, Proceſſionem aſſociaverint, & novam Eccleſiam veſtram devote viſitaverint, nec non preces inibi Altiſſimo effuderint, quinque annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Segoviæ anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXVI. VII. Kal. Octobris Pontificis prælibati Santiſſimi Domiui Noſtri Papæ Pii V. Anno Septimo. ***Ita in vetuſto Codice Provinciæ Burgenſis. Legendum tamen: Anno I.***

LAUS DEO

RE-

REGESTUM PONTIFICIUM.

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

PII IV.

Anno Christi 1565. Pontificatus anno 6.

I.

Dejicitur a poſſeſſione Eccleſiæ de Emparaviglia. Ex regeſt. Vatican. tom. 63. pagina 136.

Dilecto Filio Fabrino de Montachetis Rectori Eccleſiæ B. Mariæ de Emparaviglia Militen. Diœc. Scutifero, & familiari noſtro ſalutem &c.

GRATA devotionis, & familiaritatis obsequia, quæ nobis, & Apoſtolicæ Sedi hactenus impendiſti, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtis, nec non vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personam tuam etiam fide dignorum teſtimoniis juvari percepimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut accepimus, poſtquam felicis recordationis Paulus PP. IV. Prædeceſſor noſter omnes, qui poſt profeſſionem per eos in ætate legitima conſtitutos in aliquo approbato Ordine pure, & libere emiſſam, vel ſi ante ætatem legitimam profeſſi fuiſſent, poſt illa per eos, in ipsa legitima ætate conſtitutos pure, & libere ratam, & gratam habitam, extra clauſtra ſuorum Regularium locorum degiſsent, aut ex tunc in poſterum degerent, omnibus, & ſingulis beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura, vel ſine cura ſæcularibus, aut ſui, vel cujusvis alterius Ordinis regularibus, per eos quomodolibet obtentis, & ex tunc de cætero obtinendis, cujuscumque qualitatis eſſent, ſub certis modo, & forma Apoſtolica auctoritate privaverat, & ad alia beneficia obtinenda inhabilitaverat, ac privatos, & inhabiles eſſe, nec non beneficia ipsa de jure, & de facto vacare decrevcrat; Eccleſia B. Mariæ de Emparaviglia Militen. Diœc., de qua tunc certo modo vacante dilecto filio Petro Cugnete Ordinis S. Franciſci profeſſori, poſtquam ipse Ordinem ipsum expreſſe profeſſus, & in illo exiſtens ad omnes ejus Sacros, & presbyteratus ordines promotus fuerat, ac Monaſterium, & Religionem ipsam egreſſus, regulari habitu ſuo minus legitime depoſito, ad ſæculum redierat, apoſtaſiæ reatum, & irregularitatem contrahendo, ordinaria, vel Apoſtolica, aut alia auctoritate proviſum, ipseque Petrus proviſionem hujusmodi prætextu illius poſſeſſionem fuerat aſſecutus, licet de facto per privationem, aut decretum hujusmodi, aut alias certo modo vacaverit, & vacet ad præsens, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem eamdem legi-

legitime devoluta exſiſtit. Nos tibi, qui cum continuus commenſalis noſter, & de numero Scutiferorum noſtrorum participantium exſiſtis, præmiſſorum meritorum tuorum intuitu ſpecialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis &c. cenſentes, Eccleſiam prædictam, quæ ſine cura eſt, ac cujus, & illi annexorum fructuum, reddituum, & proventuum vigintiquatuor Ducatorum auri de Camera ſecundum communem exſtimationem valorem annuum, ut aſſeris, non excedunt, quovis modo quam etiam ſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus haberi volumus pro expreſſo, & ex cujuscumque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujusvis de illa in Romana Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exſiſtat, & ſuper ea inter aliquos his, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datæ præſentium, non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quæſitum cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Apoſtolica tibi auctoritate conferimus, & de illa etiam providemus. Decernentes &c. contigerit attentari &c. Contradictores &c. compeſcendo. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum IV. Idus Martii Anno VI.

II.

Approbat plurimas declarationes Regulæ Fratrum Minorum pro Ordine Minorum Conventualium. Ex Bullario Caroli Cocquelines tom. 4. part. 2. Conſt. CXXI. pag. 255.

§. I. Sedis Apoſtolicæ copioſa benignitas piis quarumlibet regulari ſub caſtimonia Domiuo militantium perſonarum votis libenter annuit, & illis, quæ pro earum felici ſtatu, & reformatione proceſſiſſe comperit, ut illibata perſiſtant, libenter Apoſtolici adjicit muniminis firmitatem.

§. II. Sane cum nos nuper conſiderantes quam uberes fructus in Dei Eccleſia Sacer Fratrum Minorum Ordo ab ejus inſtitutione produxerit, & quos in dies producturus ſit, ſi ad priſtinam majorum ſuorum normam per novitatem, ſeu reformationem vitæ reſtitutus foret, quibuſdam ex dilectis filiis noſtris S. R. E. Cardinalibus, & præſertim dilectis filiis noſtris Carolo tituli S. Praxedis Borromæo Protectori, & Ludovico tituli S. Cyriaci in Thermis Viceprotectori Simoneta nuncupatis ipſius Ordinis reformationem curandam commiſerimus, quibus negotium ipſum tantæ curæ fuit, ut dilectum filium Antonium de Sapientibus de Auguſta ejuſdem Ordinis Generalem, & Miniſtros, nonnullosque Fratres ejusdem Ordinis tunc congregatos in eo Capitulo Generali Florentiæ nuper celebrato, in quo idem Antonius in ipſius Ordinis Generalem ad triennium electus, & deinde a nobis ad aliud triennium, ſupplicationibus Miniſtrorum Provincialium dicti Capituli nobis humiliter porrectis, confirmatus fuit, ad nonnulla ſtatuta, & ordinationes negotium hujuſmodi concernentia edenda, adduxerint, ac multa priori profeſſioni adjunxerint, ac veterem diſciplinam renovaverint, nihilque prætermiſerint, quod ad exactam ſuæ profeſſionis completionem viſum fuerit opportunum, prout in publicis documentis deſuper confectis plenius dicitur contineri.

§. III. Nos, qui ipſum Antonium, petitione, ſupplicatione, & conſenſu

ſenſu dicti Capituli Generalis ſponte accedentibus, ad aliud triennium in ejusdem Ordinis Generalem deputavimus, ſtatutorum, & ordinationum hujusmodi, de quibus certam notitiam habemus, veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, cupientesque, ut dictus Ordo, quem in visceribus gerimus charitatis, ad ſuum priſtinum ſtatum, ſeu vivendi normam reducatur, ſuosque ſperatos longe uberiores producat fructus, Motu proprio, non ad alicujus nobis desuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quæcumque ſtatuta, ordinationes declarationes, electiones, & electionis hujusmodi modos, validationes, petitiones, ſupplicationes, conceſſiones, deputationes, prohibitiones, inhabilitationes, amotiones, dispensationes, omniaque, & ſingula in dicto Capitulo Generali circa dicti Ordinis reformationem facta, & geſta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ea perpetuis futuris temporibus per quoscumque ipſius Ordinis Superiores, & alias personas ſub pœnis in illis adjectis inviolabiliter obſervari mandamus, ac omnes, & ſingulos tam juris, tam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eisdem ſupplemus. Sicque per eosdem Superiores, & quoscumque ejusdem Ordinis Miniſtros, nunc & pro tempore exiſtentes obſervari, & judicari debere, nec non quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum die XVII. Septemb. Anno VI.

Sequuntur conſtitutiones reformationis, quæ videri poſſunt apud Cocquelines loc. cit., & Laertium Cherubinum in Bull. Rom. tom. 2. conſt. CIII. pagina 123. & ſeq. Apud Petrum de Alva ſignantur literæ Pontificiæ XV. Kal. Decemb.

III.

Præficitur Eccleſiæ Dunenſi, & Connerenſi. Ibid. tom. 78. pag. 82.

Dilecto Filio Mileto Marirath Electo Dunen., & Conneren. Eccleſiarum invicem unitarum, Salutem &c.

APoſtolatus Officium meritis licet imparibus nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes ſolliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in paſtores præficere ſtudeamus, qui populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſasque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant auctore Domino ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium tunc vacantium, & in antea vacaturarum ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoscumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Dunen., & Conneren. Eccleſiis invicem unitis, quibus bo. me. Eugenius Epiſcopus Dunen., & Conneren. dum viveret, præſidebat, per obitum

ejuſdem Eugenii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtitut. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem earumdem Eccleſiarum celerem, & felicem, de quibus nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſiæ ipſæ longæ vacationis exponantur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo eiſdem Eccleſiis perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum a pluribus annis profeſſorem de nobili genere procreatum, litterarum ſcientia præditum, in ætate legitima, ac presbyteratus ordine conſtitutum, vitæ, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, ac dilectis filiis Populo Dunen., & Conneren., & Nobili Viro Joanni Onvill Principi Wltaniæ gratum, quem dilectus filius modernus totius ejuſdem Ordinis Generalis, ad hoc per ſuas litteras commendavit, quemque ad Eccleſias præfatas regendum, & gubernandum juxta decreta Concilii Tridentini, tanquam idoneum approbavit, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, teque a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eiſdem Eccleſiis de eorumdem Fratrum conſilio, Apoſtolica auctoritate, providemus, deque illis in Epiſcopum præficimus, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſarum Dunen., & Conneren. Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, prædictæ Eccleſiæ ſub felici regimine regentur utiliter, & proſpere dirigentur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipient incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens curam, & adminiſtrationem promptas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſiæ ipſæ gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas, Tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Quo circa dilectis filiis Capitulis dictarum Eccleſiarum, ac Clero, & Populo Civitatum, & Dioc. Dunen., & Conneren., nec non Vaſſallis earumdem Eccleſiarum per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitula tibi tanquam patri, & paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ac Clerus te pro noſtra, & Sedis prædictæ reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes tua ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem, & paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes tuis monitis, & mandatis ſalubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem prædicti te debito honore proſequentes tibi fidelitatem ſolitam, nec non conſueta ſervitia, & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam reſpective in rebelles rite tuleris, ſeu ſtatueris, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Rogamus quo-

quoque, & hortamur attente præfatum Joannem Principem, ac Venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Armachen., ipſi Archiepiſcopo per eadem ſcripta mandantes, quatenus te, & præſcriptas Eccleſias dicti Archiepiſcopi ſuffraganeas habentes pro noſtra, & dictæ Sedis reverentia propenſius commendatos in ampliandis, & conſervandis earumdem Eccleſiarum juribus, ſic te benigno favore proſequen., quod tu eorum fultus præſidio, te poſſis in commiſſo tibi earumdem Eccleſiarum regimine utilius exercere, ac eidem Joanni Principi a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipſeque Archiepiſcopus proinde Divinam Miſericordiam, ac noſtram, & ejusdem Sedis benedictionem, & gratiam valeant uberius promereri.
Datum Romæ apud S. Petrum. IV. Idus Octob. Anno VI.

IV.

Præficitur Eccleſiæ Samadrienſi. Ibid. tom. 70. pag. 536.

Dilecto filio Nicolao Ugrinovich Electo Samadrien. Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. *gubernare*. Dudum ſiquidem &c., & deinde de Eccleſia Samadrien., quæ in provincia Boſnæ Argentinæ, in partibus Infidelium exiſtenti conſiſtit, ac Capitulo, & Vaſſallis, ac principe Chriſtiano ſæculari caret, & cui bonæ memoriæ Thomas Epiſcopus Samadrien. dum viveret, præſidebat, per obitum ejusdem Thomæ Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejusdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipsa longe vacationis exponatur incommodis paternis, & ſollicitudinis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia profeſſorem Ordinem ipsum, a pluribus annis expreſſe profeſſum, in ætate legitima, & presbyteratus Ordine, etiam a multis annis, conſtitutum, & ad ipsam Eccleſiam regendum, & gubernandum juxta Decreta Concilii Tridentini idoneum approbatum, pro quo dilecti filii Fratres dicti Ordinis totius Provinciæ prædictæ nobis, ad hoc per ſuas litteras deſuper ſcripſerunt, litterarum ſcientia præditum, vitæ munditia, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis te a quibusvis &c. cenſentes, de perſona tua nobis, & eisdem fratribus, & tuorum exigentiam meritorum &c., eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem &c. (ut in præcedenti) *merearis*. Quo circa &c. Alioquin ſententiam, ſive pœnam &c. Ac Venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo, cui dicta Eccleſia ſubeſſe dignoſcitur, quatenus te &c. promereri.
Datum Romæ apud S. Petrum. VII. Kal. Novemb. Anno VI.

V.

V.

Confirmat Capitulum Generale Valliſoletanum. Ex regeſt. Ultramont. fol. 191. Ciſmont. fol. 230.

Dilecti filii Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUM ſicut accepimus ſuperioribus diebus dilecti filii Capitulum Generale nuncupatum Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ in domo Sancti Franciſci Civitatis Valliſoleti dicti Ordinis in unum, ut moris eſt, congregati habitis prius, & ſervatis ſolemnitatibus, ut in ſimilibus ſervari ſolitis, te Aloyſium de Burgonovo in ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem, juxta regularis ipſius Ordinis inſtituta, & privilegia Apoſtolica illi deſuper conceſſa, majori, & ſaniori Vocalium in id conſentientium Fratrum hujuſmodi parte elegerint: & te Joannem in Commiſſarium Generalem ejuſdem Ordinis pro Ultramontana Familia, juxta etiam regularia ipſius Ordinis inſtituta, & privilegia Apoſtolica, ut præfertur, illi deſuper conceſſa, ſive majori, & ſaniori Vocalium in id conſentientium Fratrum Ultramontan. hujuſmodi parte elegerint &c. *Sequitur ut in Tomo XIX. Annalium pag. 175.*

Datum Romæ apud S. Marcum die XV. Novemb. Anno VI.

PIUS V.

Electus VII. Idus Januarii MDLXVI. Coronatus XVII. Kalendas Februarii.

Anno Christi 1566. Pii V. anno 1.

I.

Pro reſtauratione Eccleſiæ S. Bartholomæi in Inſula Lycaonia. Ex memoriis Hiſtoricis Caſimiri Romani de Eccleſiis, & Cœnobiis Fratrum Minorum Provinciæ Rom. Cap. 21.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem &c.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu, literæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum poſtquam felicis recordationis Pius Papa IIII. prædeceſſor noſter accepto per eum, quod dilecti filii Guardianus, & Fratres domus S. Bartholomæi in Inſula de Urbe Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, in ultima fluminis inundatione maximam in eorum Eccleſiam, & paramentis Eccleſiaſticis, ac eorumdem ruinam paſſi fuerant, & unde Eccleſiam, & domum præfatas reparare, & Eccleſiam ipſam decentibus paramentis munire valerent, non haberent, & ad hoc Chriſti fidelium ſuffragia eſſent plurimum opportuna, cupiens, ut Eccleſia ipſa debitis frequentaretur honoribus, & a Chriſtifide-

fidelibus jugiter veneraretur; ac illa, & Domus hujuſmodi in eorum ſtructuris, & ædificiis debite repararentur, conſervarentur, & manutenerentur, ac Eccleſia ipſa libris, calicibus, paramentis, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis divino cultui neceſſariis decenter muniretur; nec non, ut Chriſtifideles ipſi eo libentius devotionis cauſa ad ipſam Eccleſiam confluerent, & ad præmiſſa manus porrigerent adjutrices, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ uberius conſpicerent ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſus, idem Prædeceſſor per ſuas, in forma Brevis literas ſub dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Februarii MDLXI. pontificatus ſui anno ſecundo, omnibus, & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, aut ſtatutis ad id ab Eccleſia temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui, infra quinquennium tunc proximæ futurum, dictam Eccleſiam devote viſitarent, ac pro pace inter Principes Chriſtianos obſervanda, & Sedis Apoſtolicæ, fideique Catholicæ exaltatione pias preces effunderent, & ad præmiſſa aliquam eleemoſynam erogarent; nec non abſentibus ab ipſa Urbe, qui eleemoſynas ſuas ad Eccleſiam, & domum hujuſmodi per alios transmitterent, ſeu deputatis per dictos Guardianum, & Fratres ad eleemoſynam recipiendam, & colligendam pro præmiſſis darent, quoties id facerent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem a pœna, & culpa auctoritate Apoſtolica miſericorditer in Domino elargitus fuerat: ac eisdem Guardiano, & Fratribus quoſcumque collectores ad eleemoſynas ipſas, extra dictam Urbem colligendum deputandi licentiam, & facultatem eadem auctoritate conceſſerat eisdem literis, quas ſub quibusvis etiam exprimentibus, & inferentibus illarum totum tenorem revocationibus, & limitationibus quarumcumque ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum a dicto prædeceſſore, & Sede Apoſtolica etiam in favorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Urbe, ac pro expeditione contra Infideles, & fidei Catholicæ hoſtes, ac hoſpitali noſtro, tunc ſuo, Sancti Spiritus in Saxia de eadem Urbe Ordinis Sancti Auguſtini, nec non Sancti Joannis Hieroſolymitani hoſpitalibus, ac Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen. Diœc., & Sancti Sebaſtiani prope, & extra Muros dictæ Urbis, Sancti Auguſtini Ciſtercien. Ordinis Monaſteriis, ac Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, nec non Eccleſiæ S. Joannis Lateranen. de dicta Urbe quomodolibet pro tempore factis nullatenus comprehendi poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quotiens illæ emanarent, totiens in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas eſſe, & cenſeri debere decreverat, poſt dictum quinquennium minime valituris: dumque præfati Guardianus, & Fratres pro executione hujuſmodi indulgentiarum inſtarent, emanaverant a dicto prædeceſſore literæ revocatoriæ omnium indulgentiarum, privilegiorum, gratiarum, & indultorum tam per prædeceſſores noſtros, tunc ſuos, quam ipſum, quibusvis Monaſteriis, Hoſpitalibus, Eccleſiis, & piis locis quomodolibet confirmatorum, & conceſſorum, prout in dicti prædeceſſoris literis, ſive motu proprio, ſub dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſeptimo Kal. Maji pontificatus ſui anno ſecundo continetur: & dicti Guardianus, & Fratres præmiis, & aliis ſpiritualibus gratiis, & donis in dictis primodictis literis contentis, diverſos utriusque ſexus Chriſtifideles allectos, ad reparationem dicti Monaſterii invitaverant, & propter revocationem hujuſmodi Chriſtifideles ipſi ad tam pium

pium opus tepidiores redditi erant in dictorum Guardiani, & Fratrum, & divini Cultus detrimentum, & jacturam non modicam, idem prædeceſſor, ne dicti Guardianus, & Fratres præinſertarum literarum fruſtarentur effectu, more pii Patris compatiens, ac eorum indigentiis, & neceſſitatibus in præmiſſis conſulens, quodque Monaſterium ipsum reſtauraretur, dictas literas, ac omnia in eis contenta in primis, & ante omnia confirmans illas ſub dat. videlicet decimo Kal. Januarii ejusdem pontificatus ſui anno quinto ad aliud quinquennium a fine primodicti quinquennii adverſus revocationem hujusmodi in priſtinum robur reintegravit, & reſtituit, ac de novo conceſſit: ne autem de reintegratione, & reſtitutione, ac nova conceſſione præmiſſis, pro eo quod ſuper illis, ipſius prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, literæ confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæſitari, ipſique Guardianus, & Fratres illarum fruſtrentur effectu, volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod reintegratio, & reſtitutio, & nova conceſſio prædeceſſoris hujusmodi perinde a dicta die decimo Kal. Januarii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius prædeceſſoris literæ, ſub ejusdem diei dat. confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene reintegrationem, reſtitutionem, & novam conceſſionem prædeceſſoris hujusmodi, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur; præſentibus ſimiliter poſt tempus præmiſſum minime valituris.

Dat. Romæ die XVII. Januarii anno I.

II.

Donat Cardinali Alexandro Cribellio 4000. scuta auri. Ex regeſt. Vatican. tom. 3. pag. 90.

Dilecto filio Donato Mattheo Minali.

CUM ſicut accepimus tui ſubcollectores, dum tu collectoris generalis ſpoliorum, & aliorum jurium Cameræ Apoſtolicæ in partibus Hiſpaniarum officio fungebaris, dilecto filio noſtro Alexandro Cardinali Cribello in dictis partibus tunc exiſtenti quatuor millia ſcuta auri, videlicet duo millia, ut ipse aſſerit, pro expenſis itineris, quas ipse Cardinalis eundo de mandato ſe: re: Pii PP. Quarti Prædeceſſoris noſtri ad Capitulum Generale Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, in oppido Vallisoleti ſuperiori anno celebratum, facere habebat, nec non reliqua duo millia ſcuta ſimilia, pro expenſis ſui reditus ad almam Urbem commodaverint, ſeu ab aliis commodari fecerint. Nos eundem Alexandrum Cardinalem noſtræ liberalitatis gratia proſequi volentes, dicta quatuor millia ſcuta, per eosdem ſubcollectores, ei ut præſertur commodata, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium liberaliter donantes, & gratioſe concedentes: Volumus, ac tibi harum ſerie mandamus, ut dicta quatuor millia ſcuta eidem Alexandro Cardinali bona facias, & illa ad computum Cameræ Apoſtolicæ ponas. Nos enim ea in tuis cum ipsa Camera computis admitti mandabimus, & faciemus, prout ex nunc admittimus, & admitti mandamus, contrariis non obſtantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Februarii Anno I.

III.

III.

Irritat quoddam Legatum. Ex regeſt. Secretariæ Brevium lib. 1. pagina 127. a tergo.

Ad futuram rei memoriam.

EXigit injunctum nobis Apoſtolicæ ſervitutis Officium, ut Religioſorum Mendicantium indemnitati ſollicite conſulamus. Cum itaque nuper ad notitiam noſtram perveniſſet, quondam Antonium de Sapientibus Auguſtanum, dum viveret, Generalem Miniſtrum Ord. Fr. Min. Convent. in ultima voluntate ſua, ſub prætextu facultatis teſtandi ſibi per fel. rec. Pium PP. IV. Prædec. noſtrum vivæ vocis orac. Dilecto Filio Noſtro Ludovico tit. S. Cyriaci in Thermis Presbytero Cardinali Simonettæ nuncupato ſuper hoc factæ de quamplurimis pecuniarum ſummis, ſuppellectile, rebuſque aliis penes eum exiſten. diſpoſuiſſe; nos diſpoſitionem horum, non ſolum contra S. Conc. Tridentini decreta, verum & contra antiquam, & huc uſque ſervatam Religionis conſuetudinem, & ejuſdem Ordinis ſtatuta factam, quinimmo ſcandalosam, ac pernicioſi exempli fuiſſe, ac eſſe perpendentes, ac propterea nullum effectum habere, ſed Ordinem ipſum adverſus eam reſiſtere debere cenſentes; eamdemque diſpoſitionem tamquam illicitam, pernicioſique exempli omni mora ceſſante revocandam eſſe decreverimus, ac vivæ vocis oraculo revocaverimus, ac nullam, revocatam, & viribus vacuatam fore voluerimus, nos, ut de voluntate noſtra plenius appareat, ipſeque Ordo, & dilecti Filii ejus Superiores de illa, & in Judicio, ſi opus eſt, docere poſſint, opportune providere volentes &c. tenore præſentium, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine &c. eamdem diſpoſitionem invalidam, & nullius roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe Apoſtolica auctoritate declaramus &c. eamque revocamus &c. præcipiendo in virtute S. Obedientiæ, latæ ſententiæ pœna a contra facientibus eo ipſo incurrenda omnibus, & ſingulis Prælatis, Capitulis, Conventibus tam ſæcularibus, quam regularibus, in quorum favorem idem Antonius diſpoſuit, cujuſcumque ſtatus &c., ne quemquam in pecuniis, bonis, & rebus poſſeſſionem hoc prætextu prætendere, neve illam acceptare præſumant, ac ſi acceptaverint, vel eam receperint, ne ea utantur, ſed illam dilecto Filio Felici de Montalto prædicti Ordinis Generali Vicario Apoſtolico &c. tradant, & conſignent; ac eidem Felici Vicario ſub privationis ſui Vicariatus Officii pœna injungimus, quatenus ad noſtræ voluntatis executionem procedens omnia, & ſingulas pecuniarum ſummas, res, & bona, & bonorum partem, & reliqua, quæ dictus Antonius habebat, a quibuſcumque eorum detentoribus cujuſcumque dignitatis &c. repetat, recipiat, receptaque, & recuperata &c. in ejuſdem Ordinis uſus, & utilitatem, prout ſibi melius videbitur, convertere faciat. Noſtram vero declarationem, & revocationem &c., nemo quovis prætextu de ſubreptionis, vel obreptionis, vel nullitatis vitio &c. notare, vel impugnare audeat &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die III. Aprilis An. I.

IV.

Ejicit Amadeos a Conventu S. Mariæ Gratiarum Ponticelli. Ex copia Archivi S. Franciſci Tranſtiberim.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitat nos paſtoralis cura regiminis, ut a locis Deo dicatis, noſtræque curæ commiſſis, quantum cum Deo poſſumus, omnem ſcandali fomitem tollere ſatagamus. Cum itaque ad aures noſtras, non ſine cordis noſtri amaritudine, pervenerit, quod in Monaſterio Sanctæ Mariæ Gratiarum Ponticelli Diœces. Sabinen., ubi habitarunt hactenus, & habitant Fratres Sancti Franciſci Provinciæ Sancti Petri in Monte aureo, vulgo Amadei nuncupati, per eosdem Fratres, immo & per Prælatos, ſive Guardianos dicti Loci a multis annis commiſſa fuerint in animarum ſuarum præjudicium, & ſui Ordinis dedecus, ac ſæcularium, & præcipue Illuſtrium Dominorum loci, ubi ſitum eſt dictum Monaſterium, diversa ſcandala, furta, percuſſiones, & alia innumera crimina, prout patet expreſſe per informationes ſuper eisdem criminibus nuper ad nos per perſonas fide præditas delatas, & nobis præſentatas, usque adeo, ut dictis Dominis indignam eſſet, ad idem ipſum Monaſterium accedere, & ab eisdem Fratribus, ob eorum facinora, ſpiritualia charismata recipere. Quare pro parte dictorum Dominorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de opportuno remedio Apoſtolica auctoritate provideremus. Idcirco eorum piis, & honeſtisſimis annuentes votis, per præsentes committimus moderno Miniſtro Generali dicti Ordinis regularis Obſervantiæ, cui dicta Provincia Amadeorum, & dictum Monaſterium in ſpiritualibus eſt ſubjectum, & in ejusdem absentia Miniſtro Provinciali Provinciæ Romanæ ejusdem Obſervantiæ regularis, per ſanctam Obedientiam in virtute Spiritus Sancti, ut ad illud Monaſterium, & ad requiſitionem dictorum Dominorum quamprimum mittant numerum talem Fratrum reformatorum ejusdem Ordinis, vel Provinciæ, qui valeat & regere, & in rebus divinis, ac ſpiritualibus charismatibus ſatisfacere curæ, & adminiſtrationi dicti Monaſterii, & ædificationi perſonarum ſæcularium, & præcipue Dominorum, ac Dominarum Terræ, ſeu Oppidi, ubi ædificatum eſt illud Monaſterium. Et ut hoc melius fieri poſſit, perpetuo de cætero incorporamus dictum Monaſterium Provinciæ Romanæ præfatæ, & reformationi ejusdem Provinciæ, & Fratres præfatos Provinciæ Sancti Petri in Monte aureo, ſive Amadeorum, perpetuo privamus usu, & dominio illius, præcipientes eisdem, ſive ibidem cohabitantibus, ſive alibi, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo a transgresſoribus incurrenda, ut omnia bona ad illud Monaſterium ſpectantia, ſive fuerint ad divinum cultum ordinata, ſive ad alium uſum converſa, vel convertenda, integra quam primum, & ſine aliqua tergiverſatione aſſignare Guardiano, & Fratribus dictorum Fratrum reformatorum ibidem, per Generalem ſupradictum, vel per Miniſtrum Provinciæ Romanæ, juxta conſuetudinem Ordinis præfati aſſignandis, & auctoritate noſtra deputandis teneantur. Concedimus tamen Fratribus expellendis, ſive Amadeis præfatis in dicto Monaſterio habitantibus, ut ſi qui eorum dictæ Provinciæ Romanæ, & reformationi velint ascribi,

bi, & connumerari inter Fratres reformatos ejuſdem Provinciæ, dummodo quod reformate vivere velint, & quod id fiat cum conſenſu Patris Cuſtodis, & Fratrum in dicto Monaſterio de Ordine noſtro aſſignatorum, quod a cura, gubernio, & adminiſtratione Fratrum prædictorum Amadeorum perpetuo ſegregamus, ac ut præfertur, unimus Cuſtodiæ prædictorum Fratrum reformatorum, a quorum Prælatis, tam Localibus, quam Provincialibus volumus illud perpetuo regi, & gubernari cum omnibus gratiis, immunitatibus, privilegiis, & facultatibus, quibus alia Monaſteria Reformatorum, ſeu Reſtrictorum gubernantur, & reguntur. Mandantes omnibus Fratribus, in dicto Monaſterio, per Generalem, & Provincialem ſupradictis de familia collocatis, vel pro tempore collocandis, Guardianis, vel ſubditis, ut dictis eorum Prælatis in omnibus, quæ non ſunt contra animam, & regulam ſuam, obediant, & pareant cum effectu, nec in aliquo eis contradicere, aut refragari præſumant. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die X. Aprilis Anno I.

V.

Præcipit applicationem pii Legati: Ex regeſt. Secretariæ Brevium Lib. I. pag. 169.

Dilecto Filio Henrico titulo SS. Quatuor Coronatorum Pres. Cardinali a Portugallia nuncup. noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legato.

INtelleximus, quod quondam Beatrix Comitiſſa de Marialva ob ſingularem, quem illa tunc in humanis agens ad Ord. Fr. Min. de Obſervantia nuncupatum gerebat, devotionis affectum, unam domum pro nonnullis Fratribus dicti Ordinis accipiendis in loco de Ferrerim prope Civitatem Lamacenſem cum Eccleſia, Campanili, aliiſque Officinis neceſſariis erigi, & conſtrui curaverat, ſeu jam conſtructam decentius ornari mandaverat, & in dicta erigenda, ſeu jam erecta Eccleſia ſuum, ejuſque Conjugis, illis decedentibus, cadavera Eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ, nec non certum tunc expreſſum Miſſarum numerum ibidem per ipſius Domus Fratres annuatim certis tunc ſpecificatis, ac diſtinctis temporibus celebrari voluerat, & ordinaverat, & pro his exſequendis diverſas poſſeſſiones, & proprietates in partibus illis ſub adminiſtratione certorum tunc expreſſorum Laicorum reliquerat, & quæcumque fructus, redditus, proventus, & emolumenta ex eiſdem poſſeſſionibus provenientia per earumdem poſſeſſionum, & proprietatum adminiſtratores, ipſis certa portione tunc expreſſa pro eorum labore in bonorum hujuſmodi adminiſtratione ſubeundo aſſignata, domui, & Fratribus prædictis pro illorum ſubſtentatione, fabricæ domus ejuſdem manutentione, & reparatione ſingulis annis pro eleemoſyna darentur, & conſignarentur. Cum autem, ſicut accepimus, & quia Fratres prædicti juxta illorum Ordinis inſtituta hactenus in partibus iſtis laudabiliter obſervata eleemoſyuas certas indiſtincte, vel aliud ſtabile per ſeipſos, aut alias interpoſitas perſonas poſſidere, ſeu habere nequeunt, dicti adminiſtratores non domus prædictæ, ſed ſuam propriam utilitatem ſectantes, poſſeſſiones prædictas, ac fructus, redditus, ac proventus hujuſmodi, illorum competenti portione præſcriptæ domui pro fabrica dictæ domus, ac ornamentis Eccleſiæ, maſſariiſque reſervata, quod ſupererit partim

 uni

uni de Monrique, & alteri de Breſa locorum Eboren. & Portugallenſis Diœceſis ſub cura Fratrum Ordinis Minorum hujuſmodi degentium Monialium Domibus, ſeu Monaſteriis, quæ rerum inopia variis, multiſque neceſſitatibus premuntur, partim vero alii cuidam domui Fratrum Ordinis Minorum etiam de Obſervantia nuncupatorum Ulyſſiponenſis, quæ in ejus fabrica maximis indiget reparationibus, prout uniuſcujuſque Monaſterii neceſſitas exiget, vel in alios uſus Monaſteriorum Monialium, ſeu domorum Fratrum ejuſdem Ordinis, & Provinciæ diſtribuerentur, & applicarentur. Nos itaque circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios, vocatis dilectis filiis poſſeſſionum, & proprietatum, ut præfertur, relictarum, & exinde provenientium fructuum, reddituum, & proventuum adminiſtratoribus, & aliis, qui fuerint evocandi, eoſdem ad proprietates, & poſſeſſiones, nec non fructus exinde provenientes hujuſmodi indicandum, notificandum, & ſpecificandum, necnon debitam ſuæ adminiſtrationis rationem reddendam auctoritate noſtra moneas, & requiras, ac ipſis ſic per te requiſitis, & monitis parere recuſantibus, illos ad id cenſuris Eccleſiaſticis, ac alio omni meliori modo, & votis, quibus fieri poterit, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, diſtricte compellas, & deinde portione prædictorum fructuum dictæ domui de Ferrerim pro fabrica ipſius domus, & ornamentis dictæ Eccleſiæ neceſſariis in primis aſſignata, ſi quid reſidui fuerit, illud cum conſilio ejuſdem Ordinis Miniſtri Provincialis, ſeu Commiſſarii Generalis, conſideratis diligenter, & attentis ſingulorum monaſteriorum, & domorum hujuſmodi neceſſitatibus, inter illa, prout tua tibi dictaverit conſcientia, dividas, diſtribuas, & illis aſſignes. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVII. Maji anno I.

VI.

Reformat Monaſterium Reatinum. Ibid. pag. 267.

Dilectis filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium Ordinis S. Claræ prope, & extra muros Reatin.

Alias ſiquidem Nos ex certis rationabilibus cauſis animum noſtrum ad id moventibus Monaſterium veſtrum, illiuſque Abbatiſſam, moniales, ac res, & bona quæcumque ſub cura, & regimine Fr. Conventualium Ord. S. Franciſci tunc exſiſtentis, & exſiſtentium a cura. & regimine horum exemimus, & liberavimus, illaſque, & illa ſub cura, adminiſtratione, & regimine dilecti Filii Noſtri Marci Antonii titulo S. Marcelli Presbyt. Card. Amulii nuncupati, qui Eccleſiæ Reatinæ in ſpiritualibus, & temporalibus perpetuo adminiſtrator per Sedem Apoſtolicam deputatus exſiſtit, & pro tempore exſiſtentis Epiſcopi Reatin. ſuppoſuimus, eique immediate inter alia ſubjecimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem ut ipſe Marcus Antonius Card. nobis nuper expoſuit, vos pro directione, & felici gubernio, & adminiſtratione veſtri Monaſterii infraſcriptis monialibus plurimum indigere noſcamini; dictus Marcus Antonius Card. nobis humiliter ſupplicavit, ut in præmiſſis opportune providere de auctoritate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea libenter intendimus, per

quæ

Digitized by Google

quæ regularis diſciplina ſemper vigeat horum ſupplicationibus inclinati &c. vobis, ac veſtrum cuilibet per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſtatim, omni mora poſtpoſita, dilectas in Chriſto filias Cherubinam, Margaritam, Hieronymam, & Bernardinam omnes Moniales Monaſterii Monialium S. Crucis Ord. S. Franciſci de Obſervantia nuncupati Narnienſium, de quarum munditia in ſpiritualibus, circumſpectione, & bonæ famæ, ac regularis Obſervantiæ odore fide digna teſtimonia habuimus, ex Monaſterio S. Crucis canonice eductas in Monaſterium veſtrum admittatis, ac recipiatis, illaſque cum ſumma in Domino charitate tractetis, illarumque monitis ſalutaribus intendatis, & parere libenter procuretis. Quocirca &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Mar. die III. Auguſti an. I.

VII.

Inſtituit Reformatores in Tuſcia. Ibid. pag. 280.

Dilectis Filiis Vincentio de Peruſia Ord. Prædicatorum Priori Conventus S. Romani Lucen., & Fr. Antonio de Stroncone Ord. Min. Obſervantium.

Paſtoralis Officii nobis divinitus injuncti debitum nos admonet, & impellit, ut eos, qui ſe Domini famulatui ſub ſuavi Religionis jugo ſemel addixerunt, ne a regularis diſciplinæ ſtatu declinent, in eorum officio, quantum fieri poteſt, continere ſtudeamus. Sane nuper non ſine gravi animi noſtri moleſtia accepimus, quod nonnulli Superiores, & Monachi Ord. Ciſtercienſium in Provincia Tuſciæ conſiſtentes a ſui Ord. Obſervantia, regularibuſque inſtitutis deviare, ordinemque ipſum, & monaſticam diſciplinam pervertere hactenus non erubuerunt, nec non Monaſteriorum eorumdem bona diſtrahere, illaque alieno ære gravare auſi fuerint, in maximam Dei offenſam, & animarum ſuarum periculum, perniciofum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum, adeo ut verendum ſit, ne ſi præmiſſis brevi ſuccurratur, facile fore, ut monaſteria horum regulari Obſervantia penitus deſtituantur. Nos igitur, ut boni paſtoris officio convenit, in præmiſſis opportune providere volentes motu proprio &c. Diſcretioni veſtræ, & utrique veſtrum, de quorum Religione, probitate, doctrina, ac rerum agendarum experientia plurimum in Domino confidimus, in virtute S. Obedientiæ harum tenore præcipimus, & mandamus, quatenus quamprimum vos Florentiam transferatis, & ibi contra Superiores, Monachos, cæteraſque perſonas tam S. Salvatoris a Settimo Florentin., S. Mariæ Magdalenæ a Ciſtello Florentin., & S. Bartholomæi a Buonſolazzo in Florentin. Diœceſi, & illis adnexorum Monaſteriorum, & regularium locorum Ordinis, & provinciæ, & in eis commorantes, etſi a quacumque viſitatione, & correctione exempti, & ſub Apoſtolicæ Sedis, ſeu B. Petri protectione ſuſcepti exſiſtant, tam in capite, quam in membris &c. ſuper quibuscumque eorum criminibus, exceſſibus, & delictis, tam in omittendo, quam in committendo per eos perpetratis, diligenter inquiratis, eoſque viſitetis, & reformetis, delinquentes, & culpabiles carceretis, ac juxta criminum, & exceſſuum qualitatem, & ſui Ordinis regularia inſtituta puniatis, & caſtigetis, obſtantes quoſcumque, ſi vobis videbitur expedire, eorum officiis privetis, deponatis,

natis, & ſuſpendatis &c. & eorum loco alios Ordinis, & Provinciæ Monachos vobis bene viſos habiles, & idoneos ponatis, ſubſtituatis, alioſque poſitos, & aſſumptos manuteneatis, & defendatis, eorumque quoſcumque etiam regulares, & capitulares Conventus, uſus, mores, conſuetudines diligenter examinetis, illosque, & illas ad Regularis Ordinis Obſervantiam reducatis &c., et reformetis, nec non quoſcumque quavis dignitate fulgentes, utcumque etiam in alma Urbe noſtra degentes &c. ad perſonaliter coram vobis comparendum ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis evocetis, & citetis &c. Nos enim vobis, & utrique veſtrum præmiſſa omnia, & ſingula faciendi, gerendi, exercendi plenam liberam, & omnimodam facultatem, & poteſtatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & impertimur, volentes, quod cujuſcumque temporis terminos vos ad prædicta non arceat, ſed illa quando, & quouſque urbis bene viſum fuerit, libere exsequi valeatis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum die VII. Septembris An. I.

VIII.

Providet Clauſuræ Monaſterii Ulyſſiponenſis. Ex regeſto Secretariæ Brevium lib. I. pag. 276.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex inter alias &c. *expedire*. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii S. Claræ extra, & prope muros Ulyſſiponenſis Ordinis ejuſdem S. Claræ ſub cura Fr. Min. de Obſervantia degentium nobis oblatæ petitionis ſeries continebat, quod ut ipſæ in admodum regularis, & Religioſæ vitæ Obſervantia ipſa inquietari, aut perturbari, ſed potius ab omnibus impedimentis, ut Deo debitum obſequium præſtare, ac divinis vacare valeant, liberari deberent; nihilominus quum retroactis temporibus, ſeu diebus aliquæ ſæculares mulieres devota vivendi conſuetudine aſſuefactæ in ipſum Monaſterium intraſſe, & ibidem ad longum tempus, etiam annorum, in non modicum regularis Obſervantiæ, & Monaſterii, Abbatiſſæ, & Monialium, earumque honeſtatis, & religioſæ vitæ præjudicium, ac notabile ſcandalum detentæ fuerint, ipſæque Abbatiſſa, & Moniales non modicam, ſed maximam animi, & quietis perturbationem propterea paſſæ fuerint. Quare Abbatiſſa, & Moniales ad nos recurrentes nobis ſupplicari fecerunt, ut in his de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui omnes Chriſtifideles Deo famulantes, & præſertim feminei ſexus religioſas perſonas toto corde diligimus, præmiſſis, quantum in nobis eſt, occurrere, ac partes noſtras, ne de cætero præmiſſa fiant, impertiri volentes, ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus &c. cujuſcumque dignitatis &c. ac ipſius S. Claræ, & Fratrum Ordinis Superioribus, & Præſidentibus, etiam Generali Miniſtro, ne de cætero quaſvis Sæculares mulieres in iſtum Monaſterium quavis de cauſa, ut ibidem, ſic ut præfertur, commorentur, ſeu detineantur, vel etiam ad quantumcumque modicum tempus maneant, introducere audeant &c. diſtricte præcipiendo, mandamus, decernentes &c. ſublata &c. Et nihilominus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum die XVIII. Septembris An. I.

IX.

IX.

Confirmatur in officio Vicarii Generalis Apoſtolici. Ibidem pag. 311.

Dilecto Filio Felici de Montalto Electo Sanctæ Agathæ.

QUamvis hodie Eccleſiæ S. Agathæ tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de noſtrorum Fratrum conſilio duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem; quia tamen te longo rerum uſu, & ea, qua mirifice præſtas, doctrina, animique integritate, & fide toti Ordini tuo, uſquequo illi de Magiſtro Generali, quo nunc caret, legitime providendum ſit, quam maxime utilem, & fructuoſum eſſe cognoſcimus, curæ nobis eſt, ut Religio ipſa interim ductu tuo moderetur. Quare motu proprio decernimus, auctoritatem Vicarii Generalis, quam nos a primo Pontificatus noſtri initio uſque ad futuram electionem dicti Magiſtri in Capitulo Generali juxta illius ſtatuta celebrandam de ipſa perſona tua fecimus per proviſionem, & perfectionem horum, aut futuram apprehenſionem regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum dictæ Eccleſiæ, tuamque in Epiſcopum conſecrationem non ceſſare; ſed te deinceps officio Vicariatus Generalis, ejusque libero exercitio, ut prius, intendere, illudque libere, & licite gerere in omnibus, & per omnia, perinde uti in Epiſcopum aſſumptus non fueris, & nihilominus motu ſimili te Vicarium Generalem, nec non Adminiſtratorem Ordinis prædicti in ſpiritualibus, & temporalibus, donec Magiſter prædictus in eodem Capitulo electus, & approbatus fuerit cum plena, libera, & abſoluta poteſtate, facultate, & auctoritate interim, & ubicumque Religionem ipſam univerſam in eisdem ſpiritualibus, & temporalibus regendi, & gubernandi, & quæcumque, ad Regularem diſciplinam, & morum caſtigationem paternam, ſtatuendi, & exſequendi, Capitulum ipſum generale in quemcumque locum tibi beneviſum, cujuſvis licentia, conſilio, vel conſenſu deſuper minime requiſitis, congregandi, ac in eo præſidendi, votum, & ſententiam, conſultationem ferendi, & omnia, & ſingula ad officium Vicariatus Generalis, faciendi &c., ac etiam cum omnibus oneribus, & emolumentis conſuetis, & aliis Vicario Generali debitis &c. Quocirca omnibus, & ſingulis Provincialibus, & aliis Magiſtris, nec non Cuſtodibus, Guardianis, cæteriſque Superioribus, & Fratribus dicti Ordinis, & eorum ſingulis per præsentes mandamus, ut tibi tamquam capiti exhibeant obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ſalubria monita, & mandata tua ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſeu pœnam, quam ipſe tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus &c. Volumus autem, quod tranſumptis &c. ea fides adhibeatur, quæ præſentibus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Novembris Anno I.

X.

X.

Fit Epiſcopus S. Jacobi. Ex regeſt. Vaticano lib. 6. pag. 85.

Dilecto Filio Ferdinando de Barrio Nuevo Electo Sancti Jacobi de Nuevo Extremo nuncupat. &c. Salutem &c.

Apoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Sancti Jacobi del Nuovo Extremo nuncupat. &c. Provinciæ de Chile in Partibus Indiarium Maris Oceani conſiſten. &c. & cui bonæ mem. Rodericus Epiſcopus &c. per obitum dicti Roderici Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi &c. Demum ad Te Presbyterum Ordinis Patrum Minorum Theologiæ profeſſorem Ordinem ipſum expreſſe profeſſum &c. direximus oculos noſtræ mentis &c. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ de perſona tua providemus. Teque illi in Epiſcopum præfimus, & Paſtorem &c. curam, regimen &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVII. Kal. Decembris Anno I.

XI.

Fit Epiſcopus Agathenſis. Ex regeſt. Vaticano lib. 5. pag. 218.

Dilecto Filio Felici Peretto de Monte Alto Electo Sanctæ Agathæ Salutem &c.

Apoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Sanctæ Agathæ &c. cui bonæ memoriæ Joannes Epiſcopus Sanctæ Agathæ &c. per obitum dicti Joannis Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi &c. Demum ad Te Presbyterum Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ Profeſſorem ejuſdem Ordinis Vicarium Generalem per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputatum &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ de Perſona tua &c. providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam, regimen &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVII. Kal. Decembris Anno I.

XII.

Reformat Fratres Conventuales in Hiſpania. Ex regeſt. Ultramont. fol. 199.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Maxime cuperemus, eos, qui Religioſam vitam profeſſi divino ſe cultui dedicarunt, ita vivere, ut eorum Religio immaculatum decorem ſuum obtineret, & ex illorum vitæ, ac morum honeſtate, boniſque operibus, cæleſtis glorificaretur Pater. Sed quia multi a Fundatorum Ordinis ſui inſtitutis nimis jam pridem aberrant &c., cogit nos zelus domus Domini, eorum irreligioſæ vitæ, atque licentiæ, quandoquidem ipſi modum ejus nullum faciunt, finem imponere.

XIII.

§. II. Non ſine magna ſane animi moleſtia Nobis innotuit, Fratres Ordinis S. Franciſci Conventuales in diverſis Hiſpaniæ partibus, & Provinciis conſtitutos, profeſſionis, & ſalutis ſuæ immemores, & privilegiis ab Apoſtolicæ Sedis benignitate impetratis abutentes, vitam ab inſtitutis Fundatoris, & Patris ſui Seraphici admodum diſcrepantem, ac remotam ducere, & pravis ſuis exemplis quam plurimos Chriſtifideles puſillos non mediocriter offendere. Cum igitur tam grave, tamque inveteratum ſcandalum, divini honoris, & ſalutis animarum cauſa, pro commiſſo nobis officio tollere ſtatuerimus, piis etiam ad hoc adducti precibus Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Hiſpaniarium Regis Catholici, religioſiſſimi Principis, non immerito videlicet timentis, ne qui pro populo apud Deum interceſſores eſſe debent, nimia ſua vivendi licentia illius iram acrius provocent; univerſis & ſingulis, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Hiſpaniam conſtitutis, in virtute Sanctæ Obedientiæ præſentium tenore committimus, atque mandamus, ut quisquis eorum in Civitate, vel Diœceſi ſua habet domum, vel domos Fratrum Minorum Conventualium, is Dei tantum Omnipotentis honorem ante oculos propoſitum habens, aſſumptis ſecum de Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia Miniſtro Provinciali ejus Provinciæ, in qua illi Fratres conſiſtunt, & aliquo præterea ejuſdem Ordinis Obſervantium, quem ipſe Miniſter Provincialis idoneum duxerit, accedat ad domum, ſeu domos ſingulas, ſi plures ſint, dictorum Fratrum Conventualium, in eisque Conventibus, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cujus vices in hoc negotio ei, tenore præſentium, erogamus, aboleat penitus, & in perpetuum tollat, atque extinguat formam vivendi Conventualem, eosque Fratres ad eandem vivendi formam, eademque inſtituta redigat, quæ Fratres Minores de Observantia, seu de Familia vocati, observant, & eorum Eccleſias, ac domos Ordini Fratrum Minorum de Observantia aſſignet perpetuo habendas, atque in eas domos alios Fratres de Conventibus Fratrum ejuſdem Ordinis de Obſervantia, quos, & quo ſibi viſum fuerit, de illorum duorum Fratrum ſibi aſſiſtentium conſilio, transferat, & ex ipſis Guardianum, atque alios officiales, ad eum Conventum regendum, & gubernandum idoneos auctoritate noſtra deputet, atque conſtituat, ipſos vero Fratres Conventuales aliorum Fratrum Minorum de Observantia conſortio aggregatos, atque unitos ex domibus, in quibus antea vitam Conventualem egerant, translatos per Conventus Fratrum Minorum de Obſervantia diſtribuat, ut poſthac ejuſdem ipſi quoque Obſervantium Ordinis & appellentur, & ſint ſub ejusdem Miniſtri Generalis obedientia, atque regimine.

§. III. Quæ autem de Fratribus Conventualibus Ordinis S. Franciſci ad vitæ Regularis obſervantiam reducendis mandavimus, eadem propter eaſdem cauſas, & ad eadem tollenda offendicula, & ſcandala de Fratribus in Hispania conſiſtentibus aliorum quoque Ordinum quorumcumque conventualibus, ad vitæ regularis obſervantiam reducendis, eadem auctoritate, eiſdem venerabilibus Fratribus mandamus, velut Canonicorum Regularium, Sancti Benedicti Ciſtercienſis, Prædicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & aliorum quorumvis Ordinum, ex quibus tamen præter Fratres Conventuales ſint quoque aliqui ejusdem Ordinis in Hiſpania Obſervantes. Ad eam enim formam omnes ejuſdem Ordinis, qui ad hoc tempus Conventuales fuerant, ſuſpiciendam & obſervandam, juxta sua cujuſque Ordinis regularia inſtituta, & Sacri Concilii Tridentini decreta redigi, & ad alios Conventus transferri, eo-

demque modo, ut de domibus, & Eccleſiis Fratrum Minorum Conventualium diximus, ipſorum quoque domos, & Eccleſias Fratribus una cum bonis omnibus ejusdem Ordinis Obſervantibus aſſignari volumus.

§. IV. De Fratribus vero illorum Ordinum, quorum nulli uſquam Conventus ſunt, qui vitam regularem obſervent, ſed omnes tantum Conventuales ſunt, quemadmodum ipſi quoque reformandi, & ad quam vivendi in communi formam ſint reducendi, aliis literis ſtatuemus. Si qui autem de Fratribus Conventualibus ad regularis vitæ obſervantiam reduci ſe pertinaciter recuſaverint, eos in carceribus, donec ad cor redeant, sub fida cuſtodia retineri mandamus.

§. V. Ne autem ipſorum Fratrum Conventualium exceſſus, & delicta remaneant impunita, in eos procedendi, & pro culparum, atque exceſſuum magnitudiue, animadvertendi, & ſi quorum delicta adeo gravia fuerint, ut ſi laici eſſent, ultimo fuerint suplicio puniendi, ad triremes eos damnandi, ſi modo ætas, & vires illi labori aptæ ſint; ſin minus in perpetuum carcerem, ad agendam pœnitentiam relegandi, exceſſus vero minus graves, nec pœnam capitis meritos, secundum canonicas ſanctiones, seu Archiepiſcopi, Epiſcopive, ad quem id spectabit, & Provincialis, atque illi adjuncti Fratris arbitrio puniendi, bona præterea quæcumque mobilia, & immobilia tam quæ domus eorum in communi poſſident, quam Fratrum Conventualium antea propria, ex conſuetudine, vel forſan ex aliquo obreptitio privilegio, & diſpenſatione Apoſtolica, eis obtinere conceſſa, ſive permiſſa, vel ex eorum induſtria acquiſita, vel ex parentum ſucceſſione, ut ab aliis relicta, legata, donatave, ab eis, tam quoad usum, & poſſeſſionem, quam quoad proprietatem attinet, in perpetuum abdicandi, de Conventibus etiam Fratrum regularis Obſervantiæ, uno vel pluribus, alios in hujsmodi Conventus de ipſorum Fratrum aſſiſtentium conſilio transferendi, omnia denique, quæ vel ad aboiendam vitam Conventualem, & vitæ regularis Obſervantiam loco ejus introducendam, vel ad inquirendam criminum veritatem fuerint neceſſaria quoquo modo, aut opportuna, agendi, faciendi, & exſequendi ipſis Venerabilibus Fratribus una cum dictis Provinciali, & ejus socio, ſicut dictum eſt, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica damus, atque concedimus poteſtatem,

§. VI. Quod ſi qui, vel ipsorum Frarrum Conventualium, vel aliorum Ordinum prædictorum, ad alium Ordinem Regularis Obſervantiæ transferri maluerint, id eis permitti volumus, dummodo ad regulam transeant arctiorem. De bonis autem ipsorum Fratrum Conventualium mobilibus, & immobilibus, & de omnibus hujuſmodi Conventuum redditibus, ipſos Venerabiles Fratres noſtros, ad quos pertinebit, ita de conſilio Provincialis, & socii ejus ſibi aſſiſtentium, diſponere volumus, ut Fratribus Regularis Obſervantiæ illuc introducendis de suppellectili, & aliis rebus victui eorum, ac divino cultui, & reparationi Eccleſiarum, ac domorum neceſſariis per ipsos provideatur. Quæ vero ultra hujuſmodi sumptus superfuerint, ea ſingulis in locis apud idoneas perſonas deponi volumus, & sequeſtrari fideliter observanda, ac poſtea Sedem Apoſtolicam consuli, in quorum uſus ea converti debeant. Contradictores &c. Non obstantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die II. Decembris Anno I.

XIII.

Reformat Moniales in Regno Hiſpaniarum. Ex Bull. Caroli Cocquelines tom. 4. part. 2. Conſt. XXXI. pag. 324.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM graviſſimis de cauſis Paſtoralis officii cura animum noſtrum ſtimulante, ac pie Nos etiam hortante cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, Fratres Ordinis Minorum, & aliorum Ordinum Conventuales in Hiſpania conſiſtentes, ad vitæ regularis obſervantiam, ſecundum ſua cujuſcunque Ordinis inſtituta, reducendos eſſe ſtatuerimus per Ordinarios locorum, de conſilio Provincialis cujuſque Provinciæ, & alterius Fratris ab ipſo Provinciali aſſumendi, ſicut in literis noſtris ſuper ea reductione confectis plenius continetur, volentes bono quoque regimini Monialium in Hiſpania conſiſtentium, quæ per Fratres Minores Conventuales gubernari antea ſolebant, providere, & quæ in quoque earum Conventu corrigenda, & reformanda ſint, corrigi, ac reformari, præter illa, quæ ſuper clauſura, & reformatione generali cunctarum Monialium, per literas noſtras ſub plumbo antea editas ſalubriter conſtituimus. Venerabilibus Fratribus Hiſpaniæ Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in quorum Civitatibus, & Diœceſibus Conventus ſunt Monialium, quæ per Fratres Ordinis Minorum Conventualium antea regi conſueverunt, tenore præſentium mandamus, atque in virtute ſanctæ Obedientiæ committimus, ut aſſumpto quiſque eorum Miniſtro Provinciali Fratrum Minorum de Obſervantia, ſive Familia, & altero Fratre, quem Miniſter elegerit, ad earum domum, ſeu domos perſonaliter accedens, & Deum tantum præ oculis habens, auctoritate Sedis Apoſtolicæ eas viſitet, & de conſilio Fratrum ſibi aſſiſtentium, tam in capite, quam in membris reformet, atque ad regularis vitæ obſervantiam, juxta Fratrum Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia inſtituta, reducat, eaſque in perpetuum curæ, regiminique committat Fratrum Minorum de Obſervantia. Item vero de Monialibus Conventualium Ordinum &c. *brachii ſecularis*. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XII. Decembris Anno I.

XIV.

Conſulit quieti Monialium B. Mariæ de Hieruſalem. Ex regeſto I. Secretariæ Brevium Lib. I. B. II.

Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterii B. M. de Hieruſalem Ord. Fr. Min. Neapolitan. &c.

EXponi nobis nuper feciſtis, quod cum vos ad certum præfinitum numerum in veſtro Monaſterio degatis, & in arctiſſima vita, & perpetua clauſura gratum Altiſſimo virtutum Domino famulatum devote exhibere ſtudeatis, & propterea in Regulari Obſervantia aſſidue perſeverantes omnes occaſiones conemini fugere, propter quas a regularibus vitæ, & obſervantiæ veſtræ inſtitutis retrahi, vel in illis impediri valeatis; nihilominus dubitatis, quietem, & tranquillitatem

veſtram hujusmodi aliquando magnopere perturbari, conſcientiæque, & animarum veſtrarum ſaluti grave periculum imminere, & non mediocre detrimentum, dum orationibus ad Deum pie effundendis quotidie vacare non ceſſatis, inferri poſſe, ſi aliquibus perſonis tam mulieribus ſæcularibus, quam etiam Monialibus cujuscumq. Ordinis permittatur, ſeu licentia intra ſepta veſtri Monaſterii ingrediendi, vel facultas concedatur, aut ſi illæ propter quascumque causas, vel delictum in eo deponantur, vel intromittantur. Quare magnopere deſideratis, ne quietis veſtræ ratio perturbetur, ſuper his, per nos opportunum remedium adhiberi, & ideo nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſſis paterne providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur veſtris honeſtis votis, quantum cum Domino poſſumus, libenter annuere volentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati pium hoc veſtrum deſiderium ante omnia plurimum in Domino commendamus; deinde conſiderantes Monasterium veſtrum Sacr. Virginum voluntarie Deo dicatarum nec receptaculum ſæcularium perſonarum, nec coactum carcerem delinquentium feminarum ullo modo eſſe, tenore præsentium, ex certa noſtra ſcientia interdicimus &c., ne de cætero ulla perſona, mulierve ſæcularis, aut Monialis cujusvis Ord. &c. Ordinario, aut Delegato, vel Superioribus ejusdem Monaſterii, dum juxta ſacras conſtitutiones &c. exceptis, etiam cujuslibet Indulti, licentiæ, aut facultatis ordinariæ Eccleſiæ, vel ſæcularis de facto, ac Regiæ, aut etiam a Sede Apoſtolica quomodolibet obtentæ prætextu, veſtrum Monaſterium, ſeu illius clauſtra ingredi, vel ibi ad tempus etiam breve permanere, neque minus pernoctare, aut alias morari poſſint, nec valeant, nec ullus Judex, vel Magiſtratus Ordinarius, vel Delegatus, quacumque etiam Apoſtolica, vel Regia fungens auctoritate quamlibet Mulierem, vel Puellam ſæcularem, vel regularem quacumque ex cauſa in eodem veſtro Monaſterio deponere, ſequeſtrare, detinere &c. audeat, vel præſumat, vobisque ne perſonas ſæculares Mulieres, ac Puellas hujusmodi, etiam, ut præmittitur, ſequeſtrandas, deponendas, detinendas &c. recipere &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Januarii An. I.

Anno Christi 1567. Pii V. anno 2.

XV.

Confirmat jus ſepeliendi mortuos Fratribus Majoricen. Ex Archivo Cœnobii S. Franciſci Palmæ.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Ea, quæ concordia inter quaſcumque præſertim religioſas perſonas facta fuiſſe dicuntur, ne in recidivem contentionis ſcrupulum relabantur, ſed firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, approbamus, & confirmamus, ac alias deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum S. Dominici, & Sancti Franciſci, tam Obſervantium, quam Clauſtralium nuncupatorum, & Carmelitarum, ac S. Spiritus, Sanctiſſimæ Trinitatis,

tis Ordinum, Monaſteriorum in Civitate, & Inſula Majoricen. reſpective exſiſtentium Priorum ac Fratrum petitio continebat, quod cum ipſi, & eorum ſinguli ab immemorabili tempore citra, vel ab ipſorum Monaſteriorum primæva fundatione, in pacifica, & quieta poſſeſſione, vel quaſi exſiſtant, deferendi cum Cruce elevata proceſſionaliter, ac ſepeliendi per ſe ipſos tantum abſque interventu aliquorum Clericorum Sæcularium, in eorum Eccleſiis corpora defunctorum, qui inibi ſepulturam eligerent, quod forſan ex eo provenit, quia in principio quod dicta Civitas, & Inſula, infidelibus expugnatis, per Chriſtianos occupata fuerat, ut ex antiquiſſimis ſcripturis apparet, Fratres, & præſertim Ordinis S. Dominici, ante Clericos Sæculares Chriſtiana pietatis ſemina Sacramenta miniſtrando, & mortuos ſepeliendo, ſparſerunt.

§. III. Licet ex conceſſione fel. rec. Sixti PP. IV. Prædeceſſoris noſtri Fratribus, præſertim S. Dominici, fuerit indultum, ut corpora defunctorum poſſint proceſſionaliter cum Cruce elevata in eorum Monaſteriis, ſpecialiter ubi hoc conſuetum foret &c. nihilominus in Concilio Provinciali in Civitate Valentina noviſſime celebrato dictum jus ſepeliendi dictorum Ordinum Fratribus fuerit ſublatum in maximum ipſorum præjudicium, & contra omnem juris æquitatem &c. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dictum jus ſepeliendi a dictis Fratribus tollatur, ipſi in tantam devenirent mendicitatem, ut cogerentur ſua Monaſteria deſerere, non ſine maxima divini cultus diminutione, qui per dictos Fratres in Inſula præfata decoratur, ſequereturque ſcandalum incolarum &c. Quare pro parte dictorum Priorum, & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordias, & conſuetudines circa jus ſepeliendi hujuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmare, atque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem, & tranquillitatem inter quoſcumque vigere, & augeri noſtris potiſſimum temporibus ſinceris exoptamus deſideriis, eoſdem Priores, & Fratres, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordias, & conſuetudines circa dictum jus ſepeliendi hujuſmodi, aliaque præmiſſa, Priores, & Fratres præfatos quomodolibet concernentia, nec non inde ſequuta, & ſequenda quæcumque, ipſis Prioribus, & Fratribus, & eorum Succeſſoribus, & Conventibus, quoad ea tantum, quæ decretis Concilii Tridentini non repugnant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo confirmamus &c. Quo circa &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Februarii Anno II.

XVI.

Ut duo Monaſteria Ravennæ Minoribus Obſervantibus ſubjiciat. Ex regeſto 1. Secretariæ Brevium Lib. I. B. II.

Dilecto Filio Noſtro Julio Tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. de Urbino nuncupato.

CUM ſicut accepimus, unum S. Pauli, & alterum S. Claræ Ord. ejuſdem S. Claræ Monialium Conventualium Monaſteria Civitatis noſtræ Ravennæ viſitatione, & reformatione indigere noſcantur, Tuque, qui Eccleſiæ Raven., ex conceſſione Apoſtolica præeſſe dignoſceris, ad illamque pro-

propediem redire intendis, officium Monaſteria hujuſmodi viſitandi, & reformandi juxta animi noſtri deſiderium facile adimplere poſſis, circumſpectioni tuæ, de cujus eximia integritate, religione, prudentia, & in gerendis rebus experientia plurimum in Domino confidimus, ut per te ipſum cum interventu Superiorum Fr. S. Franciſci Min. Conventualium ad id deputandorum, dicta duo Monialium Monaſteria Auctoritate noſtra viſitare, & quæ in eis reformanda repereris reformare, errantesque in eis Moniales, & perſonas corrigere, & emendare, ac delinquentes repertas ſecundum earum exceſſus, & delicta, Canonicasque ſanctiones, & Regularia Monaſteriorum ipſorum inſtituta punire, & caſtigare, ad regularemque Obſervantiam, & clauſuram, debitamque Religionis normam reducere, ac inobedientes perſonas, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis ad tibi in præmiſſis parendum cogere, & compellere, brachii quoque ſæcularis auxilium ad hoc, ſi opus fuerit, invocare, nec non Monialium, & Monaſteriorum hujuſmodi curam, gubernium, ſuperioritatem, viſitationem, & correctionem a Fratribus dicti S. Franciſci Min. Conv., quibus illa de præſenti ſubjacere noſcuntur, amovere, eaque ab ipſis eximere, & Moniales, & Monaſteria hujuſmodi Fratribus Minorum de Obſervantia dictæ Civitatis, eisdem modo, & forma, quibus hactenus ipſis Fratribus Minorum Conv. ſubjecta fuerunt, in omnibus, & per omnia perpetuo ſubjicere, atque ſupponere, & eisdem Fratribus de Obſervantia dictorum Monaſteriorum curam, regimen, juriſdictionem, & ſuperioritatem committere, & mandare, cæteraque omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facere, mandare, & exsequi libere, & licite poſſis, & valeas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium plenam, liberam, & omnimodam facultatem concedimus, & poteſtatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Febr. An. II.

XVII.

Ut Religioſi in Indiis ſint Parochi. Ex Bullario Roderici, Bulla IV. pag. 409.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Philippo Regi Hiſpaniarum.

EXponi nobis nuper fecit tua Majeſtas Regia, quod juxta ſacri Oecumenici Concilii Trid. decreta nulla matrimonia niſi præſente Parocho, aut de illius licentia contrahi, nullusque Religioſus abſque Epiſcopi licentia Verbum Dei prædicare, ac ſæcularium perſonarum confeſſiones audire; Epiſcopi vero novas Parochias in locis ab invicem longe diſtantibus conſtituere poſſint. Quia tamen in partibus maris Oceani Religioſi propter Presbyterorum defectum, hactenus officio Parochi functi fuerunt, & id, quod ad converſionem Indorum attinet, exercuerunt, & exercent, ex quo non modicos, ſed maximos fructus, etiam Verbum Dei eisdem Indis prædicando, & explicando, ac confeſſiones audiendo, ad fidei Catholicæ propagationem fecerunt, dicta Majeſtas tua nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus ipſis Religioſis, ut illi ad uberiores fructus in dicta converſione Indorum reportandum incitentur, in locis eis aſſignatis, & aſſignandis officium Parochi, matrimonia celebrando, & Sacramenta Eccleſiæ miniſtrando, prout hactenus conſueverunt, exercendi, & ab eorum Superioribus, in capitulis

pro-

provincialibus obtenta licentia, Verbum Dei prædicandi, & ſæcularium confeſſiones de ſuorum Superiorum licentia audiendi facultatem concedere, alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum præſertim Catholicorum Regum votis ad divini cultus augmentum, & animarum ſalutem tendentibus libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati omnibus, & ſingulis Religioſis quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum in dictis Indiarum partibus, & in eorumdem Ordinum Monaſteriis, vel de locorum Superiorum licentia extra illam commorantibus, ut in locis ipſarum partium eis de ſimili licentia aſſignatis, & aſſignandis officium Parochi hujuſmodi, matrimonia celebrando, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrando, prout hactenus conſueverunt (dummodo ipſi in reliquis ſolemnitatibus dicti Concilii formam obſervent) exercere, Verbum Dei (ut præfertur) quatenus ipſi Religioſi Indorum illarum partium idioma intelligant, de ſuorum Superiorum licentia (ut præfertur) in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, prædicare, & Confeſſiones audire, Ordinariorum locorum, & aliorum quorumque licentia minime requiſita, libere, & licite valeant, licentiam, & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper, ne in locis illarum partium, in quibus ſunt religioſorum Monaſteria, qui animarum curam exercent, aliquid per prædictos Epiſcopos innovetur &c., ſic per quoſcumque judices &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud D. Petrum, Die XXIII. Martii An. II.

XVIII.

Nonnulla ſtatuit circa reformationem Clauſtralium in Hiſpaniarum regno. Ex Bullario Cocquelines tom. 4. pag. 201.

Ad perpetuam rei memoriam.

§ I. Superioribus menſibus emanarunt a Nobis literæ, in forma Brevis tenoris ſubſequentis: Pius Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Maxime cuperemus &c. Ac poſtmodum per alias noſtras, in ſimili forma Brevis literas, ſub datum XII. ejuſdem Decembris proxime præteriti, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, reformationem etiam Monaſteriorum Monialium Conventualium Hiſpaniæ fieri mandavimus.

§. II. Cum autem, ſicut prædictus Philippus Rex Nobis nuper exponi fecit, in aliquibus partibus Hiſpaniæ Provinciæ ſint admodum amplæ, & latæ, in quibus ſunt plures Prælati, & multa Monaſteria, ita tamen, ut in ſingulis Provinciis unus tantum ſit Provincialis, qui eodem tempore, cum ſingulis Epiſcopis adeſſe, & etiam in una Diœceſi plura Monaſteria conſiſtant, atque Epiſcopi eodem ſimiliter tempore accedere non poterunt, ex quo facile ſequetur, ut viſitatio ipſa differatur, unde diverſa damna, & inconvenientia ſubſequi poſſent; quia Fratres, & Moniales intelligendo reformationem hujuſmodi fieri in uno ex dictis Monaſteriis, ex aliis aufugere, & quod pejus eſſet, bona mobilia, & libros, & alias ſcripturas ſuorum Monaſteriorum, in quibus eorum redditus ſunt annotati, occultare, & abſcondere poterunt. Quare idem Philippus Rex Nobis humiliter ſupplicari curavit, ut quo opus adeo laudabile dictæ reformationis, dante Domino, facilius

lius perfici queat, tam ſuper præmiſſis, quam aliis, etiam infraſcriptis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui nihil magis exoptamus, quam ut omnium Chriſtifidelium, & præſertim Religioſarum perſonarum reformatio noſtris potiſſimum temporibus ſuum debitum, & optatum conſequatur effectum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis prædictis, ut eorum Vicarios in ſpiritualibus Generales, aut Officiales; Provincialibus vero hujuſmodi in eorum reſpective Provinciis, ut unum, aut plures Guardianos, vel alios Fratres probos, & idoneos, qui una cum ipſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut eorum Vicariis, vel Officialibus ad executionem omnium in dictis noſtris literis contentorum procedere valeant, ſubdelegare poſſint, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, facultatem concedimus, & poteſtatem.

§. IV. Præterea quoniam aliqua Monaſteria Fratrum, & Monialium Conventualium prædictorum ſunt ſita in locis, in quibus inconveniens erit aut propter aſperitatem locorum, vel quia ſolitaria, aut adeo paucorum habitatorum ſunt, ut in illis Fratres ipſi Obſervantes habitent, vel potius eos ibi minime habitare poſſe verendum ſit ex defectu præcipue eleemoſynarum, ex quibus vivere debent, ſeu quoniam prope illa ſunt alia Monaſteria de Obſervantia, ſicque eleemoſynæ pro tempore colligendæ, pro omnibus nequaquam ſufficiant. Propterea Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Provincialibus, aliiſque per eos ſubdelegandis prædictis, quod ſibi ſuper hoc juſtum, & honeſtum eſſe videbitur, faciendi, & exſequendi, & ſi expediens eſſe cognoverint, etiam Monaſteria ſibi beneviſa invicem alterum alteri uniendi, & ut Fratres in illis Monaſteriis, in quibus eis viſum fuerit, reſidere habeant, ordinandi, ac præcipiendi facultatem pariter impertimur.

§. V. Inſuper quoniam in præinſertis literis prædictis fit mentio, quod de Fratribus illorum Ordinum, quorum nulli uſquam Conventus ſunt, qui vitam regularem obſervent, ſed omnes tantum Conventuales ſunt, quemadmodum ipſi quoque reformandi, & ad quam vivendi in communi formam ſint reducendi, aliis literis ſtatuemus. Ideo cum in dictis Hiſpaniarum Regnis nonnulli Ordines, & quamplurima Monaſteria ſimilia exsiſtant, quæ reformatione indigere noſcuntur, prout ſunt Monaſteria Tertii Ordinis S. Franciſci, in quibus degunt Fratres diſſolute, & perverse viventes, malumque exemplum, & varia ſcandala præbentes, qui ſi a ſuis non probatis Inſtitutis, & ſolito vivendi modo non removerentur, difficilius poſtea reformari poſſent. Nos pro horum Fratrum reformatione illos ad Obſervantiam fratrum dicti Ordinis S. Franciſci, per ſupradictos eiſdem modo, & forma, quibus ſunt reducendi Fratres Conventuales omnino reducendos eſſe decernimus, & declaramus. Item &c. Nos enim quodcumque ſupradictum eſt de Monaſteriis Fratrum, etiam de Monaſteriis Monialium dici, & intelligi debere volumus, atque cenſemus.

§. VI. Poſtremo cum intellexerimus, conſiſtere in Regno Navarræ quinque Monaſteria Ordinis S. Franciſci, quorum duo ſunt de Obſervantia, reliqua vero tria Fratrum Conventualium exsiſtunt, ipſumque Regnum Navarræ Regno Caſtellæ conjunctum, & unitum eſſe, magiſque conveniens, & expediens videri, ut Monaſteria hujuſmodi potius Superioribus in Regno Caſtellæ, quam in Regno Aragonum exsiſtentibus ſubjecta ſint. Ideo dicta quinque Monaſteria a Provincia Aragonum,

num, ſub qua hactenus fuerunt, harum ſerie Apoſtolica auctoritate penitus abdicantes, & totaliter ſeparantes, illa de cætero, cum omnibus eorum Fratribus, perſonis, juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis, ceteriſque ad ea quomodolibet ſpectant., & pertinen. Provinciæ Burgenſi eorumdem Fratrum S. Franciſci de Obſervantia, quæ in prædicto Regno Caſtellæ eſſe dignoſcitur, ejusque Miniſtro Provinciali nunc, & pro tempore exſiſtenti, eadem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, perpetuo ſupponimus, ac ſubjicimus, nec non illa eidem Provinciæ Burgenſi, ita ut ſub illius Miniſtri Provincialis dominio, ſuperioritate, obedientia, viſitatione, & correctione deinceps exſiſtant, & permaneant, ab eisque viſitentur, corrigantur, & gubernentur, & illis cum effectu pareant, & obediant, prout alia Monaſteria, & Fratres ipſius Provin. Burgen. in omnibus, & per omnia periude ac ſi dictæ Burgenſi, ejusque Miniſtro Provinciali, non autem Provinciæ Aragonum dudum ſubjectæ fuiſſent, in perpetuum unimus, incorporamus, & applicamus, illaque perpetuo ſuppoſita, ſubjecta, & unita, incorporata, & applicata fore, & eſſe, ſicque, & non aliter ab omnibus judicari, interpretari, & cenſeri debere decernimus.

§. VII. Mandantes Venerabilibus Fratribus Seguntin., & Conchen. Epiſcopis, quatenus ipſi &c. Et licet ambiguum ſit, Fratres Conventuales tranſeuntes ad Fratres de Obſervantia, qui ſemel profeſſionem tacitam, vel expreſſam emiſerint, dum in Conventualitate vivebant, poſtquam tranſiverint ad Fratres Obſervantes, minime ad profeſſionem jam emiſſam emittendam teneri, cum tam Conventuales, quam Obſervantes ſub eadem Regula B. Franciſci militent: Verum tamen ſi quiſquam Conventualium pro tranquillitate animi ſui voluerit denuo profeſſionem emittere, coucedimus, ut eam quando, & quoties voluerit, etiam non exſpectato profeſſionis anno, emittere poſſit, Provincialibusque prædictis per præſentes committimus, ut profeſſionem hujusmodi recipere poſſint, & valeant.

§. VIII. Volumus autem, & hortamur, ac præcipimus ipſis Fratribus de Obſervantia, ut hujusmodi Fratres Conventuales, quorum Conventus reformandos, de mandato noſtro, & Sedis Apoſtolicæ receperint, in aliis tamen Conventibus ſub Obſervantia ædificatis mittant, & eos fraterne, ac caritate pertractent, dummodo regulariter, & obſervantialiter vivant, aſſignato ſibi loco in Choro, & in proceſſionibus ſecundum tempus profeſſionis inter Conventuales emiſſæ. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, die XVI. Aprilis Anno II.

XIX.

Urget reformationem Minorum Conventualium Aſſiſii. Ex regeſto Sacretariæ Brevium. Lib. I. B. II.

Vero Fratri Philippo Epiſcopo Aſſiſiaten.

NON ſine animi noſtri perturbatione nuper intelleximus, quosdam Fratres Ord. Min. Conventualium Monaſterii S. Franciſci iſtius noſtræ Civitatis Aſſiſii, dum de illis reformandis ſermo haberetur, Dei timore poſtpoſito, penitus immemores profeſſionis, & Religionis, quam obſervare tenentur, dixiſſe, ſe nullo pacto reformationem aliquam ſubire velle,

ſed potius Genevam, hæreticorum asylum, ſe conferre ſtatuiſſe. Quare nos pro paſtoralis officii nobis divinitus injuncti ſollicitudine volentes ſuper his opportune providere, fraternitati tuæ in virtute S. Obedientiæ, per præs. committimus, & mandamus, ut conſtito de præmiſſis, ſtatim Fratres prædictos tam audaces, & improbos, & alios quoscumque quomodolibet ſuſpectos capi, & carceribus mancipari facias, & contra eos, & eorum quemlibet, per viam inquiſitionis, inveſtigationis, vel denuntiationis, ſeu querelæ, aut ex officio, omni diligentia adhibita, occaſione præmiſſorum, & aliorum quorumcumque peccatorum, exceſſuum, & delictorum, etiam nefandi criminis, de quibus illi rei culpabiles, aut ſuſpecti fuerint, inquiras, & procedas, teſtes tibi bene viſos desuper examines, & eos ad perhibendum veritati teſtimonium omnibus opportunis juris, & facti remediis cogas, & compellas, reos ipsos ſufficientibus inditiis rigoroso examini ſubjici mandes, & facias, & quidquid repereris in ſcriptis redigas, proceſſumque ſuper inde formes, & conficias, illumque in forma authentica redactum, & clauſum ad nos quantocitius tuo ſub ſigillo transmittas, & interim captos hujusmodi ſub bona fida cuſtodia teneas, ut poſtmodum, quod juſtitia mediante decreverimus, debitæ executioni contra eos demandari valeat. Præterea ex rationabilibus cauſis animum noſtrum ad hoc moventibus, præſertim ut S. Conc. Trid. decreta firmiter obſerventur, volumus, ut omnes pueros, qui in dicto Monaſterio S. Francisci exsiſtunt, & ibi habitum ejusdem Ordinis ſuſceperunt, ſi juxta decreta ejusdem Conc. Trid. XVI. annum non expleverint, eos, ablato eis habitu hujusmodi, a dicto Monaſterio educas, & expellas, & ad domos ſuorum remittas, idque quamprimum facere diligenter cures. Contradictores quoslibet, & rebelles &c. Non obſtant. præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis &c. cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Maji Anno II.

XX.

Submittit Episcopo Spoletano Monaſterium Trivii. Ibidem.

Venerabili Fratri.

Ex rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus volumus, ac tibi per præsentes in virtute S.Obedientiæ mandamus, ut ſtatim viſis præſentibus ſuſcipias curam, & gubernium Monaſterii Monialium S. Claræ Terræ Trivii tuæ Spolet Diœc., amotis, ac realiter, ac cum effectu inde expulſis Fratribus Conventualibus S. Francisci, ſub quorum cura, ac regimine dictum Monaſterium hactenus fuit, illudque per Sacerdotes idoneos, ætate provectos, morum honeſtate, & Religionis zelo præditos gubernari facias, donec aliud nos tibi dederimus in mandatis. Præterea diligenter cures, ut tam dictum Monaſterium, quam alia Monialium Monaſteria in tua Civitate, & Diœcesi conſiſtentia ſecundum regularia ſuorum Ordinum inſtituta, & decreta Conc. Trid. vivere, Monialesque ipſæ gratum Altiſſimo famulatum ſub debita Obſervantia, & Clauſura exhibere ſtudeant. Contradictores quoslibet, & rebelles per Eccleſiaſt. cenſuras &c. compescendo &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die III. Maji. An. II.

XXI.

XXI.

Committit Miniſtro Generali viſitationem Provinciæ Raguſinæ. Ibidem.

Dilecto Filio Miniſtro Generali Ordinis Minorum de Obſervantia.

MUltæ, & graves querelæ a Republica Raguſina de tuis Ordinis Fratribus in eorum Civitate degent. ad Nos nuper delatæ fuerunt. Quod ſane Nobis, ut debuit, permoleſtum accidit, animumque noſtrum magnopere perturbavit, conſiderantes, quod Civitas illa, quæ in Turcarum faucibus poſita eſt, & in qua Religioſi vitæ munditia, morum honeſtate, ac bonis operibus potiſſimum præſtare deberent, maximum ex illis ſcandalum patiatur. Quare volentes pro noſtri paſtoralis officii ſollicitudine in præmiſſis mature providere, tibi in virtute S. Obedientiæ mandamus, ut quamprimum ad Oppidum Barlettæ, ſeu aliquem alium illius litoris locum, ubi naves Raguſinas eſſe audiveris, te conferas, & ad Civitatem Raguſinam ſine mora transmittas, ibique eosdem Fratres viſites, & de eorum erroribus, & exceſſibus te diligenter informes, culpabileſque repertos juxta exceſſuum qualitatem, & gravitatem ſecundum Canonicas ſanctiones, regulariaque tui Ordinis inſtituta corrigas, punias, & caſtiges, eosque, ſi expedire videbitur, inde amoveas, & in ipſorum loco alios, qui ſciant, & velint cum verbo, tum exemplo proficere, ac ſimplici Raguſini populi conſolationi prodeſſe, illuc transferas; ſicque negotium hoc tractes, & peragas, ut ex tua diligenti cura, & ſolertia ipſi Reipublicæ ſatisfactum eſſe intelligamus.
Datum Romæ apud S. Petrum die X. Maji. An. II.

XXII.

Confirmat Archiepiſcopum S. Fidei. Ibidem.

Ad futuram rei memoriam.

ACcepimus nuper, quod alias, poſtquam Eccleſiæ S. Marthæ in partibus Indiarum Maris Oceani certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona dilecti Filii Joannis de los Barrios tunc Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Profeſſoris Apoſtolica auctoritate proviſum, ipſeque illi in Epiſcopum præfectus, ejusdemque Eccleſiæ regiminis, & adminiſtrationis poſſeſſionem adeptus fuerat, fel. re. Pius PP. IV. Prædeceſſor noſter ex certis rationabilibus cauſis tunc expreſſis Sedem Epiſcopalem S. Marthæ cum Epiſcopo S. Marthæ, & Capitulo &c. ad tunc Oppidum S. Fidei in dictis Indiarum partibus &c. tranſtulit, illamque ibi in Metropolitanam Eccleſiam &c. inſtituit; nec non oppidum ipſum S. Fidei Metropolis titulo decoravit, ipſumque Joannem Epiſcopum nuper S. Marthæ ad Eccleſiam ipſam S. Fidei ſic in Metropolitanam erectam ſimiliter tranſtulit, ipſumque illi in Archiepiſcopum præfecit, & Paſtorem &c. prout in dictis Pii Prædec. literis, in quibus per errorem ſcribentis, quod ipſe Joannes Epiſcopus in Archiepiſcopum, ut præfertur, electus, Martinus nominabatur, cum revera Joannes nominetur, & exſiſtat, expreſſum fuit, plenius continetur. Ne autem idem Joannes in Archiepiſcopum electus dict. Eccleſiarum effectu fruſtretur,

ſtretur, ſeu ab aliquibus de ipsarum literarum ſurreptionis, aut alio vitio objici poſſit, opportune providere volentes, tam ejusdem Joannis in Archiepiscopum electi, quam etiam Chariſ. in Christo filii nostri Philippi Hispan. Regis Cath., cui juspatronatus, & præsentandi Nobis, & Rom. Pontificibus, personam idoneam ad ipsam Eccleſiam S.Fidei, cum pro tempore vacat, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, pertinere dignoscitur, nobis humiliter porrectis in hac parte ſupplicationibus inclinati, eidem Joanni in Archiepiscopum electo quondam Pii Prædeceſſoris literæ hujusmodi cum omnibus, & ſingulis inde ſequutis valeant, ac ipſi, & Canonicis, & Capitulo S. Fidei prædictis ſuffragentur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi in eis quondam Joannes in Archiepiscopum electus, non Martinus, ſed Joannes nominatus fuiſſet. Et propterea literæ ipsæ de ſurreptionis &c. Sicque per quoscumque Judices, & Commiſſarios &c. Non obſtantibus &c. cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ Apud S. Petrum die XIII. Maji An. II.

XXIII.

Reformat Conventum Aſſiſii. Ibidem.

Ven. Fratri Philippo Episcopo Aſſiſiaten. Ibidem.

NUper per noſtras in forma Brevis literas tibi inter alia mandavimus, ut omnes pueros, qui in Monaſterio S. Francisci Aſſiſii exsiſtebant, & ibi habitum Ord. ejusdem S. Francisci ſusceperant, ſi juxta Con. Trid. Decreta decimum ſextum annum non expleviſſent, eos ablato ipſis habitu e dicto Monaſterio expelleres, & ad domos ſuorum remitteres, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut nuper accepimus, ab aliquibus dubitari contingat, an pro eo, quod per decretum dicti Concilii dumtaxat disponitur, quod profeſſio tam virorum, quam mulierum non fiat ante XVI. annum expletum, nec qui in minori tempore, quam per annum poſt ſusceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur, ac profeſſio antea facta ſit nulla: Tu dictis pueris, qui habitum ipsum ſolum ſusceperunt, illum auferre, & eos ex ipso Monaſterio in vim liter. noſtrarum hujusmodi expellere poſſis. Idcirco nos dubium prædictum de medio tollere volentes, auctoritate Apoſtolica ten. præs. decernimus, & declaramus, mentis, & voluntatis noſtræ fuiſſe, & eſſe, ut eisdem pueris in dictis noſtris literis expreſſis, licet decretum ipſius Concilii non de ſuscipiendo habitu, ſed de emittenda profeſſione tantum loquatur, habitum prædictum auferre, & ex eodem Monaſterio expellere, ad domosque ſuorum remittere, alias juxta dict. literarum noſtrarum formam, & tenorem, libere, & licite valeas, tibi mandantes, ut id quamprimum facere, & exſequi matures, & contra ejusdem Monaſterii Fratres quoslibet nefandi criminis reos, aut ſuspectos, & alios delinquentes in dictis literis comprehenſos, earum forma ſervata, diligenter procedas. Non obſtantibus omnibus, quæ in prædictis literis voluimus non obſtare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXII. Maji An. II.

XXIV.

XXIV.

Præficitur reformationi Clarenorum. Ibid. lib. 1. pag. 110.

Dilecto Filio F. Joanni de Stroncone Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ S. Franciſci Profeſſori.

CUM ſicut moleſte accepimus, Monaſteria, domus, & loca tam Virorum, quam Mulierum Ord. Min. de Obſervantia Prov. S. Hieronymi de Urbe, eorumque Fratres, & Moniales ab eorum regularibus inſtitutis, vitæque, quam ſibi per ipſius Ordinis traditiones præscriptam habent, munditia, & obſervantia admodum receſſerint, & in dies magis in laxiorem vivendi modum prolabantur. Nos pro univerſalis Paſtoris officio nobis divina diſponente Clementia injuncto volentes Religioſos omnes, & præſertim regulares perſonas noſtris potiſſimum temporibus intra debitos ſuæ profeſſionis fines in Religionis puritate, & ſpiritualis normæ ſinceritate contineri, & propterea eoſdem Fratres, & Moniales, prout decet, reformari, & ad ſui Ordinis Canonem, laudabiliaque præcepta feliciter reduci, atque reſtitui cupientes, quumque de perſona ad hoc munus obeundum deligenda cogitaremus, quæ integritate, prudentia, doctrina, & regularis diſciplinæ experientia præſtaret, firma ſpe freti te deſiderio huic noſtro cumulate reſponſurum; Itaque te omnium, & ſingulorum præfat. Monaſteriorum, & loca tam Fratrum, quam Sororum, & Monialium Prov. S. Hieronymi de Urbe hujuſmodi viſitatorem, correctorem, & emendatorem auctoritate Apoſtolica deputamus, tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut ad eadem Monaſterium domus, & loca te conferas, & illa, eorumque fratres, moniales, & perſonas quaſcumque tam in capite, quam in membris viſites, & ea, quæ tibi præſenti remedio indigere, & diutius differri non poſſe, aut debere cognoveris, quod arbitrio tuo permittimus, juxta Canonicas ſanctiones, & regularia dicti Ord. inſtituta ac Sacri Concilii Tridentini decreta auctoritate noſtra corrigas, reducas, & emendes; de aliis vero, quæ tibi videbuntur, omni cura, & ſollicitudine diligenter inquiras, ac de omnibus plenas, ac ſufficientes informationes quantum opus fuerit a quibuſcumque perſonis ſumere, & capere ſtudeas, nec non cuncta, quæ repereris, in ſcriptis redigas, proceſſumque deſuper formes, & facias, quem in authentica forma redactum tuo ſub ſigillo ad Nos quantocitius tranſmittere curabis, ut, eo viſo, beneque, & mature conſiderato quæ emendanda, & reformanda in illis fuerint, opportuna animadverſione adhibita, ad regularis vitæ obſervationem, adjuvante Domino, ſalubriter revocari valeaut. Super quibus omnibus, & ſingulis tibi plenam, liberam, & omnimodam per eaſdem præſentes facultatem concedimus, & poteſtatem; quodque contradictores quoslibet, & rebelles &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die I. Auguſti Anno II.

XXV.

Digitized by Google

XXV.

Approbat fundationem Cœnobii Caſtri Gonteri. Ibid. lib. I. B. II.

Dilecto Filio Nobili viro Aloyſio de Borbonio Principi Montis Penſerii.

MAgna ſane voluptate, & animi lætitia affecti ſumus, lectis nobilitatis tuæ literis, quibus nos certiores facis, quemadmodum ſingulari, & eximia tua devotione ductus, quam erga Tertium Ordinem S. Franciſci geris, religioſis ejuſdem Caſtri Gonteri, quorum Conventus bello contra iſtius Nobilis Regni Catholicos proxime geſto funditus everſus, ac dirutus fuit, omni ſublata ſpe ad eum redeundi, domum quamdam tuam ad habitandum conceſſiſti, novumque Conventum apud Caſtrum tuum Campinium Pictaven. Diœceſis pro eorum uſu ædificari curaſti. Quod quidem tuæ præſtantis virtutis, & Catholicæ Religionis opus non potuimus non vehementer etiam, atque etiam in Domino commendare, omnipotentique Deo immortales gratias egimus, quod te talem tamque excelſæ ſtirpis virum præclaris hiſce veræ fidei, ac pietatis exemplis tamquam hæreditariis laudibus inſignem Nobis incolumem conſervavit, eumque ut ad ſuæ S. Catholicæque Eccleſiæ exaltationem pro ineffabili ſua bonitate Te quam diutiſſime tueri dignetur, ſuppliciter exoramus. Præterea tuis honeſtis votis benigne annuentes exſtructionem, & fundationem Conventus hujuſmodi per te factam Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ipſumque Conventum titulo, & denominatione B. M. ſemper Virginis Bonæ Spei decoramus, & inſignimus; ſicque deinceps perpetuis futuris temporibus ab omnibus vocari, & denominari decernimus. Et inſuper, ut ad ejuſdem Conventus Eccleſiam poſtquam conſecrata fuerit, Chriſtifideles frequentius, ac devotius confluant, quo exinde ſpiritualia dona uberius ſe conſequi poſſe cognoverint, de omnipotenti Dei miſericordia, BB. Petri, ac Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictam Eccleſiam ſingulis annis ad quinquennium proxime futurum in Aſſumptionis, & Annuntiationis ejuſdem B. Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ feſtivitatibus, incipiendo a proxime futura Aſſumptionis feſtivitate a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis feſtivitatum hujuſmodi devote viſitaverint, & ibi pro pace Deum oraverint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis, ſeu quomodolibet ab eis debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus quo ad Indulgentiam hujuſmodi poſt dictum quinquennium minime valituris. Quod autem, ſicut a nobis petiiſti, plenariam Indulgentiam non conceſſimus, nobilitatem tuam ſcire volumus, ſtatuiſſe nos ipſas plenarias Indulgentias, niſi ex cauſis publicis non concedere, & ſi cuique alteri hac in re gratificati fuiſſemus, te petente proculdubio id libenter dediſſemus. Quemadmodum cæteris ſimilibus in occaſionibus, quæ ſeſe dabunt, propenſiſſimam noſtram erga Te, eumdemque Conventum voluntatem ſemper facile cognoſcere poteris.

Datum Romæ apud S. Petrum die VII. Junii Anno II.

XXVI.

XXVI.

Ut reformet Amadeos. Ibid. lib. 1. pag. 106.

Dilecto Filio Paulo Ariguccio de Florentia Ordinis Minorum Obſervantium Profeſſori Provinciæ Tuſciæ quoad Reformatos Cuſtodi.

CUM, ſicut moleſte accepimus, Monaſteria, domus, & loca tam virorum, quam mulierum Ord. Minorum de Obſervantia S. Petri in Monte Aureo &c. *Sequitur ut pag. 445., ubi tamen menſem corrige*: die III. Julii.

Datum Romæ apud S. Petrum die I. Auguſti Anno II.

XXVII.

Commendat Senatui Raguſino Bonaventuram de Urceis Novis. Ibid. pag. 92.

Dilectis Filiis Rectori, & Conſilio Reipublicæ Raguſinæ.

CUM nos pro eximia, paternaque erga vos charitate, ac benevolentia in omnibus, quæ cum Deo poſſumus, libenter gratificari cupiamus, idque ſemper vobis reipſa oſtendere parati ſimus, mittimus ad vos dilectum filium Fratrem Bonaventuram de Urceis Novis Ord. Min. de Obſervantia Prov. Brixien. profeſſionem, vitæ integritate, religione, doctrina, morumque honeſtate prædirum, quem veſtræ Provinciæ Raguſinæ Miniſtrum Provincialem ad triennium juxta morem dicti Ordinis per alias noſtras literas conſtituimus, & deputavimus; eis ſex alios Fratres probos, boni que operis exemplo informatos, atque ad regendum idoneos, ut ſecum ducat, mandavimus, quos in Guardiauos, ſeu ad alia officia exercenda iſtis Monaſteriis præficere poſſit, cæteraque agat, & ordinet, quæ ad ſpiritualem veſtram conſolationem, & ſatisfactionem pertinere, vobiſque pro iſtius Provinciæ, & Fratrum in ea degentium regulari Obſervantia, debitaque reformatione grata, & jucunda eſſe cognoverit. Cæterum, quia facile evenire poterit, ut in corrigendis, comprimendiſque aliquibus improbis, & ſeditioſis fratribus, qui plerumque diverſos fautores habere ſolent, is veſtra ope, & auctoritate indigeat, devotiones veſtras hortamur in Domino, & ex animo requirimus, ut quotieſcumque idem Frater Bonaventura Provincialis favorem, auxiliumque veſtrum implorabit, pro veſtra ſingulari pietate, atque ſolita erga nos, Sanctamque hanc Sedem, obſervantia, ei præſto adeſſe, & in iis, quæ neceſſaria, & opportuna fuerint, prompte, ac benigne favere, ipſumque ad exſequendam eamdem reformationem pro virili veſtra juvare velitis, quod etſi vos pro præſtanti veſtra probitate, & Catholicæ Religionis cultu facturos eſſe confidimus, tamen quoniam id omnipotenti Deo, & Nobis quoque erit gratiſſimum, ut diligenter faciatis etiam, atque a vobis petimus.

Datum Romæ apud S. Petrnm die V. Auguſti Anno II.

XXVIII.

XXVIII.

Inſtituitur Miniſter Viſitator Provinciæ Raguſinæ. Ibidem pag. 143.

Dilecto Filio Bonaventuræ de Urceis Novis.

CUM nihil ſit, quod magis animum noſtrum continue ſollicitet, quam ut religioſa loca, regulareſque perſonæ in eis pro tempore degentes ad Dei omnipotentis laudem, & gloriam, Chriſtifideliumque ſpiritualem ædificationem recte, ac ſalubriter regantur, feliciaque in Domino ſuſcipiant incrementa. Idcirco de tua probitate, doctrina, morum honeſtate, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi Te Miniſtrum Provincialem Provinciæ Raguſinæ Ordinis Fr. Minorum de Obſervantia, & illius Monaſteriorum, locorum, jurium, & pertinentiarum quarumcumque ſecundum morem dicti Ordinis cum auctoritate, juriſdictione, facultatibus, præeminentiis, honoribus, & oneribus &c. ſolitis, & aliis, quæ cæteri Provinciales Miniſtri agere, & facere conſueverunt, ad triennium Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium creamus, conſtituimus, & deputamus, dantes tibi liberam facultatem, & poteſtatem ſex ejuſdem Ordinis fratres probos, & ad Guardianatus, ſeu alia officia exercenda idoneos tibi beneviſos ex quacumque Provincia Ciſmontana ejuſdem Ordinis ſumendi, idque in virtute S. Obedientiæ quibuſvis illarum Superioribus Auctoritate noſtra præcipiendi, & quæ circa hoc mandaveris exsequi faciendi, nec non eos ad Prov. Raguſinam hujuſmodi tecum ducendi, & illius Monaſteriis in Guardianos, ſeu alios Officiales arbitrio tuo præficiendi, Monaſteriaque ipſa, & eorum fratres, & perſonas, quos reformatione indigere cognoveris, tam in capite, quam in membris viſitandi, ac reformandi, ad debitamque regularis Obſervantiæ normam reducendi, nec non quoſcumque dictæ Provinciæ Raguſinæ fratres, & incorrigibiles tibi videbitur, ac Reipublicæ Raguſinæ minime gratos, ex quorum malis operibus ſcandalum devenerit tam ex officio tuo, quam eadem Republica petente, & inſtante non modo juxta canonicas ſanctiones, & regularia dicti Ordinis inſtituta pro eorum exceſſibus, & delictorum qualitate caſtigandi, & puniendi, ſed etiam ex dictis Monaſteriis extrahendi, & in Italia ad alia Ordinis hujusmodi Monaſteria, ſeu etiam ad Triremes, ſi eorum cauſa id exegerit, deſtinandi, aliaque gerendi, mandandi, & exſequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea pro tui Provincialis officii exſecutione, dictæque Provinciæ Raguſinæ reformatione neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna. Mandantes, & diſtricte præcipientes quibuſcumque fratribus, & perſonis utriuſque ſexus in dicta Prov. Raguſina exſiſten. &c., ut tibi tamquam eorum Miniſtro Provinciali &c. obediant, & obſequantur. Præterea ejuſdem Provinciæ Raguſinæ quieti, felicique directioni, quoad poſſumus, conſulere volentes omnia, & ſingula ſtatuta, & ordinationes per dilectum Filium modernum Miniſtrum Generalem ejusdem Ordinis, ad regularem Obſervantiam in ipſa Provincia Ruguſina conſervandam, ejuſque reformationem tendentia nuper facta, & edita auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus &c., & inviolabiter obſervari debere decernimus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die V. Auguſti Anno II.

XXIX.

XXIX.

Confirmat ſeparationem Conventuum Provinciæ Aragoniæ. Ibidem pag. 168.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM alias nos, quibus pro parte Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſp. Reg. Cath. expoſitum fuerat, in Regno Navarræ quinque Monaſteria Fratrum de Obſervantia, & Conventualium Ord. S. Franciſci, & ſub Provinciæ Aragonum, & ipſius Prov. Provincialis obedientia, viſitatione, & correctione conſiſtere, illa a dicta Prov. Aragonum, illiuſque Provinciali, & aliis Superioribus abdicaverimus, & ſeparaverimus, ac Provinciæ Burgenſi Ordinis hujuſmodi, ac illius Provinciali ſub certis modo, & forma tunc expreſſis ſubjecerimus, & ſuppoſuerimus, & alia fecerimus, prout in literis noſtris deſuper in forma Brevis expeditis plenius continetur. Cumque idem Philippus Rex nobis exponi fecerit, in prædicto Regno Navarræ ultra dicta quinque Monaſteria nonnulla alia tam virorum, quam mulierum Monaſteria Ordinis præfati conſiſtere, ipſeque cupiat pro illorum regularis vitæ perfectione dicta omnia Monaſteria Ordinis hujuſmodi in ipſo Regno Navarræ tam virorum, quam mulierum conſiſtentia a Provincia prædicta Aragonum, & illius Provinciali per nos ſeparari, & abdicari, ac illa omnia Provinciis Burgen. & Cantabrien. reſpective ſubjici, & ſupponi. Quare idem Philippus Rex nobis deſuper humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune povidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Philippi Regis votis benigne inclinati omnia, & ſingula monaſteria Fratrum, & Monialium Ord. prædicti in Regno Navarræ, & ſub Provincia Aragonum, ipſiuſque Provinciali exſiſtenti ipſorum omnium Monaſteriorum qualitates, ſituationes, denominationes, vocabula, & quantitatem præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes cum omnibus illorum Fratribus, Monialibus, ac aliis prædictis ab ipſa Provincia Aragonum ſeparamus, & abdicamus, ac Provinciæ Burgen. & Cantabrien. hujuſmodi, illorumque Provincialibus nunc, & pro tempore exſiſtentibus juxta diſtributionem, & ordinem per perſonam, ſeu perſonas a prædicto Philippo Rege nominandam, ſeu nominandas faciendam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo ſupponimus, & ſubjicimus, ac illa perpetuo ſuppoſita, & ſubjecta fore, & eſſe eiſdem Prov. Burgenſi & Cantabrienſi juxta ordinationem, & diſtributionem faciendam præſcriptam, ita ut ſub ipſarum Prov. Burgenſis, & Cantabricenſis, illorumque Provincialium, & Superiorum obedientia, viſitatione, & correctione deinceps perpetuo exſiſtant, & permaneant, ac ab eiſdem reſpective viſitentur, gubernentur, regantur, & illis cum effectu pareant, & obediant, prout alia Monaſteria, & Fratres, & Moniales Provinciarum Burgenſis & Cantabrienſis hujuſmodi in omnibus, & per omnia, volumus, ordinamus, & mandamus, & quatenus poſſeſſio aliorum Monaſteriorum hujuſmodi ultra quinque Monaſteria alias a dicta Provincia Aragoniæ, ut præfertur, abdicata, & ſeparata per Provincialem dictæ Provinciæ Burgenſis vigore literarum Apoſtolicarum, aut alias capta, & apprehenſa fuerint, illam per præſentes confirmamus, & approbamus, validamque eſſe decernimus in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi de hoc in dictis

noſtris literis ſpecialis, & expreſſa mentio facta fuiſſet; quod ſi poſſeſſio hujuſmodi adhuc capta non fuerit ejuſdem Provincialibus dictarum Provinciarum Burgenſis, & Cantabrienſis, ut per ſe, vel per alium, ſeu alios realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem Monaſteriorum hujuſmodi eiſdem Provinciis Burgenſi, & Cantabrienſi reſpective aſſignandorum capere, & apprehendere, & penes ipſas Provincias Burgenſem, & Cantabrienſem perpetuo retinere poſſint, & valeant, facultatem, & auctoritatem damus, concedimus, & elargimur. Et ſic, & non aliter per quoſcumque Judices &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Auguſti An. II.

XXX.

Confirmat eamdem ſeparationem. Ibidem pag. 158.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM Nos alias ad ſupplicationem Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici omnia Monaſteria tam Virorum, quam Mulierum Ordinis S. Franciſci tam de Obſervantia, quam Conventualium in Regno Navarræ conſiſtentia a Provincia Aragonum, &c. abdicaverimus, illaque Prov. Burgenſi Ordinis hujuſmodi applicaverimus, & appropriaverimus, ac alia fecerimus, & ſtatuerimus, prout in noſtris literis deſuper in forma Brevis confectis plenius continetur, & ſicut dictus Philippus Rex nobis nuper exponi fecit in Regno Navarræ conſiſtere nonnulla alia Monaſteria diverſorum aliorum Ord. tam Virorum, quam Mulierum regularia, habentia eorum Superiores extra ipſum Regnum Navarræ, non tamen Ord. Prædicatorum, & propterea ultimo dicta Monaſteria, Fratreſque, & Moniales in ipſis degentes circa eorum vivendi modum regularem non modicum detrimentum patiantur, Regnumque Navarræ hujuſmodi ſit propinquum, & unitum Regnis Caſtellæ &c. Nos in præmiſſis conſulere volentes, prædicta Monaſteria, non tamen Ordinis Prædicatorum &c. Superioribus Regni Caſtellæ ſupponimus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Auguſti Anno II.

XXXI.

Eligit Commiſſarium Generalem Familiæ Ultramontanæ. Ibidem pag. 179.

Dilecto filio Fratri Antonio Fratri Ord. Min. de Obſervantia nuncupat. Provinciæ S. Ludovici S. Teologiæ Profeſſori.

CUM propter Ordinis Fr. Min. de Obſervantia per omnes orbis partes dilatationem ſingulari ſubſidio uti neceſſe eſſet ad ipſius regimen, viſitationem, & manutentionem; & quia difficile erat per ſolam Generalis Miniſtri perſonam moderari tot intercapedines locorum; idcirco ut commodius, & utilius ad communem creditarum ſibi perſonarum utilitatem idem Generalis Miniſter proprio fungi poſſit officio, felicis recordationis Leo PP. X. in eis literis, quæ Bulla unionis dicuntur, ne Ordo ipſe ob hujuſmodi per univerſam Chriſtianitatem amplitudinem debito Paſto-

paſtoralis regiminis careret beneficio, ordinavit videlicet, quod ſi Miniſter Generalis de Ciſmontanis partibus electus fuiſſet, inſtitueret in partibus Ultramontanis unum Generalem Commiſſarium ab eiſdem Ultramontanis Fratribus eligendum, cui Miniſter Generalis ſuper præfatos Fratres Ultramontanos vices ſuas committeret, prout in Capitulo Generali expedire videretur, hac tamen lege, quod dictus Commiſſarius præfato Miniſtro Generali omnimode ſubjaceret, prout cæteri dicti Ord. Prælati ſubjiciuntur, ac illi in omnibus, & per omnia ſecundum Regulam obedire teneretur, qui quidem Commiſſarius Generalis per triennium ſolum Generalis commiſſionis fungeretur officio, prout in dictis literis plenius dicitur contineri. Sed quia dilectus filius Franciſcus Guſmanius, qui hujuſmodi officium inpreſentiarum utiliter in dictis Ultramontanis partibus exſeqnitur, dictum triennium hinc ad paucos menſes terminabit, quo functo, ſtatim vacabit ejus officium, & ad alterius Generalis Commiſſarii electionem præſcripto modo eligendi neceſſe eſſet procedere, idque cum ex rationabilibus causis nobis notis fieri nequeat, præcipue quia comitia in dictis Ultramontanis partibus, ubi præfici eum oportet, propter tumultus ab hæreticis tum in Gallia, tum in Germania, ac Flandria excitatos celebrari non poſſint, eo quod non ſit tutum Vocalibus, ad quos devolvitur electio, ad illa accedere, quin ipſi præcipue Galli, Germani, & Iberi, & per diverſas universæ Hiſpaniæ Provincias diſperſi Vocales proteſtaverint, ſe nullo modo cum tot expenſis, & vitæ periculis velle dictis intermediis comitiis, in quibus præfata Commiſſarii ſubſtitutio fieri oportet, intereſſe. Quare cum dictus modernus Miniſter Generalis iſtam proviſionem per ſeipſum efficere nou poſſit, pro parte illius nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, ac eiſdem Ultramontanis partibus conſulere de Apoſtolica auctoritate dignaremur. Quapropter nos in præmiſſis quantum cum Domino poſſumus de optimo remedio celeri manu providere, & dictarum Ultramontanarum partium quieti, integritati, & decori conſulere volentes, attendenteſque, conveniens fore, ut per nos ipſos suppleamus ea, quæ per subditos noſtros minime fieri poſſunt, hujusmodi supplicationibus inclinati de tui potiſſimum fide, zelo, prudentia, doctrina, & rectitudine ſpecialem in Domiuo fiduciam habentes, ſperantesque, quod Tu per tuæ ſollicitudinis ſtudium, hujuſmodique Generalis Commiſſariatus officium fructuoſos palmites plantare totis viribus conaberis, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia te earumdem partium Ultramontanarum Generalem Commiſſarium auctoritate Apoſtolica tenore præſentium per triennium juxta dictarum literarum Leonis tenorem conſtituimus, & deputamus, cum eiſdem facultatibus, quibus alii Commiſſarii, tenore præſatarum Litterarum Leonis, uti conſueverunt, hac tamen lege, ut durante dicto officio non modo ſis præfato Generali Miniſtro ſubjectus in omnibus, ſed ut illud exſequi minime valeas, quouſque modernus Commiſſarius ſuum compleverit triennium. Mandantes tibi in virtute S. Obedientiæ, & ſub noſtræ indignationis pœna, ut dictum Generalis Commiſſariatus officium ſuſcipias &c. Et ſecundum gratiam tibi a Domino factam exſeqnaris cum omnibus gratiis &c.; & ut id melius exſequi valeas, præcipimus univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis tibi per dictum Commiſſariatus in dictis Ultramontanis partibus officium ſubjectis in virtute S. Obedientiæ &c. ut tibi in omnibus ad tuam Generalem Commiſſionem ſpectantibus, & aliis &c. pareant

reant cum effectu, nec tibi in aliquo, quovis modo, contradicere, aut refragari audeant, vel præſumant. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVII. Septembris Anno II.

XXXII.

Indicit Capitulum Generale Conventualium. Ibid. pag. 205.

Ven. Fratri Felici Epiſcopo Sanctæ Agathæ.

CUpientes pro noſtra Paſtorali cura, ut Generale Capitulum tui Ordinis Fr. Min. Conventualium, quod, ſicut accepimus, ſingulis trienniis in feſto Pentecoſtes celebrari conſuevit, in feſto Pentecoſtes proxime futuro, in quo triennium a Capitulo præcedenti elapſum erit, ur moris eſt, celebretur; tibi, qui Vicarius Generalis dicti Ord. per nos deputatus exſiſtis, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus in virtute S. Obedientiæ ipſum Capitulum in dicto feſto Pentecoſtes proxime futuro an. Domini MDLXVIII. in Alma Urbe noſtra, vel alibi, ſi neceſſitas aliqua ingruerit, celebrandum indicere, illudque intimare, ac convocandos convocare, & omnino ipſi Capitulo præſidere, ac ſervata forma in Conc. Tridenr. edita omnia, quæ pro reformatione dicti tui Ordinis, illiusque perſonarum fieri debere conſuluerls, & judicaveris, licite facere, & exſequi procures; ſuper quo plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tibi concedimus facultatem. Confirmationem tamen electionis Generalis dicti Ordinis nobis, & ſucceſſoribus noſtris, prout hactenus ſervatum fuit, reſervamus. Non obſtantibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Septembris Anno II.

XXXIII.

Præſcribit modum reformationis Clauſtralium in Hiſpania. Ibid. pag. 271.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM circa ea, quæ a nobis emanarunt, aliquid dubii oriri contigerit, ut illud quamprimum de medio tollatur noſtræ declarationis oraculo providere ſatagimus. Itaque cum nuper, ſupplicante Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniæ Rege Catholico, per alias noſtras in forma Brevis literas inter alia decreverimus, quod omnes, & ſinguli Fratres, & Moniales Tertii Ord. S. Franciſci in Hiſpan. Regnis conſiſtentes sub certis modo, & forma tunc expreſſis ad regularem obſervantiam Fratrum Regularis Obſervantiæ ejuſdem S. Franciſci reducerentur. Cumque, ſicut idem Philippus Rex nobis nuper exponi fecit, a nonnullis verſetur in dubium quomodo, & qualiter Fratres, & Moniales Tertii Ord. prædicti reducendi vivere, & quo habitu incedere, & ſub quibus Superioribus permanere debeanr. Nos igitur omnem in præmiſſis dubitaudi materiam ſubmovere volentes, ac ſingularum literarum præteritarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, dicti Philippi Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulos Fratres, & Moniales Tertii Ord. S. Franciſci in præfatis Regnis conſiſtentes, qui tria vota ſubſtantialia emiſerunr, ad Regularem Obſervantiam Fratrum, & Monialium Reg. Obſervantiæ ejusdem S. Franciſci redu-

reduci, & eiſdem modo, & forma, quibus prædicti Fratres, & Moniales Reg. Obſervantiæ vivunt, vivere, ac eiſdem, & ſimilibus veſtimentis, & calceamentis, quibus iidem Fratres, & Moniales Reg. Obſervantiæ utuntur, uti, ac ſub obedientia, correctione, viſitatione, ſuperioritate, & dominio Provincialium, & Generalis totius Ord. S. Franciſci Reg. Obſervantiæ perpetuo permanere debere, & ad id teneri, & obligatos exsiſtere, ac ad præmiſſorum obſervationem alios juxta dictas noſtras literas omnino capi, & compelli poſſe, & debere, auctoritate Apoſtolica per præſentes declaramus. Alios vero utriuſque ſexus dicti Tertii Ordinis, qui tria vota ſubſtantialia non emiſerunt, eos prout hactenus vixerunt, & permanſerunt, ita tamen, ut ſub viſitatione, correctione, ſuperioritate, & obedientia dictorum Provincialium, & Generalis Fr. de Obſervantia hujuſmodi degere, eiſque in omnibus ſubjecti, & ſuppoſiti eſſe debeant, & de cætero vivere, & permanere poſſint. Sicque per quoſcumque in dictis noſtris literis deputatos judices, & commiſſarios &c. non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XX. Septembris Anno II.

XXXIV.

Ratam habet conſtructionem Cœnobii Caſalenſis. Ex Archivo Civitatis Caſalis.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini univerſalis Eccleſiæ &c. Sane Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum Domus Sanctæ Mariæ Angelorum extra muros Caſalen. Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia petitio continebat: Quod alias de Anno Domini 1558. ipſi Guardianus, & Fratres omnem operam, & ſtudium, eorum domo, occaſione bellorum, quæ in illis partibus viguerant, diruta, adhibuiſſent, ut locum in Civitate Caſalenſi, in quo ſecundum eorum regulam, Deo, & Altari ſervire, & miniſtrare poſſent, invenirent, & inter alia per eos reperta loca Præceptoriæ Eccleſiæ Sancti Antonii, dictæ Civitatis ejuſdem Sancti Antonii, ſeu alterius Ordinis cum illius domibus adjacentibus, & horto, ac ſedimine viſa fuiſſet magis idonea. Et propterea dicti Guardianus, & Fratres inſtitiſſent, & etiam impetraſſent a quondam Antonio Montilio, dum viveret, dictæ Præpoſituræ Præpoſito, commoditate loci, & Eccleſiæ hujſmodi ſub tunc exſiſtentis Romani Pontificis beneplacito, & eodem Antonio vita functo, dictaque Præpoſitura per illius obitum vacante Dilecto Filio Ludovico de Fortis presbytero Ferrarienſi collata fuiſſet. Idem Ludovicus cum auctoritate Pontificia, & conſenſu bonæ memoriæ Scipionis, dum viveret, Epiſcopi Caſalenſis volens quantum poterat morem gerere ipſis Fratribus, quos a Præceptoria, & illius locis præfatis ejicere, & removere turpe nimis videbatur, ſalvo & ſuper hoc ejuſdem pro tempore exſiſtentis Romani Pontificis beneplacito, & non aliter, nec alio modo dictis Guardiano, & Fratribus, ſeu eorum Procuratori jus, & facultatem nomine ipſius Præceptoriæ, ſeu illius Eccleſiæ Præceptoris tunc, & pro tempore exſiſtentis celebrandi, & dicendi Miſſas, & alias horas Canonicas, & Divina officia in dicta Præceptoria, ſeu illius Eccleſia dedit, & conceſſit. Ita quod numerus Miſſarum, qui inibi ſecundum illius fundationem, vel conſuetudinem, cele-

celebrari debebat, eſſet, & intelligeretur dicto nomine, aliæ autem Miſſæ, ac Divina officia, & horæ Canonicæ eſſent a dicta obligatione liberæ perinde ac ſi in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ celebrareutur, Idemque Ludovicus ſimiliter illis facultatem conceſſit, & auctoritatem habitandi, & ædificandi in domo, & ſedimine proximis ejuſdem Præceptoriæ, ſeu illius Eccleſiæ, ac ædificandi, augendi, reſtaurandi, & reformandi ipſam Præceptoriam ad cultus Divini honorem, & augmentum, prout eis placeret, mediantibus tamen infraſcriptis, videlicet, quod ipſi Guardianus, & Fratres ſemper, & in perpetuum tenerentur quoſvis Præceptores dictæ Præceptoriæ, ſeu illius Eccleſiæ in Dominos, & Patronos ejuſdem Eccleſiæ, ac Domorum, & ſediminis hujuſmodi recognoſcere, & pro talibus habere, & eamdem Præceptoriam, ſeu illius Eccleſiam ornatam tenere ſub dicto vocabulo, & Titulo Sancti Antonii, ac dictas Miſſas tam de conſuetudine, quam ex fundatione, & inſtitutione hujuſmodi debitas celebrare, nec non quoſcumque quæſtuarios ſub vocabulo Sancti Antonii ad dictam Civitatem pro quæſtua facenda venientes in ejuſdem Præceptoriæ, vel alia ipſorum Fratrum domo hoſpitari, donec duraret tempus dictæ quæſtuæ, & ſimiliter ſtabulum idoneum pro cuſtodia porcorum dicti Præceptoris, qui ſecundum morem tenebantur, & errabant per Civitatem, conſtructum habere, in quo dicti porci ſe recipere poſſent, ipſique Fratres tenerentur oblationes præfatas recipere & renovare verſus dictos Præceptores, qui pro tempore de novo crearentur; Ac præterea idem Ludovicus permutationis titulo dederit, conceſſerit, & tradiderit Fratribus, & illorum Monaſterio, ſeu Procuratori hujuſmodi viridarium, ſeu hortum Præceptoriæ, ſeu illius Eccleſiæ præfatæ ſtariorum trium, & quantum erat menſuram, ſitum in dicta Civitate prope dictam Eccleſiam, ſeu Domum Sancti Antonii hujuſmodi juxta ſuos tunc expreſſos confines: ipſi vero Fratres, ſeu eorum Procurator præfatus nomine dicti Monaſterii loco, & in recompenſam viridarii, & horti hujuſmodi promiſerunt tradere, & dare eidem Ludovico tantum de prato, & ſedimine eorum Monaſterii Sanctæ Mariæ præfati, ex quo ipſe Ludovicus percipere poſſet redditus, ſeu proventus, ac fructus annuos duorum ſcutorum auri ſolidi cum dimidio ſimilis ſcuti, quanti olim locabatur, & locari poterat dictum viridarium, & quæ quantitas prati, & ſediminis caperetur ſecundum deſignationem, & extimationem faciendam per duos tunc olim electos Agrimenſores Caſalenſes extimatores, ac aliis cum pactis, promiſſionibus, ceſſionibus & obligationibus, nec non aliis tunc expreſſis datis: quodque dictus Scipio Epiſcopus adhibita opportuna cauſæ cognitione, & cognoſcens ex tali contractu honorem cultus Divini in eadem Civitate, & ſervitium Præceptoriæ, ſeu illius Eccleſiæ præfatæ augeri, & in ejus utilitatem cedere: conventiones ut ſupra factas, & quod ipſi Fratres maxime poſt acquiſitionem novi Monaſterii, quam fecerant juxta Præceptoriam, ſeu illius Eccleſiam hujuſmodi non poſſent ſine ſcandalo removeri a prædicta Præceptoria, ſeu illius Eccleſia, domo, ſedimine, & viridario hujuſmodi, ordinariam eius interpoſuerit auctoritatem pariter, & decretum, & ſucceſſive quod de anno ejuſdem Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto proxime præterito, ipſi Fratres, ſeu eorum Guardianus, & Vicarius ſuo, & aliorum nomine dixerint, & proteſtati fuerint verſus dilectum filium Carolum etiam Montilium dicti Ludovici in eadem Præceptoria, ſeu illius Eccleſia Succeſſorem, ſe, & dictos Fratres tenere, & poſſidere Eccleſiam, domum,

& vi-

& viridarium Præceptoriæ hujuſmodi nomine ejuſdem Caroli, illumque in Dominum, & Patronum præmiſſorum recognoverunt, tamquam de bonis, & pertinentiis ſpectantibus ad eamdem Præceptoriam, ſeu illius Eccleſiam; præfatus vero Carolus volens ipsos Fratres, & eorum Monaſterium præfatum pro dicta recognitione gratificare titulo, & ex cauſſa meræ, puræ, ſimplicis, & irrevocabilis donationis &c. donavit Fratribus, & eorum Monaſterio ſcuta sex annua perſolvi ſolita Præceptoriæ præfatæ, seu illius Præceptoribus pro tempore exſiſtentibus per ipsos Fratres, & eorum Monaſterium præfatum in perpetuum, & tam pro omni, & quocumque tempore præterito, quam etiam pro futuro, ita ut præfati Fratres, & eorum Monaſterium liberi omniuo, & exempti, & immunes remanerent a præfata solutione ſcutorum sex, tamen appoſito, & inter ipſas partes convento, quod ipſi Fratres, & Monaſterium hujuſmodi tenerentur, & deberent tradere, & dare, prout tunc tradiderunt, & dederunt eidem Carolo Capellam magnam Præceptoriæ, seu illus Eccleſiæ præfatæ, & illam intitulare Capellam Dominorum de Montilio, ita quod ex tunc, & in futurum, ac in perpetuum Capella præfata eſſet, & eſſe deberet ipſorum Dominorum de Montilio deſcendentium a ſtipite quondam Caroli ipſius Caroli Præceptoris Prioris ita, ut Domini de Montilio in Capella præfata conſtrui facere poſſent monumenta pro eorum cadaveribus sepeliendis, prout eis videretur, & placeret, & alios prout inſtrumentis deſuper ſimul, vel ſucceſſive confectis plenius dicitur contineri: Quare pro parte tam Guardiani, & Fratrum, quam Ludovici & Caroli prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus præmiſſis omnibus, & ſingulis pro illorum subſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliiſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum, & præſertim Virorum Domino famulantium piis votis libenter annuimus, Guardianum, & Fratres, ac Ludovicum, & Carolum præfatos, & eorum ſingulos a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon veriores inſtrumentorum præfatorum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati ſingulas conceſſiones, remiſſiones, donationes, capitula, pacta, & conventiones, ac prout illa concernunt, omnia, & ſingula in Inſtrumentis, & aliis Scripturis deſuper quomodolibet confectis contenta, ac inde ſequuta quæcumque, licita tamen, & honeſta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo confirmamus, ac Guardianum, & Fratres præfatos nullo unquam tempore a dicto loco amoveri, &c. Ac ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIX. Octobris An. II.

XXXV.

Mittitur Viſitator in Galliam, Belgium &c. Ex regeſto Secretariæ Brevium lib. I. pag. 291.

Dilecto filio Angelo Averſano Ord. Min. de Obſervantia Profeſſori.

CUM ſicut accepimus, dilectus filius Frater Aloyſius Puteus Ordinis Min. Miniſter Generalis Te in Provinciis Galliæ Belgicæ, Inferio-

rioris Germaniæ, & Flandriæ, ac S. Andreæ ad eas ſuo nomine viſitandas Commiſſarium per ſuas patentes literas conſtituerit, & deputaverit, facultatem ad hoc neceſſariam, & opportunam tibi attribuendo, prout in dictis patentalibus literis plenius dicitur contineri; nos, ut officium Commiſſarii hujuſmodi eo liberius, & facilius exſequi poſſis, quo noſtra fueris quoque auctoritate munitus, dictam deputationem confirmantes, tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut ad dictas Provincias cum uno, vel pluribus ſociis tibi beneviſis te conferas, necnon quæcumque Monaſteria, ſeu Domos Fratrum, & Monialium dicti Ordinis in ipſis Provinciis exſiſten. tam in capite, quam in membris viſites, necnon eadem Monaſteria, & eorum perſonas, ubi expediens fuerit, inter dicti Ordinis ſtatuta, & Conc. Trid. decreta reformes, corrigas, emendes, eamdem enim tibi auctoritatem, & facultatem tam in celebrandis Capitulis, indicendis ante diem ſtatutam, differendiſve in aliud tempus, quam in cæteris omnibus, quæ ad mores, & Religionis obſervantiam, ac reformandum pertinent, quam dictus Miniſter Generalis haberet, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi ipſe Generalis præſens adeſſet, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus. Mandantes univerſis, & ſingulis Ven. Fratribus in dictis Provinciis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiæ Prælatis in quacumque dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, quatenus tibi Commiſſario noſtro ad præmiſſa exſequenda auxilium, & favorem opportunum exhibeant. Diſtrictius vero inhibentes Provincialibus, Guardianis, & Fratribus Provinciarum hujusmodi, & earum Conventuum, eisque mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis &c. ut tibi tamquam dicti Miniſtri Generalis, ac Commiſſario noſtro efficaciter in omnibus tuum officium concernentibus pareant, & intendant, hortantes nihilominus quoſcumque Dominos temporales, ut quoties a te requiſiti fuerint, etiam brachii ſæcularis auxilio tibi in præmiſſis exſequendis aſſiſtant, quo dictæ Provinciæ valeant ſalubriter dirigi, & feliciter gubernari. Non obſtantibus &c. Quibus omnibus, & eorum tenores &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII. Octobris Anno II.

XXXVI.

Reformat Clauſtrales in Portugallia. Ex Bullario Cocquelines tom. 4. pag. 208.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. IN eminenti dignitatis Apoſtolicæ ſpecula, meritis licet imparibus divina diſpoſitione vocati, ad ea libenter intendimus, per quæ ſinguli Religionum Ordines, abuſibus, qui in eos tractu temporis diverſimode irrepſerunt, eliminatis, antiquo candori ſuo, quo Domino Auctore diu claruerunt, reſtituantur, regulariaque eorum inſtituta, ad Divinæ Majeſtatis laudem, & gloriam in poſterum ſtabiliantur, & ut id votive ſuccedat, cum nos ob negociorum, quibus aſſidue premimur, ingentem molem, ubique præſto eſſe nequea mus, nonnunquam S. R. E. Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis demandamus, prout locorum, & temporum qualitate penſata conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. II.

§. II. Accepimus sane nuper non ſine animi noſtri moleſtia, quod Fratres Ordinis S. Franciſci Conventuales nuncupati in diverſis Portugalliæ, ac Algarbiorum Regnorum Provinciis, aliiſque Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Sebaſtiani Portngalliæ, & Algarbiorum Regis Illuſtris Dominiis, Terris, & locis conſtituti a nonnullis annis citra, ſuæ profeſſionis, ſalutis, & Religionis immemores, privilegiiſque ſibi a Sede Apoſtolica gratioſe conceſſis abutentes, Deique timore poſtpoſito, tam licentioſam, inhoneſtamque vitam, & ab inſtitutis Fundatoris, & Patris sui Seraphici diſcrepantem, ac remotam ducere non verentur, ut Religioſorum nomine tantum retento, non modo Ordinem, regulaſque ſuas dedecorent, verum etiam pleriſque ex Chriſtifidelibus talia cernentibus scandalum non modicum afferant. Nos, qui tam Ordini prædicto decus, & integritatem, suique priſtini candoris reſtitutionem ſinceris zelamus affectibus, quam prædicti Sebaſtiani Regis, qui id a nobis animo, quo vere Religiosum, & Catholicum decet Priucipem, jamdudum repetivit, voluntati ſatisfacere enixe cupimus, volentes præmiſſis pro noſtri Paſtoralis Officii debito providere.

§. III. Motu proprio non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa scientia noſtris, dilecto filio noſtro Henrico tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbytero Cardiuali Infanti Portugalliæ noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Legato de latere, nec non omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiscopis, & Episcopis per Portugalliæ, & Algarbiorum Regna, aliaquæ ipſius Sebaſtiani Regis dominia conſtitutis in virtute sanctæ obedientiæ per præſentes committimus, quatenus ipſe, vel ipſorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum quilibet, quatenus in ſua Civitate, vel Diœceſi Ordinis prædicti tam Virorum, quam Mulierum Conventualium etiam Tertii Ordinis nuncupatorum, ſi tamen tria ſubſtantialia vota emittere conſueverunt, Domos, & Monaſteria habet, omni humano affectu ſepoſito, Deumque ſolum præ oculis habens Ordinis ejuſdem de Obſervantia in Regnis, & Dominiis prædictis Commiſſario Generali, ſeu Provinciæ, in qua Domus, & Monaſteria prædicta conſiſtunt, Miniſtro Provinciali, & aliquo, ſeu etiam pluribus ejuſdem Ordinis de Obſervantia Fratribus per prædictum Commiſſarium, ſeu Miniſtrum Provincialem eligendis, ſecum aſſumptis, ad ſingula in ipſorum Civitatibus, & Diœceſibus conſiſtentia Virorum, & Mulierum Conventualium etiam Tertii Ordinis hujusmodi Domos, & Monaſteria perſonaliter, ſi id commode fieri poterit, alioquin ipſorum Archiepiſcoporum Vicarii in Spiritualibus Generales, seu Officiales, aut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ per dictum Henricum nominandæ, & deputandæ, uno, ſeu pluribus Guardianis, aut aliis Fratribus a Commiſſario, vel Provinciali prædictis deputandis ſecum adjunctis, accedant, ac in Domibus, & Monaſteriis prædictis formam Conventualiter vivendi penitus, & in perpetuum auctoritate noſtra tollant, & extinguant.

§. IV. Ac perſonas in illis degentes ad eamdem vivendi formam, eademque inſtituta, etiam quoad veſtes, & calceamenta redigant, quæ utriuſque ſexus religioſi de Obſervantia vocati obſervant, ipſaſque Sorores, & Moniales Conventuales eorumdem Fratrum de Obſervantia obedientiæ, correctioni, viſitationi, curæ, regiminique committant.

§. V. Ac Conventualium hujusmodi, ſeu Tertii Ordinis Fratrum, & Sororum tria ſubſtantialia vota profeſſorum Eccleſias, ac Monaſte-

ria, ſeu Domos Religioſis Ordinis de Obſervantia per ipſos perpetuo habendas aſſignent, ac in Domos, ſeu Monaſteria hujuſmodi alios Fratres, & Moniales de Domibus, & Conventibus ipſorum Fratrum, & Monialium de Obſervantia, de ſibi aſſiſtentium Fratrum conſilio reſpective transferant, & ex ipſis Domibus de Obſervantia Guardianum, & alios Officiales ad Domos prædictas regendum, & gubernandum idoneos auctoritate prædicta deputent, atque conſtituant, ipſos vero Fratres, & Sorores, seu Moniales Conventuales, & Tertii Ordinis prædictos aliorum Fratrum de Obſervantia conſortio aggregent, atque uniant, nec non ex Domibus, quibus antea vitam Conventualem egerant, transferant in Religioſorum de Obſervantia Domos, & per illas diſtribuant, ut poſt hac ipſi de Obſervantia ſimiliter nuncupentur, & sub ejuſdem Miniſtri Generalis de Obſervantia obedientia permaneant.

§. VI. Si aliqua vero ipſorum Conventualium Monaſteria, ſeu Domus, in quibus, aut propter locorum aſperitatem, vel habitatorum paucitatem, & eleemosynarum defectum verendum ſit, ne Fratres de Obſervantia inibi vivere poſſint, conſiſtant, ea invicem, vel aliis uniant, vel ad alia commodiora loca transferant, aut ſi quod aliud ſibi ſuper præmiſſis magis neceſſarium, & opportunum viſum fuerit, ordinent, & ſtatuant.

§. VII. Cæterum ſi aliqui fuerint Fratres, aut Moniales Ordinis prædicti, qui, ſeu quia tria vota ſubſtantialia nunquam emiſerunt, nec in regulari obſervantia degerunt, eos prout hactenus vixerunt, & permanſerunt, ita tamen, ut ſub viſitatione, correctione, ſuperioritate, & obedientia dictorum Provincialium, & Generalis Fratrum de Obſervantia hujuſmodi degere, eiſque in omnibus ſubjecti, & ſuppoſiti eſſe debeant, etiam de cætero, vivere, & permanere poſſe decernimus, & declaramus, nec non Conventualibus hujuſmodi ad Obſervantiam tranſlatis, ſi eorum aliquis, pro tranquillitate animi ſui, de novo profeſſionem emittere voluerit, eam quando, & quoties voluerit, etiam probationis anno non expleto recipiant.

§. VIII. Contradictores vero, ſi qui fuerint, qui ſe ad regularis vitæ Obſervantiam reduci pertinaciter recuſaverint, eos in carceribus, donec ad cor redeant, ſub fida cuſtodia retineri faciant, ac juxta ſuorum exceſſuum, & delictorum qualitatem puniant, & ſi aliquorum delicta adeo gravia fuerint, ut ſi laici eſſent, ultimo ſupplicio puniendi forent, ad triremes eos damnent, ſi modo ætas, & vires illi labori ſint aptæ, alioquin ad perpetuos carceres, in quibus ſuorum criminum pœnas luant, relegent, alia vero ipſorum minus gravia crimina ſecundum canonicas ſanctiones, ſeu ipſorum Cardinalis, vel Archiepiſcoporum, aut Epiſcoporum, ad quem ſpectabit, & Commiſſarii, ſeu Provincialis arbitrio, de illi adjunctarum perſonarum hujuſmodi conſilio, puniant.

§. IX. Bona præterea quæcumque mobilia, & immobilia, tam quæ Domus Fratrum videlicet dumtaxat Conventualium prædictorum in communi poſſident, quam Fratrum Conventualium antea propria ex conſuetudine, vel forſan ex aliquo obreptitio, vel ſubreptitio privilegio, & diſpenſatione Apoſtolica eis obtinere conceſſa, ſive permiſſa, ſive ex eorum induſtria acquiſita, vel ex parentum ſucceſſione, aut ab aliis relicta legata, donatave ab eis, tam quoad uſum, & poſſeſſionem, quam quoad proprietatem pertinet, in perpetuum abdiceut, de Conventibus etiam Fratrum regularis Obſervantiæ uno, vel pluribu

ribu

ribus in Conventus reformandos hujuſmodi, de eodem conſilio transferant. Omnia denique, quæ ad abolendam vitam Conventualem, & vitæ Regularis Obſervantiam loco ejus introducendam, vel ad inquirendam criminum veritatem fuerint quoquo modo neceſſaria, & opportuna, agant, faciant, & exſequantur.

§. X. Dummodo tamen ipſis Fratribus, & Sororibus, Monachis, & Monialibus, qui ad alium Ordinem regularis Obſervantiæ transferri maluerint, dummodo ad regulam tranſeant arctiorem, tranſitus non interdicatur. Ipſorum vero bona prædicta, omniaque hujuſmodi Domorum, & Monaſteriorum Fratruum Conventualium redditus, de aſſiſtentium prædictarum perſonarum conſilio ita diſtribuant, ac poſtquam eiſdem Fratribus de Obſervantia in dictos Conventus introducendis, de supellectili, & omnibus aliis, ad eorum victum, divinum cultum Eccleſiarum, & domorum reparationem neceſſariis providerint, reliqua ſub ſtricto ſequeſtro penes idoneas perſonas reponantur, ſeu cuſtodiantur, donec quid nos ipſi ſuper illis decreverimus, ſeu ſtatuendum duxerimus, per noſtras literas intellexerint. Nos enim tibi &c. Decernentes &c. Non obſtantibus &c.

§. XI. Volumus autem, & hortamur Fratres de Obſervantia prædictos, eiſque in virtute S. Obedientiæ præcipimus, ut Fratres Conventuales, quos de noſtro, & Sedis Apoſtolicæ mandato reformaverint, ex eorum domibus ad ſuas recipiant, eoſque fraterne, & caritative, dummodo regulariter, & obſervantialiter vivant, tractent, ipſiſque locum in Choro, & proceſſionibus, Capitulo, & quibuſvis aliis actibus tam publicis, quam privatis ſecundum profeſſionis tempus inter Conventuales emiſſæ aſſignent.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXX. Octobris Anno II.

XXXVII.

Pro reformatione Fratrum Tertii Ordinis. Ex regeſto Secretariæ Brevium lib. 1. pag. 322.

Dilecto Filio F. Joanni de Stroncone Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ S. Franciſci Profeſſori.

CUM ſicut moleſte accepimus, Monaſteria, domus, & loca tam Virorum, quam Mulierum Congregationis Tertii Ordinis ſub habitu Eremitico conſiſtentia in Provincia Romana, Aprutina, Umbriæ, & Marchiæ Anconit., eorumque Fratres, & Moniales &c. *Sequitur ut pag.* 445.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Novembris An. II.

XXXVIII.

Pro reformatione eorumdem. Ibidem pag. 325.

Dilecto Filio Seraphino de Schio Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ S. Antonii Profeſſori.

CUM ſicut moleſte accepimus, Monaſteria, domus, & loca tam Virorum, quam Mulierum Congregationis Tertii Ordinis S. Franciſci ſub habitu Eremitico conſiſtentia in Provincia Lombardiæ, Ro-

mandiolæ, Dominii Venetiarum, Tuſciæ, & Liguriæ, eorumque Fratres, & Moniales &c. *Sequitur ut ibidem*.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Novembris Anno II.

XXXIX.

Pro reformatione eorumdem. Ibidem pag. 325.

Dilecto Filio Hieronymo de Chriſto Miniſtro Provinciali Calabriæ Ordinis Minorum de Obſervantia.

CUM ſicut moleſte accepimus, Monaſteria, domus, & loca tam Virorum, quam Mulierum Congregationis Terti Ordinis S. Franciſci ſub habitu Eremitico conſiſtentia in Provincia Calabriæ, eorumque Fratres, & Moniales &c. *Sequitur ut ibidem*.

Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Decembris Anno II.

Anno Christi 1568. Pii V. anno 3.

XL.

Conſtituitur Præſes Capituli Provinciæ Mediolanenſis. lib. I. B. II. pag. 50.

Dilecto Filio Carolo tit. S. Praxedis Presbytero Card. Borromæo nuncupat. Ordinis S. Franciſci Protectori, & Correctori.

REformationi, & augumento, ac ſalubri directioni Ordinis Fratrum S. Franciſci, prout ex paſtorali tenemur officio, favorabiliter proſpicientes, ad ea libenter intendimus, per quæ inibi laudabiles ritus, mores, & obſervantia regularis continue vigeant, ac proſperum ſuſcipiant, auxiliante Deo, incrementum. Hac igitur ratione inducti, ac ſperantes, quod ſi tu, qui ejuſdem Ordinis Protector, & Corrector exſiſtis, in Capitulo Familiæ Fr. de Obſerv. Provinciæ Mediolanenſis, & univerſæ Congregationis Provinciæ S. Petri in Monte Aureo Amadeorum nuncupatorum de proximo celebrando præſidens fueris, majori diligentia, & maturitate inibi peragenda negotia examinarentur, diſcuterentur, & concluderentur; de tuis integritate, doctrina &c. in Domino confidentes &c. Motu proprio &c. Te in Capitulo prædicto dictæ Provinciæ rebus, & negotiis ſalubriter in Domino dirigendis &c. Reformatorem, correctorem, directorem, ac interpretatorem dicta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia noſtra conſtituimus, tibique illa omnia providendi, & debitæ exſecutioni demandari faciendi; alia vero, ſi tibi videbitur, corrigendi, emendandi, reformandi, moderandi, alterandi, mutandi, interpretandi, aut ampliandi, & extendendi, nec non denuo faciendi, concedendi, edendi, & condendi, ac omnia, & ſingula &c. ac quidquid in præmiſſis feceris, decreveris, ordinaveris per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam privationis dignitatum, & officiorum per inobedientes obtentorum, ac alias etiam graviores tibi bene viſas pœnas exſecutioni debitæ

bitæ demandandi, etiam ultra ea, quæ nomine officii Protectoris, & Correctoris hujusmodi facere, ordinare, & exercere, ac exſequi potes, plenam &c. auctoritatem concedimus, & impertimur. Hortantes circumſpectionem tuam, ut pro tua in Deum pietate commiſſam tibi reformationis curam pro tua devotione ſuſcipias &c. Ac mandantes univerſis, & ſingulis hujuſmodi Miniſtris, Fratribus, & perſonis &c. ut omnia, & ſingula ſtatuta, ordinationes &c. tibi exhibeant, & illa per te, ut præfertur, correcta, emendata &c. recipiant, necnon loco aliorum illis utantur; tibique, & illis abſque ulla contradictione, & omni appellatione remota pareant, alioquin &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XX. Januarii An. III.

XLI.

Supprimit Clarenos, & Amadeos. Ex regeſt. Vaticano tom. 72. pag. 209.

Ad perpetuam rei memoriam.

BEatus Chriſti Salvatoris Confeſſor Franciſcus, dum adhuc mortalis hujus vitæ ſpatia decurreret, ardentiſſimo cæleſtium amore captus, nec ſibi tantum illa, ſed quam plurimis hominum fieri poſſet, quæſita cupiens, totuſque in idipſum incumbens, quæ Ordinis Minorum initia fuerunt, confluentes ad ſe veluti ad meliorem frugem undique Fratres ſuos in unam familiam collegit, collectoſque ipſorum omnium vitam, & mores ad unam, eamdemque regulam dirigens iis præceptis inſtituit, ea diſciplina formavit, quæ ad conjunctionem, atque adeo unionem inter illos conciliandam, & tuendam maxime pertinerent, humilitatem illis præcipue amplectendam proponens, qua humana hæc inania, & fluxa, quod ejusdem Salvatoris conſilium fuerat, aſpernati, ſolidam, ac permanentem a Deo felicitatem expectarent. Itaque hac ipſa Familia ſuas operas ad præſcriptam rationem naviter conferente, Domini Dei Noſtri ager egregie cultus uberrimos, & præſtantiſſimos fructus continuo protulit, & ſubinde profert, atque uti ſperamus proferet in dies ſuaviores, & largiores. Verum quoniam eadem Familia, quæ una ab uno conſtituta fuerat, in quaſdam quaſi partes paullatim ita conceſſit, ut jam non una ne ipſo quidem, quo a patre ſuo vocata eſt, nomine conſiſtat, ſed variis agnominibus, cum de illa, vel illa parte agitur, ſit diſtinguenda. Propterea nos ne animorum quidem, aut mentis inter eos, quos exterius ita rebus ſejunctos cernimus, interiorem conjunctionem ſperare tuto valemus, quin etiam quando in eam, de qua ſupradiximus, ſpem erecti ab ejuſmodi Ordinis Fratribus optima quæque, & maxima ad Dei gloriam, & militantis Eccleſiæ utilitatem, & optamus, & ſane pro ea, quam in hoc præcelſæ dignitatis faſtigio collocati noſtro muneri debemus, diligentia exigimus, non ſinimus carere cura, ne forte rebus ita neglectis, quod Deus optimus maximus avertat, magna inde ſenſim incommoda ſubeamus. Id igitur qua poſſumus ope poſt petitum a Deo auxilium cavere volentes, atque hinc potiſſimum incipientes motu proprio, atque ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtra Apoſtolica auctoritate, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Amadeorum, & Clarenorum etiam de la Becca nuncupatorum S. Petri in Monte Aureo, & S. Hieronymi, ſive S. Bar-

S. Bartholomæi in Inſula de Urbe, aliarumque quarumlibet Provinciarum reſpective Fratrum Ordinis S. Franciſci eorumdem inſtitutiones, Congregationes, Conventus, denominationes, nomina, & vocabula quæcumque, necnon quatenus regularibus inſtitutis Fratrum dicti S. Franciſci Ordinis Familiæ Minorum de Obſervantia vocatorum diſcrepant, eorum Regularia inſtituta, conſtitutiones, ſtatuta, conſuetudines, & ritus, modumque, & normam vivendi interdicimus, & prohibemus, illaque, necnon illorum promiſſiones, confirmationes, & approbationes Apoſtolica auctoritate factas, & illorum cauſa privilegia, indulta, gratias, & litteras etiam a Sede Apoſtolica, & forſan occaſione concordiarum inter ipſos Fratres initarum confirmatorias, ac motu, ſcientia, poteſtatiſque plenitudine ſimilibus, vel etiam conſideratione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum conceſſa, & quibuſcumque concepta formulis, ac ſuffulta decretis, quorum omnium tenores his litteris haberi volumus pro expreſſis, extinguimus, ſupprimimus, revocamus, caſſamus, & in perpetuum penitus, & omnino omnia tollimus. Eos autem omnes, & ſingulos Fratres, qui ejuſmodi congregationum, & denominationum erant, cum eorum omnibus Domibus, Eccleſiis, Oratoriis, & locis quibuſcumque, ubicumque conſiſtant, Fratribus Ordinis Minorum Familiæ de Obſervantia vocatis, eorumque Congregationi aggregamus, atque unimus. Et ſic in poſterum ex nunc perpetuo aggregatos, & unitos eſſe, dictiſque de Obſervantia adhærere, & eidem, quibus illi utuntur, regula, regularibus inſtitutis, profeſſione, moribus, habitu, & vivendi forma, ac agnominibus, & denominationibus uti, ac unam familiam tantum de cætero eſſe, eiſque Generalibus, ſeu Provincialibus Miniſtris, cæteriſque Superioribus, aut Officialibus, quibus illi ſubſunt, aut pro tempore ſuberunt, ſubjectos eſſe, & in eadem immediate cum illis obedientia Deo ſervire pure, ordinarie, & uniformiter, nullaque prorſus re, nulloque diſcrimine ſejunctos, aut diſſimiles debere decernimus. Quinimo ut hæc puriore conſcientia, ac tranquilliore animo præſtare valeant, debeantque, & non aliter, eoſdem a priorum inſtitutorum, rituumque, & aliorum ſupradictorum, iis ſcilicet dumtaxat, quibus ab inſtitutis, & ritibus Fratrum de Obſervantia differebant, necnon ſi quibus quavis ratione, aut modo, jureve, aut facto iis tenebantur, vel etiam tenentur, aut teneri ſe opinantur, promiſſione, profeſſione, juramento, aut voto, quorum obſervatio ſcandalum, aut perturbationem judicio Superioris cæteris allatura eſſet, abſolvimus, & liberamus, mandantes ipſorum univerſis, & ſingulis, ut præmiſſa non impediant, neque eis ulla ex parte, ulla ratione, ulloque modo reſiſtant, vel adverſentur, ac nihil faciant, vel experiantur, aut teneant, quominus plene, aut celeriter, aut facile ſuos effectus conſequantur, neque, ut ea vitent, ſæcularium habitu lateant, vel tamquam Clerici Sæculares ad aliquos Ordines Minores vel Majores promoveri præſumant, neque vero ad alias Religiones, alioſve Ordines, etiam paris, vel arctioris regulæ, regulariſque Obſervantiæ tranſeant ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, ſed prædictis Fratribus de Obſervantia, eorumque Congregationi, & Obedientiæ adhæreant, & omnibus aliis ſupradictis quamprimum pareant, & obſequantur re ipſa. Quod ſi eorum quiſpiam ſecus fecerit, omnes illaſmet ſententias, cenſuras, & pœnas eo ipſo incurrat, & patiatur, quas mere apoſtatæ ipſi tam juxta Canonicas Sanctiones, quam dicti Ordinis regularia inſtituta incurrunt, & patiuntur. Ac perinde contra illum ſive ab ordina-

nariis locorum, ſive ab ipſis Superioribus Fratrum de Obſervantia, ad quos pertinet, procedatur, & ſevere animadvertatur, atque contra vere apoſtatam procederetur, & animadverteretur. Et ſi quando ad obedientiam reverſus in aliorum conſortium receptus fuerit, vocis tamen activæ, & paſſivæ, ſuorumque Ordinum omni uſu perpetuo careant. Cæterum ut univerſa Congregatio Fratrum hujuſmodi de Obſervantia hoc additamento, quaſi novis colonis vita placida ſimul, perpetuaque pace fruantur, & conquieſcant, neque uno tantum nomine, ſed una etiam mente conſiſtant, nullaque ibi altercandi occaſio ſubrepat, eiſdem motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus, ut nullus ex veteribus Fratribus de Obſervantia quicumque ſit noviter aggregatum, recordatione priorum nominum, aut vitæ, vel alias quocumque modo irritare, aut Amadeum, vel Clarenum, ſeu alia, quam de Obſervantia nuncupatione appellare audeat, & qui contra auſus fuerit a ſuo Superiore graviter puniatur. Ipſi quin etiam ſic aggregati Fratres ſuos gradus, & quæ ratione ſuorum graduum privatim habent privilegia, facultates, & anterioritates inſtitutis tamen regularibus de Obſervantia expreſſe non contrarias, ut prius retineant. Univerſim vero iiſdem privilegiis, facultatibus, immunitatibus, prærogativis, indultis, & gratiis indiſtincte fruantur, & potiantur, quibus & ipſi utuntur, ac quoties Provincialia, vel Generalia Capitula celebrabuntur, ita horum quiſque pro ea, in qua ipſe fuerit provincia, ſi tamen alias vocem in Capitulo habiturus fuiſſet, illis interſit, quemadmodum & veterum quilibet interſit, vel intereſſe poterit. Et pariter ut illi tam in eiſdem Capitulis ipſorum Capitulorum electione, quam extra Capitula Superiorum, ad quos pro tempore pertinebit, diſpoſitione ad quoſcumque gradus, & quæcumque officia in quibuslibet Provinciarum, ſub quibus degent, Conventibus, & Domibus regularibus tam antiquis, quam noviter unitis de Obſervantia promoveri & aſſumi valeat. Denique ita utrique ſemper inter ſe agant, ut cæteris paribus ſola antiquitate alteri alter preferatur, ita ſcilicet ut inter gerentes pares gradus, vel pares Ordines ſuſcepti gradus, vel Ordines, inter alia vero emiſſæ profeſſionis tempora inſpiciantur, & prout quiſque antecedit tempore, ſive ſit ex veteribus, ſive ex noviter aggregatis loco in choro, & Capitulo, proceſſionibus, ac quibuſcumque aliis prærogativis antecedat, ſervata interim graduum, & ordinum majoritate. Præterea nulla omnino domus quamvis parva, & exigua, nulluſque locus regularis, ubi dicti Fratres hactenus ante aggregationem de ipſis ut ſupra factam habitare ſoliti ſunt, ad ipſos quacumque ratione pertinens, relinquatur abſque permiſſione noſtra expreſſa, ſed tot Fratribus unaquæque continuo habitetur, quot ibi commode eſſe, & ali poterunt, & quæ eiſdem domibus eleemoſynæ, vel alio nomine pia hominum largitione offeruntur, ſubſidia pariter, ſi quæ ad reſtaurationes, fulcimenta, vel alium uſum fabricarum, necnon ad Eccleſiarum lumina, & ornatum, vaſorumque, & cæteræ ſacræ ſuppellectilis comparationem tradita, legata, relicta, aut quocumque nomine donata ſint, etiam conſideratione prioris inſtitutionis, quæ ibi tunc vigebat, ac contemplatione congregationum, quarum tunc temporis erant, illarumque nomine expreſſo, eadem omnia, & alia inſuper quæcumque, quamvis aliter donantium hujuſmodi diſpoſitione abſumenda, novis habitatoribus in ſupradictos tamen, neque alios ullos convertenda uſus, omni prorſus, quantum ad unionem prædictam pertinet, caducitate, ejuſve proviſione ſecluſa, integre debeantur. Gubernatio quoque, &

& cura quorumcumque Monaſteriorum Monialium, quæ antea Conventibus, aut Superioribus hujuſmodi domorum, & locorum demandata erat, ad illos pertineat, qui ibi erunt in poſterum providendi. Poſſit Generalis Miniſter in omnibus quarumcumque Provinciarum domibus ſicut ſupra unitis, donec Generale, vel in ipſa Provincia, in qua illæ ſitæ fuerint, Provinciale Capitulum celebretur, Officiales, & Fratres, ſive ex veteribus, ſive ex nunc aggregatis, ſive etiam ex utriuſque quot & qui ſibi viſi fuerint arbitrio ſuo libere deputare, & ad illorum regimen, & directionem mittere. Interea vero temporis ipſi Fratres ſic noviter aggregati, ſi Citramontani fuerint, in illius, in qua nati ſunt; si vero Ultramontani, in illius, cujus maluerint Provinciarum Domibus Regularibus ſint & maneant, uſquequo aliter conſtituatur, & ipſos ad aliam domum, aliumve locum mitti ſive Capituli, ſive Generalis Miniſtri hujuſmodi ordinatione contingat. Porro in Capitulo Provinciali Mediolanenſi Fratrum de Obſervantia, quod Mediolani proxime celebrabitur, omnibus Proviuciæ Mediolanenſis Domibus regularibus de Obſervantia tam antiquis, quam nunc unitis, ut præfertur, de Guardianis, aliiſque Officialibus, & Superioribus, ac Fratribus, qui illas regere, & in illis eſſe debeant, ex utrorumque Fratrum veterum scilicet, & nunc aggregatorum numero indifferenter, alias tamen ex more inter Fratres de Obſervantia prius obſervato provideatur. Idem deinceps in cæteris, quæ per Provincias ſubinde celebrabuntur, Capitulis, quoad ipſarum Provinciarum domos obſervetur, ac in Provinciarum numero, terminiſque, & denominationibus ratio, eaque diſtinctio habeatur, quæ inter Fratres de Obſervantia ante has ipſas litteras habebatur: nuper autem aggregatæ domus in eam Provinciam tranſeant, & in ea numerentur, intra cujus fines quæque conſiſtit. Et cum pro tempore Provinciale Capitulum celebrandum erit, ii tantum ad illud conveniant, qui ex illa Provincia fuerint, in qua tunc Capitulum celebrabitur, in ipſo vero Mediolanenſi, quod primum omnium poſt has litteras propediem celebrandum eſt, quicumque ex Fratribus ſic aggregatis, qui ante aggregationem a nobis ut ſupra factam ubicumque locorum degentes erant, ex Provincia S. Petri in Monte Aureo de Urbe, & in illa comprehendebantur, & idcirco vocem in Capitulo habebant, cum harum ignari illuc forte omnes ſe conferent, poſſint quidem libere omnes hac vice celebrationi adeſſe, ſed ii tantum ex eis tam nunc ibi vocem habeant, & ſuffragia ferant, qui ſunt ex illis domibus, quæ juxta aggregationem præfatam intra antiquos limites, & fines Provinciæ Mediolanenſis Fratrum de Obſervantia ſunt ſitæ. Has porro litteras & his litteris contenta &c. adeo obſervanda eſſe volumus, ut nunquam revocari &c. poſſint &c. Contradictores &c. brachii ſæcularis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal. Februarii Anno III.

XLII.

Supprimit Monaſterium S. Pauli Ravennæ. Ex regeſt. Secret. Brev. lib. cit. p. 93.

Dilecto Filio noſtro Julio de Ruvere tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Urbinaten. nunc. Archiepiſcopo Ravennæ, seu ejus Suffraganeo, aut Vicario in spiritualibus Generali.

POſtquam Dominus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus ſua bonitate, & clementia, nos, meritis licet imparibus, ad Eccleſiæ ſuæ S.

S. regimen, & gubernaculum vocare dignatus eſt, inter curas multiplices, quæ annum unum intentius occupant, illæ ſunt, & eſt præcipua, ut univerſus religioſorum ordo ſalubriter in Domino reformetur &c. Cum itaque, ſicut accepimus, in Civitate noſtra Ravennatenſi duo reperiantur Monialium Monaſteria Ordinis S. Franciſci Minorum Conventualium, alterum ſub S. Claræ, & alterum ſub S. Pauli invocationibus, & Moniales quidem S. Claræ ſub laudabili obſervantia regulari, & arcta clauſura, ſed Moniales S. Pauli minus laxe, & licentioſe vivant; dictum vero Monaſterium S. Claræ ſit ſatis capax, & amplum pro illius, & dicti Monaſterii S. Pauli Monialibus recipiendis; hinc ſi Moniales Monaſterii S. Pauli in, & ad ipſius S. Claræ Monaſterium transferentur, ibique ſub arcta clauſura continerentur, ex hoc ſane ſcandalis, & periculis obviaretur, ac Dei ſervitio, ac Religionis honori opportune conſuleretur. Nos in præmiſſis &c. circumſpectioni tuæ, dilecte fili Juli Cardinalis, ſeu directioni tuæ, dilecte fili Suffraganee, aut Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut Abbatiſſam ſeu Prioriſſam, & omnes, & ſingulas Moniales etiam renuentes, & invitas Monaſterii dicti S. Pauli dilectas in Chriſto filias una cum earum alimentis, & bonis, ac omnibus, & ſingulis ipſius Monaſterii S. Pauli, & illius Eccleſiæ bonis mobilibus, & immobilibus, fructibus &c. nec non privilegiis, facultatibus &c. ab ipſo Monaſterio S. Pauli in dictum Monaſterium S. Claræ ad una cum dilectis etiam in Chriſto filiabus illius Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, & Monialibus gratum inibi Altiſſimo famulatum ſub arcta clauſura, & regulæ obſervantia perpetuo, uniformiter, & pariformiter exhibendum transferre; nec non Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, & Monialibus Monaſterii S. Pauli, ut ſe ſe inde ad Monaſterium S. Claræ prædictum transferantur; Abbatiſſæ vero, ſeu Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterii S. Claræ, ut illas in earum cætum, Capitulum, & Conventum juxta tempus illarum profeſſionum recipiant, diſtricte præcipiendo mandare, omnes, & ſingulas prædictas, etiam renuentes, & invitas ad ea reſpective cogere, & compellere, ac etiam Monaſterium S. Pauli prædictum, illiuſque Eccleſiam, Conventum, domos, ſitum, & circuitum, ac materiam univerſam, prout vobis, aut alteri, ſeu cuilibet veſtrum videbitur, relicto ibi Crucis ſigno, profanare, & ad profanum ſtatum, profanoſque uſus reducere, atque etiam illorum ædificia velut vobis, aut cuilibet veſtrum melius videbitur, deſtruere, ac demoliri, ne ullius ibidem Monaſterii veſtigium remaneat, nec non illa ſit profanata, & ſive demolita, ſive non demolita, ſeu eorum ſitum vobis ſimiliter bene viſa in evidentem tamen utilitatem ipſius Monaſterii quibuſvis perſonis etiam in perpetuum vendere, & alienare, ſeu mox dictis perſonis pro aliis bonis permutare, aut prius vendere &c. ac pretium &c. eidem Monaſterio S. Claræ perpetuo applicare, & appropriare, ac etiam in expenſas pro illius ædificiorum adaptatione, ſeu ampliatione convertere, & erogare; aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna &c. ordinare auctoritate noſtra etiam manu Regia &c. Cuncti, ſeu unus, vel alter veſtrum curet realiter, & cum effectu &c. Non obſtantibus præmiſſis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVIII. Februarii Anno III.

XLIII.

Concedit facultatem erigendi Conventum S. Mariæ de Conſtantinopoli. Ex regeſt. Vaticano lib. I. pag. 331.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarentin. ſalutem, & Apoſtolicam Benedict.

HOneſtis petentium votis &c. opportunis. Sane exhibito Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Domus Ordinis Sancti Franciſci Minorum de Obſervantia nuncupatorum in diſtrictu Terræ Maſſafræ Motulen. Diœceſis, & Franciſci Papecode Domini in temporalibus dictæ Terræ petitio continebat, quod alias ipſe Franciſcus ob devotionem, quam hactenus geſſit, & adhuc continuo gerit erga prædictum Ordinem, & ob ſepulturas ſuorum Majorum, quorum corpora in Eccleſia S. Rochi diſtrictus dictæ Terræ requieſcunt, plura impendit, & Fabricam, melioramenta, reparationem, manutentionem, & ornamenta dictæ Eccleſiæ, & domus prædictæ prope dictam Eccleſiam pro habitatione dictorum Fratrum inibi habitantium fabricatæ, creſcenteque ipſius Franciſci devotione in dies majora facturus fuiſſet, niſi continuæ contentiones inter dictos Fratres, & dilectos Filios nonnullos ipſius Eccleſiæ presbyteros, & forſan alios occaſione dictæ Eccleſiæ natæ, animum ab hujuſmodi propoſito abſtraxiſſent; verum dictus Franciſcus animo ſecum volvens, prædictos Fratres non ita bene juxta eorum deſideria, piamque ſuam mentem Altiſſimo famulari, & pro animabus proximorum ſuorum, & aliorum Chriſtifidelium preces effundere poſſe, ſicut famularentur, & preces effunderent, ſi in loco quieto, & ab occaſione contendendi penitus remoto permanerent, continuans in devotione dicti Ordinis per eum ſuſcepta, convertendo terrena, & tranſitoria in æterna, & perpetua bona, deliberavit in ejus Palatio dictæ Terræ vicino Eccleſiam cum Monaſterio, et aliis officinis neceſſariis ſub invocatione Sanctæ Mariæ Conſtantinopolis pro dictis Fratribus fabricare, dummodo liceat ſibi quæcumque Corpora, oſſa, & cineres defunctorum ſuorum in prædicta Eccleſia Sancti Rochi ſepultorum ad dictam Eccleſiam fabricandam transferre, ac noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ad id ſuffragetur Auctoritas. Quare pro parte eorumdem Fratrum, & Franciſci Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in dicto Palatio Eccleſiam cum Monaſterio, aliiſque prædictis fabricandi, ac corpora, & oſſa prædicta in ſic fabricatam Eccleſiam transferendi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. præſcriptos Fratres, & Franciſcum a quibuſvis &c. cenſentes Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus Fratribus, & Franciſco prædictis, eorumque ſingulis, ut illi, & quilibet illorum in dicto Palatio, & in Locis illis contiguis Eccleſiam ſub dicta Invocatione cum Monaſterio, Campanili, Campanis, necnon Dormitorio, Refectorio, horto, ſylva, & aliis neceſſariis fabricari, & ad fabricatam Eccleſiam dicta Corpora, oſſa, & cineres transferre, & transferri facere, necnon ferra, ligna, plumba, lapides, lateres, & alia quæcunique cæmenta, & bona per dictos Franciſcum, & Fratres, ac eorum quemlibet poſita in fabrica Monaſterii prope Eccleſiam Sancti Rochi hujusmodi, & habitationibus, ac aliis Officinis & locis dictorum Fratrum ab illis tollere, & de

de illis ſe inſervire in dictam novam Fabricam Eccleſiæ S. Mariæ, & aliorum inibi conſtruendorum convertere, ac Privilegiis, indultis, & conceſſionibus conjunctim, vel ſeparatim etiam per viam communicationis per Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, & nos, ac Sedem prædictam Ordini ipſo, ejusque Perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, Locis, & Bonis quomodolibet conceſſis, & concedendis potiri, & frui poſſint, & valeant, concedere, & elargiri auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ Pridie Kalendas Junii Anno III.

XLIV.

Confirmatur in officio Magiſtri Generalis. Ex regeſt. Secretariæ Brevium lib. I. B. II. pag. 402.

Dilecto Filio Joanni Tancredo de Colle Ord. Fratrum Minorum Conventualium S. Theologiæ profeſſori, ac totius ipſius Ordinis Magiſtro Generali.

CUM Tu in Vigilia Pentecoſtes proxime elapſa in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Alma Urbe noſtra celebrato in Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis ad triennium, & aliis modo, & forma ſolitis, & conſuetis rite, & recte, ac canonice electus fueris. Nos hujuſmodi de Te, quem ſalubri ejuſdem Ordinis directioni, & ædificationi plurimum utilem, & proficuum fore ſperamus, factam electionem ratam, & gratam habentes, illam, ac omnia, & ſingula eam concernentia rite, & recte, ut præfertur, geſta Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, Teque, quem coram nobis perſonaliter conſtitutum, etiam noſtro vivæ vocis Oraculo in præſentia dilecti filii noſtri Alexandri Card. Cribellii ejuſdem Ord. Viceprotectoris, & nonnullorum aliorum S. R. Eccleſiæ Card. in dicti Ord. Magiſtrum Generalem confirmavimus, in eodem Generalatus officio ad dictum triennium inſtituimus, & ſolita benedictione noſtra denuo benedicimus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die II. Junii Anno III.

XLV.

Subjicit Obſervantibus Tertium Ordinem. Ibidem lib. I. pag. 221.

Dilecto Filio Noſtro Henrico titulo SS. Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Infanti Portugalliæ nuncupat.

LIcet alias nos ex certis tunc expreſſis cauſis per quaſdam noſtras in forma Brevis confectas literas tam tibi, quam omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Portugalliæ, & Algarbiorum regni iſtius dominia conſtitutis in virtute S. Obedientiæ mandaverimus, quatenus Tu, vel ipſorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum quilibet, qui in ſua Civitate, & Diœceſi Ord. S. Franciſci Conventu nuncupat. tam virorum, quam mulierum, & Ter. Ord. ſimiliter nuncupati, ſi tamen tria ſubſtantialia vota emittere conſueverant, domos,

& Monaſteria haberet, omni humano affectu ſepoſito, Deumque ſolum præ oculis habens, Ordinis ejuſdem de Obſervantia in Regnis, & dominiis prædictis, Commiſſario Generali, ſeu Provinciæ, in qua domus, & Monaſteria prædicta conſiſtebant, Miniſtro Provinciali aliquo, ſeu etiam pluribus ejuſdem Ordinis de Obſervantia Fratribus per ipſum Commiſſarium, ſeu Miniſtrum Generalem eligendis, ſecum aſſumptis, ad ſingulas in ipſorum Civitatibus conſiſtentia virorum, & mulierum Conventualium, & Tertii Ordinis hujſmodi domos, & Monaſteria perſonaliter, ſi id commode fieri potuiſſet, alioquin ipſorum Archiepiſcopi, & Epiſcopi Vicarii in ſpiritualibus Generales, ſeu Officiales, aut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ per te nominandæ, & deputandæ, uno, ſeu pluribus Guardianis, aut aliis Fratribus a Commiſſario, vel Provinciali prædictis deputandis ſecum adjunctis, accederent, ac in domibus, & Monaſteriis prædictis formam conventualiter vivendi penitus, & in perpetuum tolleretis, & extingueretis, & perſonas in illis degentes ad eamdem vivendi formam, eademque inſtituta, & quoad veſtes, & calceamenta redigeretis, quæ utriuſque ſexus Religioſi de Obſervantia vocati obſervant, ipſæque Sorores, & Moniales Conventuales eorumdem Fratrum de Obſervantia obedientiæ, correctioni, viſitationi, curæ, regiminique committeretis, & Conventualium hujuſmodi, ſeu Tertii Ordinis Fratrum, & Sororum tria vota ſubſtantialia profeſſorum Eccleſias, & Monaſteria, ſeu domos Religioſis Ordinis de Obſervantia per ipſos perpetuo habendas aſſignaretis, atque in domos, & Monaſteria hujuſmodi alios Fratres, & Moniales de domibus, & Conventibus ipſorum Fratrum, & Monialium de Obſervantia de ſibi aſſiſtentium Fratrum conſilio reſpective transferretis, & ex ipſis domibus de Obſervantia Guardianum, & alios Officiales ad domos prædictas regendum, & gubernandum idoneos Auctoritate Apoſtolica prædicta deputaretis, atque conſtitueretis; ipſos vero Fratres, & Sorores, ſeu Moniales Conventuales, & Tertii Ordinis hujuſmodi aliorum Fratrum, & Sororum de Obſervantia conſortio aggregaretis, & uniretis, nec non de domibus, in quibus antea vitam Conventualem egerant, transferretis in Religioſorum de Obſervantia domos, & per illas diſtribueretis, ita ut poſthac ipſi de Obſervantia ſimiliter nuncuparentur, & ſub ejuſdem Miniſtri Generalis de Obſervantia obedientia permanerent; ipſorum vero bona mobilia, & immobilia, tam quæ domus Fratrum Conventualium prædictorum in communi poſſidebant, quam Fratrum eorum antea propria, vel forſan ex aliquo obreptitio, vel ſubreptitio privilegio ex diſpenſatione Apoſtolica eis obtineri conceſſa, ſeu permiſſa, ſive ex eorum induſtria acquiſita, vel parentum ſucceſſione, aut ab aliis relicta legata donatione ab eis tam quoad uſum, & poſſeſſionem, quam quoad proprietatem in perpetuum abdicaretis, omniaque denique, quæ ad abolendam vitam Conventualem, & vitæ Regularis obſervantiam loco ejus introducendam, vel ad inquirendum criminum veritatem forent quoquo modo neceſſaria, & opportuna ageretis, & exſequeremini, dummodo tamen ipſis Fratribus, & Sororibus, qui ad alium locum Religioſæ Obſervantiæ ſe transferre maluiſſent, id non interdiceretur, ſi ad regulam ſe transferrent arctiorem; ipſorum vero bona prædicta, omneſque hujuſmodi bonorum, & Monaſteriorum Fratrum Conventualium redditus de aſſiſtentium perſonarum bene viſarum conſilio, ita diſtribueretis, ut poſtquam eiſdem Fratribus de Obſervantia in dictos Conventus introducendis de ſupellectili, & omnibus aliis ad eorum victum, divi-

divinum cultum Eccleſiarum, & domorum reparationem neceſſariis providiſſetis, reliqua ſub ſtricto ſequeſtro penes idoneas perſonas reponerentur, ſeu cuſtodirentur, donec quid nos ipſi ſuper illis decreviſſemus &c. Quum ramen, non ſine animi noſtri diſpliceutia, intellexerimus, nounullos ex dictorum Monaſteriorum, ſeu domorum Conventualium Superioribus, & Fratribus, & quod dolendum magis eſt, Abbatiſſas, & Moniales S. Claræ Colymbrieu., & forſan aliorum Monaſteriorum Dei timore, & debita obedientia, & reverentia poſtpoſitis, aliquo ſub prætextu, quod ipſi in dictis ſuis domibus, & Monaſteriis religioſe, & Sancti Franciſci regula ſervata, Moniales vero tam propter præmiſſa, tam etiam ex eo, quod olim a felicis recordationis Paulo PP. III. literas confirmationis aſſertæ concordiæ cum clara memoria Joanne III. etiam Portugalliæ, & Algarbiorum Rege, aut cum ipſis Fratribus de Obſervantia, vel alias ſub certa forma initæ literas obtinuerint, per quas idem Paulus Prædeceſſor forſan ſtatuit, atque mandavit, quod illæ, earumque Monaſteria nullo tempore poſſent ad Obſervantiam reduci, aut ad Obedientiam Fratribus de Obſ. præſtandam compelli, & forſan ſub aliis prætextibus, & fucatis coloribus, noſtris prædictis, & tuis, ac aliorum Prælatorum literis obedire recuſaverint, & adhuc pertinaciter recuſent in grave animarum ſuarum periculum, & mandatorum Sedis Apoſtolicæ vilipendium, & contemptum; Nos præmiſſa convincentibus oculis pertranſire nequeuntes &c. Circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium &c. tam Fratres, quam Moniales hujuſmodi renitentes ad præſtandam obedientiam Fratribus de Obſervantia hujuſmodi per cenſuras, & pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia cogas, & compellas &c. Literas denique noſtras prædictas in omnibus, & per omnia exſequaris, & inſuper quoniam, ut accepimus, in dicti Ordinis de Obſ. Provinciis dominio Regi Portugalliæ hujuſmodi ſubjectis ſunt diverſa Monaſteria Monialium, quæ paupertate laborant, & redditibus perpetuis pro earum commoda ſubſtentatione indigent, eidem Circumſpectioni tuæ etiam per præſentes committimus, & mandamus, quatenus remanentibus juxta prædictarum noſtrarum literarum formam neceſſariis pro domibus Fratrum Minorum de Obſ. reformandis prædictis, reſiduas domorum dictorum Fr. Conventualium reductarum res, & bona, ac etiam omnes redditus cum conſiliis Ordinarii Loci, & pro tempore exſiſtentis Commiſſarii Generalis eorumdem Fratrum de Obſervantia iis Monialium domibus, & Monaſteriis applices, quæ illis magis indigere videbuntur &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Julii An. III.

LXVI.

Subjicit Obſervantibus Fratres Tertii Ordinis. Ex regeſt. Vaticano tom. 74. pag. 304.

Ad perpetuam rei memoriam.

EA eſt officii noſtri ratio &c. conſequantur. Itaque inter cæteras Religiones, Fratrum quoque Tertii Ordinis Sancti Franciſci de Pœnitentia nuncupat. in Congregatione viventium, ac tribus votis ſubſtantialibus adſtrictorum ſtatus nos commonet, ut ad illum reformandum ſtudia

ſtudia noſtra conſeramus, quando vel ex tam multis, quæ bo: me: Rodulphus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Carpenſis nuncupatus dicti Ordinis Protector Sedis Apoſtolicæ auctoritate fretus in reparanda horum diſciplina præclare, & ſalubriter edidit, Religionem hanc parum admodum cognovimus profeciſſe. Proinde nos hac præcipua morbi cauſa ex propriorum Præſidentium, & aliorum Miniſtrorum negligentia, vel inſcitia comperta, in communem dicti Ordinis ſalutem alia ratione intenti, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine, officia Miniſteriatus, & Viſitatoris Generalis dicti Ordinis perpetuo extinguimus, & abolemus, ac Miniſtrum, Viſitatorem, & Vicarium Generalem ejuſdem Ordinis, officio, uſu, & exercitio omnino interdicimus, edictoque prohibemus, ne ullus poſthac Miniſter, Vicarius, ac Viſitator Generalis de dicto Ordine habeatur. Cæterum ut deinceps Ordo ipse utiliorum Rectorum conſilio, & opera dirigatur, &c. univerſos, & ſingulos Fratres, & Sorores profeſſos, & converſos, necnon domos Monaſteria, & loca Virorum, & Mulierum, ac Cuſtodias, & Provincias per univerſum Orbem conſtitutas, Gregemque ipſum univerſum Tertii Ordinis utriuſque ſexus Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, prout in eorum Provinciis conſiſtunt, ita perpetuo ſupponimus, ut Miniſter Generalis in univerſo Ordine, Provinciales vero Ordinis Minorum de Obſervantia in ſuis quiſque Provinciis, plenum jus, liberamque auctoritatem, ac in ſpiritualibus, & temporalibus juriſdictionem omnimodam habeant, domos omnes, ac Monaſteria, & loca quæcumque, necnon perſonas utriuſque ſexus tam in capite quam in membris viſitandi, ac corrigendi, vagantes & quoſcumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis, & adminiſtrationibus deponendi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, & reſtituendi, ac etiam ſuper iis, & cæteris omnibus Ordinem ipſum, illiuſque domos, & perſonas utriuſque ſexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen regulæ prædictæ, & Sacris Canonibus, ac præſentibus litteris non contrariis, ſtatuendi, mutandi, innovandi, & exſequendi, quemadmodum illis in ſuo proprio Ordine attributum. Præcipimus igitur in virtute S. obedientiæ univerſis, & ſingulis Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis prædicti ubilibet conſtitutis, ut Generalem, & Provinciales Miniſtros Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, tamquam Patres, & Superiores ſuos, eorumque monita, & mandata humiliter, & devote recipiant, & re ipſa adimplere procurent, alioquin contradictores quoslibet &c. Pari quoque ratione eis Cardinalem Protectorem Fratrum de Obſervantia in Protectorem tribuimus, qui eam in eoſdem omnes curam, & auctoritatem obtineat, quam alius quiſque pleniſſime hucuſque comperitur habuiſſe. Statuentes præterea, quod futuris omnibus Capitulis provincialibus Fratrum Tertii Ordinis hujuſmodi, pro Viſitatorum, Provincialium, & aliorum officiorum electione, Fratrum diviſione, & ſalubri cujuſque Provinciæ directione, annis ſingulis celebrandis, aut Generalis, aut ejus Commiſſarius, aut (in cujus provincia Capitulum illorum habebitur) Provincialis Miniſter, Ordinis Minorum de Obſervantia hujuſmodi, ſemper præſideat, aliter vero celebrata, ac omnia in eis decreta, pro irritis babeantur. In ipſis autem Capitulis Provincialibus Viſitatorum Provincialium electio de idoneis Fratribus Tertii Ordinis hujuſmodi per ſecreta ſuffragia, & aliter eo modo, quo de Fratrum Minorum de Obſervantia Provincialibus celebraretur, celebrata per Miniſtrum Generalem prædictum ante omnia con-

confirmetur. Hæc vero officia annualia dumtaxat eſſe, & in ſingulis Capitulis Provincialibus prædictis reſignari debeant, ita ut lapſo primo anno, illa vacare conſeantur. Poterunt tamen ipſimet Viſitatores Provinciales, rurſus in ſequentem annum, & eo finito etiam in tertium, ſi idonei reperiantur, eodem modo eligi, & confirmari, ſed omnes ſuis hujuſmodi officiis quandocumque perſuncti, denuo ad illa, niſi tranſacto ſexennio, nequeant revocari. Cæterum omnes, & ſinguli Fratres, & Sorores Tertii Ordinis hujuſmodi in ſua quiſque Provincia Viſitatori ſuo, tanquam Superiori, in omnibus, quæ ſuis regularibus inſtitutis non adverſantur, obediant. Omnes vero Viſitatores Provinciales hujuſmodi ſic electi, tamquam Viceſgerentes Miniſtrorum Provincialium Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, & illis ſubditi, prædicandi, & docendi munus in ſingulis utriuſque ſexus Domibus, Conventibus, & locis ſuæ cujuſque provinciæ obire, eamque in ſibi ſubditos Fratres, & Sorores, juriſdictionem, quam ipſimet Miniſtri Provinciales Ordinis Minorum de Obſervantia obtinent, in omnibus, & per omnia exercere, ac quandocumque opus erit, confeſſiones omnium, & ſingulorum Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis hujuſmodi per ſe, vel alios ſuæ regulæ Sacerdotes idoneos audire, illoſque ab omnibus, & ſingulis ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, necnon peccatis, criminibus, & delictis, dummodo talia non ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica conſulenda foret, in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvere, & pro commiſſis pœnitentiam ſulutarem injungere, ac cum clericis, & presbyteris ejus Ordinis ſuper irregularitate, ſi quam ſententiis, & cenſuris hujuſmodi illaqueati Miſſas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, vel alias ſe ſe illis immiſcendo contraxerint, diſpenſare libere, & licite valeant. Ad hæc nulli omnino Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis hujuſmodi, qui prædicta tria vota ſubſtantialia fecerint, etiam prætextu quorumcumque privilegiorum, diſpenſationum, indultorum, permiſſiouum Apoſtolicarum, aut etiam inveteratæ conſuetudinis voto repugnantis, ſeu quacumque alia cauſa, proprium quicquam, aut privatum liceat obtinere, ſed omnia etiam privatim, ac intuitu cujuſcumque perſonæ donata, oblata, & conceſſa ubique communia, & indiviſa omnibus Religioſis eſſe debeant. Quicumque vero pecuniam, aut aliam rem qualemcumque ſibi quacumque cauſa conceſſam Prælato ſuo celaverit, furti reus cenſeatur, & tamquam fur puniatur. Eam tamen diligentiam Superior cujuſque domus adhibeat, ut de communi ipſius domus ſingulis juxta exigentiam conſulatur. Præterea Sorores dicti Tertii Ordinis in communi in Domibus, Monaſteriis, vel Hoſpitalibus, aut alia Congregatione viventes, & dicta tria vota ſubſtantialia Religionis emittentes, ſub perpetua clauſura maneant, nullusque Frater, aut Confeſſor earum, vel quicumque Prælatus ad domos, Monaſteria, vel alia loca Sororum hujusmodi in communi, & collegialiter viventium, niſi quibus ex officio incumbit, & in caſibus neceſſariis a jure permisſis, & tunc cum uno, vel duobus ſociis provectis, & honeſtis ingredi audeat, qui ſecus fecerit carceribus mancipetur, omnibuſque adminiſtrationibus, & officiis deponatur. Ipſarum vero Sororum, & omnes alii Confeſſores per Generalem vel Provincialem Miniſtrum approbentur. In cæteris autem omnibus, quæ ad Religioſam vitam pertinent, illa prædicti Fratres, & Sorores Tertii Ordinis obſervare teneantur, quæ a prædicto Rodulpho Epiſcopo, & Protectore vigeſima octava Aprilis

Anno

Anno Domini MDXLIX. fuerunt ordinata ſubſtantiam totius hujuſmodi regulæ maxime continentia, quam felicis recordationis Nicolaus PP. IV. Prædeceſſor noſter ad incrementum fidei Catholicæ approbavit, ita tamen ut præſentibus nullatenus adverſentur. Quæcumque vero dubia in eis contigerit exoriri illa omnia Generalis, & Provinciales Miniſtri Ordinis Minorum huiuſmodi debeant declarare, quorum declarationi, & determinationi eorum regulæ, & præſentibus non contrariæ, ſtari debeant. Inſuper univerſis, & ſingulis Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis hujuſmodi, eorumque Domibus, Monaſteriis, & locis omnia, & ſingula privilegia, indulgentias, diſpenſationes, & indulta Apoſtolica Fratribus & Sororibus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia etiam quoad Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, & receptionem quomodolibet conceſſa, & concedenda, quæcumque ſint, & fuerint præſentibus tamen non repugnantia, ita ut illis omnibus, & ſingulis pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, concedimus, & indulgemus. Cæterum omnibus, & ſingulis Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis hujuſmodi diſtrictius injungimus, ut præſentes noſtras litteras humiliter recipiant &c. quin etiam Dilecto Filio noſtro Carolo tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato dicti Ordinis Protectori, & illius Miniſtro Generali mandamus, ut ipſi, vel eorum alter eaſdem præſentes, ac quicquid pro earum executione, & obſervatione in dictis futuris Capitulis provincialibus, vel extra etiam illa a Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi ſtatuetur, ordinabitur, & decernetur, in omnibus domibus, Monaſteriis, & locis Virorum, & Mulierum, ac ab omnibus, & ſingulis Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis hujuſmodi inviolate faciant per ſe, vel alium, ſeu alios obſervari. Contradictores &c. Non obſtantibus &c. Per prædicta tamen non intendimus reformationi Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis hujuſmodi in Hiſpaniarum Regnis conſtitutis in aliquo præjudicare, quominus literæ noſtræ deſuper editæ, & quæcumque illarum vigore pro eorum locorum, & perſonarum qualitate, & exigentia facta ſunt præſentibus non conformia poſſint quoquomodo impediri, vel retractari. Denique volumus, quod ipſarum præſentium exempla etiam impreſſa, dictique pro tempore exſiſtentis Protectoris, aut Miniſtri Generalis, vel Provincialis ſigillo, & Secretarii cujuſvis eorum, vel Notarii publici manu obſignata eamdem illam fidem ubique locorum in judicio, & extra illud faciant, quam ipſæ præſentes ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Julii Anno III.

XLVII.

Reformat Monaſterium S. Sylveſtri de Urbe. Ibidem lib. I. B. III.

Ad futuram rei memoriam.

Cupientes pro noſtri paſtoralis Officii debito Monaſterium Monialium S. Sylveſtri de Urbe Ordinis S. Claræ Conventualis, quod reformatione indigere cognovimus, ad debitam ſui Ordinis normam, & diſciplinam inſtituere, ac renovare; idcirco m. pp. & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſt. poteſt. plen. modernas Abbatiſſam, & Vicariam, & alias quaſcumque Officiales ejuſdem Monaſterii S. Sylveſtri earum omnium nomina, cognomina, & officia præſentia

ſentibus pro expreſſis habeutes ab earum Officiis, ipſorumque exercitio ex tunc, prout coram præſentes literæ eis intimatæ fuerint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & liberamus, eaſque ſe in officiis hujuſmodi ulterius intromittere non poſſe, neque debere decernimus, & mandamus. Volentes autem negotium reformationis hujuſmodi ad optatum effectum quamprimum deducere, nec non confiſi de probitate, morum honeſtate, & regularis vitæ experientia Dilect. in Chriſto filiarum Damianæ, Chriſtinæ, Gabriellæ, Catharinæ, Antoniæ, & Archangelæ Monialium Monaſterii S. Coſmati etiam de Urbe ejuſdem Ordinis S. Claræ de Obſervantia, ſperanteſque, eas noſtro huic laudabili deſiderio bene, cumulateque ſatisfacturas, eiſdem Damianæ, Chriſtinæ, Gabrielæ, Catharinæ, Antoniæ, Archangelæ, ut ad dictum Monaſterium S. Sylveſtri accedant, atque eas viſis præſentibus intra ſuum Monaſterium benigne, & humaniter aliæ recipiant, & admittant in virtute S. Obedientiæ, & ſub arbitrii noſtri pœnis diſtricte præcipimus, & jubemus. Nos enim eamdem Damianam in Abbatiſſam, & unam ex prædictis ab ea eligendam in Vicariam ejuſdem Monaſterii S. Sylveſtri, ita ut in eo, donec reformatio hujuſmodi perfecta, & Moniales ipſæ Monaſterii S. Sylveſtri ad Regularem Obſervantiam fuerint reductæ, permanere, nec inde fine licentia noſtra recedere debeant, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritatibus &c. præminentiis, honoribusque, & oneribus ſolitis, & conſuetis, auctoritate, & tenore præſentium conſtituimus, deputamus, atque præficimus, ac Damianæ Abbatiſſæ, & eligendæ Vicariæ, aliiſquæ ſupra nominatis quinque Monialibus, abſoluta ipſa reformatione, & regulari Obſervantia in eodem Monaſterio S. Sylveſtri conſtituta ad ſuum Monaſterium S. Coſmati redeundi licentiam libenter impendemus. Nec non eidem Damianæ Abbatiſſæ reliquas quinque Moniales in Officiales ipſius Monaſterii S. Sylveſtri, prout ſibi videbitur expedire, deputandi facultatem concedimus. Mandantes etiam in virtute S. Obedientiæ, & ſub eiſdem pœnis Monialibus Monaſterii S. Sylveſtri hujuſmodi, ut circa mandata noſtra exſequenda eidem Damianæ Abbatiſſæ, & eligendæ Vicariæ, cæteriſquæ Officialibus per ipſam Damianam Abbatiſſam ut ſupra deputandis humiliter pareant, obediant, & intendant, earumque admonitiones, & ordinationes prompte ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin contra inobedientes, & rebelles uſque ad ſatisfactionem condignam procedi faciemus. Et inſuper Damianæ Abbatiſſæ, & eligendæ Vicariæ, ac reliquis quinque Monialibus hujuſmodi prima vice, poſtquam dictum Monaſterium S. Sylveſtri ingreſſæ fuerint, confeſſis, & contritis, ac Sacratiſſimam Communionem ſumentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VII. Julii Anno III.

Nota. *Cum Damiana morbo correpta non potuerit ire ad Monaſterium S. Sylveſtri, hinc hæ literæ locum non habuerunt, & deputata eſt in Abbatiſſam Soror Chriſtina, ductis ſecum Cherubina, Gabriella, Catharina, Martha, & Euphronia ex eodem Monaſterio S. Coſmati cum facultate ſibi eligendi Vicariam. Ita ex literis Cardinalis Cribellii, die* 19. *Julii. Ex eodem regeſt. pag.* 10., *& ſeq.*

XLVIII.

Reformat Moniales Monaſterii de Cuneo. Ibidem lib. I. B. II. pag. 37.

Venerabili Fratri Vincentio Epiſcopo Montisregalis.

INtelleximus non ſine animi noſtri moleſtia, Monaſterium Monialium S. Claræ Conventualis Oppidi Cunii tuæ Montisregalis Diœceſis tibi jure ordinario ſubjectum non parva reformatione indigere, ejuſque Moniales laxatis modeſtiæ, & continentiæ habenis adeo a recto vivendi tramite declinaſſe, ut ex eo gravis Religioni nota inuratur, magnumque in populo ſcandalum generetur. Nos igitur &c. fraternitatem tuam admonendam eſſe cenſuimus, ut tua prudentia, & diligeutia in id incumbas, ut ſalutaria remedia huic malo mature adibeantur. Itaque tibi in virtute S. Obedientiæ per præſentes mandamus, ut tam tua Ordinaria, quam etiam noſtra auctoritate Monaſterium S.Claræ hujuſmodi viſitare, illudque tam in capite, quam in membris reformare, corrigere, & emendare, & ad regularem Obſervantiam, debitamque Clauſuram reducere, delinquentes, & diſcolas &c. caſtigare, Moniales ipſas ad alia Monaſteria tibi bene viſa transferre, necnon ſi expediens eſſe tibi videbitur, dictum Monaſterium S. Claræ una cum illius rebus, & bonis univerſis Monaſterio Monialium Annuntiatæ ejuſdem Oppidi Ordinis etiam S. Claræ de Obs. perpetuo unire &c. procures. Super quibus &c. Contradictores &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Julii Anno III.

XLIX.

Reformat Minores Conventuales. Ex regeſt. Vaticano tom. 74. pag. 21.

Ad perpetuam rei memoriam.

ILla nos cura inter cæteras ſolicitat, ut optimæ diſciplinæ cultus in omnibus Religioſorum ſodalitatibus nutriatur, & confirmetur. Quod quidem nos pridem in ampliſſimo Ordine Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum magnopere expetentes, eorum omnium proprietatem illis ademimus, multaque præterea de ratione vivendi, & officiis eorumdem edidimus, litteraſque noſtras ſuper iis confectas in eorum Capitulo Generali apud Baſilicam Duodecim Apoſtolorum de Urbe proxime celebrato, palam omnibus juſſimus promulgari, qui illis ea, qua decuit, obedientia receptis, ad tollenda, & corrigenda alia præterea intenti, quæ ad hujus Religionis ſtatum in ſua integritate continendum maxime obeſſe intelligebamus, nonnulla inter sese ſtatuere cogitarunt; verum inſtante jam ipſius Capituli concluſione, cum temporis anguſtia id minus pateretur, negotium univerſum ad arbitrium, & auctoritatem Generalis, & Provincialium Magiſtrorum, necnon Diffinitorum dicti Ordinis, ex voluntate noſtra demandatum eſt, qui diverſas alias præsentibus ſubjectas conſtitutiones ab ipſo Magiſtro Generali ſubſcriptas ordinarunt, quas omnes, ſalvis aliter litteris noſtris prædictis, præſentium auctoritate approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes, & quoſcumque ſive ſolemnitatum omiſſarum, ſive alios

alios juris, & facti defectus, qui intervenerunt in eiſdem, quin etiam illas omnes, prout conſcriptæ ſunt, ſancimus, & ordinamus, jubemusque, ipſas æque atque veſtras in omnibus Provinciis, Cuſtodiis, Domibus, & Locis, necnon ab omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis firmiter obſervari, ac quoſcumque, qui illis non paruerint, cenſuris, & pœnis omnibus, quæ literis prædictis continentur, eo ipſo volumus ſubjacere, & nihilominus dilecto filio noſtro Carolo tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato, moderno, & pro tempore exſiſtenti Protectori, ac etiam Magiſtro Generali dicti Ordinis per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſi, vel eorum alter &c. obſervari. Contradictores quoslibet, & rebelles &c. Ita igitur Conſtitutioues hujuſmodi ſcriptæ ſunt: Novitii &c. *Vide Tomi hujus pag.* 180. *num. LXX.* Nulli ergo &c. Si quis &c. Nulli &c. noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, ordinationis, juſſionis, mandati, decreti, præcepti, & voluntatis infringere &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal. Auguſti Anno III.

L.

Erigitur Provincia S. Antonii Portugalliæ. Ex regeſt. Secretariæ Brevium lib. I. pag. 271.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacræ Religionis ſinceritas, ſub qua dilecti Filii Miniſtri, & Fratres Ordinis S. Franciſci de Obſervantia nuncupat. in Regno Portugalliæ ſub regula S. Antonii degentes ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur, ut eos ſpecialibus favorum privilegiis attollamus, ac tam eorum, quam S. R. E. Cardinalium ad id tendentia vota ad exauditorum gratiam libenter admittamus. Sane dilectus filius noſter Henricus tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyt. Cardinalis Infans Portugalliæ nuncupatus tam ſuo, quam dilectorum filiorum Miniſtrorum, & aliorum Fratrum Cuſtodiæ S. Antonii nuncupatorum dicti Ordini in Regno Portugalliæ conſiſtent. nominibus exponi fecit, quod licet ipſi Miniſtri, & Fratres hactenus ſub obedientia, cura, & regimine unius Miniſtri, Cuſtodis nomine nuucupati, degerint, eorumque domus Cuſtodia S. Antonii vocari conſueverit, quia tamen nuper ultra domos, quas Miniſtri, & Fratres prædicti habitare ſolebant, nonnullæ aliæ domus Fratrum Conventualium Regni prædicti ad regularem Obſervantiam reductorum, eorum curæ, & regimini traductæ fuerunt, ac propterea prædictæ domus cum numero Fratrum Conventualium requiſito exſiſtant, & tot Conventus ſint ad præſens, ut Provinciæ nomine decorari non immerito poſſint. Quare idem Henricus Cardinalis eorum nominibus nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune conſulere de benignitate Apoſtolica dignaretur. Nos, qui etiam ex ejuſdem Henrici Cardinalis inſinuatione accepimus, Cuſtodiam Fratrum hujuſmodi ſub debita regulari Obſervantia gratum Deo præſtare ſervitium, eos condignis favoribus exornare cupientes, necnon Miniſtros, & Fratres prædictos, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes &c. Cuſtodiam S. Antonii prædicti, ſi dictas domos, ſeu Conventus dictorum Fratrum S. Antonii habeat, in Provinciam S. Antonii Portugallenſis de cætero nuncupandam, ita quod

 dein-

deinceps per unum Miniſtrum Provincialem per dictos Provinciæ Fratres in eorum Capitulo Generali ád inſtar aliarum Provinciarum ejusdem Ordinis eligendum regi, & gubernari debeat, auctoritate Apoſtolica per præſentes erigimus, & inſtituimus, illique ſic erectæ omnia, & ſingula privilegia, facultates &c. quibus cæteræ dicti Ordinis Provinciæ ubilibet concedimus, & elargimur, decernentes, Cuſtodiam prædictam in Provinciam ſic erectam pro tali haberi &c. Sicque per quoſcumque Judices &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII. Auguſti Anno III.

LI.

Attribuitur Obſervantibus Cœnobium Salmaticenſe Conventualium. Ibidem pag. 280.

Ad perpetuam rei memoriam:

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio, (ut in Bulla inferiori). Hinc eſt, quod nos cupientes, ut fabrica domus S. Franciſci Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Salmaticen. pro illius Religioſis, qui in magno numero exsiſtunt, inibi recipiendis celeriter ad debitum finem perducatur, volenteſque aliis prædicti Monaſterii neceſſitatibus ſuccurrere, dilectos filios Guardianum, & Conventum Fratrum, & Religioſorum dicti Monaſterii, ac illorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, Guardiani, & Conventus hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Monaſterio, & Guardiano, & Fratribus, ac Religioſis prædictis nunc, & pro tempore exſiſtentibus, domum Monaſterii Ordinis Fratrum Conventualium ejuſdem S. Franciſci dictæ Civitatis, in qua nos alias ipſum Ordinem ſub certis modo, & forma tunc expreſſis per quaſdam noſtras litteras ſuppreſſimus, ex tunc cum omnibus, & ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis ex auctoritate Apoſtolica per præsentes perpetuo, & gratioſe donamus, & elargimur, eiſque domum cum omnibus juribus, & pertinentiis hujuſmodi perſonæ, ſeu perſonis eis beneviſis vendendi, & alienandi, pretiumque exinde proveniens recipiendi, illudque in prædicti Monaſterii fabricam, & reparationem, aliaſque neceſſitates convertendi libere, & licite abſque aliquo cenſurarum, vel pœnarum incurſu licentiam, & facultatem eadem auctoritate concedimus, & impertimur quocirca &c. Contradictores quoslibet &c. compeſcendo. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Auguſti Anno III.

LII.

Ut Cœnobium S. Michaelis Amadeorum vendatur. Ibidem pag. 277.

Dilecto Filio Carolo tit. S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupat. Ordinis S. Franciſci Protectori, & Correctori.

EX injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio votis illis, per quæ Eccleſiarum, & domorum regularium quarumcumque perſonarum inibi divinis placitis inſiſtentium commoditati, & quieti ſedulo conſuli poteſt, libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur opor-

portunis. Cum itaque nos alias omnes, & ſingulos Fratres Amadeos nuncupatos Ordinis S. Franciſci ſub cura, & regimine tam Generalis, quam Provincialium Miniſtrorum, & aliorum Prælatorum, ac Fratrum dicti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ de Familia nuncupatorum, eorumque loca, domos, & Monaſteria per certas noſtras litteras, & ſub certis modo, & forma in eis expreſſis Apoſtolica auctoritate reduxerimus. Ac nuper pro parte dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum domus S. Franciſci de Obſervantia hujuſmodi Civitatis Laudenſis Provinciæ Mediolanenſis expoſito, quod in Civitate Laudenſi præfata unum eorum Fratrum olim Amadeorum Monaſterium S. Michaelis nuncupatum exſiſtebat, cujus Fratres ad præſens ſub Obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Obſervantia regulari de Familia nuncupatorum prædictæ Provinciæ Mediolanenſis in ipſo degentium, & ipſi quaſdam antea per eos emptas domos in Civitate Laudenſi hujuſmodi poſſidebant, & in ipſa Laudenſi aliud Monaſterium Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ de Familia nuncupat. hujusmodi, in quo ipſi Fratres Ordinis Minorum degunt, quod nonnullis neceſſariis reparationibus indiget, ad hoc ut in eo Fratres olim Amadei, qui cum aliis Fratribus Min. Obſerv. hujuſmodi jam unum corpus magis commode degere poſſint. Quapropter ſi domus prædictæ ad hoc, ut ex illarum pretio Monaſterium ipſum S. Franciſci reſtauraretur, & ampliaretur, venderentur, & alienarentur, ex hoc profecto eorumdem Fratrum Minorum commoditatibus non parum conſuleretur. Quare pro parte Guardiani, & Fratrum Monaſterii S. Franciſci hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut moderno, & pro tempore exſiſtenti Miniſtro Provinciali una cum uno, vel duobus Diffinitoribus dictæ Provinciæ Mediolanenſis hujusmodi dictas domos vendendi, & alienandi, & de illarum pretio in reſtaurationem, & ampliationem domus S. Franciſci, ac alios uſus, & utilitatem hujuſmodi domus diſponendi facultatem, & licentiam concedere, & impertiri, aliiſque ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes &c. Circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus Tu prædictis domibus, prius coram te ſpecificato, & tibi conſtito, quod dictum Monaſterium S. Franciſci reparatione, vel ampliatione præcipue ad omnes inhabitandi inſimul Fratres hujuſmodi, ſeu eorum aliquam partem indigeat, eidem Miniſtro Provinciali dictas domos perſonæ, ſeu perſonis illas emere volentibus pro pretio, ſeu pretiis veris, & juſtis vendere, & alienari, ac de illarum pretio in reſtaurationem, ſeu ampliationem dictæ domus S. Francisci, ac alios illius, & dicti Ordinis uſus, & utilitatem diſponendi facultatem, & licentiam auctoritate Apoſtolica concedas, & impertiaris. Non obſtantibus &c.
Datum Romæ apud S. Petrum die XX. Auguſti Anno III.

LIII.

Pro Cœnobio S. Bernardini Placentiæ. Ex Archivo Cœnobii S. Mariæ de Campanea.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem &c.

APoſtolatus officium &c. Cum itaque nos alias omnes, & ſingulos Fratres Amadeos nuncupatos Ordinis S. Franciſci ſub Obedientia

tia, cura, & regimine tam Generalis, quam Provincialium Miniſtrorum, & aliorum Prælatorum, ac Fratrum dicti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ de Familia nuncupatorum, eorumque loca, domos, & Monaſteria per certas noſtras literas, ac ſub certis modo, & forma tunc expreſſis Apoſtolica auctoritate reduxerimus, ac nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, ac Fratrum domus S. Mariæ de Campagna nuncupatæ ejuſdem Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Placentin. expoſito, quod in Civitate Placentiæ Provinciæ Mediolanenſis unum eorumdem olim Fratrum Amadeorum Monaſterium parvum Sancti Bernardini nuncupatum exſiſtit, cujus Fratres ad præſens ſub Obedientia eorumdem Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ Provinciæ Bononienſis juxta earumdem literarum noſtrarum formam degunt, ac ipſa domus Sanctæ Mariæ nonnullis reparationibus, & ædificiis neceſſariis indiget, ac proinde cupiunt iidem Guardianus, & Fratres habitationes, domos, hortos, & pertinentias quaſque ipſius Monaſterii Sancti Bernardini, illius tamen Eccleſia remanente non profanata, perſonis illas emere volentibus pro precio, ſeu preciis veris, & juſtis ad hoc, ut eidem domui Beatæ Mariæ in hujuſmodi reparationibus, & ædificiis subveniri poſſit, vendere, & alienare, ſi ſibi noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia deſuper ſuffragetur. Nos Guardiani, & Fratrum hujuſmodi votis in hac parte ſavorabiliter annuentes, ipſoſque a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exſiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes illorum nobis deſuper porrectis ſupplicationibus inclinati de præmiſſis certam notitiam non habentes, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta maudamus, ut habitationibus, domibus, hortis, & pertinentiis Monaſterii S. Bernardini prius coram vobis, ſeu altero veſtrum ſpecificatis, ac conſtito, quod domus ipſa S. Mariæ reparationibus, & ædificiis neceſſariis indigeat, eiſdem Guardiano, & Fratribus domos, habitationes, hortos, & pertinentias ad Monaſterium ipſum S. Bernardini quomodolibet ſpectantes perſonis illas emere volentibus pro precio, ſeu preciis reperibilibus vendendi, & alienandi, ac precium exinde proveniens in reparationes, & ædificia neceſſaria, ac alios uſus dictæ Domus S. Mariæ convertendi, illiſque præterea Calices, Paramenta, totam denique ſuppellectilem Monaſterii, illiuſque Eccleſiæ hujuſmodi ad Eccleſiam, & domum Sanctæ Mariæ hujuſmodi transferendi, ac aſportandi plenam, liberam, & omnimodam ſacultatem, & licentiam auctoritate noſtra detis, concedatis, & impertiamini. Non obſtantibus Symmachi Pap. &c. conſtitutionibus, & ordinationibus &c. Volumus autem, quod per hoc in dicta Eccleſia S. Bernardini divinus cultus non deſeratur, ac quod in eventu venditionis domorum, habitationum, & hortorum, ac pertinentiarum precium exinde proveniens penes aliquos dictæ Civitatis cives fide, & ſacultatibus idoneos ejuſdem Guardiani arbitrio in reparatiouem, & ampliationem Monaſterii S. Mariæ hujuſmodi convertendum deponetur.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII. Auguſti Anno III.

LIV.

LIV.

Fit Vicarius Generalis Conventualium. Ex regeſt. Secretariæ Brevium lib. I. B. III. pag. 243.

Dilecto Filio Joanni Pico de Camerino Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Profeſſori, ac S. Theol. Magiſtro Totius ejusdem Ordinis Vicario Generali.

CUM ſicut accepimus, quondam Joannes de Colle Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Magiſter Generalis nuper, ſicut Domino placuit, extra Romanam Curiam ab humanis deceſſerit. Nos pro noſtri Paſtoralis officii debito volentes, ne dictus Ordo in ſpiritualibus, aut temporalibus, donec alius Magiſter Generalis creetur, detrimenta aliqua patiatur, de Vicario Generali viro idoneo, ac nobis probato celeriter providere, de tua probitate, fide, doctrina, experientia, & religionis zelo plurimum in Domino confiſi, motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, te in Vicarium Generalem univerſi ejusdem Ordinis uſque ad novam electionem Magiſtri Generalis iu Capitulo Generali ſecundum ſtatuta, & ordinationes Ordinis præfati faciendam cum poteſtate totam Religionem hujuſmodi Ordinis regendi, moderandi, & gubernandi, ac aliis facultatibus, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, honoribus, oneribus, prærogativis, & emolumentis, quibus dictus Joannes a Colle Generalis, dum viveret, quomodolibet utebatur, & gaudebat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium creamus, conſtituimus, & deputamus, Teque Vicarium Generalem ipſius Ordinis, ut præfertur, eligimus, & nominamus, ac electum, & conſtitutum eſſe, ſicque ab omnibus cenſeri, & interpretari debere decernimus. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub arbitrii noſtri pœnis, omnibus, & ſingulis Provincialibus, Guardianis, & aliis quocumque nomine nuncupatis dicti Ordinis, Officialibus, & Miniſtris, necnon illius Fratribus, & perſonis, ut tibi tamquam Vicario eorum Generali in omnibus, quæ eis ordinanda, & mandanda duxeris, humiliter pareant, & obediant, tuaque juſſa, & monita reverenter ſuſcipiant, & debite exsequantur, alioquin cenſuram, ſive pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus eam auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Octobris Anno III.

LV.

Conſulit dignitati Fratrum Hiſpanorum. Ibidem pag. 334.

Ad futuram rei memoriam.

ACcepimus nuper non ſine animi noſtri dolore, quod licet plura Monaſteria, quæ prius Ordinis S. Franciſci Conventualium nuncupat. exſiſtebant, juxta ordinationes noſtras a nobis ſuper hoc editas in Hiſpaniarum partibus ad regularem Obſervantiam tranſierint, Fratreſque Monaſteria prædicta ad præſens inhabitantes obſervantialiter vivant, ac

ac propterea in dubium a nemine verti deberet, quin illis omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, quibus alii ejuſdem Ordinis Fratres, qui illa prius inhabitabant, utebantur, potiebantur, & gaudebant, uti, potiri, & gaudere poſſent, nihilominus diverſi Locorum Ordinarii, & alii Eccleſiæ Prælati minus forſan, quam eorum dignitati convenit, eos perſequentes, eoſdem Fratres tam in proceſſionibus, quam aliis omnibus publicis locum ſolitum obtinere minime ſinunt, in grave ipſorum Fratrum præjudicium, & totius Ordinis vilipendium. Nos præmiſſis ea, quæ decet, remedia adhibere volentes, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum, vel alicujus eorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed ex noſtra ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon dilectis filiis Officialibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub interdicti, & ingreſſus Eccleſiæ, aliiſque arbitrio noſtro inferendis, infligendis, & imponendis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ne deinceps omnes, & ſingulos Fratres, qui ad præſens in domibus, quæ antea Conventuales erant, degunt, quo minus ſuum ſolitum, quem Fratres Conventuales hujuſmodi antea habebant, locum tam in proceſſionibus, quam in aliis actibus publicis obtineant, impedire, aut inquietare, dummodo profeſſionem poſt quintum decimum annum emiſerint, quovis modo audeant, vel præſumant. Decernentes &c. Contradictores &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Octobris An. III.

LVI.

Præficitur Eccleſiæ Gebennenſi. Ex Regeſt. Vaticano tom. 72. pag. 159.

Dilecto filio Angelo Juſtiniano Electo Gebennen. Salutem &c.

APoſtolatus officium &c. gubernare. Dudum ſiquidem &c. Poſtmodum vero Eccleſia Gebennen., cui bo: me: Franciſcus olim Epiſcopus Gebennen., dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum in presbyteratus Ordine conſtitutum, ac ipſum Ordinem expreſſe profeſſum &c. cenſentes de perſona tua &c. teque illi in Epiſcopum præficimus, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem &c. promereri. Et inſuper ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, munus conſecrationis ſuſcipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut munus præfatum, recepto prius a te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam præſentibus annotatam, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem &c. Forma autem juramenti per te præſtandi, quam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo munitas per proprium Nuncium quam citius deſtinare procures, talis eſt. *Ego Angelus Juſtinianus Electus Gebennen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro, Sancta-*

ctaque Romanæ Eccleſiæ, ac Domino noſtro Pio PP. V., ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio, aut facto, vel conſenſu, ut vitam perdant, aut membrum, ſeu capiantur, aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæſito colore; conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut Nuncios, ſeu litteras ad eorum damnum, me ſcienter nemini pandam; Papatum Romanum, & Regalia B. Petri adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hominem, Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, jura, honores, privilegia, & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ D. Noſtri PP., & Succeſſorum prædictorum conſervare, defendere, augere, & promovere curabo, nec ero in conſilio, facto, ſeu tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum, vel eamdem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus, & poteſtatis eorum machinentur, & ſi talia a quibuſcumque procurari novero, vel tractari impediam hoc pro poſſe, & quam citius potero commode ſignificabo eidem Domino noſtro, vel alteri, per quem ad ipſius notitiam pervenire poſſit, Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, ſententias, diſpoſitiones, reſervationes, proviſiones, & mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam & aliis obſervari, hæreticos, ſciſmaticos, & rebelles Domino Noſtro, & Succeſſoribus pro poſſe perſequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione, Apoſtolorum limina Romana Curia exiſtente citra ſingulis annis, ultra vero montes ſingulis bienniis per me ipſum viſitabo, & ſi poſt primam viſitationem perſonaliter factam aliquo legitimo impedimento præpeditus perſonaliter venire non potero, per aliquem fidum Nuntium de gremio Eccleſiæ bene inſtructum, qui vice mea Apoſtolico conſpectui ſe præſentare, & de legitimo impedimento hujuſmodi ſaltem per juramentum legitimam fidem facere teneatur. Id adimplebo. Poſſeſſiones vero ad menſam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice, & ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam ſuper hoc edita conſtitutione contentas eo ipſo incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia.

Datum Romæ apud S. Petrum III. Idus Octobris Anno III.

LVII.

Reformat Minores Conventuales. Ex regeſt. Vaticano tom. 72. pag. 18.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD exſtirpandos cupidæ proprietatis abuſus, ſummum bonum in frugifera religione Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum pervertentes, ſimulque frangendam peſſimam corruptelam, quæ de adminiſtrationibus, & officiis hujus Ordinis, per gratiam, & ſordes conſequendis, perperam inolevit; de nobis attributæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulos Fratres prædictos, etiam ſi Magiſtri Generales, Provinciales, Cuſtodes, & alii quicumque ſint, privato eorum, bonorumque omnium immobilium, mobilium, & ſe moventium dominio, uſu, uſufructu, poſſeſſione, & proprietate quocumque per eos modo acquiſitis, & ad ipſos obventis perpetuo privamus, dictaque poſſeſſione amovemus, illaque omnia, & ſingula in communes ſuarum cujuſque domorum, & prædictæ religionis uſus convertenda,

concedimus, ac omnia, & quæcumque privilegia, diſpenſationes, licentias, permiſſiones, & indulta eis, & ipſorum ſingulis, ſuper iis, ac domibus, cellis, hortis, pecuniis, aliisque rebus, etiam cauſa ſenii, infirmitatis, parentum ſubventionis, conquirendæ Sororibus dotis, & cujuſcumque alterius pii officii intuitu habendis, retinendis, & fruendis etiam per quoſcumque Roman. Pontifices Præd. noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſa, confirmata, & innovata, quibuſcumque concepta formulis, ac clauſulis, & decretis ſuffulta &c. ſpecialiter, & expreſſe revocamus, volumuſque illa omnia, & ſingula vires, & effectum de cætero non habere, & nihilominus mandamus Magiſtris, & Superioribus omnibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut rerum, & bonorum omnium prædictorum poſſeſſionem nomine domorum, & locorum ſuorum capiant, ut illa, illorumque fructus in communes omnium uſus convertantur, ſtatuentes, ut deinceps nullus omnino Fratrum dicti Ordinis, ſive privatus, ſive Cuſtos, ſive Provincialis, ſive Generalis Magiſtri officio fungens, etiam prætextu hujusmodi privilegiorum, diſpenſationum, permiſſionum, & indultorum, ſeu inveteratæ conſuetudinis voto repugnantis, aut quacumque alia cauſa proprium quicquam, aut privatum habeant; ſed omnia ubique communia, & indiviſa omnibus Religioſis eſſe. Quin etiam Magiſtri, Cuſtodes, & Guardiani vitam cum Fratribus ſuis communem ducere debeant, in refectorio ſemper comedant, nullas ædes ſeparatas ſive in clauſtro, ſive alibi habeant, ſed unica cella, eademque cum cæteris aliorum Fratrum conjuncta, contenti eſſe debeant. Pari quoque ratione cæteri Fratres nil ſibi proprii vindicantes neceſſarium victum, & veſtitum a ſua quiſque Domo, & per ejus Miniſtros capiant; pecuniæ vero, & quæcumque aliæ res, quæ cuique privatim etiam intuitu perſonæ undecumque donatæ, & relictæ fuerint, Superiori, horarum viginti quatuor intervallo, exhibeantur, qui illas ſtatim depoſito committat, & inde tantum exhibitori miniſtrare jubeat, quantum præſens rei conveniens neceſſitas videbitur poſtulare. Eam præterea diligentiam Superior adhibere debebit, ut ſingulorum maxime infirmorum neceſſitatibus, juxta cujuſque exigentiam debite conſulatur. Ad hæc nullus omnino Magiſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum adminiſtrationem prædictorum bonorum, & aliarum rerum. temporalium, diſpenſationemque pecuniarum, & redditunm ſive cuſtodiæ, vel domus, etiam nomine Conventus, habere; ſive exercere, vel ſeſe in eis interponere poſſit, ſed univerſum id onus tribus Religioſis a Magiſtro Generali ita demandetur, ut primus rerum, & bonorum cuſtodiæ, ſive domus, inferendorumque in eam reddituum curam habeat; Alter tamquam Depoſitarius pecunias, & cætera ab illo importata fideliter aſſervet; Reliquus de pecuniis, & rebus a Depoſitario captis, Cuſtodi, Guardiano, & Fratribus, ac Domui Univerſæ de neceſſariis veluti diſpenſator, cum ipſius Cuſtodis, ſeu Guardiani auctoritate provideat, officiorum hujuſmodi invicem confuſione penitus interdicta. Sed & ii tres tam accepti, quam impenſi, ſingulis menſibus, ſuo Cuſtodi, vel Guardiano, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejuſdem Domus probatioribus, rerumque uſu peritis, deinde ipſimet rurſus præſentibus Cuſtode, Guardiano & peritis, Magiſtro Generali, vel Viſitatoribus, quotieſcumque viſitationis officium fecerint, denique ipſe Magiſter Generalis, in proxime ſequenti Capitulo Generali coram tribus judicibus ab ipſo Capitulo deputa-

putatis, aliorum omnium, & etiam univerſæ adminiſtrationis ſuæ publicæ, & privatæ rationem reddere teneatur. Cæterum præcipimus, atque interdicimus omnibus, & ſingulis, ne pro Magiſtratibus, & officiis prædictis, quæcumque ſint, ulli ambitus fiant, aut pecuniæ etiam pro confirmationibus, ſigillo, vel ſcriptura, aut quacumque alia re, vel cauſa ſolvantur, aliæve pactiones, ſeu promiſſiones intercedant, ſeu munera, aut xenia quocumque modo mittantur; neve quiſquam etiam in officio exſiſtens pecunias, aut aliud quicquam de Domo, vel Cuſtodia ſibi commiſſa, vel aliunde Generali, ſeu alii cuicumque conferat, vel remittat. Quicumque ſecus fecerint, in pœnam privationis Magiſtratuum, & officiorum ſuorum incidant, & ad futura inhabiles, & infames reputentur, & pro culpa etiam tamquam fures puniantur, prout nos illos privatos, inhabiles, & infames declaramus eo ipſo, decernentes irritum, & inane &c. Non obſtantibus &c.

Apud Rodericum in nova collect. privil. pag. 409. legitur; *VI. Idus Junii.*

Datum Romæ apud S. Petrum VI. Idus Octob. Anno III.

LVIII.

Immittit Obſervantes in Cœnobium Conventualium Corinaldi. Ex Archivo Civitatis Corinaldi.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Beati Petri meritis licet imparibus conſtituti ad ea libenter intendimus, per quæ Monaſteriorum quorumlibet proſpero ſtatui, & ad meliorem normam reductioni, ſalubrique directioni opportune conſulitur &c. Hinc eſt, quod Nos cupientes Monaſterium Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conentualium Terræ Corinaldi Diœceſis Senogallien. ad regularem obſervantiam reducere, Fratres Ord. Min. de Obſervantia de Familia nuncupatos ad hunc effectum in illud introducere, ipſumque eis habitandum concedere, motu proprio &c. Ex juſtis, & rationabilibus cauſis ad hoc animum noſtrum moventibus, Domum, ſeu Monaſterium Fratrum Conventualium hujuſmodi gubernio, regimine, & ſuperioritate Fratrum Conventualium prædictorum, eorumque Magiſtri Generalis, ſeu Vicarii, ac Provincialis, & aliorum quorumcuque Superiorum Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tollimus, ac diſmembramus, penituſque ea omnino ſeparamus, eximimus, & liberamus, illamque, & illud una cum omnibus ſupellectilibus, paramentis, & aliis bonis quibuſcumque mobilibus ipſi Ordini de Obſervantia perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ac ſub moderni, & pro tempore exſiſtentis Miniſtri Provincialis Provinciæ Marchiæ hujuſmodi gubernio, poteſtati, viſitationi, correctioni, & obedientiæ ſupponimus, ac ſubjicimus; Ita ut Fratres Conventuales, & perſonas in ipſo Monaſterio nunc degentes etiam recuſantes inde amovere, & expellere, & in illud loco eorum alios Fratres de Obſervantia ſuæ Provinciæ, quos ſibi videbitur, intromittere, & ibi habitare, & commorari facere, vel ſi Fratres ibi exſiſtentes, vel alii ex Fratribus præfatis ſub regula, & obedientia Fratrum de Obſervantia permanere voluerint, tunc idem Miniſter Provincialis eos benigne recipere, & tractare debeat, & teneatur, eoſque vel ibi remanere, vel ad alia ejuſdem Provinciæ, ſeu alterius dicti Ordinis de Obſervantia Monaſteria, ſeu loca tranſmittere, & collocare libere, & licite poſſint, & valeant, ac totaliter, & plenarie ſuppo-

 ſitum,

ſitum, & ſubjectum fore, & eſſe decernimus, ac mandamus, & ſic ab omnibus cenſeri, & interpretari debere volumus. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, & aliis arbitrio noſtro declarandis pœnis moderno, & pro tempore exſiſtenti Fratrum Conventualium hujuſmodi Magiſtro, seu Vicario Generali, ac Provincialibus, nec non Guardiano, & Fratribus dicti Monaſterii, ut ſtatim viſis præſentibus nulla mora, aut excuſatione interpoſita Domum, & Monaſterium hujusmodi Miniſtro, & Fratribus de Obſervantia prædictis tradant, conſignent, & relaxent, eoſque ad curam, gubernium, & regimen illius obedienter recipiant, & admittant, seu eos authoritate propria poſſeſſionem capere nullo modo impedire debeant, nec ipſos Fratres de Obſervantia in poſterum directe, vel indirecte quovis quæſito colore, vel ingenio super gubernio, adminiſtratione, & poſſeſſione ejuſdem Monaſterii quomodolibet moleſtare, impedire, inquietare, vel perturbare audeant, vel præſumant &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Octobris Anno III.

LIX.

Confirmatur in munere Abbatiſſæ. Ex regeſto Secretariæ Brevium in lib. I. pag. 344.

Dilectæ in Chriſto Filiæ Catharinæ de Ponze Abbatiſſæ Monaſterii Monialium S. Joannis de la Penna Oppidi de Belvis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Toletan. ſeu Palentin. Diœceſis.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod poſtquam alias dilecta in Chriſto filia Nobilis mulier Beatrix de Monroy, & Ayala Comitiſſa de Orapeſa, & Seytola Abulenſis, ſeu Palentinæ Provinciæ Compoſtellan. reſpective Diœceſis unum Monialium Monaſterium S. Joannis de la Penna Ordinis S. Claræ ſub regula S. Franciſci de Obs. ex ejus propriis redditibus fundaverat, illudque competenter dotaverat, ipſa Beatrix Comitiſſa cupiens Monaſterium prædictum, quod ſolide fundaverat, & dilectas in Chriſto filias Moniales inibi degentes cicumſpecte regi, ſalubriter dirigi, & in rebus ad piam religionem ſpectantibus informari, Te tunc Monialem Monaſterii Conceptionis B. Mariæ, in quo etiam per triginta annos, & ultra profeſſione inibi emiſſa permanſeras, quamque eadem Beatrix Comitiſſa eidem Monaſterio S. Joannis utilem, & fructuoſam admodum fore ſperabat, ad Monaſterium S. Joannis prædictum de tui Superioris, ſeu Ordinarii licentia transferri obtinuit, Tuque poſtmodum ſic, ut præfertur, tranſlata, ac in Monaſterio S. Joannis hujuſmodi cum maxima Monialium prædictarum ſpirituali conſolatione, & ſalubri illius directione permanſeris, in Monaſterio S. Joannis hujuſmodi Abbatiſſam poſtulata, & ſeu forſan legitime electa fuiſti, ac etiam forſan electioni, ſeu poſtulationi hujuſmodi, illius tibi præſentato decreto, conſenſiſti. Quum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet Monaſteria prædicta ejuſdem Ordinis exſiſtant, habitus tamen per utriuſque illorum Moniales geſtari ſolitus nonnihil ad invicem differat, & propterea tu pro conſcientiæ tuæ ſecuritate, & tranquillitate cupiens præmiſſa omnia pro illarum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolica auctoritate confirmari, & approbari, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut tibi, quæ tam habitum per Moniales prædictas dicti Monaſterii

ſterii geſtari ſolitum ſuſcepiſti, & illius regularibus inſtitutis te conformaſti, ſeu ſuſcipere de proximo intendis, in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. inclinati translationem, & poſtulationem, ſeu electionem hujuſmodi Apoſtolica auctoritate per præſentes confirmamus, & approbamus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII. Octobris Anno III.

LX.

Commendat Fratres Minores Archiepiſcopo Goano. Ex lib. 3. Epiſt. Franciſci Goubau epiſt. 52. pag. 256.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Goano ſalutem &c.

PRovinciale Concilium die 1. Januarii in iſta Civitate a tua Fraternitate celebratum, ejuſque librum ad Nos miſſum libenter accepimus &c. Quia vero ex Chariſſimi Nobis in Chriſto Filii Portugalliæ Regis literis intelligimus, Fratres quoque S. Dominici, & S. Franciſci, ſimiliterque Jeſuitas in eadem infidelium converſione pro ſua parte, & ſedulo laborare; idcirco Fraternitatem tuam illis Benedictionem noſtram impertiri, ſimulque eis ſignificare volumus, hos, quos pro animarum ſalute, divinaque gloria labores ſuſcipiunt, præterquam quod copioſam in Cælo mercedem ſunt habituri, nobis quoque gratiſſimos eſſe.

Datum Romæ apud S. Petrum die I. Januarii Anno III.

LXI.

Declarat, Tertium Ordinem incolumem eſſe permanſurum. Ex regeſt. Secr. Brevium lib. 2. pag. 93.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Roſſanen. noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpan. Nuntio.

§. I. CUM alias, ſupplicante Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, decreverimus, quod omnes, & ſinguli Fratres, & Moniales Tertii Ordinis S. Franciſci nuncupat. in Hiſpaniarum Regnis conſiſtentes ſub certis modis, & forma nunc expreſſis ad regularem Obſervantiam Fratrum Regularis Obſervantiæ ejuſdem S. Franciſci reducerentur. Poſtea vero intellecto in Regnis prædictis verti in dubium, qui ex dictis Fratribus, & Monialibus Tertii Ordinis hujuſmodi ad obſervantiam prædicti Fratrum de Obſervantia Ordinis S. Franciſci de Obſervantia redigendi eſſent, ipſos Fratres, & Moniales Tertii Ordinis S. Franciſci, qui tria vota ſubſtantialia emiſerunt, ad regularem obſervantiam Fratrum, & Monialium Regularis Obſervantiæ ejuſdem S. Franciſci reducerentur, ac ejuſdem modo, & forma, quibus prædicti Fratres, & Moniales Regularis Obſervantiæ hujuſmodi vivunt, & vivere ſoliti ſunt, vivere, ac eiſdem, ſimilibusve veſtimentis, & calceamentis, quibus ipſi Fratres, & Moniales Regularis Obſervantiæ hujuſmodi utuntur, uti, ac ſub obedientia, correctione, & viſitatione, ſuperioritate, & dominio Provincialium, & Generalis totius Ordinis S. Franciſci Regularis Obſervantiæ perpetuo permane-

manere debere, alias juxta priores noſtras literas omnino cogi, & compelli poſſe auctoritate Apoſtolica declaraverimus; alios vero utriuſque ſexus dicti Tertii Ordinis, qui tria vota ſubſtantialia hujuſmodi non emiſerunt, eos, prout antea vixerant, & permanſerant, ea tamen conditione, ut ſub correctione, ſuperioritate, & obedientia dictorum Provincialium, & Generalis Fratrum de Obſervantia hujuſmodi degere, ac de cætero vivere, & permanere deberent, pariter decreverimus, ac declaraverimus, ac poſtremo juſtis, & rationabilibus cauſis inducti Tibi, ut Generalem, & alios Miniſtros ipſorum Fratrum de Obſervantia in dictis Regnis conſiſtentes certiores facere curares, nobis non eſſe in animo extinguere dictum Tertium Ordinem Fratrum S. Franciſci hujuſmodi, neque eorum habitum, vel Regulam immutare, ſed tantum eos ad Obſervantiam eorum regulæ reformare, & ſi eorum exceſſus puniendi forent, debita animadverſione corrigere, ac propterea moneres Generalem, & alios Superiores Fratrum de Obſervantia hujuſmodi nomine noſtro, ne ipſos Fratres, & Moniales Tertii Ordinis aliqua moleſtia intra ea, quæ ad reformationem pertinent, afficerent, prout in diverſis noſtris literis in forma Brevis deſuper diverſis temporibus confectis plenius continetur.

§. II. Cum autem nuper pro parte præd. Philippi Regis nobis expoſitum fuerit, quod major, aut ſaltem magna pars Fratrum, & Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci ad regularem Obſervantiam dictorum Fratrum, & Monialium Regularis Obſervantiæ ejuſdem S. Franciſci, vigore noſtrarum literarum primo, & ſecundo conceſſarum, reducta fuerit; ideo nobis ſupplicari fecit, ut in præmiſſis de opportuno remedio de benignitate Apoſtolica providere dignaremur. Nos itaque &c.

§. III. Tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut Generalem, & alios Miniſtros, & Officiales dicti Ordinis S. Franciſci Fratrum de Obſervantia noſtro nomine horteris, atque ipſis præcipias, ut Fratres, & Moniales Tertii Ordinis hujuſmodi ad dictam Obſervantiam reductos, ſi in ea permanere voluerint, benigne, & charitative tractent, alioquin eos ad ſua Monaſteria redire libere permittant, & tam eos, quam hactenus non reductos fraternis monitionibus cohortentur, ut ſe ad obedientiam hujuſmodi reducant, neminem tamen eorum ullo modo cogant, neque adſtringant, necnon eos, qui ſe ad illam transferre recuſaverint, in ſuo ſtatu Tertii Ordinis hujuſmodi in ſuis inſtitutis, conſtitutionibus, & ordinationibus vivere permittant, illiſque duo, vel tria, ſeu tot Monaſteria, quot pro illorum habitatione congrua, & honeſta, ſeu neceſſaria fuerint, ut in illis eorum vita durante degere, vivere, & permanere poſſint, aſſignare debeant; & ſi opus fuerit, per Juris, & facti remedia opportuna eoſdem Fratres de Obſervantia ad id faciendum cogas, & compellas, & inſuper Fratribus, & Monialibus Tertii Ordinis S. Francisci hujuſmodi, illorumque Guardianis, & aliis Superioribus, ne de cætero aliquot Fratres, & Moniales in eorum Monaſteriis recipere, illiſque habitum dicti Tertii Ordinis dare, & tradere, illoſque, & illas ad profeſſionem dicti Tertii Ordinis S. Francisci recipere, quovis prætextu, aut quæſito colore, audeant, neque præſumant, inhibeas, & ſi ſecus fecerint, Fratres, & Moniales per ipſos Fratres, & Moniales Tertii Ordinis S. Franciſci hujuſmodi ſic receptos a Monaſteriis, in quibus recepti fuerint, ejicere cures, & profeſſionem per eos pro tempore emiſ-

emiſſam nullam, & invalidam fore declares, prout nos tenore præſentium receptionem, & profeſſionem ipſorum Fratrum, & Monialium Tertii Ordini S. Franciſci, ſi de cætero fieri contigerit, nullam, & invalidam, irritam, & inanem fore, & eſſe, & illis nullatenus ſuffragari poſſe etiam declaramus. Super quibus tibi plenam, & liberam per eaſdem præſentes, concedimus facultatem, volentes nihilominus, Fratres, & Moniales Tertii Ordini S. Franciſci hujuſmodi, qui ad prædictam Obſervantiam Fratrum S. Franciſci de Obſervantia hujuſmodi non ſe reducere, vel in ea ſtare recuſaverint, permanere, & degere ſub Obedientia, correctione, & viſitatione Generalis totius Ordini, & aliorum Miniſtrorum, & Officialium Fratrum S. Franciſci de Obſervantia hujuſmodi, eiſque in omnibus, & perpetuo ſubjectos, & ſuppoſitos eſſe, et de cætero vivere, et permanere debere. Sicque per quoſcumque Judices &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die X. Januarii Anno III.

Anno Christi 1569. Pii V. anno 4.

LXII.

Pro reformatione Monaſteriorum de Murcia, & de Lorca &c. Ibidem lib. II. pag. 95. a tergo.

Venerabili Fratri Epiſcopo Carthaginen.

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ conſtitutiones noſtræ reformationem, & clauſuram Monaſteriorum Monialium concernentes ſublatis quibuſvis obſtaculis ſuum debitum ſortiantur effectum. Sane ad aures noſtras, non ſine gravi animi noſtri mœrore nuper pervenit, unius S. Antonii, & alterius S. Eliſabethæ, ac reliqui B. M. de Conſolatione Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupati de Murcia, & de Lorca reſpective Oppidorum, Civitatum etiam nuncupat. Cartaginen. Diœceſis Monaſteriorum Monialium Prioriſſas, ſeu Abbatiſſas, & alias Moniales prædictas ita vitæ licentia, ac in dictis Oppidis vagandi libertate allectas, ut, Te juxta dictæ noſtræ Conſtitutionis deſuper editæ formam reformationem, & eorumdem Monaſteriorum clauſuram negotio pro tuo Paſtorali officio peragente &c. tua ſalutaria monita, & mandata, quæ reformationem reſpicerent, detrectantes, & admittere recuſantes pro earum libito, ut antea, evagari non erubuiſſe &c. Etſi tuam in Reformationis juxta dictæ Conſtitutionis tenorem negotio perficiendo diligentiam merito in Domino commendamus, mirari tamen non deſiſtimus, cur remediis in illa Conſtitutione comprehenſis, eaſdem Prioriſſas, ſeu Abbatiſſas, & Moniales non compuleris ad præſcriptam ipſis a Te clauſuram, obſervantiamque ſervandam. Quare nos dictam Conſtitutionem, ut par eſt, executioni celeriter demandare, & in dictis Monaſteriis caſtitatem, religioſamque vitam vigere cupientes, motu proprio &c. fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut Apoſtolica Auctoritate per Te, vel Vicarium tuum &c. una cum Superioribus earum Monaſteria, illorumque Prioriſſas, ſeu Abbatiſſas, & Mo-

& Moniales hujuſmodi, ac alias perſonas quaſcumque ibi degentes, cujuſcumque gradus, nobilitatis, & conditionis exſiſtant, tam in capite, quam in membris, in ſpiritualibus, & temporalibus tam ordinaria, quam Apoſtolica Auctoritate viſites &c. Et ſi quæ dictorum Monaſteriorum Moniales ſubſtantialia vota non emiſerint, ut emittant cum prædictis Superioribus earum hortari, & perſuadere ſtudeas, prædictæ Conſtitutionis noſtræ formam ſervando, ipſaque Monaſteria debita clauſura munias, & ne Laici, & aliæ tam ſæculares, quam regulares perſonæ ad illa acceſſum, ſeu ingreſſum habere poſſint &c. provideas. Prioriſſas, Abbatiſſas, & alias Moniales prædictas &c. inobedientes punias, nec non alias Mulieres religioſas, quæ inibi ſunt, ſi ſub reformationis jugo, & regularium inſtitutorum obſervantia vivere voluerint, introducas, ac ipſis etiam Monaſteriis præficias, & ne ipſæ Prioriſſæ, ſeu Abbatiſſæ &c. abſque tua licentia in ſcriptis eiſdem tradita, de cætero alias Moniales inibi acceptare, introducere, & veſtire audeant, ſeu præſumant, prohibeas &c. mandamus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI. Januarii Anno III.

LXIII.

Fit Epiſcopus Mindonien. Ex regeſt. Vaticano lib. I. pag. 23.

Dilecto Filio Antonio de Luxan Electo Mindonien. ſalutem &c.

Romani Pontificis &c. Sane Eccleſia Mindonien. ex eo quod nos nuper Venerabilem Fratrem noſtrum Gundiſalvum nuper Epiſcopum Mindonien. ad Eccleſiam Oveten. tranſtulimus; per translationem hujuſmodi &c. Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupat. Theologiæ profeſſorem direximus oculos &c. Quibus omnibus &c. præfatæ Eccleſiæ Mindonien. de perſona tua nobis &c. providemus, teque illi in Epiſcopus præficimus, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal. Martii Anno IV.

LXIV.

Aſſignat in qualibet Provincia duas ſaltem domos Fratribus Recollectis. Ibidem pag. 52.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium crebro nos admonet, & inducit, ut perſonis quibuslibet regularibus vigilantiæ noſtræ partes efficacius exhibentes eos in inſtitutorum ſuorum regularium candore ſalubriter manuteneamus. Accepimus ſane nuper, quod in Ordine S. Franciſci de Obſervantia nonnullæ ſunt domus, vel loca Recollecta nuncupata, in quibus dicti Ordinis Fratres arctiores, quam in cæteris degunt; & propterea eidem Ordini commodum, & opportunum eſſe cenſentes, ut in ſingulis dicti Ordinis Provinciis duæ domus, vel loca Recollecta hujuſmodi exſiſtant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo decernimus, atque ſtatuimus; quod in qualibet Provincia dicti Ordinis duæ ad minus domus, & loca Recollecta eſſe debeant. Et præfata Monaſteria Recollecta nullatenus ab hujuſmo-

hujuſmodi Recollectione ſeparari poſſint, & Fratres in illis degentes, etiam ſi velint, niſi de Miniſtri Generalis ipſius Ordinis, vel Provincialis, & Diſcretorum in Conventu dictorum locorum Recollectorum pro tempore exſiſtentium conſilio, ad alia loca non Recollecta transferri nequeant, niſi eisdem Superioribus, ut aliter fiat, viſum fuerit expedire. Decernentes &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IX. Martii Anno IV.

LXV.

Approbat fundationem Monaſterii S. Claræ Mexici. Ex regeſt. Vaticano tom. 78. pag. 354.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXigit incumbentis &c. expedire. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilec. Fil. Communitatis, & hominum Civitatis Mexien. petitio continebat, quod ipſi nuper in Civitate prædicta, quæ in partibus Indiarum in Regnis Hiſpaniarum conſiſtentium exſiſtit, unam domum Ord. F. Minorum sub regula S. Claræ, accedentibus ad hoc etiam auctoritate, & interventu Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Mexien., fundaverunt, & inſtituerunt, prout in diverſis scripturis publicis deſuper forſan confectis plenius dicitur contineri. Quodque ipſi deſiderabant fundationem, & inſtitutionem hujuſmodiApoſtolica auctoritate approbari. Quare &c. Nos, qui religionis cujuslibet augmentum, quantum cum Deo poſſumus, libenter procuramus, eoſdem Communitatem, & homines, eorumque ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, necnon fundationis, & inſtitutionis, ac scripturarum deſuper confectarum tenore præſentium pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, & inſtitutionem, ac scripturas hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque, necnon inde ſequuta, & ſequenda quæcumque dicta auctoritate Apoſtolica ten. præs. perpetuo confirmamus, & approbamus, omneſque, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui intervenerint quomodolibet, in eiſdem supplemus. Nec non curam, regimen, & gubernium dictæ domus, & in illa pro tempore exſiſtentium Monialium in ſpiritualibus, & temporalibus dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum eisdem auctoritate Apoſtolica, & tenore præs. committimus, & mandamus. Ac inſuper de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis domus hujuſmodi Monialibus tam profeſſis, quam non profeſſis, & novitiis inibi sub illius clauſura pro tempore degentibus in ipſarum, & cujuslibet earum mortis articulo, ſi pœnitentes ſint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remiſſionem concedimus, & elargimur. Univerſis vero, & ſingulis utriuſque sexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam dictæ Domus in feſto S. Claræ a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei ejuſdem feſti incluſive annuatim devote viſitaverint &c. quoties id fecerint, toties ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus quoad indulgentiam perpetuis futuris temporibus, quoad relaxationem vero uſque ad decennium tantum valituris. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum IV. Idus Martii, Anno IV.

LXVI.

Admittuntur Fratres Tertii Ordinis ſtudiorum cauſa in Cœnobiis Colymbrien., & Eboren. Ex regeſt. Secr. Brevium lib. 3. pag. 179.

Dilecto Filio Henrico tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Infanti Portugalliæ nuncupato in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Legato de Latere.

CUM ſicut accepimus, Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci iſtius Regni Portugalliæ in Colymbrien. & Eboren. Civitatibus dicti Regni, in quibus bonarum præcipue Sac. literarum ſtudia publica vigent, nullas domos, nullave collegia habeant, ac propterea pauci docti in dicta Religione viri reperiuntur, qui Criſtifidelium verbum Dei prædicare Catholice, & annuntiare ſciant, & valeant in grave ipſius Ordinis, & Reipublicæ Chriſtianæ detrimentum. Quare iidem Fratres Terti Ordinis nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui quoslibet ad Sacrarum literarum cognitionem libenter invitare, & adjuvare ſolemus, prædictis ſupplicantibus inclinati, Circumſpectionem tuam in Domino hortamur, quatenus opem, operamque huic rei ita efficaces præſtes, ut in domibus, ſive collegiis, aut Monaſteriis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupat. dictarum civitatum effectualiter admittantur, ac recipiantur tres, aut ad minus duo ex Fratribus dicti Tertii Ordinis, qui ab ipſo Provinciali in eorum Capitulo electi infra tempus dicto Provinciali beneviſum inibi literis prædictis operam navare, & illo tempore elapſo, ad dicti Provincialis arbitrium amovere, & amotorum loco alii ejuſdem Ordinis ſimiliter electi in locum amotorum ſucceſſive ſurrogari valeant; Quod & tuæ virtutis, ac pietatis officio magnopere dignum, & Nobis etiam erit admodum gratum.

Datum Romæ apud S. Petrum XX. Martii Anno IV.

LXVII.

Submittit Obſervantibus Monaſterium Sanctæ Claræ Colymbrien. Ibidem lib. 2. pag. 257.

Venerabili Fratri Episcopo Colymbrien.

NUper credentes, quod Fratres Conventuales Civitatis Colymbrien., & Regni iſtius nondum eſſent ad Observantiam reducti, prout alias per noſtras in forma Brevis literas volueramus, & ordinaveramus, Fraternitati tuæ ſcripſimus literas tenoris ſubſequentis, a tergo videl. Ven. Fratri Episcopo Colymbrien., intus vero Ven. Fratri ſalutem &c. Alias ex rationabilibus cauſis, ad id animum noſtrum moventibus &c. Fratres Conventuales Ord. Min. S. Francisci ubicumque exsiſtentes ab omni cura, gubernio, regimine, & adminiſtratione quorumcumque Monaſteriorum Monialium, cujuscumque Ordinis forent, per eos eatenus regi, & gubernari ſolitorum, ex tunc in perpetuum penitus abſolvimus, & totaliter liberavimus, eosque deinceps in illis ullatenus ſe intro-

intromittere poſſe, neque debere decrevimus, ac ipſorum Monaſteriorum Monialium curam, & gubernium eiſdem Fratribus Conventualibus omnino interdiximus, & ne ipſa Monialium Monaſteria propterea in ſpiritualibus, & temporalibus detrimentum aliquod paterentur, illa omnia, & ſingula locorum Ordinariis &c. ſuppoſuimus &c. Quum autem, ſicuti nuper non ſine moleſtia accepimus, Tu Monaſterii Monialium S. Claræ Civitatis Colymbrien., quod a Fratribus Conventualibus prædictis regi, & gubernari ſolitum erat, curam, & regimen ſuſcipere, ſicque mandata noſtra hujuſmodi exſequi hactenus diſtuleris &c. Nos pro noſtri paſtoralis officii debito volentes, præſentes noſtras literas a te, cæteriſque Ordinariis debitæ exſecutioni demandari &c. Fraternitati tuæ, quæ hoc onus juſſu præſertim noſtro haud invita ſubire debet, denuo ſpecialiter, & expreſſe in virtute S. Obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut ſi Monaſterium Monialium S. Claræ hujuſmodi ſub cura, & regimine Fratrum Conv. prædictorum eſſe conſueverat, illius curam, & regimen juxta dictarum noſtrarum literarum formam, & tenorem ſuſcipere, illudque ſollicite, & diligenter gerere, & exercere ulterius non differat &c. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum die I. Januarii An. III. Cæsar Glorierius. Quum autem poſtmodum dilectus filius noſter Alexander tit. S. Joannis ante Portam Latinam Pres. Card. Cribellius nuncup. Ord. Fratrum Min. tam de Obs., quam Conv. apud nos Viceprotector nobis retulerit, Monaſteria, ſeu domus Fratrum Conv. iu iſto Regno exſiſtentes, & illorum Fratres fere omues, ſub quorum cura, & regimine Moniales Conventuales prædictæ degebant, ad Obſervantiam reductos jam eſſe, ac Generali, & aliis Miniſtris Fratrum de Obſervantia obedientiam præſtitiſſe; nos volentes, quod Monaſteria Monialium, quæ ſub cura Fratrum Conv. hujuſmodi erant, ſub cura quoque, & gubernio eorumdem Fratrum de Obs. degant, Fraternitati tuæ ten. præs. mandamus, ne Monialium Monaſterii S. Claræ in ipſis præinſertis literis contenti curam recipias, vel ipſas literas tibi directas prædictas executioni ullatenus demandes, præcipientes in virt. S. Obedientiæ omnibus, & ſingulis dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus prædicti Monaſterii S. Claræ, quatenus Superioribus Fratrum S. Franciſci de Obs., prout alias ipſis præcepimus, & mandavimus, obedientiam, & reverentiam congruentes exhibere, illorumque ſalubribus mandatis, & monitis humiliter parere, illaque efficaciter adimplere procurent. Non obſtantibus præmiſſis, & quibusvis Conſtitutionibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XI. Maji Anno IV.

LXVIII.

Indulget, ut moretur in Cœnobio Minorum Conventualium Leoniſſæ. Ibidem pag. 266.

Dilectæ in Chriſto Filiæ Nobili Mulieri Margaritæ de Auſtria Duciſſæ Parmæ, & Placentiæ &c.

EXcellens tuæ fidei, & devotionis ſinceritas &c. Hinc eſt, quod nos tibi, ut quæcumque Monaſteria Fratrum cujusvis Ordinis in toto ſtatu tuo Aprutii conſiſtentia, & nominatim Monaſterium Conventualium S. Franciſci Terræ Leoniſſæ, una cum familiaribus Comitibus, Ma-

Matronis, & ancillis tuis ingredi, ibique, quoad volueris, hoſpitari, & habitare, attento quod in eadem Terra nulla alia habitatio pro uſu tuo commoda reperitur, & illius homines in ipſo Monaſterio habitationem ſatis commodam Nobilitati tuæ præpararunt, & non parvam impenſam in eo fecerunt, & Fratres ibidem commorantes a tui Comitatus commercio in ipſius Monaſterii parte penitus ſeparati, & ſecluſi exſiſtant, cumque inde diſceſſeris, ſumptus in aptandis hoſpitiis hujusmodi factos dicti Fratres ad eorum utilitatem habebunt; libere, licite, & ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſis, & valeas auctoritate Apoſtolica ten. præs. licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VII. Junii An. IV.

LXIX.

Inſtituit Viſitatorem Provinciæ S. Franciſci. Ibid. pag. 296.

Dilecto Filio Sebaſtiano de Ripa Tranſone Ord. Fratrum Min. de Obſerv. Profeſſori Commiſſario Noſtro.

CUM ſicut accepimus, Capitulum Provinciale Provinciæ S. Franciſci Ord. Fratrum Min. de Obſerv. in Domo S. M. Angelorum prope Civitatem noſtram Aſſiſii ab illius Fratribus, ut moris eſt, propediem ſit celebrandum, in quo inter alia Miniſter Provincialis, & Diffinitores dictæ Provinciæ eligi, & deputari ſoliti ſunt. Nos cupientes pro Noſtri Paſtoralis Officii ſollicitudine, ut vos, & negotia Prov. hujusmodi ab ipſis Fratribus proſpere dirigantur, & laudabiliter adminiſtrentur, nec non de tua probitate, prudentia, religione, & rerum experientia plurimum in Domino confiſi, Te Præſidentem dicto Capitulo Auctoritate Apoſtolica ten. præs. facimus, & deputamus, dantes tibi, & concedentes plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & poteſtatem ipſi Capitulo auctoritate noſtra præſidendi, & Fratres omnes, qui in eo Capitulo de jure, vel conſuetudine intervenire debent, & poſſunt, noſtro nomine in Domino hortandi, eisque etiam mandandi, ut illud, omnibus remotis mundanis affectibus, ſolumque Deum præ oculis habentes ſincere, & cum omni charitate celebrari curent, & ut id facilius ſuccedere queat, Te quatuor Fratres collegas ex iis, qui ſunt Reformati, alterius tamen Provinciæ, loco Patrum Diffinitorum zelatores Religionis, & Obſervantiæ ſecundum conſcientiam tuam eligere, & deputare valeas, ac inſuper duos, vel tres Fratres idoneos pariter alterius Provinciæ ex Reformatis, & zelo Religionis, & Obſervantiæ præditos, qui tibi videbuntur, eidem Capitulo proponendi ad effectum, ut unum ex eis in Miniſtrum Provincialem dictæ Provinciæ S. Franciſci eligant, quod ſi facere recuſaverint, aut diſtulerint, tu unum tibi beneviſum in Provincialem hujusmodi, remoto quocumque in Provincialem ab ipſo Capitulo contra tenorem præſentium electo, eligere, & deputare poſſis, cui ſic per te electo a Fratribus ipſius Provinciæ, aliisque perſonis obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas cum effectu præſtari, & exhiberi cures, & facias, nec non ea, quæ ad reformationem, & regularem Obſervantiam in dicta Prov. pertinere tibi videbuntur, in eodem Capitulo tractandi, ſtatuta ordinandi, resque, & negotia ipſius Provinciæ bene, & feliciter diſponendi, con-

contradictores, & tibi parere recuſantes per pœnas arbitrio tuo imponendas, demumque per ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas &c. puniendi &c. invocato &c. brachii ſæcularis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XX. Julii An. IV.

LXX.

Committit, ut transferat duas Moniales. Ibidem pag. 429.

Dilecto Filio Aloyſio Puteo de Burgo Novo Ord. Fr. Min. de Obſerv. Miniſtro Generali.

NUper pro parte dilecti Filii Lucæ del Pezzo Laici Nobilis Neapolitani fuit nobis expoſitum, quod ipſe duas filias Beatricem ſcilicet, & Conſtantiam in Monaſterio Monialium S. Antonii Civ. Sulmonen. Ord. S. Franciſci de Obſervantia Moniales habet. Quo quidem in Monaſterio, a certo tempore citra, ſolita cum vitæ bonitate, & ſanctimonia, ſub regularique, & ſtricta Obſervantia, quod nobis moleſtum fuit, minime vivitur, & propterea tam Pater, quam ejus filiæ Moniales prædictæ ſummopere deſiderant, ut videlicet ipſa Beatrix, & Conſtantia Moniales locum mutare, & ſe ad Monaſterium Monialium S. Euchariſtiæ Civ. Aquilanæ ejuſdem Ord., & Obſervantiæ arctioris Monialium, & magis laudabilis vitæ ſe transferre valeant. Quare tam Lucæ Patris, quem Beatricis, & Conſtantiæ Monialium ejus filiarum hujuſmodi nominibus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de ſupradictis certam notitiam non habentes, conſiderantesque, Te, cui pro tui Generalatus officio Monaſteria Monialium prædicta ſubeſſe dignoſcuntur, plenam de illis cognitionem habere, tibi negotium hoc demandandum duximus. Itaque ſi præmiſſa vera eſſe repereris, eiſdem Beatrici, & Conſtantiæ Monialibus, ut de dicto Monaſterio S. Antonii Sulmonen. ad Monaſterium S. Euchariſtiæ Aquilan. ſe transferre, & ibi perpetuo ſub ſuavi Religionis jugo, debitaque Obſervantia, & clauſura remanere, ac devotum Altiſſimo famulatum exhibere libere, & licite poſſint, ipſæque Moniales S. Euchariſtiæ eas benigne recipere, & retinere, ſinceraque in Domino charitate tractare debeant, mandandi, præcipiendi, ordinandi, prout tibi videbitur expedire, licentiam tibi concedimus, & facultatem per præſentes. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVIII. Decemb. An. IV.

LXXI.

Paulo de Carticeto ſocium adjungit Sanctum de Orta in reformatione Provinciæ Marchiæ. Ibidem lib. I. A. II.

Dilecto filio Sancto de Orta Ord. Fr. Min. de Obs. Profeſſori.

NUper per noſtras literas deputavimus Commiſſarium noſtrum dilectum fil. Paulum Carticetum Ord. Fr. Min. de Obs. Profeſſorem ad viſitandum, & reformandum Provinciam Marchiæ Anconitan. ejuſdem Ord. cum facultatibus tunc expreſſis, prout in dictis literis plenius

nius continetur. Volentes autem viſitationem, & reformationem hujusmodi ſine cujusquam ſuſpitione, juſtave querela fieri, Te dicto Paulo Carticeto in viſitatione, & reformatione prædictis facien.', in adjunctum damus, ita ut conjuuctim ipsam Provinciam viſitetis, reformetis, & corrigatis, & tam Capitulum Provinciale, quam alia quæcumque, quæ idem Paulus Carticetus Commiſſarius in dicta Provıncia literarum noſtrarum hujusmodi vigore facere poteſt, inſimul facere valeatis. Decernentes irritum, & inane &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Januarii An. IV.

Anno Christi 1570. Pii V. anno 5.

LXXII.

Chriſtinam remittit ad proprium Monaſterium, & Abbatiſſam conſtituit Veronicam Urſinam. Ibidem pag. 50.

Ad futuram rei memoriam.

CUM nos dudum pro reformatione Monaſterii Monialium S. Sylveſtri de Urbe Ord. S. Claræ dil. in Chriſto filias Chriſtinam, & quasdam alias Sorores, ſeu Moniales Monaſterii S. Cosmati etiam de Urbe, quarum nomina, & cognomina præſentibus haberi volumus pro expreſſis, in ipsum Monaſterium S. Sylveſtri introduci, dictamque Chriſtinam illi in officium Abbatiſſæ deputari curaverimus, nec non eidem Chriſtinæ Abbat., & aliis ſic introductis Monialibus, reformatione hujusmodi inſtituta, ſpem in primum earum Monaſterium redeundi dederimus, prout in noſtris literis desuper confectis plenius continetur; cumque jam ipsa reformatio adjuvante Domiuo feliciter cœpta fuerit, dictaque Chriſtina Abbatiſſa ad præsens, ob quasdam corporis indiſpoſitıones, quæ ſibi ſupervenerunt, officii Abbatiſſatus hujusmodi onus de facili ſuſtinere non poſſit, cupiatque una cum Sororibus cæteris ſuis, ſeu Monialibus, ut ſupra, introductis ad ſuum primum Monaſterium redire. Nos honeſtis earum votis paterne annuere, deſideriumque earum benigno affectu confovere volentes, ipsam Chriſtinam, omnesque alias tam Monaſterii S. Cosmati, quam S. Sylveſtri Monaſteriorum hujusmodi Moniales ab earum officiis, ipsorumque exercitio ex tunc prout, cum præscriptæ literæ eis intimatæ fuerint, auctoritate Apoſtolıca ten. præs. absolvimus penitus, & liberamus, nec nou eas in officiis hujusmodi ſe ulterius intromittere non poſſe, neque debere decernimus, ac mandamus, dictæque Chriſtinæ, & aliis Monialibus, ut præfertur, introductis ad earum primum Monaſterium redeundi licentiam concedimus. Volentes autem negotium cœptæ reformationis ad optatum finem perduci, factamque conſervari, mandamus dil. in Chriſto filiæ Veronicæ Urſinæ Moniali profeſſæ Monaſterii SS. Simonis, & Judæ Viterbien. dicti Ordinis S. Claræ, quatenus ſtatim cum majori, quo poterit, Monialium, ſeu Sororum per se eligendarum Monaſterii ſui numero ad Monaſterium S. Sylveſtri de Urbe prædictum ſe transferat, ipsæ vero Moniales, quas ſecum adduxerit, intra ſuum Monaſterium benigne, & humaniter recipiant, & admittant, in Vir. S. O., & ſub

& ſub arbitrii noſtri pœnis diſtricte præcipimus, & jubemus. Nos enim eamdem Veronicam in Abbatiſſam Monaſterii S. Sylveſtri hujuſmodi, cum primum illud ingreſſa fuerit, cum facultatibus, & præſertim deputandi Vicariam, & alias Officiales ex Monialibus, quas ſecum adducere contigerit, quas ad id aptiores eſſe cognoverit, nec non cum auctoritatibus, præeminentiis, honor., & oner. ſolit., & conſuetis auctoritate, & ten. præs. conſtituimus, deputamus, atque præficimus, decernentes, Chriſtinam, cæteraſque Moniales a Monaſterio S. Sylveſtri ad effectum redeundi ad ſuum primum Monaſterium egredi non poſſe, donec Veronica, & aliæ Moniales ſecum adducendæ prædictæ ad ipsum Monaſterium S. Sylveſtri pervenerint, & in illud introductæ fuerint. Mandantes etiam in virtute S. Obedientiæ, & ſub eiſdem pœnis Monialibus Monaſterii S. Sylveſtri, ut circa ea, quæ ſibi mandata fuerint, exſequenda, eidem Veronicæ Abbatiſſæ, nec non ejus Vicariæ, cæteriſque Officialibus per ipſam Veronicam Abbatiſſam, ut ſupra, deputandis, reverenter, & humiliter pareant &c., & inſuper Veronicæ Abbatiſſæ, & reliquis ſecum adducendis Monialibus prima vice, poſtquam dictum Monaſterium S. Sylveſtri ingreſſæ fuerint, confeſſis, & contritis, ac SS. Communionem ſumentibus plenariam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXII. Februarii An. V.

LXXIII.

Confirmat Clauſuram Mulierum, quæ habitum S. Claræ in Civitate Mexicana ſuſceperant. Ex regeſt. Vatican. pag. 67.

Dilectis Filiis Civitatis Mexicanæ Salutem &c.

QUod a nobis literis veſtris trigeſima Martii die ſuperioris anni datis poſtulaviſtis, ut quarumdam in iſta Civitate Feminarum, quæ habitum S. Claræ ſuſceperunt, clauſuram confirmare literis noſtris Apoſtolicis velimus, eiſque faciendæ profeſſionis poteſtatem permittere; id libenter, tum veſtro, tum Ven. Fratris Noſtri Archiepiſcopi veſtri teſtimonio adducti, fecimus; confirmationiſque literas Dilecto huic filio Stephano Faruſſino ad vos perferendas dedimus; quem quia virum bonum, ac pium cognovimus, idcirco dilectionibus Veſtris commendamus; cujus orationi in his, quæ vobis exponet, fidem habere poteritis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die II. Aprilis Anno V.

LXXIV.

Præficitur reformationi Monaſterii S. Mariæ Ægyptiacæ. Ex regeſt. Secretariæ Brevium pag. 102.

Dilecto Filio Stephano Molinæ Miniſtro Provinciali Terræ Laboris Ord. Min. S. Franciſci de Obs.

CUpientes pro Noſtri Paſtoralis officii cura Moniales Monaſterii S. Mariæ Ægyptiacæ Neapolitan. Ord. S. Claræ debite reformari, ad regu-

regularemque ſui Ord. diſciplinam, & Obſervantiam reduci, tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut tot Moniales, quot tu ad reformationem hujuſmodi neceſſarias eſſe judicaveris, ex Monaſterio S. Hieronymi Averſan. ejuſdem Ord. S. Claræ auctoritate noſtra educas, & ad ipſum Monaſterium S. M. Ægyptiacæ transferas. Nos enim tibi modernam Abbatiſſam, ſeu Miniſtram Monaſterii S. Mariæ, & alias ejus Officiales ab earum officiis, illorumque exercitio abſolvendi penitus, ac liberandi, ac deſtituendi, nec non eas in officiis hujuſmodi ſe ulterius intromittere non poſſe, neque debere decernendi, ac ſub pœnis tibi beneviſis mandandi, & in ipſarum ſic deſtitutarum locum alias dicti Monaſterii S. Hieronymi Moniales, tam in Abbatiſſam, ſeu Miniſtram, quam magis idoneam cenſueris, quam in alias quaſque Officiales hujuſmodi eadem auctoritate noſtra deputandi, & conſtituendi, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis etiam, de quibus tibi videbitur, Monialibus prædicti Monaſterii S. Mariæ, ut præfatas Moniales Monaſterii S. Hieronymi intra ſuum Monaſterium benigne, & humaniter recipiant, & admittant, & Abbatiſſæ, ſeu Miniſtræ, & aliis Officialibus a te deputandis, poſtquam, ut præfertur, deputatæ fuerint, reverenter, & humiliter, prout facere debent, pareant, & obediant, diſtricte præcipiendi, atque jubendi, cæteraque in præmiſſis neceſſaria, ſeu quodlibet opportuna gerendi, ordinandi, & exſequendi plenam, & liberam per eaſdem præſentes concedimus facultatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Aprilis Anno V.

LXXV.

Fit Epiſcopus Cathacenſis. Ex regeſt. Vaticano tom. 77. pag. 230.

Dilecto Filio Angelo de Averſa Electo Cathacen. ſalutem &c.

Apoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Cathacen., cui b. m. Aſcanius Epiſcopus Cathacen., dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Aſcanii Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi &c. Demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupat. Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, Theologiæ profeſſorem &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Cathacen. de perſona tua &c. providemus &c. Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem &c. Non obſtantibus &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas, profeſſionem fidei juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus interclusam, in manibus Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitan. expreſſe emittere tenearis. Nos enim eidem Archiepiſcopo per præſentes mandamus, ut a te recipiat hujuſmodi fidei profeſſionem. Cæterum nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem dictæ Sedis habente munus conſecrationis ſuſcipere valeas, ac eidem Antiſtiti, cum recepto prius a te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam, quam alia Bulla noſtra mittimus etiam interclusam, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus

dimus facultatem. Volumus tamen, & auctoritate præfata ſtatuimus, atque decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Antiſtitem prædicto juramento idem Antiſtes munus prædictum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ille, quam tu ab adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quam temporalibus Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo, quodque propter hoc prædicto Archiepiſcopo, cui dicta Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur, ac etiam volumus, quod a te tunc factæ profeſſionis fidei, & præſtiti juramenti formas nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras tuo ſigillo munitas, per proprium Nuntium quam citius deſtinare procures.

Datum Romæ apud S. Petrum Pridie Idus Aprilis Anno V.

LXXVI.

Eligitur S. Romana Eccleſia Cardinalis. Ibidem tom. 69. pag. 108.

Dilecto Filio Felici S. R. E. Presbytero Cardinali de Montealto nuncupato ſalutem &c.

Romana Eccleſia, quæ dignitatum plurimarum præſertim ſublimium continuo ſplendore refulget, in illarum diſtributione perſonis excellenti virtute pollentibus, quas divina ſuperveniens largitas multiplicium decoravit munere gratiarum, vehementer lætatur, ut illarum conſilio, & auctoritate munita in ſuo ſolido, & felici ſtatu valeat conſervari, & a quibusvis adverſis ſucceſſu temporis præſervari. Attendentes igitur, quam gravia nobis, & huic Sedi Apoſtolicæ incumbant peragenda negotia, & indubie ſperantes, quod tu, qui in officio Generalatus totius Ordinis Fratrum Minorum, cui aliquamdiu præfuiſti, ita egregie te præſtitiſti, ut etiam poſtquam Eccleſiæ S. Agathæ te præfecimus, etiam eidem Ordini per aliquot menſes Commiſſarium Generalem deputare coacti fuerimus, præterquam quod ob ingenii claritatem, præclaram doctrinam, eximiam integritatem, ſingularem prudentiam, in arduis magnanimitatem, in conſulendo gravitatem, & in peragendo diligentiam, ac rebus denique omnibus ſummam circumſpectionem, quas in te etiam, antequam ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumeremur, evidentiſſime comprobatas eſſe cognovimus, ac poſtquam ad illum aſſumpti fuimus, etiam in officio Inquiſitionis tuam operam neceſſariam cognoſcentes, illa liberaliter uſi ſumus, eidem Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ eſſe poteris multipliciter utilis, ac etiam fructuoſus, & nobis, dum in humanis fuerimus, ac Romano Pontifici pro tempore exſiſtenti in negotiorum nobis, & eidem Pontifici pro tempore incumbentium votiva, & utili expeditione, ac ſublevatione onerum, quæ continuo graviora noſtris humeris incumbere cernimus, valde proficuus; ac propterea habita ſuper his cum Venerabilibus Fratribus noſtris ipſius Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, de illorum unanimi conſilio, & aſſenſu ad omnipotentis Dei laudem, & honorem, ipſiusque Eccleſiæ exaltationem, Te in ejusdem Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Apoſtolica auctoritate, & ex certa ſcientia noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium aſſumimus, & Presbyterum Cardinalem creamus, pronuntiamus, & pu-

blicamus, ac dictorum Fratrum noſtrorum cœtui, numero, & collegio cum dignitate, auctoritate, præeminentia, honoribus, privilegiis, & emolumentis conſuetis favorabiliter aggregamus, teque Cardinalem fore, & eſſe; ac pro Cardinali haberi debere, ac plenum jus Cardinalatus in re quæſitum eſſe decernimus, & pronunciamus, teque ſolita benedictione benedicimus, & ex nunc in Cardinalatum, & ipſorum Fratrum noſtrorum Ordinem, eorumque Collegium una cum eiſdem Fratribus de ſimili conſilio, & aſſenſu, ac eiſdem auctoritate, ſcientia, & poteſtatis plenitudine recipimus, & admittimus, ac recipiendum, & admittendum, nec non quæ in tantæ dignitatis decus aſſumptis pro tempore in Cardinales noſtri Prædeceſſores impendi, & exhiberi conſueverunt, tibi impendenda, & exhibenda eſſe decernimus. Non obſtantibus &c. decernentes propterea, Eccleſiam S. Agathæ hujusmodi non vacare. Irritum quoque, & inane &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Junii Anno V.

LXXVII.

Ut immittat Moniales in Monaſterium Solofræ. Ex regeſt. Secret. Brevium lib. I. A. II. pag. 204.

Dilecto Filio Stephano Molinæ Miniſtro Provinciali Terræ Laboris Ord. Min. S. Franciſci de Obſervantia.

CUM, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto filia Ducisſa Gravinæ in diſtrictu Terræ Solofræ Salernitan. Diœc. Monaſterium Monialium Ord. S. Claræ erexerit, & Moniales ad ipſum regundum idoneæ in illud propterea introductæ ad præſens deeſſe videantur, & dilectæ in Chriſto filiæ Juſtinianæ Urſinæ Moniali omnis cura, & gubernium dicti Monaſterii nunc incumbat, difficileque ſit, per ipſam onus regiminis hujusmodi ſuſtineri. Nos pro noſtri Paſt. Officii cura, ut Monaſterium hujusmodi, ejusque Moniales feliciter dirigantur, & juxta regularia ſui Ord. inſtituta ſalubriter gubernetur, providere volentes, tibi duas Moniales ætatis provectæ, ac probatæ vitæ ad hoc idoneas a te eligendas ex Monaſterio S. Hieronymi de Averſa ejusdem Ord. ad prædictum Monaſterium Solofræ transferendi, & eas in illud ad effectum, ut dictam Juſtinianam in regimine ipſius Monaſterii coadjuvare poſſint, introducendi, ac Monialibus ejusdem Monaſterii S. Hieronymi, ut duas Moniales hujusmodi e ſuo Monaſterio exire permittant; Moniales vero Monaſterii Solofræ eas benigne recipere debeant, ſub pœnis tibi beneviſis, mandandi, & præcipiendi, aliaque circa hæc neceſſaria, & opportuna faciendi, & exſequendi plenam, & liberam per præſentes concedimus facultatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVIII. Junii Anno V.

LXXVIII.

Pro Conventu S. Franciſci Hieracen. Ibidem pag. 266.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Reginen.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Conventus Domus Fratrum Conventualium S. Franciſci Hieracen., quod licet olim, & a cir-

a circiter CLX. annis tunc Barones, & Domini in temporalibus Civitatis Hieracen. quamdam Capellam ſub invocatione B. Mariæ de Jeſu in Eccleſia domus dicti Conventus fundaverint, illamque annuatim in 130 ducatis monetæ Regiæ Neapolitanæ dotaverint, ſtatuendo, & ordinando, quod eidem Capellæ per duos deputatos Capellanos Fratres dictæ domus deſerviretur, quibus certa portio ex fructibus ipſius Capellæ daretur, & aſſignaretur; Reliqui vero fructus eſſent pro ſervitio, neceſſitate, & reparatione dictarum Eccleſiæ, & Capellæ, ſicque a tempore dictæ fundationis citra continue, & ſemper obſervatum, eidemque Capellæ per Fratres dictæ domus Capellanos deſervitum, ipſaque Capella per dictam domum in commune pacifice poſſeſſa fuit: tamen a tribus menſibus citra, vel circa Venerabilis Frater modernus Epiſcopus Hieracenſis prædictos Fratres de facto eadem Capella ſpoliavit, ad dictam Eccleſiam perſonaliter accedendo, & poſſeſſionem ipſius Capellæ capiendo, ac quemdam Presbyterum ſæcularem in Capellanum ejuſdem Capellæ deputando, nec non ab inde citra ſervitium ipſius Capellæ per dictum Presbyterum sæcularem continuari faciendo in grave ipſorum Fratrum damnum, & præjudicium, ac plurimorum ſcandalum. Propterea dicti Fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus ſibi in præmiſſis de opportuno remedio providere dignaremur. Nos, cui cordi eſt, unicuique quod ſuum eſt reſtituere, & ſcandalis quantum in nobis eſt, ne occurrant, obviare volentes, ipſoſque Fratres, eorumque ſingulos a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus cauſam, & cauſas hujusmodi, ac etiam dicti ſpolii, & totius negotii principalis, nec non præmiſſorum omnium, & ſingulorum attentatorum, ac innovatorum quorumcumque, nec non quam, & quas ipſi Fratres habent, & movent, habentque, & movere volunt, & intendunt contra, & adverſum dictum Epiſcopum, ac etiam ab eodem Epiſcopo deputatum Capellanum, omneſque alios ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes, & in decreto, ſeu executione citationis præſcriptum vigore decernendæ nominandos de, & ſuper præmiſſis, rebusque aliis &c. etiam ſummarie, ſimpliciter, ac de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, cum omnibus, & ſingulis ſuis inciden. dependen. emergen. annexis, & connexis, ac toto negotio principali audire, cognoſcere, decidere, fineque debito terminare auctoritate noſtra Apoſtolica cures. Nos enim tibi &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Julii An. V.

LXXIX.

Confirmat Capitulum Generale Romanum. Ex authentico Originali impreſſo, & ſubſcripto ab Alexandro Cardinali Cribellio Viceprotectore Ordinis die XXVI. Julii ad inſtantiam Franciſci de Viſono Commiſſarii in Curia Romana.

Dilectis filiis Chriſtophoro de Capite Fontium Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Miniſtro, & Bonaventuræ de Clavaro dicti Ordinis Commiſſario Ciſmontano Generalibus.

CUM, ſicut accepimus, ſuperioribus diebus dilecti Filii Capitulum Generale nuncupatum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in

domo S. Mariæ de Aracæli in noſtra Urbe Roma dicti Ordinis, ut moris eſt, congregati, habitis prius &c. Te Chriſtophorum de Capite Fontium in ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem juxta &c. elegerint, & Te Bonaventuram de Clavaro in Commiſſarium Generalem ejusdem Ordinis pro Ciſmontana Familia majori, & ſaniori Vocalium in id conſenſientium Fratrum Ultramontan. &c. elegerint &c. *Sequitur ut in Tomo XIX. Annalium pag. 175.*

Datnm Romæ apud S. Petrum die XXII. Julii An. VI.

LXXX.

Eligitur Epiſcopus Daventrienſis. Ex regeſt. Vaticano lib. 4. pag. 171.

Dilecto Filio Ægidio Electo Daventrien. Salutem &c.

APoſtolatus officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Daventrien., ex eo quod Nos nuper Venerabilem Fratrem Noſtrum Joannem &c. tranſtulimus, per tranſlationem hujusmodi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos &c. Demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem in Provincia Inferioris Germaniæ ipſius Ordinis Provincialem Miniſtrum &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Daventrien. de perſona tua providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen &c.

Datum Romæ apud S. Petrum III. Idus Auguſti Anno V.

LXXXI.

Fit Epiſcopus Aladenſis. Ibidem pag. 339.

Dilecto Filio Donato Oghalcur Electo Aladen. Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Aladen. &c. ex eo quod Nos nuper Venerabilem Fratrem Noſtrum Rodimundum Epiſcopum Aladen. a vinculo &c. cui dictæ Eccleſiæ Aladen. &c. tenebatur &c. tranſtulimus &c. per translationem eamdem Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujusmodi &c. Demum ad Te Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia Presbyterum &c. expreſſe profeſſum &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Aladen. de perſona tua &c. providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Pridie Nonas Septembris An. V.

LXXXII.

Præficitur Eccleſiæ Portusdivitis. Ibidem pag. 163.

Dilecto Filio Emmanueli de Mercado Electo Sancti Joannis Inſulæ de Puertorico Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Sancti Joannis Inſulæ de Puertorico in Indiis Maris Oceani conſiſten., ex eo quod Nos nuper Venerabilem Fratrem noſtrum Andream &c. tranſtulimus

mus, per tranſlationem eamdem Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos &c. Demum ad Te Presbyterum Ordinis Sancti Franciſci Profeſſorem, & Verbi Dei Concionatorem &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ de perſona tua &c. providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen &c.
Datum Romæ apud S. Petrum Pridie Nonas Septembris Anno V.

LXXXIII.

Fit Epiſcopus de Jucatan. Ibidem pag. 178.

Dilecto Filio Hieronymo de Albarnoz Electo Jucatan. Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Jucatan. in partibus Indiarum Maris Oceani conſiſten. &c. cui bonæ memoriæ Franciſcus Epiſcopus Jucatan. &c. per obitum dicti Franciſci Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos &c. Demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, & Verbi Dei Concionatorem, & juxta dicti Ordinis Miniſtri Generalis teſtimonium ad alios edocendum idoneum &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Jucatan. de perſona tua &c. providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen &c.
Datum Romæ apud S. Petrum VI. Idus Novembris An. V.

LXXXIV.

Fit Epiſcopus Litterenſis. Ex regeſt. Vaticano tom. 78. pag. 355.

Dilecto Filio Aurelio de Urceis Novis Electo Litteren. Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. gubernare. Dudum ſiquidem &c. Poſtmodum vero Eccleſia Litteren., cui b. m. Philippus Epiſcopus Litteren., dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Philippi Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujusmodi &c. Demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſorem &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. præfatæ Eccleſiæ de perſona tua &c. providemus &c. Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem &c.
Datum Romæ apud S. Petrum VI. Idus Novembris, Anno V.

LXXXV.

Reformat Moniales S. Mariæ Magdalenæ. Ex regeſt. Secretariæ Brevium ibidem pag. 449.

Dilecto Filio Stephano Molinæ &c. ut ſupra.

CUpientes pro noſtri Paſtoralis Officii cura Moniales Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ ſub regula S. Auguſtini Neapolitan. curæ Fr. Min. de Obſ. ſubjecti debite reformari, tibi mandamus, ut quatuor Moniales ex Monaſterio ejuſdem Ordinis S. Auguſtini Aquilan. Auctoritate noſtra, cum conſenſu ſuorum Superiorum educas, & ad ipſum Monaſte-

naſterium S. Mariæ Magdalenæ transferas. Nos enim tibi modernam Abbatiſſam, Vicariam &c. ab officiis &c. abſolvendi facultatem impertimur.
Datum Romæ apud S. Petrum die X. Novembris An. V.

LXXXVI.

Pro indictione Capituli Generalis. Ibidem pag. 395.

Dilecto Filio Joanni Pico Ordinis Minorum Conventualium Vicario Generali.

Cupientes pro noſtri Paſtoralis Officii ſollicitudine, ut Capitulum Generale tui Ord. Fr. Min. Conv., quod, ſicut accepimus, pro electione novi Magiſtri Generalis ejusdem Ord. facienda, aliisque rebus, & negotiis veſtris dirigendis in feſto Pentecoſtes proxime futuro, ut moris eſt, dante Domino, celebrabitur, recte, pacifice, & ſincere procedat, tibi per præſentes committimus, & mandamus, quatenus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ipsum Capitulum in feſto Pentec. proxime futuro anno Domini MDLXX. in Civ. noſtra Camerin. celebrandum indicere, illudque intimare, ac convocandos convocare, & omnino ipſi Capitulo auctoritate noſtra præſidere procures. Tibi enim, ut tam præmiſſa, quam, ſervata forma conſtitutionum noſtrarum editarum, omnia, quæ pro reformatione dicti tui Ordinis, illiusque Fratrum, & perſonarum fieri debere, & expedire cognoveris, & judicaveris, facere, & exsequi libere, & licite valeas, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica ten. præs. concedimus facultatem. Confirmationem tamen electionis ipſius Generalis dicti Ordinis Nobis, & Succeſſoribus noſtris, prout hactenus ſervatum fuit, reſervamus. Non obſtantibus &c.
Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Novembris An. V.

LXXXVII.

Cœnobium S. Franciſci Sarni datur Obſervantibus. Ex Archivo ejusdem Cœnobii.

Ad futuram rei memoriam.

In Sede B. Petri, meritis licet imparibus, conſtituti ad ea libenter intendimus, per quæ Monaſteriorum quorumlibet proſpero ſtatui, & ad meliorem normam reductioni, ſalubrique directioni opportune conſulitur, ut Regularia Inſtituta in eis vigeant, ac depravata in priſtinum candorem reſtituantur. Hinc eſt, quod Nos cupientes Monaſterium Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium Civitatis Sarnen. in Regno Neapolitano ad Regularem Obſervantiam reducere, ac Fratres Ordinis Minorum de Familia nuncupatos ad hunc effectum in illud introducere, ipſumque eis habitandum concedere, motu proprio &c., ex juſtis, & rationabilibus cauſis ad hoc animum noſtrum moventibus &c. Domum, ſeu Monaſterium Fratrum Conventualium hujusmodi a gubernio, regimine, & ſuperioritate Fratrum Conventuallum prædictorum, eorumque Magiſtri Generalis, ſeu Vicarii, ac Provincialis, & aliorum quorumcumque Superiorum, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tollimus, ac dismembramus, penitusque, & omnino ſeparamus, eximimus, & liberamus, illamque, & illud una cum omnibus ejus rebus, ſup-

ſuppellectibus, paramentis, & aliis bonis quibuſcumque mobilibus ipſi Ordini de Obſervantia perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ac ſub moderni, & pro tempore exsiſtentis Miniſtri Provincialis Provinciæ Neapolitanæ, ſeu Terræ Laboris gubernio, poteſtate, viſitatione, correctione, & obedientia ſupponimus, ac ſubjicimus; ita ut ſtatim pueros habitu hujusmodi exuere, & exutos ad domos eorum Parentum, aut Conſanguineorum remittere, nec non Fratres Conventuales, & personas in ipso Monaſterio nunc degentes, etiam recuſantes, inde amovere, & expellere, & in illud loco eorum alios Fratres de Obſervantia ſuæ Provinciæ, quos ſibi videbitur, intromittere, & ibi habitare, & commorari facere, vel ſi Fratres ibi exsiſtentes, vel aliqui ex Fratribus prædictis ſub Regula, & Obedientia Fratrum de Obſervantia permanere voluerint, tunc idem Miniſter Provincialis, eos benigne recipere, & tractare debeat, ac teneatur, eosque, vel ibi remanere, vel ad alia ejusdem Provinciæ, ſeu alterius dicti Ordinis de Obſervantia Monaſteria, ſeu loca transmittere, & collocare libere, & licite poſſit, & valeat, ac totaliter, & plenarie ſuppoſitum, & ſubjectum fore, & eſſe decernimus, & mandamus, & ſic ab omnibus cenſeri, & interpretari debere volumus. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, & aliis arbitrio noſtro declarandis pœnis moderno, & pro tempore exſiſtenti Fratrum Conventualium hujusmodi Magiſtro, ſeu Vicario Generali, ac Provincialibus, nec non Guardiano, & Fratribus de Monaſterio, ut ſtatim viſis præſentibus, nulla mora, aut excuſatione interpoſita, Domum, & Monaſterium hujusmodi Miniſtro, & Fratribus de Obſervantia prædictis tradant, conſignent, & relaxent, eosque ad curam, gubernium, & regimen illius obedienter recipiant, & admittant, ſeu eos auctoritate propria poſſeſſionem capere, nulloque modo impedire debeant; nec ipsos Fratres de Obſervantia in poſterum directe, vel indirecte quovis quæſito colore, vel ingenio ſuper gubernio, adminiſtratione, & poſſeſſione ejusdem Monaſterii quomodolibet moleſtare, impedire, inquietare, vel perturbare audeant, vel præſumant. Irritum enim decernimus, & inane &c. Non obſtantibus &c. Volumus autem, quod de bonis ſtabilibus dicti Monaſterii nihil ab aliquo fieri præſumatur, aut disponatur, ſed illa bene, & fideliter cuſtodiantur, & adminiſtrentur, donec per nos, quid de illis agendum fuerit, ordinabitur.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIV. Novembris Anno V.

LXXXVIII.

Reformat Domos Malarienſes. Ex regeſt. Secretariæ Brevium ibidem pag. 409.

Venerabili Fratri Epiſcopo Malarien.

Nuper per nos accepto, Monaſterium Monialium Virginum nuncupat. Ord. S. Claræ, & unum Puellarum Orphanarum, ac alterum domus Mulierum convertitarum, Repentitarum vulgo etiam nuncupatarum, & perſonas inibi degentes Oppidi Trapani Civitatis nuncupat. Malarien. Diœceſis ex dilectorum filiorum Fratrum Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupat., ſub quorum cura, & regula Monaſterium, & domus hujuſmodi vixerunt, & adhuc vivunt, minus ſalutari

ri admonitione aliqua paſſa detrimenta, & in futurum, niſi per noſtram circumſpectionem vigili more paſtoris opportune ſuccurreretur, forſan majora in dies eſſe paſſura, niſi præſenti remedio per nos eiſdem provide ſubveniretur. Motu igitur proprio &c. Moniales, Orphanas, & Convertitas, & alias perſonas in Monaſterio, & domibus hujuſmodi nunc, & pro tempore degent. a regimine, cura, gubernio, & omnimoda poteſtate, juriſdictione, correctione, obedientia, & ſuperioritate eorumdem Fratrum, ita quod ipſi Fratres nullam amplius jurisdictionem, ſuperioritatem, aut regimen, & gubernium contra Moniales, Orphanas, & Convertitas hujuſmodi quam civiliter, quam criminaliter exercere, ſeu alias ſe intromittere poſſint, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium perpetuo eximimus &c. ac jurisdictioni, curæ, regimini; gubernio, ac protectioni tuis, & pro tempore exſiſten. Malarien. Epiſcoporum ſubjicimus. Quocirca &c. Non obſtantibus &c.

In alio exemplari legitur: die XV. Octobris.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Decembris Anno V.

LXXXIX.

Reformat Monaſterium S. Claræ Neapolis. Ibidem pag. 32.

Dilecto filio Stephano Molinæ Miniſtro Provinciæ Neapolis Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

Cupientes pro noſtri paſtoralis Officii cura, Moniales Monaſterii S. Claræ Neapolitan. debite reformari &c. tibi per præſentes committimus, ut quatuor Moniales ex Monaſterio SS. Corporis Chriſti, aut SS. Euchariſtiæ Aquilan. ejuſdem Ordinis S. Claræ auctoritate noſtra cum conſenſu ſuorum Superiorum educas, & ad ipſum Monaſterium S. Claræ transferas. Nos enim tibi modernam Abbatiſſam, Vicariam, Sacriſtam, & Portinariam dicti Monaſterii S. Claræ ab officiis, illorumque exercitio abſolvendi &c. facultatem impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die II. Januarii Anno V.

Anno Christi 1571. Pii V. anno 6. & 7.

XC.

Ornat privilegiis Fratres in Indiis degentes. Ibidem pag. 13.

Ad futuram rei memoriam.

Quo Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Catholicum in propagandis Chriſtianæ ditionis finibus diligentem, ac ſollicitum eſſe videmus, eo ſumma nos ope niti decet, ut quos ipſe Philippus Rex Dei Omnipotentis auxilio Imperio ſuo ſubjecit, eos in fide Catholica, & Religioue Chriſtiana erudiri, & retineri ſedulo curemus. Cum itaque, ſicut ipſe Philippus Rex exponi nobis nuper fecit, dilecti filii Fratres Mendicantium Ordinis, & maxime Minores Regularis Obſervantiæ adeo ſemper & dignitate, & fama inter Religioſos claruerint, ut felicis recordationis Adrianus PP. VI. Prædeceſſor noſter

noſter per ſuas in forma Brevis literas ad ſupplicationem Cla. me. Caroli V. Roman., & Hiſpaniarum Regis tunc in Imperatorem electi, in partes Indiarum ditioni ſuæ ſubjectarum ad prædicandum populo Indico Evangelium mitti voluerit, ipſique Fratres in illis partibus tantum profecerint, ut Rempublicam Chriſtianam mirum in modum auxerint, auctamque confirmaverint. Nos, qui ex injuncta nobis cura paſtorali ad ea, quæ ſalutem animarum concernunt, intendere ſuper omnia tenemur, exiſtimantes, eos maxime idoneos eſſe, qui illuc ad vineam Domini augendam, & colendam mittantur, ipſius Adriani Præd. veſtigiis inhærentes, ac literarum dicti Præd. tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, ejuſdem Philippi Regis &c. ſupplicationibus inclinati ſtatuimus, & ordinamus, ut omnes Fratres Ordinis Mendicantium præſertim Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ a ſuis Prælatis nominati, qui Domini ſpiritu ducti ultro, ac ſponte voluerint, ad partes Indiarum præfatarum cauſa convertendi, & inſtituendi, ac confirmandi in dicta fide Indiarum incolas ſe transferre, libere, & licite poſſint, & valeant, dummodo tamen ſint talis ſufficientiæ in vita, & doctrina, quod eidem Philippo Regi, aut Conſilio ſuo ſint grati, ac tanto operi idonei, ſuper quo conſcientias eorum, qui eiſdem Fratribus præſident &c. oneramus. Et ut in tam ſancto opere meritum obedientiæ non deſit, omnibus, qui, ut præfertur, nominati fuerint, ac ſe ſponte obtulerint, ad meritum obedientiæ præcipimus, ut prædictum iter, & opus exemplo diſcipulorum Chriſti Domini noſtri exſequantur &c. Sed ne forte numerus Fratrum hujuſmodi ſit tantus, ut pariat confuſionem, volumus, ut ipſe Philippus Rex, aut ſuum Conſilium prædictum aſſignet, & præfigat numerum Fratrum mittendorum. Tales autem Fratres ſic nominati, ſeu licentiari ab eorum Superioribus, etiamſi ſint in officiis confeſſionis, prædicationis, lectionis, Guardianatus, Cuſtodiatus, Miniſteriatus, Provincialatus, Commiſſariatus Generalis, quibus non obſtantibus, transferri poſſint, & debeant. Verum ne prædicti Fratres ſint veluti oves ſine Paſtore, ſtatuimus, & ordinamus, ut ex ſeipſis valeant eligi duo, vel tres per ejuſdem Ordinis Generalem Miniſtrum ante eorum diſceſſum, quorum unus per eos, ſeu eorum majorem partem, dum illuc appulerint, nominandus eis præſit ad ſeptennium, quo finito, alii duo per eumdem Generalem Miniſtrum electi ſucceſſive, arbitrio eorumdem Fratrum, illi ſuccedant Præfecti per dictum tempus ſeptennii, approbandi tamen per dicti Ordinis Generalem Miniſtrum pro tempore exſiſtentis, & qui fuerit ſic nominatus, & approbatus in dictis terris eis præſit juxta ſuas Conſtitutiones, prout in Hiſpania fieri conſuevit &c. maneantque omnes ſemper in obedientia Generalis Miniſtri, & Capituli Generalis; decernentes, quidquid abſque noſtro conſenſu, & mandato ſuper his fuerit attentatum, nullius eſſe momenti. Et quia prædictæ terræ Indiarum valde diſtant a partibus, ubi Generalis Miniſter degere conſuevit, ac propterea difficile foret, ad eum recurrere in caſibus ad eumdem Generalem Miniſtrum pertinentibus, per præs. concedimus, ut Fratres, qui pro tempore aſſumentur ad regimen aliorum Fratrum in dictis terris Indiarum &c. habeant in utroque foro ſuper Fratres ſibi commiſſos omnem auctoritatem, & facultatem, quam Generalis Miniſter, ſub cujus obedientia ſemper manere debent, poſſitque prædictam auctoritatem limitare, & arctare, prout ei viſum fuerit, ac inſuper, ut converſio Infidelium prædictorum, & eorum in dicta fide confirmatio melius fieri valeat,

valeat, & ſaluti animarum incolarum partium Indiarum hujuſmodi provideatur, volumus, & prædicta Auctoritate decernimus, quod prædicti Prælati, & alii, quibus ipſi de Fratribus ſuis in dictis Indiarum partibus commorantibus duxerint committendum, in partibus, in quibus nondum fuerint erectæ Cathedrales Eccleſiæ, vel ſi fuerint, tam infra duarum dictarum ſpatium, ubi ipſi, vel Officiales eorum inveniri minime poſſint, tam quoad Fratres ſuos, & alios cujuſcumque Ordinis, qui ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac ſuper Indos ad fidem Chriſtianam converſos, quam etiam alios Chriſticolas ad dictum opus eoſdem comitantes, auctoritate, qua Epiſcopus, in foro conſcientiæ uti valeant pro converſione, & confirmatione, immo pro earumdem Indiarum partium manutentione, & profectu illarum, & aliorum prædictorum in fide Catholica, & obedientia S. R. E., ac ipſorum Prælatorum, pro tempore exſiſten. omnibus indultis in genere, vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant &c. Irritum, & inane ſi ſecus ſuper his &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIV. Januarii Anno VI.

XCI.

Reformat Fratres Provinciæ Boſnæ Argentinæ. Ibidem pag. 21.

Venerabili Fratri Bonifacio Epiſcopo Stagnenſi.

CUM, ſicut non ſine animi noſtri moleſtia accepimus, Monaſteria, & loca, nec non Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obs. Provinciæ Boſnæ Argentinæ non parva reformatione indigere. Nos pro noſtro paſtorali Officio volentes Monaſteria, domus, & loca, ac Fratres hujuſmodi, prout decet, reformari, & ad ſui Ord. Regulam Obs. laudabiliaque Inſtituta reduci, atque reponi, nec non de tua prudentia, integritate, ac Catholicæ Religionis zelo plene in Domino confiſi motu proprio &c. tibi per præſentes committimus, & mandamus, ut ad quæcumque Monaſteria, domos, & loca Ord. Minorum de Obs. Provinciæ Boſnæ Argentinæ prædictæ, quamprimum commode poteris te conferas, eorumque Guardianos, Vicarios, Fratres, ac alias perſonas tam in capite, quam in membris auctoritate noſtra viſites, & ea, quæ ibi reformatione indigere cognoveris &c. corrigas, & reformes, delinquentes repertos, præſertim Apoſtatas &c. punias, & caſtiges. Præterea quaſcumque altercationes, controverſias, & diſſenſiones, quas inter Fratres Provinciæ hujuſmodi eſſe repereris, componere, & extinguere pro virili tua ſtudeas &c. nec non Capitulum Provinciale &c. convocare, ac celebrare, atque ab Eccleſis, Capellis, & Oratoriis Fratres Apoſtatas tam ejuſdem, quam alterius Provinciæ detentos, & occupatos, ea qua fieri poterit dexteritate, & diligentia, etiam abſque Miniſtrorum licentia amovere, ipſoſque Apoſtatas inde ejicere, & expellere cures. Nec non ſi aliquem dicti Ordinis Fratrem ſuſpectum de hæreſi, vel hæreſim ſapientem prædicare repereris, volumus, ut perſonarum Religioſarum depoſitiones accipias, & in ſcriptis redigas, clare, & diſtincte errores exprimendo, atque ſpecificando, proceſſumque deſuper formes, & facias, & poſtquam confectus fuerit, illum ſub tuo, alteriuſque perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillis clauſum ad Officium

ficium Inquiſitionis Almæ Urbis noſtræ quamprimum tranſmittas. Super quibus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXV. Januarii Anno VI.

XCII.

Indulget, ut maneat in Monaſterio S. Joannis de la Penna. Ibidem pag. 31.

Dilecto Filio Miniſtro Provinciali, ſeu Guardiano Ordinis Minorum S. Franciſci de Obs. Monaſterii Monialium S. Joannis de la Penna Abulen. Diœceſis Superiori.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Franciſca de Belem, ac Magdalena del Sepulchro Moniales, quod poſtquam ipſæ Monaſterium Monialium Conceptionis Oppidi de Orapeſa ingreſſæ habitum per ipſas Moniales geſtari ſolitum ſuſcepiſſent, profeſſionemque emiſiſſent regularem, poſtmodum inde ad Monaſterium Monialium S. Franciſci ſub regula S. Claræ S. Joannis de la Penna nuncup. in Oppido de Belvis Abulen., ſeu alterius Diœceſis, per dilectam in Chriſto filiam Nobilem Mulierem Comitiſſam de Orapeſa, ut accepimus, fundatum &c. de Superiorum licentia introductæ fuerunt, ubi per ſeptem jam annos ſatis laudabiliter, & cum non parva aliarum Monialium ſpirituali conſolatione, & fructu commoratæ ſunt, & commorantur de præſenti. Cum autem Franciſca, & Magdalena prædictæ in dicto Monaſterio S. Joannis, quoad vixerint, permanere, ac habitum per ipſius Monaſterii S. Joannis Moniales geſtari ſolitum ſuſcipere, ac profeſſionem regularem emittere magnopere deſiderent, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi &c. providere dignaremur. Nos igitur &c. inclinati, Tibi, ut conſtito de præmiſſis, eiſdem Franciſcæ, & Magdalenæ habitu per Moniales Conceptionis geſtari ſolito dimiſſo, habitum S. Claræ hujuſmodi ſuſcipiendi, & juxta Regulam ejuſdem S. Claræ etiam ante annum, vel poſt plures annos in prædicto Monaſterio, ſi voluerint, profeſſionem regularem emittendi, & in dicto Monaſterio S. Joannis, quoad vixerint, permanendi licentiam, & facultatem tribuere poſſis, & valeas Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Februarii Anno VI.

XCIII.

Privilegium lucrandi Indulgentias in feſto S. Annæ. Ex regeſt. Vaticano tom. 12. pag. 105.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem &c.

SUper gregem Dominicum &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia, ſeu Capella ſub invocatione Sanctæ Annæ extra muros Oppidi de Abarea Palentin. Diœc., ad quam, ſicut accepimus, dilectus Filius Joannes Reinoſo Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupat. profeſſor magnum gerit devotionis affectum, in majori veneratione habeatur, & a Chriſtifidelibus jugiter veneretur, de omnipotentis Dei miſericordia, & B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis

utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſingulis annis dictam Eccleſiam, seu Capellam in Sanctæ Annæ feſtivitatis die a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei devote viſitaverint, & inibi pro fidei Catholicæ exaltatione, & hæreſum extirpatione pias ad Deum preces fuderint, quoties id fecerint, toties ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus, Præſentibus &c. perpetuo duraturis.

Datum Romæ apud S. Petrum Pridie Kal. Martii Anno VI.

X C I V.

Eximit ſcrupulos viro Religioſo. Ex regeſt. Secret. Brevium pag. 12.

Dilecto Filio Joſepho de Roccaberti Fratri Ordinis S. Franciſci de Obs. in Provincia Cataloniæ commoranti.

CUM ex fide dignorum teſtimoniorum nuper acceperimus, quod tibi, qui jamdudum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia expreſſe profeſſus exſiſtis, dum ejus regulam exactiori diligentia obſervare contendis, circa illius obſervationem quidam ſe injiciunt ſcrupuli, & dubitationes, quæ ſæpe animum tuum perturbant, ac pungunt. Quare te hortamur in Domino, ut attente conſideres, B. Franciſcum ſui Ordinis regulam, eo Auctore, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, inſtituiſſe, quodque in ea optima pars eſt Charitas, & propterea ipſius Ordinis majores Patres, & Religioſos, qui ſanctitate vitæ, doctrina, ætate, uſu, & rerum experientia præcellunt, in omnibus, quæ ad communem ipſius Ordinis regulam, & illius plenam Obſervantiam pertinent, imiteris, & cum eis ſentias, & ubi ii ſcrupulos non ponunt, ibi nec tu ponas. Præterea ad majorem tuæ conſcientiæ tranquillitatem dicti Ord. Miniſtro Provinciali in Catalonia, aut alia quacumque Provincia, ad quem juxta obedientiam regularem te pro tempore declinare, aut Guardiano, ſeu alii Præſidi Monaſterii, in quo te reſidere contigerit, dubitationes, & ſcrupulos pro tempore tibi occurrentes, & quid ſuper illis obſervari debeat, auctoritate noſtra tibi declarandi, harum ſerie licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus præmiſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Martii Anno VI.

X C V.

Transfert Cœnobium S. Lucæ Cremonæ ab Obſervantibus ad Monachos Congregationis Caſſinenſis. Ibidem lib. I. pag. 103.

Dilecto Filio Noſtro Carolo titulo S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromæo nuncup. totius Ord. S. Franciſci Protectori.

CUM ſicut accepimus, in Civitate Cremonenſi adſint duæ domus vid. S. Angeli, & S. Lucæ, Conventus Ord. Fr. Min. de Obs. Provinciæ Bononiæ, quarum una minus principali S. Lucæ nuncupata dictus Ordo non indiget, tum quod Ordo prædictus in Civitatibus, & aliis locis dictæ Provinciæ unam, ut plurimum, habeat domum, neque

tot

tot Fratres ſuppeditet, quos ad loca hujuſmodi Conventuum adimplenda ſunt neceſſarii, tum etiam quia dictus Conventus S. Lucæ curam maximam, & onera aliqua a regulari illorum Inſtituto, & profeſſione aliena, & paupertati, quam initio voverunt, contraria habeat, & inter Fratres S. Angeli, & S. Lucæ domorum prædictarum quotidie disſentiones, & differentiæ oriantur non ſine populi ipſius Civitatis Cremonenſis ſcandalo, & animarum illorum Fratrum detrimento; cumque ipſa Civitas Cremonenſis Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis deſtituta ſit, & ſi in prædicta domo S. Lucæ Ordo Fratrum Minorum hujuſmodi perpetuo ſupprimeretur, & extingueretur, ac prædicta Domus Congregationi Monachorum prædictorum perpetuo concederetur, utique præmiſſis omnibus obviaretur, ipſique Monachi talentum a Domino eis datum liberaliter, & ſalubriter exhiberent, dictaque Civitas hac Monacharum Religione decorata plurimum in Domino lætaretur. Quare Nos &c. Congregationem prædictam, ac illius ſingulos Monachos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes &c. Circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſi prædicta ita eſſe, ut præfertur, tibi conſtiterit, de conſenſu Superioris prædictæ Domus S. Angeli Ordinem Fratrum Min. in dicta domo S. Lucæ perpetuo ſupprimere, & extinguere, ac Fratres ibi degentes ab illo loco perpetuo amovere, & ad S. Angeli &c. transferre; & dictam Domum S. Lucæ cum adnexis, ac juribus, & pertinentiis ſuis, exceptis tamen ſuppellectilibus, & cæteris ornamentis, ac vaſis etiam Sacris dicti Conventus S. Lucæ, ac illius Eccleſiæ, & Sacriſtiæ, præfatæ domui S. Angeli juxta illius neceſſitatem, & decorem arbitrio tuo applicandis, & aſſignandis, Congregationi hujuſmodi pro illius Monaſterio concedere valeas &c. auctoritatem impertimur, ita quod Congregatio prædicta ſaltem duodecim Monachos una cum ſuo Superiore in illam introducere debeat, ac illa, vel aliquis ex illius Superioribus per ſe, vel per alium ejus nomine corporalem Domus, ſeu Monaſterii S. Lucæ, ac annexorum poſſeſſionem &c. retinere, ac fructus Domus, ſeu Monaſterii, & annexorum prædictorum in Monaſterii, & Congregationis, ac Monachorum inibi pro tempore exſiſtentium uſus proprios, & utilitatem convertere valeat. Abbas autem, aut quiſvis alius Superior quocumque nomine nuncupetur, & Monachi pro tempore exſiſten. divina inibi officia, ſecundum illorum regularia inſtituta, celebrare, curamque, & alia onera, quæ incumbentia perferre omnino debeant &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IX. Martii Anno VI.

XCVI.

Reformat Monaſterium Villæ Valliæ. Ibibem pag. 160.

Venerabili Fratri Fulvio Epiſcopo Spoletin.

NON ſine magna animi noſtri moleſtia nuper ex tuis literis intelleximus gravia ſcandala &c. quæ in Monaſterio Monialium Tertii Ord. S. Franciſci Villæ Valliæ Caldaræ dominii Terræ noſtræ Nurſiæ Spoletin. Dioeceſis, etiam proxime præteritis diebus, ſunt conſequuta. Quare volentes inconvenientibus hujuſmodi providere, Tibi per præſentes committimus &c. ut ſi illa veritati inniti repereris, tunc eaſdem Moniales, ſi votum ſolemne non emiſerint, ex dicto Monaſterio ex-

pellas

pellas &c. & Ordinem ipſum Tertiariarum in eo extinguas, ita tamen, quod in Eccleſia dicti Monaſterii divinus cultus non minuatur. Si autem votum ſolemne eas emiſiſſe invenies, illas delinquentes repertas &c. acriter caſtiges, & punias, & ipſis arctam clauſuram omnibus modis imponas &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XX. Aprilis Anno VI.

XCVII.

Præſcribit leges Minoribus Obſervantibus. Ex tom. 2. Bull. Rom. Laertii Cherubini Conſt. CXXVIII. pag. 255.

Ad futuram rei memoriam.

PAſtoralis officii nobis divinitus injuncti aſſidua ſollicitudo nos admonet, ut omni cura, ac vigilantia ad ea ſemper intendamus, per quæ omnes perſonæ regulares ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantes in regularium ac ſalutarium inſtitutorum obſervatione non modo conſerventur, ſed ad alia obſervanda modis, & rationibus congruentibus admoneantur, & impellantur. Conſiderantes autem, quam uberes fructus Ordo Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, qui in humilitate & patientia potiſſimum fundatus exſiſtit, hactenus in agro Domini attulerit, & in dies magis cooperante eo, a quo bona cuncta procedunt, afferre non ceſſet, nonnulla ordinanda, & a Fratribus prædictis obſervanda cenſuimus, per quæ, Deo Omnipotente Auctore, dictus Ordo per noſtræ providentiæ miniſterium, felicia in Domino ſuſcipere poſſit incrementa. Motu igitur proprio &c. ſtatuimus, & ordinamus, quod illi Fratres ejuſdem Ordinis poſthac in Generalem Miniſtrum, & reliquos Superiores ſolum eligantur, qui regulam ipſius B. Patris Seraphici bene obſervare, & qui in choro, victu, & veſtitu, quantum officii neceſſitas conceſſerit, cum aliis ſe conformare ſoleant, ac debeant, ſuper quo Barchinonenſes conſtitutiones harum ſerie innovamus, omneſque, tam Superiorum quorumcumque, quam Diffinitorum, Cuſtodum, & Diſcretorum electiones per vota ſecreta fiant, juxta Sacri Concilii Trid. decreta, aliter electiones factæ pro tempore nullæ, & penitus irritæ ſint, & inanes, electique pœnas in dictis decretis contentas incurrant eo ipſo. Quodque Miniſter Generalis, Commiſſarius, vel Procurator Generales, & Provinciales in eo Capitulo, quo abſolvi debent, Diffinitores non ſint, neque vocem habeant, ſed facta ſucceſſoris electione diſcedant, ut, ſi quis eos accuſare velit, libere agat. Quod Provincialium Miniſtrorum electio libere per vota ſecreta, ut ſupra, fiat, ita ut Commiſſarius Generalis, vel qui electioni præſederit, ſi formam prædictam tranſgredi, ſeu electores quominus libere eligant, quovis modo impedire convictus fuerit, officio privatus exſiſtat. Qui vero in electionibus omnibus, vel ante eas per ſex menſes pro ſe, vel pro alio ſubornaverit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, a qua niſi a Romano Pontifice pro tempore exſiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi non poſſit, ac voce activa, & paſſiva perpetuo careat, & ſubornatus, vel alius, etiam pro quo ſubornatio fiet, qui ſubornantem non detulerit, eamdem pœnam incurrere cenſeatur. Qui autem ad officium obtinendum quorumvis favorem extra Religionem procuraverit, ultra prædictas pœnas per menſem carceri mancipetur. Quod Officium Generalis

ralis Miniſtri octo annos duret, Commiſſarii, & Procuratoris Generalis, ac Provincialis quatuor, ipſique ſemel officio functi ad idem eligi non poſſint, niſi poſt ſexdecim annos, nec Miniſter Generalis in Commiſſarium, vel Procuratorem Generales, nec Procurator Generalis in Miniſtrum, vel Commiſſarium Generales, niſi poſt dictos ſexdecim annos, ut munus ſibi injunctum cum majori fructu exercere valeant. Poſſit tamen Miniſter Provincialis in alia Provincia Provincialis eſſe. Et Capitulum, quod dicitur intermedium, poſt quatuor annos ab electione Generalis celebrare debeat. Quod Generalis Miniſter habeat duos Diſcretos ſecum, unum ex qualibet familia, quorum conſilio uti debeat in gravioribus, ſintque immediate ſubditi Miniſtro Generali, ac in Generali, & Provincialibus Capitulis habeant vocem, & præcedant omnes alios, tam in loco, quam in voce, niſi illos dumtaxat, qui Miniſtri Generalis munus obierint. Unaquæque autem Familia ſuum eligat poſt electionem Miniſtri Generalis, & Diffinitorum. Si moriantur, aut occupentur a nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exſiſtente occupatione longa, vel arbitrio Miniſtri Generalis, vel ab ipſo Miniſtro Generali legitime priventur, alium, ſeu alios eligat Miniſter Generalis præcedente voto Provincialium ejuſdem familiæ, eorumque Officium cum ipſo Miniſtro Generali exſpiret, tametſi in Capitulis Generalibus officio Diſcretorum hujuſmodi functi vocem habere poſſint. Quod Generalis Miniſter duos Secretarios habeat, alterum videlicet ex altera Familia, quo cum negocia cujuslibet familiæ expediat, eiſque arbitrio ſuo uti poſſit. Quod Sacræ Theologiæ Lector, qui quatuor curſus abſolverit, activa, & paſſiva voce utatur in Provinciali Capitulo. Quod Miniſter Generalis, Commiſſarius, Provinciales, & alii Viſitatores & domi, & foris ita parce, & modeſte expenſis ſe gerant, ut ſanctæ paupertatis memores, tam Conventus relevare, quam proximos ædificare procurent. Qui tamen hoc non ſervabit, ſi Generalis fuerit, a Definitoribus Capituli Generalis, reliqui a Superioribus condigne puniantur. Poſtremo quod in Novitiis recipiendis fiat inquiſitio de moribus, & vita eorum juxta regulam ejuſdem B. Franciſci, quæ ait, diligenter examinent eos de fide Catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis, & fiat inquiſitio de progenitorum ſuorum defectu: volentes, quod iis, qui ex Maumethanorum, vel Judæorum genere deſcendunt, cum poſt ſuſceptum ab eis ſacrum Baptiſma, Græci, & Judæi diſtinctio eſſe non debeat, nullatenus defectus generis hujuſmodi, quominus in Ordinem prædictum recipiantur, & ad conſequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia religionis, vel cuipiam alteri nocere poſſit, vel debeat. Et quoad deſcendentes ex hæreticis, videlicet converſis, pariter minime circa præmiſſa quidquam obſit. Quoad vero illos qui ex hæreticis damnatis, & non converſis, vel quorum ſtatuæ combuſtæ fuerint, originem ducunt per lineam paternam uſque ad ſecundam generationem, per lineam autem maternam uſque ad primam tantum, in præmiſſis obeſſe decernimus, & idem ſervetur in Fratribus, qui ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines admittuntur. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVIII. Maji An. VI.

CXVIII.

XCVIII.

Confirmat Magiſtrum Generalem Minorum Conventualium. Ex regeſt. Secretariæ Brevium ibidem pag. 244.

Dilecto filio Joanni de Camerino Ordinis Fratrum Conventualium, & Theologiæ Profeſſori, ac ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali.

CUM, ſicut accepimus, Tu in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Civitate Camerini proxime celebrato in Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis ad triennium &c. electus fueris &c. *ſequitur ut pag.* 467. num. XLIV. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII. Junii An. VI.

XCIX.

Concedit privilegium lucrandi Indulgentias. Ex regeſt. Vaticano tom. 8. pag. 202.

Ad futuram rei memoriam.

ANte tronum Divinæ Majeſtatis devoti fideles Chriſti Sanctorum piis adjuti ſuffragiis ad eorumdem Sanctorum colendum feſtiva ſolemnia eo debent ferventius invitari, quo talium Patronorum ſuffulti præſidiis potiora gloriæ, & retributionis præmia valeant promereri &c. Cupientes igitur, ut Sancti Martini de Marmubaulle, & Sancti Nicolai de Carillon locorum Belluacen. Dioec. Parochiales Eccleſiæ, ad quas dilectus filius Matthæus de la Gayr Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſor, ac Domus Pariſienſis dicti Ordinis Procurator ſingularem gerit devotionis affectum, in debita, & condecenti veneratione habeantur, & a Chriſtifidelibus majoribus frequententur honoribus &c. de omnipotentis Dei miſericordia &c. univerſis, & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus &c. ſeptem annos, & totidem quadragenas de eis injunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus &c. poſt quinquennium a data præſentium computan. minime valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Julii An. VI.

C.

Recuperat bona Conventus de Monſon. Ex regeſt. Secr. Brev. ibid. pag. 269.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ad hoc nos Deus in B. Petri Sede licet immeritos collocaverit, ut negotiis ſingulis ſecundum juris ordinem mature diſcuſſis ea omnia, quæ Domorum, & aliorum regularium locorum damnum produxiſſe dignoſcuntur, ſubmoveamus; decens cenſemus, ut Cath. Regum vota ad id tendentia benigne complectamur favore &c. Exponi ſane nobis nuper fecit chariſ. in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, quod alias in oppido de Monſon Illerden. Diœceſis una domus Fratrum Conventualium S. Franciſci conſtructa repe-

reperiebatur, cumque de dictorum Fratrum reformatore ageretur, dicti Monaſterii qui tunc erant Fratres, malo, ut creditur, ſpiritu ducti, omnia, & ſingula bona, fructus &c. ad dictam domum legitime ſpectan. dilectis filiis Juratis, & Conſilio dicti oppidi forſan ficte donarunt, ſeu potius vendiderunt &c. Quare Pilippus Rex nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis &c. providere dignaremur. Nos ipſius Philippi Regis votis benigne annuentes, omnes, & ſingulas venditiones, ſeu donationes &c. revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus &c. diſtricte inhibentes eiſdem Conſilio & Juratis, & aliis quibuscumque dictorum bonorum occupatoribus in vir. S. O., & ſub excommunicationis majoris, aliiſque arbitrio noſtro &c. quatenus viſis præſentibus, nullo alio a nobis expectato mandato, a poſſeſſionis hujuſmodi detentione deſiſtant &c. Cæterum ut hæc literarum noſtrarum executio eo celerius habeatur, dil. fil. noſtro Didaco tit. S. Stephani in Monte Cælio Card. de Spinoſa nuncup. hæreticæ prav. Generali Inquiſitori, & Conſilii Regii Regnorum Caſtellæ Præſidenti &c. mandamus, quatenus bona, fructus &c. dicti Monaſterii a dictis Conſilio, & Juratis, & aliis illorum occupatoribus recipiat, eoſque ad illorum traditionem &c. compellat, contradictores &c. necnon illa habita dictæ Domui, & Eccleſiæ tam in eorum ædificiis, quam ornamentis &c. etiam per venditionem, prout neceſſitas exegerit, conſulat. Reliqua vero &c. alicui Monaſterio Monialium S. Franciſci, ſeu S. Claræ applicet &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die II. Julii Anno VI.

Nota. *Hic locum occupare debent literæ confirmationis Capituli Generalis Romani, quæ per errorem impreſſæ ſunt ſuperius pag. 499.*

CI.

Præficit Eccleſiæ Brugnatenſi Antonium de Monilia. Ex regeſt. Vaticano Tom. 14. pag. 50.

Dilecto Filio Antonio de Monilia Electo Brugnaten. ſalutem &c.

APoſtolatus officium &c. gubernare. Dudum ſiquidem &c. Poſtmodum vero Eccleſia Brugnaten., cui bo. mem. Julius olim Epiſcopus Brugnaten., dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Julii Epiſcopi &c. Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum in Presbyteratus ordine conſtitutum, ac ipſum Ordinem expreſſe profeſſum, ad docendum alios idoneum &c. prædictæ Eccleſiæ providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem &c.

Datum Romæ apud S. Petrum XVII. Kal. Auguſti Anno VI.

CII.

Joannæ de Toledo Capellæ a ſe erectæ jus tribuit. Ex regeſt. Secret. Brevium pag. 290.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dil. fil. Franciſcus de Guzman tunc Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ, & Diffinitores Provinciæ Cæſarau-

rauguſtan., necnon Guardianus, & Fratres Domus S. Franciſci de Obs. Cæſarauguſtan., & dilecta in Chriſto filia Nobilis Mulier Joanna de Toledo, quod antea pro parte eorumdem dilecto filio Chriſtophoro de Capite Fontium moderno Miniſtro Generali Ord. Min. etiam de Obs. nuncupat: expoſito, quod alias de anno proxime præterito in Capitulo de menſe Septembris in Provincia Regni Aragonum per eumdem Franciſcum tunc Commiſſarium Generalem Ciſmontan. celebrato, quod eadem Joanna in clauſura, & reſtauratione Domus eorumdem Fratrum Cæſarauguſtan., & imaginum picturis, ac rebus aliis cultui divino neceſſariis, & reſtauratione Capellæ majoris ejuſdem Domus ſummam ſeptem, ſeu octo millium ducatorum, vel circa erogaverat, & iidem Franciſcus, & Provincialis, & Diffinitores ejuſdem Provinciæ, accedente aliorum Capitularium voto, prædictam Capellam prædictæ Joannæ pro ſua ſepultura conceſſerant, reſervando tumulum Fratrum, ſeu Religioſorum, in quo ſæculares ſepeliri minime debent, promittendo eidem Joannæ de evacuando a dicta Capella quaſcumque ſepulturas quarumvis aliarum perſonarum &c. Et ſic ipſa Joanna proſequendo reparationem dictæ Capellæ tamquam de re propria, & de qua ſibi libera conceſſio, & donatio facta fuerat, Provincialis, & Guardianus dictæ Domus eidem Joannæ prædictam reparationem in dicta Capella continuare non permiſerunt &c. Propterea idem Chriſtophorus auctoritate, qua fungebatur, ac meliori modo, via, & forma, quibus melius potuit, de novo eidem Joannæ prædictam Capellam pro ſua, & ſucceſſorum ſuorum ſepultura conceſſit, reſervata ſepultura Fratrum, in qua mandavit ſæculares ſepeliri non debere, adjecta conditione, quod ibi alienari non poſſit tumulus, neque lapis in altum ultra pedem unum attolli; excepto quod ipſius Joannæ obitum ſuccedente a primo anno, poſſet dicta Joanna committere poni tumulum, tumbam vulgo nuncupatam, ſupra ſuam ſepulturam, quodque dicta Joanna poſſet continuare reparationem tam in Capella, quam in Domo hujuſmodi &c. ac procuraret, quod habentes in dicta Capella ſepulturas ſe componerent cum Ordine, aut Guardiano nunc, & pro tempore exſiſten. &c. ipſique Provincialis, & Guardianus, aut illorum quilibet teneretur dare ſepulturas ad libitum partium ſine præjudicio tertii &c. aliaque fecit, prout in literis patentibus dicti Chriſtophori deſuper nona Julii præſentis anni confectis latius dicitur contineri. Quare pro parte dicti Franciſci, ac Diffinitorum, necnon Guardiani, & Fratrum dictæ Domus, & Joannæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis &c. dignaremur. Nos &c. eamdem Joannam a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes &c. conceſſionem prædictam, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta, & inde ſequuta, ac ſequenda quæcumque, licita tamen, & honeſta, Apoſtolica auctoritate tenore præs. approbamus &c. eaque omnia per eos, ad quos ſpectat &c. inviolabiliter obſervari debere &c. ſicque per quoscumque Judices &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIX. Julii Anno VI.

CIII.

Eximit Fratres Indiarum a foro Laicorum. Ibidem pag. 325.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pont. præcipuum libertatis Eccleſiæ aſſertorem, perſonas Eccleſiaſticas, & præſertim ſub jugo Religionis viventes a

foro Judicum ſæcularium eximere, & perpetuo liberare. Cum itaque, ſicut accepimus, non ſine animi noſtri diſplicentia, in partibus Indiarum Judices ſæculares contra dil. filios Fratres Ord. Mendicantium in illis partibus reſidentes libellos, & proceſſus in ſpretum libertatis Eccleſiaſticæ, & regularis Obſervantiæ, ac privilegiorum eiſdem Fratribus Mendicantibus conceſſorum, ut plurimum efficere, & adhibere ſoleant. Nos &c. dictorum Fratrum ſtatui in præmiſſis conſulere volentes, motu proprio &c. quibuſcumque Judicibus ſæcularibus ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurren. in eventu contradictionis, ne contra dictos Fratres libellos, & proceſſus formare, & exhibere, minuſve in cauſis illos concernentibus &c. ſe intromittere audeant, vel præſumant, diſtrictius inhibemus, & ſi quæ introducta ſint, & coram illis pendeant indeciſæ, illas ad nos harum ſerie avocamus, & ipſas per Judices Eccleſiaſticos cognoſci, & decidi volumus. Sicque per quoſcumque Judices &c. Quocirca Ven. Fratribus Mexican., ac de Lima Archiepiſcopis, & etiam Epiſcopo Tucuman. &c. inquietari. Contradictores quoslibet &c. Curiæ Sæcularis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die II. Auguſti Anno VI.

CIV.

Reformat Monaſterium Mutinæ. Ibidem pag. 26.

Venerabili Fratri Joanni Epiſcopo Oſtienſi S. R. E. Card. Morono nuncupat.

IN ſuprema &c. Cum igitur ſicut ex relatione tua, qui etiam Eccleſiæ Mutinen. præes, ſeu illius adminiſtrator per auctoritatem Apoſtolicam deputatus exſiſtis, percepimus, Monaſterium S. Claræ Civ. Mutinæ ob mala præteriti temporis regimina ſalubri indigeat reformatione, nec ſit aliqua Monialis in dicto Monaſterio, quæ in ſeipſa reformata alias in viam ſalutis dirigere &c. valeat, propterea quam valde timendum ſit, ne in dicto Monaſterio majora, & graviora in dies oriantur ſcandala, nos huic morbo, quantum cum Domino poſſumus, mederi volentes, tibi, qui dictæ Eccleſiæ Mutinen. ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica præeſſe dignoſceris &c. Moniales quaſcumque ex aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis in præfatum Monaſterium S. Claræ, prout tibi bene viſum fuerit, ſeu ad alia Monaſteria eorumdem, vel aliorum Ordinum in totum, vel in partem transferendi &c. poteſtatem concedimus, & impertimur; diſtrictius inhibentes Monialibus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII. Septembris Anno VI.

CV.

Interdicit Scalarum uſum in Monaſteriis Monialium. Ibidem pag. 2.

Ad futuram rei memoriam.

INdefeſſa Romani Pontificis ſollicitudo ad ea potiſſimum diligenter intendit, per quæ Sanctimoniales relictis mundanis illecebris æterno Sponſo ſub ſuavi religionis, & caſtitatis jugo famulantes in debita,

ta, & condecenti regularis Obſ. norma, & diſciplina contineantur, & prolapſa reducantur, & reſtituantur. Cum igitur non ſine animi noſtri moleſtia nuper acceperimus, quod licet in Regula D. Claræ ſingulis ejus Ord. Sanctimonialium Monaſteriis ſingulæ ſcalæ concedantur, per quas ipſæ Moniales ad Monaſteria accedere poſſint, quodque a porta regulari nunquam aperiantur, niſi urgente magna neceſſitate, nihilominus a compluribus annis citra in Regnis Hiſpaniarum multus ſcalarum hujuſmodi abuſus inoluit; nam diverſæ perſonæ ſæculares; & etiam Clerici frequenter per eaſdem ſcalas aſcendere, & ibi comeſſationes, & alia quamplurima inconvenientia, & inhoneſta, etiam clamando, & vociferando, præſentibus dictis Monialibus facere, & committere non erubeſcunt, & quod pejus, & deſtabilius eſt, in tam enormi, & diſſoluta vivendi licentia multa gravia, & enormia, quod certe referre animus horeſcit, ex eo ſucceſſiſſe dicuntur, in gravem Dei offenſam, religionis opprobrium, &c. Nos igitur pro noſtri paſtoralis officii debito volentes talibus exceſſibus mature providere, motu proprio &c. tam Fratrum Minorum de Obſ. Commiſſario Generali, quam quibuſvis Provincialibus Miniſtris in dictis Regnis exſiſten., ac omnibus Guardianis ejuſdem Ord. officialibus &c. diſtricte præcipimus, & mandamus, ut ſcalas omnes præfatas eorumdem Monaſteriorum auctoritate noſtra tollere, deſtruere, & peritus amovere cum eſſectu curent, & faciant; ita ut &c. Moniales in neceſſitatibus tantum arbitrio ipſorum Provincialium declarandis, porta regulari uti, decernimus, & nihilominus eiſdem Provincialibus præmiſſa omnia, & ſingula ſub pœnis eis beneviſis mandandi, & præcipiendi &c. concedimus poteſtatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Septembris Anno VI.

CVI.

Reformat Monaſterium Florentinum. Ibidem pag. 353.

Dilectis filiis Vicario Ven. Fratris Archiepiſcopi Florentin. in ſpiritualibus Generali, ac Priori Hoſpitalis Innocentium Florentin, nec non Provinciali Provinciæ Tuſciæ Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia.

EXponi Nobis nuper fecit Nobil Vir Coſmus Medices Magnus Dux Etruriæ, quod dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa, & Conventus Monaſterii Monialium S. Claræ extra, & prope Caſtrum Florentinum Ord. ejuſdem S. Claræ ſub cura Ordinarii Volaterran. Diœceſis, ab earum regulis, inſtitutis, ac Sacri Con. Trid. decretis alienum vitam ducunt &c. Quare idem Coſmus Dux nobis ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis providere dignaremur. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ Monaſterium, & Abbatiſſam, & Conventum hujuſmodi, & ſingulas Moniales, & quaſcumque alias perſonas in dicto Monaſterio commorantes &c. reformandi, errata corrigendi &c. auctoritatem concedimus, & propterea injungimus &c. Abbatiſſæ, & Monialibus, & Conventui &c. quatenus vobis obediant. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Septembris Anno VI.

CVII.

Digitized by Google

CVII.

Applicantur Monialibus bona Clauſtralium ad Obſervantiam reductorum in Regnis Hiſpaniarum. Ex regeſt. Ultramontano pag. 209.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. De ſtatu Eccleſiarum &c. impertimur. Sane exponi Nobis nuper fecit chariſſimus in Chriſto Filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, quod cum in Regnis, Principatibus, Comitatibus, & aliis Dominiis Hiſpaniarum eſſent quamplurima Monaſteria Fratrum Conventualium nuncupatorum Ordinis S. Franciſci, & Tertii Ordinis ejuſdem S. Franciſci, qui alias vigore quarumdam literarum noſtrarum ſuper eo emanatarum ad Regulam Obſervantiæ Minorum de Obſervantia dicti Ordinis S. Franciſci reducta fuerunt, & in quibus antea Fratres Ordinis hujuſmodi Conventualem vitam degentes inhabitabant, & nunc de præſenti Fratres dictæ Provinciæ laudabiliter reſident: adſintque in dictis Monaſteriis nonnulla illorum mobilia, & forſitan immobilia bona &c., quæ cum Fratres dictæ Obſervantiæ propter illorum regulam, & ſtatuta tam conjunctim, & communiter, quam diviſim, & particulariter poſſidere, & percipere non poſſint, in alios pios uſus converti neceſſe eſt, & ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi dictorum Monaſteriorum bona &c., ab Ordine Conventualium S. Franciſci, & a Monaſteriis prædictis perpetuo dismembrarentur &c., & illa ſic dismembrata &c. Monaſteriis Monialium dicti S. Franciſci, & S. Claræ Ordinum in prædictis Regnis perpetuo applicarentur, & appropriarentur, ex hoc profecto dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſis, Prioriſſis, & Conventibus, ſingulisque Monialibus, quarum nonnullæ, quæ propter illarum paupertatem, ſine clauſura inhoneſte vivebant, ad Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum illarum Sponſum conversæ, nunc honeſte, ac religioſe, ſub clauſura vivunt; & deinceps in caſtimonia, & ſanctæ vitæ candore, adjuvante Domino, vivere ſperant, ſingulareque calcar ad Altiſſimo alacrius famulandum adderetur &c. Quare prædictus Philippus Rex, qui ſingularem gerit ad dicta Monaſteria Monialium devotionis affectum &c. humiliter nobis ſupplicari fecit, quatenus bona &c. a dictis Monaſteriis Fratrum S. Franciſci, & Tertii Ordinis perpetuo dismembrare &c., ac illa Monaſteriis Monialium hujuſmodi, per dilectum Filium noſtrum Didacum Cardinalem de Spinoſa nuncupatum, in dictis Regnis, & Dominiis hæreticæ pravitatis Inquiſitorem, & Conſilii Regii Regnorum Caſtellæ Præſidentem ſpecificandis, & exprimendis, ac alias illarum ſtatui præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Abbatiſſarum, Prioriſſarum, & Monialium prædictarum converſionem benedicimus, & plurimum in Domino collaudamus, earumque incrementum, & ſubventionem ſincero exoptamus affectu, Abbatiſſas, Prioriſſas, & Conventus, earumque ſingulas Moniales a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes bona &c., ab Ordine Conventualium S. Franciſci, & ab omnibus, & ſingulis Monaſteriis Fratrum prædictorum, & Tertii Ordinis hujuſmodi, a quibus illorum bona per Nos dismembrata, vel ſeparata, & abdicata, & alii, ſeu aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis applicata, & appropriata non

ta non fuerunt, applicari, & appropriari mandatum non fuit, Auctoritate Apoſtolica ten. præs. perpetuo dismembramus, ſeparamus, illaque ſic ſeparata, & dismembrata illis tantum Monaſteriis Monialium hujusmodi, quæ prædictus Didacus Cardinalis nominaverit, & ſpecificaverit, & non aliis Monaſteriis appropriamus, ac ex nunc, prout ex tunc &c. liberaliter donamus, concedimus, prædictoque Didaco Card. Monaſteria Monialium hujusmodi nominandi &c. dismembrationem &c. præſentesque literas de ſubreptionis, vel obreptionis &c. tractari, & revocari non poſſe &c. Contradictores quoslibet &c. Volumus autem, & mandamus, quatenus Fratribus de Obſervantia in prædictis Monaſteriis olim Fratrum Conventualium introductis de paramentis Sacriſtiæ, & aliis rebus divino cultui neceſſariis, vel ſuppellectibus, aut reparatione Eccleſiarum, & Monaſteriorum Fratrum hujusmodi neceſſariis proviſum non fuerit, quod per dictum Didacum Cardinalem ex bonis, fructibus, redditibus, & proventibus prædictis, pro una vice tantum provideatur, & etiam Fratribus ſenibus infirmis, & valetudinariis Conventualibus hujusmodi, qui ab ipſis Fratribus de Obſervantia recepti non fuerint, ex eisdem bonis, fructibus, & redditibus, pro congrua eorum ſuſtentatione, per ipſum Didacum Cardinalem commode, & opportune ſubveniatur. Volumus etiam &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die I. Octobris Anno VI.

CVIII.

Concedit Minoribus Obſervantibus Monaſterium Monialium Guaſtallæ. Ex Memoriis Flaminii de Parma pag. 589.

Dilecto Filio nobili viro Cæſari Gonzagæ Domino in temporalibus Terræ Guaſtallæ nullius Diœceſis &c.

INter cætera cordis noſtri deſideria illud ſinceris affectibus amplectimur, ut Monaſteria, & alia pia loca a Chriſtifidelibus inſtituantur &c. Cum igitur diebus præteritis nobis ſupplicaſſes, ut viſitare facere curaremus quasdam Moniales Ordinis S. Auguſtini exſiſtentes in quadam domo aperta Terræ Guaſtallæ nullius Diœc., cujus Dominus in temporalibus exſiſtis, Nos tuis precibus inclinati mandavimus Dilecto Filio Inquiſitori Placentino Ord. Fratrum Prædicatorum, ut dictas Moniales, & domum viſitaret, & de earumdem Monialium vita, moribus, & qualitate Nobis referret, qui quidem Inquiſitor, poſtquam easdem viſitaſſet, ipsas reſtringendas eſſe, & ad veram Regularis Obſervantiæ normam reducendas, nec non in aliquod Monaſterium dicti Ordinis clauſum transferendas eſſe cenſuit, ac poſtea de noſtra licentia ipsæ Moniales translatæ fuerunt ad quoddam Monaſterium Caſtrinovi Parmen., ſeu alterius Diœc. ejusdem Ordinis S. Auguſtini expenſis tuis, qui in translatione, & pro ſubventione earumdem Monialium translatarum ſummam trecentorum ſcutorum, ultra bona mobilia, & bladas, & vinum magni valoris de tuo erogaſti. Cum autem ipsa Domus, in qua dictæ Moniales habitabant, vacua remanſerit, tuque ibidem nobis humiliter ſupplicari feceris, ut pro tua devotione dictam Domum, ac quædam alia bona ad dictas Moniales tunc ſpectantia concedere vellemus, & in ipsam domum Fratres Ordinis S. Franciſci de Obſervantia introducere poſſes, quibus tu pro tua ſingulari devotio-

tione, quam erga Divum Franciſcum geris, paratus es conſtruere Eccleſiam, & Monaſterium in dicto loco tuis ſumptibus, & expenſis. Nos tuum pium, & religioſum erga dictum Ordinem animum, & zelum in Domino plurimum commendantes, motu proprio &c. ordinem, ſtatum, formam, nomen, & eſſentiam regulares perpetuo in dicta domo auctoritate Apoſtolica ten. præs. ſupprimimus, & extinguimus, ac domum, & bona hujusmodi tibi ad hoc, ut Monaſterium, & Eccleſia, ac alia infraſcripta fiant, concedimus, tibique in eodem loco Monaſterium una cum Eccleſia ſub invocatione S. Franciſci, & Sacriſtia, Campanili, Cœmeterio, Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, Cellis, Hortis, Hortalitiis, & aliis officinis, ac partibus, & locis ad Monaſterium hujusmodi neceſſariis, & opportunis ad inſtar aliarum domorum, ſeu Monaſteriorum dictorum Fratrum conſtrui, & ædificari faciendi, ac Sacriſtiæ pro ipſius dote, & manutentione cenſum ex dictis terris, ſeu bonis valoris noningentorum, vel circa, annui vero redditus triginta quinque ſcutorum, ad livellum concedi ſolitis applicandi, & appropriandi, nec non ipſis Fratribus, poſtquam dictum Monaſterium conſtructum, & ædificatum fuerit, inhabitandi, ac dictarum terrarum, ſeu bonorum ratione dicti cenſus poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendendi, & perpetuo retinendi, cenſumque prædictum in proprios dictæ Sacriſtiæ uſus, & utilitatem &c. convertendi, aliaque ſuper præmiſſis, & circa ea neceſſaria quomodolibet, & opportuna faciendi &c. concedimus, & impertimur, ſeu domum prædictam in Monaſterium erigimus, & inſtituimus, ac eidem Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, & illius Guardiano, & Fratribus pro tempore exsiſtentibus quod omnibus, & ſingulis privilegiis &c. gaudere poſſint, & debeant, indulgemus. Decernentes &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Novembris An. VI.

CIX.

Reformat Monaſteria Cremonensia. Ex regeſt. Secretariæ Brevium ibidem pag. 240.

Ven. Fratri Episcopo Cremonen.

EXponi nobis nuper feciſti, quod tu pro reformatione peragenda, in nonnullis Monaſteriis Monialium S. Benedicti, & S. Claræ Conventualium Ord., & Diœc. Cremon. tuo gubernio, & jurisdictioni ſubjectis, cuperes, aliquas Moniales, quæ vitæ, & inſtitutorum Regularium peritæ exsiſtant, ex aliis Monaſteriis educere, illasque ad reformanda Monaſteria prædicta introducere, ac in Abbatiſſas, ſeu Priorisſas, & alias Officiales deputare poſſe. Quare nos humiliter ſupplicari feciſti, ut honeſtis tuis votis hujusmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. fraternitati tuæ, ut ex tibi ſubjectis, ſeu etiam non ſubjectis Monaſteriis, etiam extra tuam Diœceſim exsiſtent. eorumdem tamen Ordinum, & de ſuorum Superiorum licentia, aliquot Moniales tibi bene viſas educendas, illasque in Monaſteria reformanda prædicta introducendi, ac illas in Abbatiſſas &c. deputandi, & ſi forſan tot Moniales idoneas in ipsa Monaſteria hujusmodi ad effectum dictæ reformationis introducendas habere non poteris, tunc ex iis Monialibus, quæ in ipſiſmet reformandis Monaſteriis fuerint, magis idoneas in Abbatiſſas &c. conſtituendi, easque ab illis, ad quas ſpe-

ſpectat, recipi, & admitti mandandi, & faciendi &c. Contradictores &c. compeſcendi facultatem concedimus, & poteſtatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII. Decemb. Anno VI.

C X.

Abſolvitur a cenſuris, Ibidem pag. 479.

Dilecto Filio Antonio Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia Profeſſori Oppidi de Condonal Provinciæ S. Michaelis Juriſdictionis Civitatis Hiſpalen.

Apoſtolicæ Sedis indefeſſa clementia lapſis poſt exceſſum cum humilitate ad eam recurrentibus perſonis Eccleſiaſticis præſertim Sacræ Religioni adſtrictis libenter ſe propitiam, & benignam exhibere conſuevit, & dum id humiliter petunt, ſuæ pietatis præmium aperire non denegat. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſti, quod tu alias adhuc in ſæculo exsiſtens, & Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia nuncup. nondum expreſſe profeſſus clericali charactere minime inſignitus exſiſteres, officium Advocati exercuiſti, ac te in cauſis criminalibus, in quibus malefactores eorum exigentibus demeritis ad mortem condemnati fuerunt, immiſcuiſti &c. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Tu, qui, ut aſſeris, in alicujus mortem machinatus non fuisſti &c. cupias magno devotionis fervore accenſus dicto charactere inſigniri &c. Nos igitur ſpecialibus favoribus, & gratiis te proſequi volentes, teque a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes &c. ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri, & poſtquam promotus ad illos fueris, in illis etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare libere, & licite poſſis, & valeas, auctoritate, & tenore præs. diſpenſamus. Nec non a te omnem inhabilitatem, & infamiæ maculam &c. abſtergimus, teque in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet eras, ſtatum remittimus, & plenarie reintegramus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Jan. Anno VII.

C X I.

Providet incolumitati rerum Cœnobio S. Dominici Calciatenſis donatarum. Ibidem pag. 488.

Ad futuram rei memoriam.

Ex commiſſo nobis deſuper paſtoralis Officii debito ea libenter ſtatuimus, & ordinamus, per quæ Monaſteriorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum in eis Altiſſimo famulantium commoditati, & utilitati conſulitur. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit Ven. Fr. Bernardus Epiſcopus Corduben. quod alias ipse pia devotione ductus Monaſterium, ſeu Domum Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia nuncup. S. Franciſci in Oppido Civitate nuncup. de S. Domingo Calciaten. conſtrui, & ædificari fecit, & Eccleſiæ Domus ſic conſtructæ, & ædificatæ calices, patenas, corporalia, cruces, vaſa, pocula, veſtes, aliaque id genus paramenta, & ornamenta Eccleſiæ Domini cultui neceſſaria donavit,

navit, ac in futurum alia forſan donare intendit, & in eadem domo, ſeu Monaſterio Librariam, ſeu Bibliothecam erigi fecit, ipſique Librariæ, ſeu Bibliothecæ multos diverſi generis libros libere donavit, & alios forſan donare intendit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi libri, aut calices, veſtes, & alia præmiſſa ex Libraria, aut Eccleſia hujuſmodi extrahantur, & perſonis externis commodentur, periculum eſt, ne prædicta deperdantur, aut lacerentur. Quare dictus Bernardus Epiſcopus nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis &c. opportune providere dignaremur. Nos bono dictæ domus, & Fratrum in ea pro tempore exſiſtentium commoditati conſulere volentes, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus, quod libri, & calices &c. ex Libraria, aut Eccleſia hujuſmodi nullo unquam tempore extrahi, aut alicui, ſeu aliquibus &c. commodari poſſint. Inhibentes omnibus, & ſingulis, ac Guardiano, & Superioribus dicti Ordinis, aut Domus &c., ſub excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœna, ne libros, calices &c. ex Libraria, aut Eccleſia hujuſmodi extrahere, aut commodare poſſint &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IV. Januarii Anno VII.

CXII.

Largitur privilegia Fratribus Indiarum. Ibidem pag. 297.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet alias Nos cupientes, Ordinem Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia per noſtræ providentiæ miniſterium felicia in Domino ſuſcipere incrementa, per quaſdam noſtras in forma Brevis, inter alia ſtatuerimus, quod tam Miniſter Generalis, quam Commiſſarius, & Procurator etiam Generalis, & Provinciales dicti Ordinis ad idem officium eligi nequeant, niſi poſt ſexdecim annos, minuſque Miniſter Generalis in Commiſſarium, vel Procuratorem Generales, aut Commiſſarius Generalis in Miniſtrum, ſeu Procuratorem Generales, nec Procurator Generalis in Miniſtrum, ſeu Commiſſarium Generales, niſi poſt dictos XVI. annos, ac alias, ut in noſtris motu proprio deſuper confectis literis plenius contiuetur. Cum tamen, ſicut Chariſ. in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniar. Rex Cath. exponi nobis nuper fecit, præmiſſa in Provincia Novæ Hiſpaniæ Indiarum Maris Oceani, quæ ipſius Philippi Regis temporali dominio ſubjectæ dignoſcuntur, ob religioſorum inibi exſiſten., qui meritis ad dignitates hujuſmodi aſſequendas polleant, paucitatem obſervari nequeant, ſicque ſi ad illas inhabiles aſſumerentur, facile eſſe poſſet, ut & in dicti Ordinis domibus ſalubre, & neceſſarium non vigeret gubernium, & exinde fructus ſpiritualis, qui ex eorum doctrina illarum partium incolis provenit, non colligeretur, in maximam ipſorum animarum ſalutis detrimentum. Quare idem Philippus Rex nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis &c. providere dignaremur. Nos &c. ſupplicationibus inclinati ten. præs. decernimus, diſpoſitionem eligendi de novo in Provinciales eos, qui eatenus fuiſſent, tam in prædicta, quam in aliis Provinciis Indiarum hujuſmodi eidem Philippo Regi ſubjectarum locum minime habere, nec in illis ſervari debere; ſed terminum XVI. annorum hujuſmodi in illis ad triennium dumtaxat reducimus, ita quod qui per triennium tantum

ſimilia officia non obtinuerit, ad illa denuo reaſſumi poſſit &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXII. Februarii An. VII.

CXIII.

Privilegium lucrandi Indulgentias in feſto Portiunculæ. Ex lib. Vineæ Seraphicæ pag. 241.

Ad futuram rei memoriam.

De ſalute gregis Dominici &c. Cupientes igitur, ut Eccleſiæ, Monaſterii, ſeu Domus S. Mariæ de SS. Angelis Oppidi, ſeu loci de Cerraluo Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia forſan nuncupati, ad quam (ſicut accepimus) dilectus Filius Nobilis Vir Rodericus Pacheco modernus Marchio de Cerraluo, ac dilecti Filii Noſtri Franciſci Tituli S. Crucis in Jeruſalem Presbyteri Cardinalis Pacheco nuncupati Frater Germanus, ſingularem gerit religionis affectum, in debita veneratione habeatur, ac ipſi Chriſtifideles ad ipſam Eccleſiam eo libentius devotionis cauſa confluant, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ uberius ſe refectos eſſe cognoverint. Devotis itaque Franciſci Cardinalis, & Roderici Marchionis prædictorum, Nobis in hac parte porrectis ſupplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia &c. omnibus, & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis &c. plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem &c. miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus &c. perpetuo duraturis.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Martii Anno VII.

CXIV.

Pro conſtructione Cœnobii Excalceatorum in Civitate Valentiæ. Ibidem pagina 556.

Ven. Fratri Joanni de Ribera Patriarchæ Antiochen., & Archiepiſcopo Valentino.

Piis Fidelium votis, quæ Religionis propagationem, & Domini cultus augmentum reſpiciunt, ut optatum ſortiantur effectum, libenter annuimus, ac ea favoribus proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem nobis nuper feciſti, quod alias Tu volens ad Eccleſiam tuam Valentinam, ut illi non modo præeſſes, verum etiam prodeſſes, accedere, & in Religionis zelo, literarum ſcientia, probitate, & prudentia, quibus illorum largitor Altiſſimus Dilectum Filium Petrum de S. Maria Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia nuncup. profeſſorem affluenter decoravit, plurimum confidens, pro tua ſpeciali conſolatione ipſum Petrum de licentia ſuorum Superiorum ad dictam Eccleſiam Valentin. tecum duxiſti, ubi poſtmodum a ſuis Superioribus factus fuit Cuſtos Cuſtodiæ S. Joannis Baptiſtæ, qui pro Regulæ ſuæ Obſervantia in domibus, ſeu Conventibus in Civitate Valentiæ exſiſtentibus, moram trahere ſolitus erat, & in dictis domibus, ſeu Conventibus per multitudinem Fratrum ibi degentium cum animi ſui quiete, & tranquillitate vivere, tibique inſervire commode non valet. Quare Nobis humiliter ſupplicari

cari feciſti, quatenus tibi in præmiſſis providere dignaremur. Nos &c. inclinati, Tibi, ut in dicta Civitate, ſeu prope etiam illius muros, & aliquo condecenti loco tibi beneviſo unum Monaſterium cum Oratorio, campanis &c. pro uſu, & habitatione dicti Fratris, & aliorum decem, vel duodecim Fratrum dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum erigi, conſtrui, & ædificari facere, & ibidem dictus Petrus una cum decem, ſeu duodecim Fratribus ſub dicti Ordinis Provincialis Provinciæ S. Joſeph, & Cuſtodis Cuſtodiæ S. Joannis Baptiſtæ ejusdem Provinciæ nunc, & pro tempore exſiſtentium Superiorum obedientia Altiſſimo ibidem famulando, & more reliquorum Fratrum vivendo, libere, & licite abſque apoſtaſiæ nota, & conſcientiæ ſcrupulo moram trahere poſſit Apoſtolica auctoritate ten. præs. licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur. Ac eidem Petro, & aliis Fratribus in dicto Monaſterio, ut præfertur, erigendo pro tempore commorantibus, ut omnibus, & ſingulis libertatibus, privilegiis, immunitatibus, præeminentiis, &c. uti, potiri, gaudere, nec non eleemosynas a quibusvis Chriſtifidelibus Petro, & aliis Fratribus prædictis quomodolibet in futurum elargiendas recipere, illasque in Monaſterii prædicti, eorumque Fratrum usum, & utilitatem convertere licite, & libere valeant indulgemus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Martii Anno VII.

CXV.

Angelus de Averſa transfertur ad Eccleſiam Tranenſem. Ex regeſto Vaticano lib. 4. pag. 421.

Venerabili Fratri Angelo Epiſcopo nuper Cathacen. in Archiepiſcopum Tranen. Electo Salutem &c.

Romani Pontificis &c. incrementis. Sane Eccleſia Tranen. ex eo, quod Nos nuper Venerabilem Fratrem noſtrum Joannem Baptiſtam &c. nuper Archiepiſcopum Tranen. a vinculo &c. per translationem hujuſmodi Paſtoris ſolatio deſtituta. Demnm ad Te Ordinis Minorum de Obſervantia, & Theologiæ Profeſſorem Epiſcopum nuper Cathacen. &c. direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Tranen. de perſona tua &c. providemus, Teque illi in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVI. Aprilis Anno VII.

GREGORIUS XIII.

Electus III. Idus Maji, Coronatus XIII. Kal. Junii die Pentecoſtes in Baſilica Vaticana.

Anno Christi 1572. Gregorii XIII. anno 1.

I.

Largitur Indulgentias Capellæ B. Mariæ Angelorum de Portiuncula. Ex authentico Originali.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris Domini &c. De Divina igitur Miſericordia confiſi tenore præſentium perpetuo concedimus, ut quoties quicumque Sacerdos ſive Sæcularis, ſive Regularis Miſſam in Altari ſito in Capella Beatæ Mariæ Angelorum Domus Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia prope Civitatem Aſſiſii, pro liberatione unius Animæ in Purgatorio exſiſtentis celebraverit, ipſa Anima per hujuſmodi celebrationem eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſionem conſequatur ad ipſius liberationem, pro qua celebraretur dicta Miſſa ad Altare ſitum in Eccleſia Beati Gregorii de Urbe ad id deputatum. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die I. Maji Anno I.

II.

Indulget, ut quatuor Fratres Provinciæ Angelorum ſtudeant literis in Univerſitate Complutenſi. Ex Hiſt. Andreæ de Guadalupe regeſt. Bull. Apoſt. pag. XXI.

Dilecto filio nobili viro Franciſco de Zuniga Duci de Bejar.

DUM illam fidei conſtantiam, & devotionis ſinceritatem, quas erga nos, Sanctamque Sedem Apoſtolicam gerere comprobaris, adjicimus noſtræ conſiderationis intuitum, & non immerito inducimur, ut perſonam tuam benigno favore proſequentes, votis tuis, præſertim populi ædificationem, & inſtructionem concernentibus, gratum præbeamus aſſenſum. Exponi nobis ſiquidem nuper feciſti, quod cum in Provincia de Angelis nuncupata, cujus majores tui proximi fundatores fuerunt, pauci admodum litterati, & eruditi viri, qui cum bonæ vitæ exemplo, tum doctrina Chriſtiana populos dictæ Provinciæ inſtruere poſſint, & erudire, inveniantur, deſideres, quatuor Fratres Ordinis S. Franciſci, ad quem dicti majores tui maximum geſſerunt devotionis affectum, Tuque Fratres dicti Ordinis ſingulari quadam benevolentia proſequeris, in Monaſterio, ac Conventu B. Franciſci Univerſitatis Compluten. ad effectum eos litteris imbuendi, introducere, eiſque inibi ſumptus, & expenſas ſuppeditare. Sed quia, ut eadem expoſitio ſubjungebat, in Monaſterio, ſeu Conventu hujuſmodi certus Fratrum numerus forſan adeſſe debet, & propterea id tibi licere minime credis abſque noſtra,

&Se-

& Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, nobis humiliter ſupplicari feciſti, quatenus &c. dignaremur. Nos igitur attendentes, maxima ex litterarum ſtudiis tamquam virtutum, & bonarum omnium artium ſeminariis, univerſæ Reipublicæ incrementa provenire &c. tuis hac in parte nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, tibi, ac pro tempore exſiſtenti Duci de Bejar, ut ex nunc, & perpetuis futuris temporibus quatuor Fratres dicti Ordinis, & Provinciæ de Angelis nuncupatæ, licet arctioris vitæ ſint, de Superiorum ſuorum licentia nominare, & Monaſterium, ſeu Conventum hujuſmodi Complutenſem ad effectum præmiſſum, & ut ſedulo literis operam dent, nullius, etiam loci Ordinarii, aut Superioris, ad hoc requiſita licentia, introducere, & ipſis, ſeu illorum quolibet poſt prædicta eorum ſtudia, vel alias diſcedente, vel diſcedentibus, in locum ipſius, vel illorum, alium, ſeu alios ſubrogare libere, & licite poſſis, & valeas. Ita tamen, quod ipſis, poſtquam introducti fuerint, ſumptus neceſſarios ſuppeditare, ac cubicula, ſeu cellas pro eis tuis propriis ſumptibus, & expenſis conſtruere, & ædificare, aliaque in præmiſſis &c. facere tenearis &c. indulgemus. Mandantes Generali, & Provinciali, ſeu alii Superiori, Guardiano, ſeu Priori, & Fratribus Conventus, ſeu Monaſterii hujuſmodi, aliiſque &c. quatenus quatuor Fratres per te, & pro tempore exſiſtentem Ducem de Bejar nominandos, & introducendos hujuſmodi ſub excommunicationis &c. in Monaſterium, ſeu Conventum hujuſmodi, viſis præſentibus &c. recipiant, & admittant, ac eiſdem privilegiis &c. quibus alii Fratres hujuſmodi Conventus utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere, permittant. Decernentes præſentes litteras &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum die V. Septembris Anno I.

III.

Pro fundatione Cœnobii juxta Jonivillam. Ex Arm. 3. Archiv. S. Iſidori num. 51. pag. 18.

Ad futuram rei memoriam.

HArum tenore, & virtute SS. D. N. ad inſtantiam, & humilem ſupplicationem Illuſtriſſimi Caroli Tituli S. Apollinaris Presbyteri Cardinalis a Lotharingia, Antoniæ a Borbonio Ducіſſæ, Aloyſiæ ejus Matris, nec non invictiſſimi Henrici a Lotharingia Ducis ipſius Antoniæ Duciſſæ nepoti, eorumdem pietate, ac devotione permotus permittit, ac facultatem impertitur disjungendi, ac ſeparandi quemdam Prioratum dictum S. Annæ prope Jonivillam Cathalaunenſis Diœceſis in cacumine ejuſdem montis ſitum in Monaſterio S. Urbani, quod ſimul cum eodem Prioratu præfatus Illuſtriſſimus Cardinalis ex conceſſione, atque diſpenſatione Apoſtolica in commendam ad vitam tunc obtinebat, quatenus Domum Fratrum Minorum de Obſervantia ibidem conſervare curarent, quod etiam a Rev. in Chriſto Patre Cathalaunenſi Epiſcopo loci Ordinario ad id peragendum obtinuerant, ipſique Domui conſtructæ annecterent, ac incorporarent, quæ muro antiquo ſitus jungebantur, & vineam quamdam ejuſdem Prioratus S. Annæ, ac nonnullas aliarum vinearum partes portioni domus prædictæ adjacentes ad prædictorum uſum Fratrum in alimentum in perpetuum concederent.

Data eſt Romæ apud S. Petrum die XIX. Novembris Anno I.

IV.

IV.

Fit Epiſcopus Boſanenſis. Ex regeſt. Vaticano lib. 3. pag. 430.

Dilecto Filio Joanni Meli Electo Boſanen. Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Boſanen. &c. cui bo. mem. Dominicus Epiſcopus Boſanen. &c. per obitum dicti Dominici Epiſcopi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacat. hujuſm. &c. ad Te Ordinis Fr. Min., & Theologiæ Profeſſ. &c. direximus &c. Quibus omnibus &c. præd. Eccleſiæ de perſona tua &c. providemus &c.
Datum Romæ apud S. Petrum XVI. Kal. Decembris Anno I.

V.

Indulget Joanni Meli facultatem conſecrationem ſuſcipiendi extra Urbem. Ibidem pag. 245.

Dilecto Filio Joanni Electo Boſanen. ſalutem &c.

CUM nos pridem Eccleſiæ Boſanen. certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua &c. duxerimus providere. Nos &c. tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc tibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis &c. munus conſecrationis ſuſcipere valeas &c. concedimus facultatem. Volumus autem, (ſequitur ut pag. 497.) Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt (ſequitur ut pag. 480. in fine.)
Datum Romæ apud S. Petrum XII. Kal. Decemb. Anno I.

VI.

Pro horreo frumentario conſtruendo in Conventu Obſervantium Civitatis Cornetanæ. Ex Mem. hiſt. Caſimiri Romani pag. 137.

Pius Epiſcopus &c.

MOtu proprio &c. Cum Camera Apoſtolica pro bono uſu, & ſervitio publico abundantiæ Annonæ Almæ Urbis noſtræ conſueverit habere, & continuo habeat magnam grani quantitatem in Civitate noſtra Cornetana, verum in eadem Civitate non habeat aliquem locum, ſeu horreum, vel granarium pro reponenda, & conſervanda tanta grani quantitate idoneum &c. Et ſicut accepimus, in eadem Civitate in Monaſterio, ſeu Conventu Fratrum Ordinis S. Franciſci nuncup. de Obſerv. exſtet quidam locus amplus ſuperiorem, & inferiorem partes habens, quo alias Fratres dicti Monaſterii, ſeu Conventus pro Cœnaculo, seu Refectorio utebantur, qui partim jam dirutus exſiſtit, & partim ruinam minatur, & ab eiſdem Fratribus tum ob illius loci aeris intemperiem, tum propter hujuſmodi ruinam præteritam, & imminentem, deſertus, & derelictus reperitur &c. cui quidem loco cohærent iſti fines, a parte anteriori via publica, a parte vero poſteriori

dictus

dictus Conventus, ſeu Monaſterium; ac ab uno Campanile, & Eccleſia ejuſdem Conventus, ab aliis vero capitibus, ſeu extremis quædam habitantiunculæ etiam dirutæ cum quodam diſcooperto: unde ſi hujuſmodi locus eidem Cameræ Apoſtolicæ pro uſu granarii &c. applicaretur, ex hoc non ſolum publicæ commoditati, et utilitati, ſed etiam dictæ Fratrum ſubventioni conſuleretur. Nos in præmiſſis &c. providere volentes, & conſiderantes, quod dicti Fratres in hujuſmodi Monaſterio, ſeu Conventu habent ſpatium pro eorum habitatione ſatis amplum, quodque dicto loco per eos ad præſens ſic derelicto non utuntur, nec indigent, motu ſimili &c. prædictum locum dicti Monaſterii, ſeu Conventus, ſic, ut præfertur, partim dirutum, partim ruinam minantem, ac, ut præfertur, eidem Monaſterio, ſeu Conventui inutilem una cum dictis habitatiunculis dirutis, & dicto diſcooperto, quæ etiam ad uſum granarii hujuſmodi neceſſaria ſunt, cum juribus, & pertinentiis ſuis univerſis eidem Cameræ Apoſtolicæ ad effectum granarii, ſeu horrei pro dicta annona, ſeu abundantia grani ibidem conficiendi, & granum hujuſmodi illic reponendi, & conſervandi: ita quod ipſa Camera Apoſtolica, ſeu ejus Agentes pro recognitione annuatim unam petiam *panni frateſchi* vulgariter nuncupati Urbevetan. ad valorem, & pretium viginti Scutorum monetæ aſcenden. dictis Fratribus ejuſdem Monaſterii, ſeu Conventus pro illis veſtiendis primo die menſis Octobris cujuslibet anni in ipſa Civit. Cornetan. dare, & reſpondere debeant, & teneantur: quodque ſcalæ &c. fieri debeant a parte exteriori dicti loci, non autem a parte inſpiciente verſus Monaſterium, ſeu Conventum, & feneſtræ, quæ in hujuſmodi horreo, ſeu granario a parte verſus, ſeu intus dictum Monaſterium, ſeu Conventum reſpicient, fient, debeant fieri ea altitudine, ut perſonæ exſiſtentes intus dictum granarium ſeſe ad dictas feneſtras, pro reſpiciendo intus Monaſterium, ſeu Conventum hujuſmodi, applicare, & ut vulgariter dicitur, affacciare non poſſint &c.

ANNO CHRISTI 1573. GREGORII XIII. ANNO I. & 2.

VII.

Concedit Minoribus Conventualibus S. Crucis Florentiæ, ut vendant nonnulla bona immobilia. Ex regeſt. Vaticano lib. 5. pag. 229.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Florentin., & Dilecto Filio Archipresbytero Eccleſiæ Florentin. Salutem &c.

EX commiſſo nobis deſuper Paſtoralis officii debito &c. roborari. Dudum ſiquidem a felicis recordationis Paulo Papa II. Prædeceſſore noſtro emanarunt Literæ tenoris ſequen. videlicet: Paulus Epiſcopus &c. Et deinde exhibita nobis nuper pro parte Dilecti Filii Nobilis Viri Franciſci Medices Florentiæ in majori parte ſibi ſubjectæ Principis, & Dilecti etiam Filii Nobilis viri Coſimi Medices, ejuſdem Etruriæ Magni Ducis nati, & Dilec. Fil. Guardiani, & Fratrum Domus S. Crucis Florentin. Ord. Fratrum Min. Con. nuncupatorum petitio continebat, quod alias dicti Guardianus, & Fratres inſimul congregati, cupientesque

que dictæ Domus conditionem efficere meliorem, ac conſiderantes, ſe habere, & poſſidere Territorium cum Manſionibus, & Domibus, & Horto ad dictam Domum legitime ſpectante, & ab eadem Domo ſeparato, ex quibus a triginta annis citra paucos, aut nullos fructus percipere potuiſſent, aut ſperarent, quod percipi poſſent in futurum, ex eo quod dictæ Domus indigeant in dies & reparatione, & reſtauratione, & ſi reparentur, & reſtaurentur magna cum impenſa, eisdem Domui, & illius Guardiano, & Fratribus pro tempore exſiſtentibus non eſſent magis utiles, quam ſint de præſenti. Propterea primodictæ Domui magis expediret, Territorium hujusmodi alicui pro juſto, & rationabili pretio vendere, & pretium exinde proveniens in emptionem aliorum bonorum eidem Domui magis utilium convertere, & ſubrogare de conſenſu Dilectorum Filiorum modernorum Generalis Magiſtri dicti Ordinis, & ad quos Fabricæ Bonorum primodictæ Domus, & Eccleſiæ adminiſtratio, & operariorum Eccleſiæ dictæ Domus pertinent, Franciſco Principi prædicto pro ſe, & ſuis hæredibus Domos, & Poſſeſſiones, in quibus ſuperioribus temporibus Infirmaria antiqua dictæ Domus erat, ad primodictam Domum ſpectantes, & a porta retro ſe extendentes in Burgo Florentino, & diſtrictu Paſtoralis Eccleſiæ Sancti Jacobi inter foveas, in quibus pro tempore exſiſtentes Equites levis armaturæ ad Civitatis prædictæ cuſtodiam deputati modo inhabitant, ut totum illum locum, ac tenimentum, & habitationes, quæ comprehenduntur in deſignatione, & primitus ipſis Guardiano, & Fratribus per dilectum Filium Carolum de Pettis Civem etiam nobilem, & in qua continetur tota illa pars, quæ conſiſtit a via publica Burgi prædicti usque ad magiſtralem parietem, quæ regitur, & manet ſuper voltas nuncupatas Infirmariæ cum fornicibus, & logiis ſuperioribus, & inferioribus inſimul cum horto, & ſtabulo magno, ac ſcala ex lapidibus confecta, quæ extenditur ad dictos fornices ſuperiores, ac Choro, in quo dicta Scala ab inferius usque ad ſupremum exſiſtit, nec non manſionem, quæ eſt inferior in introitu dictæ Domus, cui manſioni lumen, & fulgor in feneſtris ferreis ſuper ruſtico ſportellorum nuncupato, usque ad fornicem ipſius manſionis, & non ſuperius, nec citra, quæ, & quibus a primo via dicti Burgi, a ſecundo bona Dilecti Filii Nicolai Aſmi, a tertio dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii Sancti Balthaſaris Loci a Comectravo, a quarto Dilectorum Filiorum hæredum quondam Philippi Lincii, a quinto hæredum quondam Angeli de Donis, a sexto dictorum hæredum de Linciis, a ſeptimo murus tettualis ingreſſus dictæ Domus Sanctæ Crucis, cum reservatione tamen ſpatii cujusdam, a quo cadit aqua defluens ex dicto Tetticulo, & exitu ipſius, ac octavo murus dividens ſtabulum magnum a Clauſtro dictæ Domus Sanctæ Crucis, a nono murus Infirmariæ ipſius Domus Sanctæ Crucis, qui dividit, & ſeparat manſiones venditas propiores ad camdem Domum Sanctæ Crucis, a decimo hortus Infirmariæ ad Domum Sanctæ Crucis hujusmodi ſpectans, & generaliter omnes illas manſiones, & habitationes, quæ fuerunt inhabitatæ, & inhabitantur per dictos Equites dicti Franciſci Principis ab annis triginta, vel citra reſpective conſiſten., cum omnibus juribus, & annuis emolumentis primodictis eis competentibus, ac annuis reſponſionibus contra dictos hæredes de Donis, ex eo quia ædificaverint in priori horto, ut ſupra, vendito, qui hortus vergit verſus viam, cum eodem ſpatio in dicto horto, ut ſupra occupato, declarando, quod in ædificatione, quæ fieri

con-

contigerit in dicto horto, aditus primodictæ Domus non occludatur, hac addita conditione, quod non fiant portæ aliquæ, per quas ingrediatur in hortum dictorum Fratrum reſervatum dictæ Infirmariæ modernæ, ſed tamen ſuum poſſit lumen habere ex ferreis feneſtris factis, vel faciendis ſuper dicto horto; declarando etiam, quod in muro ſtabuli magni dividente clauſtrum a ſtabulo magno a fornice citra Infirmariæ aliqua feneſtra fieri non poſſit, aut foramen, neque ſumi aliquod lumen ex dicto clauſtro tempore aliquo citra lumen, quod hodie inibi adeſt, ſed foramina, & feneſtræ ſuperiores hodie inibi exſiſtentes non poſſint fieri inferiores, ſed ſuperiores, & fiant ferreæ, ac ſuperemìnentes, aut extra murum, ad effectum, ut habitatores non poſſint per eas inferius perſpicere, nec per illas ſupereminere, neque inſpicere loca Fratrum primodictæ Domus Sanctæ Crucis pro pretio mille, & octingentorum ſcutorum, ſeptem libris monetæ Florentinæ illarum partium pro quolibet ſcuto computatis, deponendorum ſuper Monte Pietatis ſimiliter Florentin. expenſis dicti Franciſci Principis, & in bonis ſtabilibus pro primodicta Domo ad declarationem ambarum partium, & in eventum diſcordiæ arbitrio tui, Frater Archiepiſcope, ſeu Vicarie in Spiritualibus Generalis, committendorum, cum pacto, quod in dictis bonis reinveſtiendis apponatur prævia hypotheca, & conditio, quod ipſa bona emenda ſint prius obligata, & hypothecata dicto Franciſco Principi, ſuiſque hæredibus pro tuitione, & defenſione generali, & emptione dictorum bonorum venditorum, quam alicui alteri perſonæ, ſeu creditori Domus Sanctæ Crucis hujuſmodi quantumque anteriori, & privilegiato tam in tempore, quam in jure, etiam ex cauſa dotis, & quantumvis piæ cauſæ, & favorabilis pro pretio ſic deponendo, donec deponatur, intelligatur eſſe, & ſit reſervatum eiſdem venditionibus domini uno dictorum bonorum venditorum, pro ut Guardianus, & Fratres primodictæ Domus Sanctæ Crucis illud ſibi reſervaverunt, & pretio deinde depoſito, tunc ipſo jure, & ipſo facto intelligatur eſſe, & ſit reſolutum, & nulla dicti Dominii reſervatio, perinde ac ſi facta non fuiſſet, Guardiano, & Fratribus primodictæ Domus Sanctæ Crucis pro tempore exſiſten. competat, ac cum aliis pactis, & conditionibus in ſimilibus apponi ſolitis ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito vendiderunt, prout in Inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri. Quare pro parte Guardiani, & Fratrum, nec non Franciſci Principis prædictorum aſſerentium redditus dictæ Domus ex præmiſſis quolibet anno in ſumma octuaginta ſcutorum ſimilium, & ultra augeri, & propterea venditionem hujuſmodi in evidentem primodictæ Domus utilitatem ceſſiſſe, & cedere nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut venditioni hujuſmodi pro illius firmiori ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere dignaremur. Nos igitur &c. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi &c. poſtquam vocatis &c. venditionem prædictam approbare, & confirmare &c. curetis. Non obſtantibus &c.

Datum Tuſculi Idibus Januarii Anno I.

VIII.

Facultas pro conferendo Magiſterii gradu. Ex regeſt. Secret. Brevium lib. an. 1572. & 1573. pag. 341.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Pragen. Salutem &c.

ACcepimus, Dilectum Filium Gregorium de Doyonis Belluen. Ord. Minorum Conventualium profeſſorem, & S. Theologiæ Baccalaureum in partibus Bohemiæ conſiſten. propter ejus probitatem, & Sac. literarum doctrinam dignum eſſe, qui ad Magiſterii gradum aſſumatur. Nos igitur, qui virtute, ſcientia, fideique Catholicæ zelo præditos condignis honoribus affici deſideramus, Fraternitati tuæ eidem Georgio, ſi ab eo requiſitus fueris, prævio rigoroſo examine, ac emiſſa in manibus tuis per eum prius fidei profeſſione, habitoque etiam prædicti Ordinis Magiſtri Generalis de ejus vita, & doctrina approbata, & ad dictum gradum habilitate teſtimonio, gradum Magiſterii in Sac. Theol. hujusmodi conferendi, eumque ad ipſum Magiſterii gradum promovendi, qui poſtquam promotus fuerit, ut præſcribitur, omnibus privilegiis &c. quibus cæteri ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtri in Capitulis Generalibus promoti utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere poſſit, & debeat auctoritate Apoſtolica ten. præs. facultatem concedimus, & poteſtatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Aprilis Anno I.

IX.

Pro reſtauratione Conventus Camerinenſis. Ibidem pag. 356.

Ven. Fratri Epiſcopo Camerinen. Salutem &c.

CUM, ſicut accepimus, quondam Petra de Fratta Sciolta mulier Camerinen. Civitatis, vel Diœceſis, in ejus ultimo, quod condidit, teſtamento ſummam XV. ſcutorum Monaſterio S. Franciſci de Obſervantia ejusdem Civitatis legaverit, hac conditione adjecta, ut ex hujusmodi pecuniæ ampliari debeat Capella, in qua a Fratribus Officium recitari ſolet, prout in Teſtamento prædicto plenius contineri dicitur. Cumque pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum dicti Monaſterii nobis fuerit expoſitum, ipſius Monaſterii ædificia quadam ex parte ruinam minantia reparatione indigere, ad amplificandamque dictam Capellam prædicta XV. ſcuta nequaquam ſufficere, ſed multo majori ſumma opus eſſe, ſique ſcuta XV. hujusmodi in reparationem ipſius Monaſterii converterentur, imminenti parietum dicti Monaſterii ruinæ apprime ſuccurreretur. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut reparationi prædictæ dicta XV. ſcuta applicare de ben. Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. ſcuta prædicta pro ampliatione Capellæ relicta, ut præſcribitur, reparationi dicti Monaſterii auctoritate noſtra applices, & concedas, & voluntatem ejusdem Teſtatricis, quoad hoc tantummodo, commutes &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Aprilis Anno I.

Digitized by Google

X.

Pro fundatione Cœnobii Ciſternæ. Ibidem pag. 341.

Dilectis Filiis, & Fratribus Ord. Minorum Regularis Obſervantiæ juxta morem dicti Ordinis.

EXponi nuper nobis feciſtis, quod Dil. Fil. Nobilis Vir Bonifacius Caetanus Domincellus Romanus Sermonetæ dictus pro ſua erga nos, & Ordinem veſtrum devotione, & ad Dei laudem, & Religionis propagationem, quamdam Eccleſiam, & Monaſterium ſub invocatione S. Antonii Abbatis extra, & prope Caſtrum Ciſternæ Hoſtien. Diœceſis per eum ex propriis bonis conſtructum, & ad ipſum legitime ſpectans cum habitatioue, & terra eidem Monaſterio adhæren., nec non id, & totum, quod infra certos confines expreſſos, ſeu exprimendos continetur, vobis pro habitandis Fratribus ejuſdem veſtri Ordinis concedere, & aſſignare proponit, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ licentia accedat. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut in præmiſſis in hac parte annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. ſupplicationibus inclinati, vobis Monaſterium prædictum cum habitatione, terra, cæteriſque juribus, & pertinentiis ſuis, pro eiſdem Fratribus veſtris habitandis, recipiendi cum Eccleſia, campanili &c. licentiam concedimus, & elargimur. Et nihilominus dicto Monaſterio, & Fratribus in eo pro tempore degentibus omnibus, & ſingulis privilegiis &c. Monaſteriis eorumdem Ordinis, & Obſervantiæ per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, Jure tamen Parochiali harum Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, indulgemus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die V. Maji Anno I.

XI.

Approbat conſtructionem novi Cœnobii apud S. Martinum. Ex regeſt. Vaticano lib. 7. pag. 330.

Venerabili Fratri Epiſcopo Anglonen. Salutem &c.

SAcræ Religionis, ſub qua Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut illorum, ac Perſonarum ad Fratrum Ordinem devotionem gerentium precibus, in iis præſertim, quæ Divini cultus augmentum, & animarum ſalutem, ac Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Rogerii Guardiani, & Fratrum Domus Sancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Baſilicatæ ſecundum morem ejuſdem Ordinis prope, & extra Terram S. Martini Anglonen. Diœceſis petitio continebat, quod cum a Conventu annis citra dicta Domus pro congrua habitatione Fratrum dicti Ordinis inibi degentium conſtructa fuiſſet, illaque de Anno præterito, ſuperveniente quodam Terræmotu in illis partibus, in majori ejus parte corruiſſet, ac fere

irreparabilis eſſet, prædicti Rogerius, Guardianus, & Fratres, ne divinus cultus inibi ceſſaret, ſed ſemper Divina aſſiſtente Gratia manuteneretur, unam aliam Domum alio fortiori, & tutiori & extra dictam Terram tuto loco ſub eadem invocatione, ut inibi poſtquam ædificata eſſet, ſe transferrent, mediante ſubventione ad hoc per Dilectos Filios Communitatem, & homines dictæ Terræ ſibi elargita, conſtrui, & ædificari facere de facto cœperunt, quo ad aures tuas devento, quod ipſi Rogerius Guardianus, & Fratres pro præmiſſis adimplendis licentiam a Te non obtinuerint, Tu propterea contra eos indignatus, illos pro tam pio, & religioſo opere perturbaſti, ac fabricam dictæ Domus ceſſare feciſti, ipſumque Rogerium Guardianum præmiſſorum occaſione excommunicaſti, ac eum pro excommunicato publicaſti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tam Rogerii Guardiani, & Fratrum, quam Communitatis, & hominum prædictorum plurimum interſit, ut incœpta Fabrica hujusmodi ad Dei laudem &c. perficiatur, ac ipſi una cum primodicta Domo, illiusque Eccleſia, & campanis, paramentis, & ornamentis Eccleſiaſticis, nec non ſepulturis, & cadaveribus in ea exſiſtentibus ad ſecundodictam Domum, & illius Eccleſiam, poſtquam conſtructa fuerit, transferantur, idemque Rogerius Guardianus, & Fratres qui hoc tam pium opus ſibi licere exiſtimant, ab excommunicatione hujusmodi a nobis prædictus Rogerius Guardianus abſolvatur. Quare pro parte Rogerii Guardiani, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſum Guardianum ab omni excommunicatione per eum ex præmiſſis quomodolibet contracta abſolvere &c. aliasque in præmiſſis providere dignaremur. Nos igitur &c. ipſos Rogerium Guardianum, & Fratres, eorumque ſingulos a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes &c. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ipſum Rogerium Guardianum ab excommunicatione hujusmodi &c. abſolvere, & totaliter liberare, auctoritate noſtra cures, Tibique in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne de cætero eosdem Rogerium Guardianum, & Fratres ſuper præmiſſis quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtare, perturbare, vel inquietare audeas diſtrictius inhibemus. Non obſtantibus &c.

Datum Tusculi Kalendis Maji Anno II.

XII.

Indicitur Capitulum Generale Conventualium. Ex regeſt. Secret. Brevium ibidem pag. 405.

Dilecto Filio Joanni Pico de Camerino Ord. Min. Conventualium Generali.

CUpientes pro noſtra paſtorali cura, ut Generale Capitulum tui Ord. Fr. Min. Conventualium &c. celebretur, tibi per præs. committimus, & mandamus, quatenus ipſum Capitulum in dicto feſto Pentec. in Civitate Senarum celebrandum indicere &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVII. Maji Anno II.

XIII.

XIII.

Immittit Moniales in Monaſterium Averſæ. Ibidem pag. 408.

Ven. Fratri Balduino Epiſcopo Averſano.

CUM ſicut accepimus, nuper nonnulli Cives Averſani pia devotione ducti Monaſterium Monialium ſub invocatione S. Spiritus Ord. S. Claræ in Civitate Averſana erigi, & inſtitui curaverint, ac pro regulari diſciplina in eodem Monaſterio inſtituenda nonnullas Moniales ætate, prudentia, morumque honeſtate, & gravitate præditas ex aliquo ejuſdem Ordinis Monaſterio educere valde opportunum ſit, propterea Dilecti Filii Oeconomi, & Adminiſtratores nuper erecti Monaſterii Spiritus Sancti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ex Monaſterio S. Hieronymi Averſano ejuſdem Ordinis duas Moniales educere poſſint ad effectum illas in dictum Monaſterium Spiritus S. introducendi, regularemque diſciplinam, & Obſervantiam in illud introducendi, & conſtituendi, licentiam ſibi concedere de ben. Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per præs. committimus, ut Chriſtinam de Amoroſa, & Angelam Martuiam Moniales Monaſterii S. Hieronymi hujuſmodi ex earum Monaſterio educi, ac in prædictum Monaſterium Spiritus S. introduci auctoritate noſtra, ejuſdem Monaſterii, & Ord. Superioris licentia ad hoc minime requiſita, procures. Nos enim Chriſtinæ, & Angelæ prædictis, ut ad effectum prædictum in Monaſterio Spiritus S. ad quinquennium dumtaxat eſſe poſſint, dummodo quinquennii curſu elapſo ad Monaſterium S. Hieronymi redeant per præs. Apoſtolica auctoritate indulgemus. Non obſtautibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXX. Maji An. II.

XIV.

Ut reducat Moniales ad Monaſteria Aquilana. Ibidem pag. 471.

Dilecto Filio Bonaventuræ de Clavaro Ord. Min. de Obſervantia Profeſſori, & in partibus Ciſmontanis totius Ordinis prædicti Commiſſario Generali.

EXponi nobis nuper fecerunt dil. in Chriſto filiæ Seraphina Barona Monialis S. Euchariſtiæ Aquilanen. nunc Monaſterii S. Claræ Neap. Abbatiſſa, & Agata Bonifacia Monialis S. Hieronymi Averſanen. Ord. S. Claræ Abbatiſſa S. M. Ægyptiacæ, ac alia Monialis Monaſterii S Luciæ etiam Aquilanen. Ordinis S. Auguſtini nunc Abbatiſſa S. Mariæ Magdalenæ Monaſteriorum, quod cum ipſæ a dictis Monaſteriis, in quibus profeſſæ fuerunt, ad alia Monaſteria prædicta, quæ reformatione indigere videbantur, pro incœpto in eiſdem Monaſteriis reformationis negotio perficiendo Apoſtolica per literas in forma Brevis auctoritate una cum nonnullis aliis Monialibus earum ſociis tranſlatæ fuerint, & illic in Abbatiſſas præfectæ; in ipſis vero Monaſteriis præ aeris intemperie adverſa valetudine aſſiduo vexentur, parumque, aut nihil quoad cœptum jam reformationis negotium prædictum jam poſſint in Monaſteriis prædictis retineri, aut eſſe. Idcirco ſingulæ Moniales prædictæ nobis

nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eas ad Monaſteria, in quibus habitum ſusceperunt, & profeſſionem regularem emiſerunt, reverti, & redire permitteremus. Hujusmodi igitur ſupplicationibus inclinati, & earumdem Monialium commodis, & bonæ valetudini hac in parte conſulere volentes, de præmiſſis omnibus ſatis abundanter per te certiores facti, tibi ut dictis Monialibus, earumque ſociis a Monaſteriis, quibus nunc in Abbatiſſas præſunt, diſcedendi, & ad Monaſteria, in quibus profeſſæ ſunt, redeundi, & revertendi licentiam arbitrio tuo, ſi id expedire tibi videbitur, impertiri valeas auctoritate noſtra præſen. ten. facultatem concedimus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die III. Junii An. II.

XV.

Facultas eisdem Monialibus redeundi ad propria Monaſteria. Ibidem pagina 492.

Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Monaſterii S. Claræ Neapolis Ord. ejusdem S. Claræ.

CUM nos nuper dilecto filio Bonaventuræ de Clavaro Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Profeſſori, ac in partibus Cismontanis Totius Ord. prædicti Commiſſario Generali dederimus in mandatis, ut dilectam in Chriſto filiam Seraphinam Barona Monialem Monaſterii S. Euchariſtiæ Aquilanen. nunc veſtri Monaſterii Abbatiſſam ad Monaſterium S. Euchariſtiæ, unde egreſſa eſt, redire permitteret. Cupientes tamen Monaſterium veſtrum pro inſtituta in eo ad reſtituendam Regularem Obſervantiam reformatione optime in poſterum regi, feliciterque gubernari, & per idoneam Abbatiſſæ, aliarumque perſonarum, quibus regendi, & gubernandi Monaſterium prædictum cura imminet, deputationem, commode hoc aſſequi poſſe exiſtimantes. Idcirco motu proprio, & ex certa ſcientia ad annum a die per infraſcriptas Moniales ſuſcipien. officii immediate ſequentem dumtaxat dil. in Chriſto filias Antoniam Sylveſtram in Abbatiſſam, Iſabellam vero de Franco Monaſterii veſtri prædicti Monialem in Vicariam Apoſtolica auctoritate præs. lit. tenore veſtro Monaſterio præficimus, conſtituimus, & deputamus, & pro earum conſilio, quod vulgo dicitur Diſcretarum, ſuperiori anno dum electioni ejuſdem Bonaventura Commiſſarius prædictus præſideret, ejusdem Monaſterii Moniales electas, cum eædem negotii reformationis admodum inſtructæ ſint, illamque, ſicut accepimus, ſinceris exoptandam affectibus, confirmamus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die III. Junii Anno II.

XVI.

Pro Cœnobio Oppidi de Velada. Ibidem pag. 457.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcræ Religionis, ſub qua dil. fil. Fratres Ordinis Min. de Obs. devotum, & ſedulum Altiſſimo exhibent famulatum, promeretur zelus, ut perſonarum præſertim ad dictum Ord. devotionem gerentium pre-

precibus in his præſertim, quæ illius Ordinis propagationem concernunt, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuamus. Exponi ſane nobis nuper fecit dil. Fil. Nob. Vir Gomez de Avila Marchio de Velada, quod ipse ob ſingularem, quem erga Ordinem prædictum gerit, devotionis affectum in dicto Oppido de Velada Abulen. Dioec. unam dicti Ordinis domum conſtituere ſub Provincia S. Gabrielis deſideret, non obſtante quod dictum Oppidum in Regno, & Provincia Caſtellæ exſiſtit, licetque id a dil. fil. Miniſtro Generali dicti Ordinis impetraverit, ut tamen illa perpetua firmitate ſubſiſtant, dictus Gomez Marchio cupit ea per nos etiam Apoſtolica auctoritate approbari. Quare idem Gomez Marchio Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de ben. Apoſtolica dignaremur. Nos, qui hujusmodi Religionem noſtris potiſſime temporibus vigere ſinceris deſideramus affectibus, prædictum Gomez Marchionem a quisbusvis excommunicationis &c. cenſentes, nec non decreti, & literarum Miniſtri hujusmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illaque harum ſerie approbantes, & confirmantes, ac perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicientes, omneſque & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eisdem ſupplentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus domus prædicta ex nunc, ſi jam conſtructa exſiſtat, alioquin etiam ex nunc, prout ex tunc, & e contrà poſtquam conſtructa fuerit moderno, & pro tempore exſiſten. Provinciali Provinciæ S. Gabrielis dicti Ordinis ſubſit, nec ab illa divelli, aliove transferri quovis modo poſſit, inhibentes Provinciali Provinciæ Caſtellæ, & quibuſcumque aliis ejuſdem Provinciæ Caſtellæ Miniſtris & Officialibus, ne ſe in adminiſtratione dictæ domus intromittant, ac decernentes, diſmembrationes, translationes, & alias quaſcunque diſpoſtiones de dicta domo cauſa præſentium tenoris quomodocumque faciendas nunc irritas, & inanes, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe, irritum quoque, & inane &c. attentari. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII. Junii Anno II.

XVII.

Concedit Privilegium Aloyſia de la Cerda. Ibidem pag. 432.

Dilecta in Chriſto Filia Aloyſia de la Cerda Vidua Toletana Diœceſis.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod cum Tu, quæ in quinquageſimo, vel circa ætatis tuæ anno conſtituta exſiſtis, tuis expenſis duo Monaſteria alterum Diſcalceatorum Ord. S. Franciſci, alterum vero Monialium etiam Diſcalceatarum nuncupat. Ordinis Carmelitarum ædificari curaveris, quodque Religionis zelo ducta pro animæ tuæ ſpirituali conſolatione aliquando deſideras Monaſteria hujuſmodi ingredi, & in eis cum inibi pro tempore exſiſtentibus Monialibus familiariter converſari, ſi tibi ad id noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſuffragaretur auctoritas, deſidereſque eamdem facultatem quoad dictum conſtructum, & alia per te exſtruenda Monaſteria Monialium tam tibi, quam tuis filiabus etiam concedi; Nos &c. tuis ſupplicationibus annuentes &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII. Junii Anno II.

XVIII.

XVIII.

Pro applicatione bonorum Cœnobii Corinaldi. Ex authentico Originali ejuſdem Civitatis.

Venerabili Fratri Patriarchæ 1

. . . . . . Hodie a nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequentis videlicet: Gregorius Epiſcopus &c. ad perpetuam rei memoriam. Copioſus in miſericordia Deus &c. expedire. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Miniſtri Provincialis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia de familia nuncupatorum Provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitan. , ... Syndicorum. & aliorum Miniſtrorum Montis Pietatis in Terra Corinaldi Senogallien. Diœceſis canonice inſtituti petitio continebat. Quod alias poſtquam felicis recordationis Pius PP. V. Prædeceſſor noſter ex certis cauſis per quaſdam ſuas in forma brevis editas literas Domum Sancti Franciſci tunc Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum dictæ Terræ a gubernio, regimine, & ſuperioritate dictorum Fratrum Conventualium, eorumque Superiorum perpetuo eximens illam cum omnibus ejus rebus, ſuppellectilibus, paramentis, & aliis bonis mobilibus quibuſcumque eidem Ordini de Obſervantia conceſſerat, & pro tempore exſiſtentis Miniſtri Provincialis ejuſdem Provinciæ gubernio, eorumque viſitationi, correctioni, & obedientiæ ſuppoſuerat, & ſubjecerat volens inter cætera, quod de bonis ſtabilibus ipſius Domus nihil ab aliquo fieri præſumeretur, aut de eis diſponeretur, ſed illa bene, & fideliter cuſtodirentur, & adminiſtrarentur, donec per ſe quod de eis agendum foret, ordinaretur, prout in dictis literis plenius continetur, Fratres Ordinis de Obſervantia hujuſmodi in eadem Domo dictorum literarum vigore introducti fuerunt, ubi ab eo tempore citra devotum Altiſſimo præſtiterunt famulatum, ac juxta eorum Regularem Obſervantiam multa cum Dilectorum Filiorum Univerſitatis, & hominum ipſius Terræ ſpirituali conſolatione laudabiliter . . . . Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, nuper dictus modernus Miniſter Provincialis inter cætera loca obedientiæ ſuæ ſuppoſita dictam Domum viſitando deprehendiſſet modernos Fratres ipſius Ordinis de Obſervantia in eadem domo commorantes tamquam literis ipſius prædeceſſoris inhærentes bona etiam ſtabilia prædicta poſſidere . . . . . . eis minus convenire exiſtimans, adminiſtrationem bonorum ſtabilium prædictorum ab eiſdem Fratribus de Obſervantia abdicare velle decreverit. Et ſi Fratres de Obſervantia Domus hujuſmodi fruitione proventuum dictorum bonorum ſtabilium privarentur, conſuetæ Chriſtifidelium Eleemoſynæ etiam ſedulo mendicatæ vix ad paucorum ex ipſis, ne dum ad totius Conventus dictæ Domus congruam ſuſtentationem ſufficerent, quin etiam inde fieret, ut ipſi eamdem Domum deſerere cogerentur. Si vero bona ſtabilia prædicta eidem Monti perpetuo applicarentur ad hoc, ut moderni, & pro tempore exſiſtentes Syndici, & alii Miniſtri Montis hujuſmodi . . . . Syndicus pro tempore eiſdem Fratribus de Obſervantia deputandus ex illorum proveutibus victum, & veſtitum tot Fratribus dicti Ordinis de Obſervantia, quot pro tempore exſiſtens Miniſter Provincialis Provinciæ hujuſmodi pro Regulari Obſervantia in eadem Domo conſervanda

da duxerit eſſe neceſſarium ſubminiſtrare, ac dictam Domum, & illius Eccleſiam in ſuis ſtructuris, & ædificiis perficere, conſervare, & manutenere, eidemque Eccleſiæ de ornamentis, paramentis, aliiſque rebus Divino cultui neceſſariis providere teneantur, ex hoc profecto felici præmiſſorum directioni, & optatæ dictorum Fratrum de Obſervantia exonerationi abunde conſuleretur. Quare pro parte Miniſtri Provincialis, ac Syndicorum, & aliorum Minſtrorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnia, & quæcumque bona ſtabilia prædicta ad eamdem Domum quomodolibet pertinentia ab ea, & illius proprietate perpetuo ſeparare, & abdicare, illaque ſic ſeparata, & abdicata eidem Monti ſic ut præfertur perpetuo applicare, & appropriare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod patentes...... Eccleſiaſtica aliis....... tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem eſtimationem etiam beneficii, cui alius..... peteretur, alioquin..... non valeret, & ſemper in........ commiſſio fieret ad partes vocatis, quorum intereſſet, & Miniſtrum Provincialem, ac Syndicos, & alios Miniſtros prædictos; ac eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exſiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, nec non literarum prædictarum tenores, ac fructuum, reddituum, & proventuum dicti Montis verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati omnia, & quæcumque bona ſtabilia cujuſcumque qualitatis, & valoris exſiſtentia ubivis locorum conſtituta ad eamdem Domum quomodolibet pertinentia præfata ab ea; & ejus proprietate, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo ſeparamus, & abdicamus, ac illa ſic ſeparata, & abdicata Monti prædicto..... liceat Syndicis, aliiſque Miniſtris Montis hujuſmodi una cum alio Syndico pro tempore a dictis Fratribus de Obſervantia deputando, & ad eorum nutum amovibili per ſe, vel alium, ſeu alios ejuſdem Montis nomine corporalem, realem, & actualem ipſorum bonorum ſtabilium poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita. Ita tamen quod in adipiſcendo poſſeſſionem dictorum bonorum ſtabilium præfatus Miniſter Provincialis intervenire, ac pro ipſorum Fratrum de Obſervantia potiori cautela, & ut veritas in hoc magis oſtendatur, inſtrumentum publicum cum inſertione præſentium litterarum, & ſpecificatione omnium, & ſingulorum bonorum ſtabilium prædictorum, illorumque ſituationum, confinium, denominationum, qualitatum, & quantitatum fieri debeat..... Syndici, & alii Miniſtri Montis hujuſmodi victum, & veſtitum, aliaque neceſſaria tot Fratribus dicti Ordinis de Obſervantia, quot pro tempore exſiſtens Miniſter Provincialis pro Regulari Obſervantia in dicta Domo conſervanda duxerit eſſe neceſſarios juxta eorumdem Fratrum de Obſervantia qualitatem, & ipſius Miniſtri Provincialis præſcriptionem quoad ſufficientes redditus, & proventus dictorum bonorum ſtabilium perpetuis futuris temporibus opportune ſubminiſtrare, eamdemque Domum, & illius Eccleſiam in ſuis ſtructuris, & ædificiis perficere. Et ſi pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum de Obſervantia per prædictum Miniſtrum Provincialem minus amplæ, & commodæ judicatæ fuerint, ampliare, illaſque con-

ſervare, & eas vetuſtate, aut quovis alio ſiniſtro caſu quocumque tempore corruentes etiam a fundamentis reſtaurare, & reparare; nec non eidem Eccleſiæ de ornamentis, & paramentis, aliiſque rebus quibuſcumque divino cultui neceſſariis ſemper providere, ac etiam ſemper, & quandocumque eidem Miniſtro Provinciali placuerit, præfati Syndici, & alii Miniſtri Montis hujuſmodi rationem adminiſtrationis dictorum bonorum ſtabilium reddere, ac de illorum fructibus, redditibus, & proventibus ipſius Miniſtri Provincialis arbitrio diſponere teneantur, & ad prædicta omnia per eumdem Miniſtrum Provincialem cogi, & compelli poſſint, & quidquid pro redditibus, & proventibus ipſorum bonorum ſtabilium in neceſſitates eorumdem Fratrum de Obſervantia, aliasque aptationes, ſtructuras, fabricas, amplificationes, proviſiones dictorum ornamentorum, paramentorum, & aliorum quorumcumque convertendis per præfatum Miniſtrum Provincialem libere ordinabitur, id totum tam per Syndicos, & alios Miniſtros Montis hujuſmodi, quam per quoſcumque alios, ad quos ſpectabit, in quavis dignitate, & gradu exſiſtentes omni, & quacumque appellatione remota debite exſecutioni demandetur. Et inſuper quod dictus Miniſter Provincialis illud terrenum, quod ſibi ex ipſis bonis ſtabilibus pro reparatione, conſervatione, & ampliatione tam Domus, quam illius Eccleſiæ, prædictarum, & aliarum quarumcumque Officinarum, nec non horti, viridarii, & ſylvæ juxta ſolitum dictorum Fratrum de Obſervantia libere videbitur neceſſarium, eiſdem Fratribus de Obſervantia conſignet, & conſignari mandet eiſdem auctoritate & tenore etiam perpetuo applicamus, & appropriamus. Non obſtantibus &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Marcum ..... Julii An. II.

XIX.

Ut reducat ad clauſtra Fratres in Auſtria, & Hungaria. Ex regeſt. Secret. Brevium Ibidem pag. 592.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Strigonien.

Accepimus nuper, quod nos non mediocriter perturbavit, plures Fratrum Min. Ord. Divi Franciſci de Obſervantia in nonnullis Auſtriæ, & Hungariæ Diœceſibus degentes, nulla a ſuis Superioribus petita, & obtenta licentia, propria memoria exire, & abjecto regulari habitu huc, atque illuc vagari, interdumque etiam, & quidem multos, & perfacile domibus Epiſcoporum, aliorumque iſtarum Provinciarum excipi, nec non ad ſæcularia Beneficia regenda deputari, qui facilitate invitati, cum maximo bonorum omnium ſcandalo liberius, quam Religioni adſcriptos viros deceat, ibidem vitam agant, quibus malis ut occurratur, ipſique Regulares ita contineantur, quemadmodum Religionis ſuæ inſtituta poſtulant, Fraternitati tuæ committimus, ne dictum Ordinem profeſſi ſub quocumque prætextu eam Religionem deſerant, aut per Diœceſes Epiſcoporum iſtarum Provinciarum vagi diſcurrant, & qui eam deſeruerint, aut quoquo modo vagentur, ad domos eorumdem Fratrum, ut ſub Superiorum ſuorum obedientia, quam Deo voverunt, poſthac vivant, reducendos omnino cures, & qua poteris etiam regia auctoritate omnem opem ad rem hanc conficiendam feras Miniſtris, aliiſque dictæ Religionis Præfectis, niſi forte pro Provincialium Eccle-

ſia-

ſiarum iſtarum Provinciarum cura exercenda earum opera indigerent Epiſcopi, eo enim dumtaxat caſu, & in defectum Presbyterorum ſæcularium permittimus, ut dictis Parochialibus Eccleſiis inſervire, vocantibus Epiſcopis, poſſint, dum tamen habitum Regularem nullo modo dimittant, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum XXV. Auguſti Anno II.

XX.

Inſtituit Capellanos triremium Capuccinos. Ibidem 577.

Ad futuram rei memoriam.

UT animarum Chriſtifidelium, & militum ſuper noſtris, & S. R. E. triremibus exſiſten. ſaluti, quantum cum Deo poſſumus, opportune conſulamus, mittimus ad ipſas triremes dilectos filios Vincentium Hiſpanum, & Antonium Piſanum Fratres Ord. Capuccinorum. Ut vero ea, ad quæ mittuntur, melius exſequi, & adimplere poſſint ſpeciales infraſcriptas facultates, & privilegia eis impertienda cenſuimus. Motu igitur proprio, & ex certa ſcientia eiſdem Vincentio, & Antonio, quod omnium, & ſingulorum Chriſtifidelium in dictis triremibus exſiſtentium confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, & cenſuris Eccleſiaſticis, & caſibus quomodolibet reſervatis, etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta contentis, in foro conſcientiæ tantum, injuncta ſalutari pœnitentia, abſolvere, nec non eorum vota quæcumque, Caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus de prædictis triremibus SS. Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare; nec non Miſſas ſuper altari portatili in loco clauſo, & a ventis tuto in terra cum reverentia, & honore celebrare. Omnibus vero, & ſingulis fidelibus in dictis triremibus exſiſtentibus, ut ſibi aliquem tam ex dictis Fratribus, quam alium Sacerdotem approbatum eligere, qui poſſit eorum confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, exceſſibus, delictis, ac cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ut præmittitur, reſervatis, abſolvere. Præterea ut plenius ægrotantibus Fratres prædicti ſatisfacere poſſint, ut ipſi Fratres, ſi fuerit opus, pro ipſorum ægrotantium neceſſitatibus in dictis triremibus, & alibi eleemoſynas petere, per Syndicum tamen, ſeu Procuratorem aliquem recipiendas, & in Infirmorum neceſſitatibus expendendas, ita quod ipſi Fratres nec eleemoſynam hujuſmodi recipiant, nec adminiſtrent, niſi quatenus eorum Regula permittit, & per Procuratorem præfatum fuerit eis mandatum, ſeu conceſſum, quodque Fratres prædicti quandocumque ventum fuerit ad arma contra Infideles, ſive in mari, ſive in terra, quilibet eorum in ea triremi, vel in ea acie, ſeu agmine, cui aſſignatus fuerit, fidelibus, & pugnantibus nomine noſtro benedictionem impendere reſpective poſſint, & valeant Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus, & poteſtatem &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die I. Septembris Anno II.

XXI.

Moderatio Literarum Pii V. de electionibus. Ibidem pag. 275.

Ad perpetuam rei memoriam.

COnſuevit Romanus Pontifex, cui univerſi Chriſtifideles curæ ſunt, de Religioni adſcriptis viris, ut in Regularis Obſervantiæ candore iidem conſerventur, ſpecialem conſervationem ſuſcipere; quod ſi aliqua per prædeceſſores ſuos ad eum finem ſtatuta ſunt, quæ experientia docente minime expedire cognoſcit, declarationibus, aliiſque rationibus non deſinit proſpicere. Accepimus nuper, fel. rec. Pium Papam V. prædeceſſorem noſtrum per ſuas in forma Brevis literas, quorum ſeriem præſentibus pro expreſſis habemus, circa Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia ſalubriter in via Domini dirigendum inter alia de Miniſtro Generali, Commiſſario, & Procuratore etiam Generalibus, & Provincialibus, ut eo in Capitulo, quo abſolvi debent, Diffinitores non eſſent, neque vocem haberent, ſtatuiſſe. Nos eam prædeceſſoris ordinationem, nonnullis de cauſis, quæ rationi maxime conſonæ ſunt, adducti, ad eum actum coarctamus, dum in officio, quod geſſerunt, ſucceſſor eligitur. Dictarum vero literarum partem, quæ antedictæ proxima eſt, in qua cavetur, ut iidem omnes Miniſter Generalis, & alii prædicti, facta ſucceſſoris electione, diſcedant. Nos itaque declaramus, ut ſtatim facta renunciatione officii diſcedere debeant, ut ſi qui eos accuſare velint, durante tempore Syndicatus, libere id facere poſſint, eo autem finito juxta ſeriem dicti Ordinis generalium ſtatutorum, in Diffinitorio recipiantur. At dum per eaſdem literas præcipiebatur, quod Provincialium Miniſtrorum electio libere per vota ſecreta fieret, ita ut Commiſſarius Generalis, vel qui electioni præſideret, ſi formam prædictam tranſgredi, vel Electores, quominus libere eligerent, quovis modo impedire convictus fuiſſet, officio privatus exſiſteret; qui vero in electionibus omnibus, vel ante eas per ſex menſes pro ſe, vel pro alio ſubornaſſet, excommunicationis ſententiam incurrat, a qua nonniſi per Romanum Pontificem pro tempore exſiſtentem, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſet, & voce activa, & paſſiva perpetuo careret. Facultatem quoad caſus prædictos Romano Pontifici dumtaxat per dictum prædeceſſorem reſervatam, etiam Miniſtro, & Commiſſario Generalibus, quando de ipſis non agitur, in omnes eventus prædictos, impertimur. Quod autem de ſubornato, & eo, pro quo ſubornatio fieret, qui ſubornantem non detuliſſet, ut eamdem excommunicationis pœnam incurrat, per dictum prædeceſſorem ſtatutum fuit, penitus abolemus. Et quod diſponebatur de Officio Generalis Miniſtri, quod per octo annos duraret; Commiſſarii vero, ac Procuratoris Generalis, necnon Provincialis per quatuor, ipſique ſemel officio functi ad idem eligi non poſſent, niſi poſt ſexdecim annos, nos ad ſtatutorum generalium dicti Ordinis ſeriem, & formam reducimus, quibus dicitur expreſse, quod officia ſemel exercentes, ab eis, quæ geſſerunt, per duplum temporis vacare debent, ita ut duæ electiones celebrentur, antequam ad eadem officia iterum eligantur. Corrigimus etiam literarum prædictarum eam partem, in qua ſtatuitur, quod nec Commiſſarius Generalis in Miniſtrum, ſeu Procuratorem Generales, nec Procura-

tor

tor Generalis in Miniſtrum, ſeu Commiſſarium Generales, niſi poſt dictos ſexdecim annos eligi poſſint, dantes, & concedentes eis, ad quos ſpectat, facultatem, Commiſſarium Generalem in Miniſtrum, ſeu Procuratorem Generales, & e converſo etiam immediate poſtquam aliquo ex dictis Officiis functi fuerint, etiam lapſu temporis prædicto non expectato pro tempore eligendi. Præterea ex eiſdem literis, quod de duobus Diſcretis, quorum conſilio Generalis Miniſter uti deberet, mandatum fuerat, cum expertum ſit, dictos Diſcretos habere, nequaquam Ordini prædicto expedire: quodque de Sac. Theologiæ Lectore, qui quatuor Curſus abſolviſſet, ut activa, & paſſiva voce in Provinciali Capitulo uteretur, in eiſdem ſtatuebatur, tollimus. Decernentes de novo, quod quoad illos, qui ex Mahomettanorum, Judæorum, vel Hæticorum damnatorum deſcendunt origine, ſervetur, quod piæ memoriæ Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Brevis literas, ſub dat. videlicet XXIV. Aprilis MDLIX. Pontificatus ſui Anno IV. ſtatuit. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum die VII. Septembris An. II.

XXII.

Concedit privilegia Fratribus Cœnobii Oenipontis. Ex regeſt. Secretariæ Brevium lib. I. anni 1754. pag. 26.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Monaſterii S. Crucis Oppidi Oenipontis Brixinen. Diœceſis Ord. Min. S. Franciſci de Obſervantia.

Exponi nobis nuper feciſtis, quod dilectus Filius Nobilis vir Ferdinandus Archidux Auſtriæ vobis duo millia florenorum per modum eleemoſynæ in perpetuum pro uſu, & neceſſitatibus veſtris aſſignare intendit. Verum vos propter Ordinis veſtri Statuta, & Ordinationes, quibus id prohibetur expreſſe, illa recipere non poteſtis abſque noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut cum præſertim Miniſter veſter Generalis id vobis jam concedat, vobis in præmiſſis provide dignaremur. Nos igitur vobis, ut duo dicta millia florenorum per modum eleemoſynæ ab ipſo Ferdinando Archiduce perpetuis futuris temporibus, ut præfertur, aſſignanda, recipere, illaque in veſtros uſus, & neceſſitates convertere, & eis uti libere, & licite, & ſine conſcientiæ ſcrupulo valeatis Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die V. Januarii An. II.

XXIII.

Inſtituitur Confeſſarius Ludovici de Requeſens. Ibidem pag. 5.

Dilecto Filio Stephano de Molina Ord. Fratrum Minorum profeſſori.

Sincerus in religionem zelus, quo te accenſum accepimus, promeretur, ut ea tibi libenter committamus, per quæ Chriſtifidelium con-

conſcientiæ, & animarum ſaluti proſpiciatur. Hinc eſt, quod nos tibi, qui Ordinem Fratrum Minorum expreſſe profeſſus es, & ad audiendas confeſſiones dilecti filii Nobilis viri Ludovici de Roqueſens Præceptoris Majoris Ordinis, & Militiæ S. Jacobi dicti de Spatha Provinciæ Caſtellæ ſub Regula S. Auguſtini, nunc pro Chariſſimo Filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico in Dominiis Flandriæ Gubernatoris Generalis, in eiſdemque locis ad præſens commorantis, ab ipſo Ludovico electus fuiſti, ut quamdiu officio Confeſſoris dicti Ludovici fungeris, in quibuſcumque regionum prædictarum Civitatibus, Diœceſibus, & locis etiam exemptis, ad quæ te accedere, & in quibus pro tempore eſſe contigerit, abſque licentia Ordinarii locorum eorumdem, quavis etiam Epiſcopali, vel Metropolitana, vel Abbatiali præditi dignitate, quorumcumque utriuſque ſexus, etiamſi perſonæ Eccleſiaſticæ etiam conſtitutæ in dignitate, non tamen ſi Regulares fuerint, confeſſiones audire, eoſdemque a quibuſvis exceſſibus, gravibuſque delictis, non tamen illis etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi ſolita comprehenſis, quorum articuli Sedi Apoſtolicæ dumtaxat reſervati exſiſtunt, quæ ipſi confeſſi tibi fuerint, injuncta eis arbitrio tuo pœnitentia ſalutari, in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvere. Ac ſi in dictis dominiis, vel illis adjacentibus locis adverſus hæreticos, ac prædicti Philippi Regis rebelles, & hoſtes caſtra poni, quod Deo pro ſua ingenti bonitate avertere placeat, aut prælia cum eiſdem committi contigerit, omnibus pro dicto Philippo Rege militantibus, quibus tunc proxime cum eiſdem hoſtibus pugnandum erit, benedicere, ac eiſdem in articulo mortis conſtitutis, & in pugna, ſeu præliis morientibus, contritis tamen, plenariam omnium, & ſingulorum ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam præs. literarum ſerie miſericorditer in Domino elargimur, pronunciare, & publicare, toties quoties juſto exercitu pugnandum erit, poſſis concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die IX. Januarii Anno II.

XXIV.

Eidem concedit privilegia. Ibidem pag. 27.

Dilecto filio Stephano de Molina Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

Sincerus &c. fungeris. De ſalario Confeſſori Gubernatoris dictorum dominiorum ab eodem Philippo Rege conſtituto, & aliis quibuſcumque etiam aliunde tibi provenientibus pecuniarum ſummis ad tuam, & ſociorum ſubſtentationem uti, & de illis etiam in quoſvis pios uſus per manus tamen tertiæ perſonæ diſponere libere, & licite valeas Auctoritate Apoſtolica vigore præſentium facultatem concedimus, tecumque attenta aeris dictorum locorum intemperie, gravibuſque frigoribus, ut caligas, & alias veſtes ad tui corporis valetudinem tuendam ſub habitu regulari, quem defers, & ſoles induere, ac equos aſcendere, ubicumque occaſio obtulerit, poſſis, de ſpeciali dono gratiæ diſpenſamus, nec non ut jejunia, ad quæ juxta Ordinis tui Regulam adſtrictus es, ſi ea per te non ſine periculo, & ſalutis tuæ detrimento (quod tuæ conſcientiæ committimus) obſervari poſſe cognoveris, minime obſervare, attenta tua gravi ætate prædicta, tenearis, & hoc tibi in peccatum nequaquam adscribi poſſe eadem auctoritate decernimus. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die IX. Januarii Anno II.

XXV.

XXV.

Fit Epiſcopus Nicaragua. Ex regeſt. Vaticano lib. 3. pag. 370.

Antonio de Cayas Electo Nicaraguen. Salutem &c.

APoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Nicaraguen. in partibus Indiarum Maris Oceani conſiſten. ex eo quod Nos nuper Venerabilem Fratrem noſtrum Gometium Epiſcopum Guatimalen. &c. a vinculo &c. tranſtulimus, per translationem hujuſmodi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos &c. Demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupat. &c. Profeſſorem, & verbi Dei Concionatorem &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Nicaraguen. de perſona tua &c. providemus, Teque eidem Eccleſiæ Nicaraguen. in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. Februarii Anno II.

XXVI.

Reformat Monaſterium Piſarum. Ibidem pag. 50.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Cæſarien. in Civitate Piſarum commoranti.

CUM ſicut accepimus, Monaſterium Monialium S. Laurentii Piſani Ord. S. Franciſci non ſolum reformatione, verum etiam Monialibus ad regendum idoneis plurimum indigere noſcatur; Nos ejuſdem Monaſterii ſalubri reformationi, & felici gubernio opportune proſpicere volentes, tibi, ut dilectam in Chriſto filiam Luiſiam Damianam Monialem Monaſterii S. Martini dictæ Civitatis, & ejuſdem Ordinis ætate gravem, bonis moribus, prudentia, & religione præditam una cum duabus aliis Monialibus, & una Converſa per ipſam Luiſiam eligendam ex ipſo Monaſterio S. Martini ad primodictum Monaſterium S. Laurentii ad effectum illud reformandi &c. in illud introducere, ipſamque Luiſiam in Abbatiſſam dicti Monaſterii S. Laurentii ad triennium proximum, & beneplacitum noſtrum conſtituere, & deputare valeas, ita quod finito triennio, & reformatione hujuſmodi dictæ Luiſa, & Moniales, ac Converſa ad ſuum Monaſterium S. Martini redire, ibique ſuum priſtinum ſtatum, locum, & gradum habere, & præeminentiis gaudere poſſint, & debeant &c. facultatem concedimus. Mandantes dilectis in Chriſto filiabus prædicti Monaſterii S. Laurentii Monialibus in virt. S. O. &c. ut Luiſiam, ejuſque ſocias ſupradictas in ſuum Monaſterium benigne recipiant, eidemque Luiſæ, poſtea quam Abbatiſſa dicti Monaſterii S. Laurentii per te declarata fuerit in omnibus ſuum officium concernentibus &c. obediant. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVII. Februarii Anno II.

XXVII.

XXVII.

Delegat Cardinalem Borromaum pro manutentione Fratrum Minorum de Obs. in poſſeſſione Sacri Montis Varalli. Ibidem pag. 42.

Dilecto nobis in Chriſto filio Carolo tit. S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromao nuncupat. Ordinis Minorum Protectori.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres domus Ord. S. Franciſci de Obſervantia in diſtrictu Terræ Varalli Novarienſis Diœceſis ſitæ, quod poſtquam de Anno Domini MCDXCIII. Univerſitas, & homines ejuſdem Terræ donationis titulo, Sedis etiam Apoſtolicæ auctoritate accedente, ac felicis recordationis Innocentio PP. VIII. prædeceſſore noſtro tunc ſedente, Eremitorium S. Sepulcbri vulgo appellatum una cum Eccleſia, & Capella ſubtus Crucem, ac alia Capella Aſcenſionis ſupra Montem exſiſtente una cum aliis ad Eremitorium prædictum pertinentibus ædificiis, & aliis cohærentiis poſitum in diſtrictu ejuſdem Terræ Fratribus prædictis dedit, & conceſſit, biſque in locis Fratres prædicti ſacram Dominicæ Paſſionis hiſtoriam ſeriatim, myſteriaque omnia ad fidelium devotionem excitandam ordine, ac ſtructura admirabili repræſentari, fabricarique curarunt, eorumque curam, & adminiſtrationem ipſi Fratres ſemper geſſerunt, & in bac longiſſima quaſi poſſeſſione hactenus perſeveraverunt, & licet homines ejuſdem Terræ a ſacris, iiſque præſertim, quæ ad Eccleſias ornandas, divinique cultus augmentum pertinent, deceret abſtinere, nibilominus quadam cupiditate elati, ſe fabricæ dictæ Eccleſiæ operarios de facto conſtituerunt, tantamque ſibi ſumpſerunt auctoritatem, ut, deſtructis jam locis illis, ſeu pluribus eorum, quibus ſacra Myſteria omnia continebantur, illiſque eorum arbitrio in alium Ordinem, diverſamque ſormam redactis, nunc de expellendis ex dictis locis eiſdem Fratribus agant, idque Univerſitas, ac homines prædicti eiſdem Fratribus comminentur. Propterea Nobis iidem Fratres bumiliter ſupplicare fecerunt, ut tot, tantiſque incommodis, & ne ſcandala ſequantur, providere dignaremur. Nos igitur &c. Circumſpectioni tuæ mandamus, ut conſtituto tibi ſummarie de longiſſima dictorum Fratrum poſſeſſione, vel quaſi in ea, in qua exſiſtebant, vel nunc exſiſtunt, auctoritate noſtra eoſdem Fratres manuteneas, defendas, mandatumque de illos manutenendo, & defendendo deſuper relaxes opportunum, aliaque juris, & facti remedia adhibeas, quæ neceſſaria quomodolibet duxeris in præmiſſis. Quatenus vero iidem Fratres eorum priſtiua poſſeſſione jam de facto ſpoliati, vel ab illa dejecti fuerint, ipſos in eam plene reſtituas, reponas, & reintegres, dantes tibi in præmiſſis poteſtatem, & auctoritatem cætera omnia, & ſingula faciendi &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die V. Martii Anno II.

XXVIII.

Eligitur Vicarius Generalis Minorum Conventualium. Ibidem pag. 69.

Dilecto Filio Petro Antonio de Nuceria S. Theologiæ Magiſtro Ord. Min. Conventualium Vicario Generali.

CUM, ſicut accepimus, quondam Joannes Picus de Camerino Ord. Min. Conven. Magiſter Generalis nuper, ſicut Domino placuit, extra Rom.

Cu-

Curiam ab humanis deceſſerit; Nos pro noſtri Paſtoralis officii debito volentes, ne dictus Ordo in ſpiritualibus, aut temporalibus, donec alius Magiſter Generalis, ut moris eſt, in Capitulo Generali Ordinis hujuſmodi creetur, & eligatur, detrimenta aliqua patiatur &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Martii Anno II.

XXIX.

Pro Cœnobio Caſalenſi Capuccinorum. Ibidem pag. 149.

Venerabili Fratri Epiſcopo Caſalenſi, ſeu ejus in ſpiritualibus Vicario Generali, & dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Caſalenſis.

Exponi nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardiani, & Fratres Domus S. Franciſci Ord. Fr. Min. Capuccinorum nuncupat. prope, & extra muros Civitatis Caſalen., quod dicta Domus in pede cujuſdam montis ſita & ob aquarum impetum continue a dicto monte cadentium, murosque, & ædificia ipſius domus radentium adeo conſumpta, & in tantum periculum redacta exſiſtit, ut in illius reparatione majores expenſæ, quam in alterius domus nova ædificatione fieri debeant, & licet ipſa repararetur de novo, nihilominus lapſu, & decurſu aquarum prædictarum conſumaretur, & ipſa domus meridiei oppoſita, & juxta flumen Padum exſiſtit, in cujus ripa, & prope dictam Domum lurida dictæ Civitatis graveolentia extenduntur, ex quarum fœtido odore, & fluminis hujuſmodi vicinitate, aer inibi tam morboſus, & peſtifer redditur, ut æſtivo tempore Gnardianus, & Fratres prædicti aut moriuntur, aut talem infirmitatem contrahunt, ut nondum in dicta domo, ſed nec quovis alio loco, aut alia quapiam aeris mutatione curari poſſint, ipſique Guardianus, & Fratres in Domo, & Civitate permanere cupientes eam ſub ſpe aliam domum in loco melioris aeris ædificandi hactenus retinuerunt, ac quamdam aliam domum pro illorum habitatione in plano Civitatis boni aeris de conſenſu dilecti Filii Nobilis Viri Ducis Mantuæ ex piis fidelium eleemoſynis ædificari facere cœperunt. Et ſi Eccleſia dictæ domus profanaretur &c. & bona dictæ domus plus offerenti venderentur &c. novæ Eccleſiæ ædificationi, & ipſorum Guardiani, & Fratrum corporis ſanitati plurimum conſuleretur. Quare pro parte eorumdem Guardiani, & Fratrum &c. nobis fuit ſupplicatum, qnatenus &c. eorum ſtatui in præmiſſis providere dignaremur. Nos igitur &c. Fraternitati veſtræ, tuæ, Frater Epiſcope, & diſcretioni tuæ, Fili Præpoſite, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus &c. domum prædictam, ac in ea ſtatum, formam, eſſentiam, ac ordinem perpetuo ſupprimere, & extinguere, illiuſque Eccleſiam profanare, ac illam, & Conventum, ac ædificia omnia demoliri, & ſolo æquari facere, ipſique Guardiano, & Fratribus quæcumque paramenta, & ornamenta, ac alias res Eccleſiaſticas, & ad divinum cultum pertinentes in domo, & Eccleſia hujnſmodi exſiſten. ad domnm jam conſtrui in dicta Civitate cœptam exportandi, ac locum, & ſitum dictæ domus, ac illius Cœmeterii nondum conſecrati, nec non ædificia perſonis plus offerentibus publice, & ad incantum, ac prout melius, & utilius videbitur, vendendi, & pretium ex venditione hnjuſmodi proveniens in perfectionem dictæ domus jam conſtrui cœptæ convertendi, ac inſtrumenta deſuper neceſſaria, & op-

portuna celebrandi licentiam, & facultatem concedere auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVI. Junii Anno III.

XXX.

Fit Epiſcopus S. Jacobi Ex regeſt. Vaticano lib. 8. pag. 307.

Dilecto Filio Didaco de Medellin Electo Sancti Jacobi Novi Extremi Salutem &c.

APoſtolatus Officium &c. Sane Eccleſia Sancti Jacobi Novi Extremi in Provinciis de Chile nuncupat. in partibus Indiarum Maris Oceani conſiſten., cui bonæ mem. Ferdinandus Epiſcopus &c. per obitum dicti Ferdinandi Epiſcopi &c. Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos &c. Demum ad Te Ord. Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupat. &c. ac Theologiæ Profeſſorem, & Verbi Dei Concionatorem &c. direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. prædictæ Eccleſiæ Sancti Jacobi Novi Extremi de perſona tua &c. providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Julii Anno III.

XXXI.

Inſtituitur Inquiſitor contra hæreticam pravitatem. Ibidem pag. 175.

Dilecto Filio Julio Columberto de Aſſiſio Ordinis Fratrum Min. Conventualium Profeſſori, & S. Teologiæ Magiſtro.

CUM, ſicut accepimus, alias a Generali Ord. Min. Conv. hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Oppido Utinenſi, & in toto Patriarchatu Aquilejen. cum facultatibus expreſſis deputatus fueris, prout in patentibus literis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Nos pro noſtro paſtorali officio muneri tibi demandato diligenter invigilantes, & ut illud etiam efficacius exſequi valeas, quo noſtra quoque fueris auctoritate ſuffultus, providere volentes, Te in eodem Oppido Utinenſi, ac toto Patriarchatu Aquilejen., nec non Civitate, ac Diœceſi Concordiæ hæreticæ prav. Inquiſitorem cum auctoritate, & facultatibus aliis Inquiſitoribus hujuſmodi tam de jure, quam ex approbata conſuetudine, ſeu privilegiorum vigore competentibus, & dari ſolitis Auctoritate Apoſtolica ten. præſentium facimus, & deputamus. Dantes tibi inſuper facultatem, Vicarios tuos ſuper præmiſſis, ſeu Commiſſarios in dictis locis, prout opportunum judicaveris, inſtituendi, & illos toties quoties tibi videbitur deſtituendi, & alios eorum loco ſubrogandi, nec non unum, vel plures Fratres tui Ordinis ad deſcribendum acta, & proceſſus S. Inquiſitionis Officii, prout opportunum judicaveris, inſtituendi, & illos toties quoties tibi videbitur deſtituendi, & alios eorum loco ſubrogandi, nec non unum, vel plures Fratres tui Ordinis ad deſcribendum acta, & proceſſus S. Inquiſitionis Officii, prout opus fuerit, in notarios deputandi, cæteraque in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna mandandi, gerendi, & exſequendi. Præcipientes tibi in virtute S. O., ut omnem curam, operam, & diligentiam adhibeas ad recuperan

randum omnes, & ſingulos proceſſus, & acta quomodolibet ſpectantes, vel ſpectantia ad dictum S. Inquiſitionis officium a quibuſcumque perſonis cujuſvis ſtatus, & dignitatis Eccleſiaſticæ, atque vel illa penes te, ſeu tuos in dicto officio ſucceſſores, tuto, & fideliter conſervare. Contradictores quoslibet &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XV. Junii Anno III.

XXXII.

Indulget privilegia Clariſſis Montis Chriſti. Ibidem pag. 202.

Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Monte Tudertin. Ordinis S. Claræ.

Expoſcit veſtræ devotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quæ veſtris commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt, quod Nos vobis, ut ſingulo quoque anno omnia, & ſingula fructus, redditus, proventus, Jura, & emolumenta, quæ ex bonis in territorio Caſtri Collaſono Tudertin. Diœceſis exſiſtunt, & ad veſtrum Monaſterium de Monte Chriſti Ord. S. Claræ pertinentium recolliguntur, extrahi, & ad dictum Monaſterium deduci facere libere, & licite poſſitis Apoſtolica Auctoritate ten. præs. licentiam concedimus, & facultatem; diſtrictius inhibentes omnibus quibuſvis perſonis &c. ne vos deſuper quomodolibet moleſtare &c. præſumant. Contradictores quoslibet &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die ultima Auguſti Anno III.

XXXIII.

Approbat conſtructionem Cœnobi Vicani. Ex Archivo ejuſdem Cœnobii.

Ven. Fratri Epiſcopo Vicanen. ſalutem &c.

Chriſti fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilect. Filiorum Miniſtri Provincialis, & Fratrum Provinciæ Terræ Laboris Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupat. petitio continebat. Quod dilecti Filii, Communitas, & homines Vican. ob ſingularem, quem erga dictum Ordinem gerunt, devotionis affectum, quamdam Domum in dicta Civitate conſiſtentem, & ad eos pleno jure ſpectantem Miniſtro, & Fratribus præfatis perpetuo donare, concedere, & relinquere, ac in ea Domum Fratrum ejusdem Ordinis pro perpetuis uſu, & habitatione unius Guardiani, & duodecim Fratrum ejuſdem Ordinis, qui inibi ſub Regulari Obſervantia, & humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulentur, cum Eccleſia ſub invocatione S. Mariæ, Campanili &c. ædificari facere deſiderant, ſi ad hoc ipſis Sedis Apoſtolicæ Auctoritas ſuffragaretur. Quare pro parte Miniſtri, & Fratrum prædictorum aſſerentium, nullam aliam eorumdem Fratrum Domum in Civitate Vicanen. exſiſtere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Communitati, & hominibus prædictis unam Domum eorumdem Fratrum cum Eccleſia, & aliis rebus neceſſariis, ut præfertur, conſtrui, & ædificari faciendi, ac Miniſtrum, & Fratres recipiendi, nec non Guardiano, & duodecim Fratribus prædictis in ea habitandi licentiam concedere; aliaſque in præ-

miſſis &c. dignaremur. Nos igitur &c. Miniſtrum, & Fratres prædictos, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis &c. cenſentes &c. inclinati Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, Communitati, & hominibus hujuſmodi in Civitate, & loco prædictis unam Domum Fratrum prædictorum cum Eccleſia, Campanili &c. pro uſu, & habitatione dictorum Guardiani, & duodecim Fratrum &c. dummodo alia eorumdem Domus Fratrum in Civitate Vicanen. non ſit, ſine alicujus, & Parochialis Eccleſiæ, juxta cujus limites Domus una cum Eccleſia prædicta ædificabitur, præjudicio, conſtrui & ædificari faciendi, ac Miniſtro, & Fratribus illam, poſtquam conſtructa fuerit, recipiendi, nec non Guardiano, & duodecim Fratribus prædictis inhabitandi liberam licentiam concedas &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die .... Auguſti Anno III.

XXXIV.

Indulgentiæ pro Eccleſia Monaſterii de Thomar. Ex regeſt. Secretariæ Brevium ibidem pag. 267.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut accepimus, in Eccleſia Monaſterii Monialium S. Herenæ Ord. S. Franciſci Oppidi de Thomar nullius Diœceſis Regni Portugalliæ ob devotionem erga dictam S. Herenam Virginem, & Martyrem dicti Monaſterii, dum viveret, ſanctimonialem, quædam utriuſque ſexus fidelium Confraternitas inſtituta ſit, quæ inter alia pietatis opera diem feſtum dictæ Virginis magna ſolemnitate, & veneratione celebrando Deum Omnipotentem, qui in Sanctis ſuis benedicitur, ſummopere obſervant, & laudant. Nos &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi omnibus, & ſingulis prædictæ Confraternitatis Confratribus utriuſque ſexus, qui dictam Confraternitatem ingredientur, confeſſis, & communicatis die, quo illam ingreſſi fuerint, ejuſdem vero Monaſterii Monialibus præs. & futuris, & Confratribus ipſius Confraternitatis nunc, & pro tempore exſiſtentibus ſemel in vita, in die, quem elegerint, & iterum pro omnibus ſupradictis in articulo mortis contritis, & de more confeſſis omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentium, & remiſſionem elargimur; necnon prædictis, & omnibus aliis utriuſque ſexus fidelibus pariter contritis, & confeſſis, qui ſingulis annis Eccleſiam prædictam die feſto ejuſdem S. Herenæ Virg. a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, & unione, ac hæreſum extirpatione, & infidelium converſione, Sanctæque Matris Eccleſiæ tranquillitatem prædictas ad Deum preces effuderint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus quoad Indulgentiam ſeptem annorum ad decennium dumtaxat.

Datum Romæ apud S. Petrum die X. Septembris Anno III.

XXXV.

XXXV.

Confirmatur in Officio Abbatiſſæ. Ibidem pag. 300.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit Venerabilis Frater Ferdinandus Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, quod S. Franciſci de Obſervantia Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, vel Miniſtra certo modo, quem haberi volumus pro expreſſo, & illius Moniales capitulariter, ut moris eſt, congregatæ confidentes de religione, probitate, ſufficientia, & experientia dilectæ in Chriſto filiæ Annæ de Aragon tunc Monialis Monaſterii S. Catharinæ etiam Cæſarauguſtan. ejuſdem Ordinis, in prædicti Monaſterii Beatæ Mariæ hujusmodi Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, vel Miniſtram concorditer elegerunt, vel poſtularunt, & deinde ipſa Anna a dicto Monaſterio S. Catharinæ ad prædictum Monaſterium B. Mariæ rite translata fuit, ubi ab anuo citra officium Abbatiſſatus, vel Prioriſſatus, aut Miniſtratus hactenus laudabiliter exercuit, & exercet de præſenti. Licet autem præmiſſa omnia per Provincialem Provinciæ Aragonum ejuſdem Ordinis tunc exſiſten., qui dicti Monaſterii B. M. de Altabas Superior exſiſtit, in vim privilegiorum eidem Ordini per Sedem Apoſtolicam conceſſorum confirmata fuerint, nihilominus idem Ferdinandus Archiepiſcopus nobis humiliter ſupplicari curavit, ut præmiſſa pro illorum ſubſiſtentia firmiori approbare, & confirmare, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictam Annam a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati electionem, ſeu poſtulationem prædictam &c. donec ipſa Anna vixerit, confirmamus, & approbamus &c. Contradictores quoslibet &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Novembris Anno III.

XXXVI.

Subjicit Ordinariis Locorum Monaſteria Minoribus ſubjecta in Provincia Auſtriæ. Ibidem pag. 292.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, ſicut accepimus, dilectus Filius Nobilis Vir Carolus Archidux Auſtriæ ad evitandâ varia ſcandala, & ut bono, & ſalubri regimini, & gubernio Monaſteriorum Monialium in ſuo ſtatu temporali, & dominio conſiſtentium quorumvis Ordinum ſub cura, & regula tam Fratrum S. Franciſci, & Prædicatorum, quam quorumcumque aliorum Ordinum nunc exſiſtentium valde cupiat illa curæ, & regi Ordinariorum locorum per Nos demandari. Nos volentes pro noſtri Paſtoris officii debito in præmiſſis opportune providere, & præſertim ut Fratres ipſi commodius, & liberius tum ſacrar. literarum ſtudiis, tum vero cæteris muneribus eis incumbentibus intendere valeant, ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Fratres omnes prædictos ab onere, cura, gubernio, regimine, & adminiſtratione omnium Monaſteriorum Monialium hujuſmodi in ſta-

tu, & dominio ipſius Caroli Archiducis exſiſten., ut præfertur, eis quomodolibet ſubjectorum liberamus &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXII. Novembris Anno III.

XXXVII.

Ut recuperet bona nonnulla. Ibidem pag. 334.

Venerabili Fratri Nicolao Epiſcopo Paduano noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuntio.

VOlumus, tibique per præſentes mandamus, ut omnes, & ſingulas pecunias, res, jocalia, & bona etiam pretioſa quæcumque per quondam Fratrem Adrianum Socium, & Secretarium dilecti Filii Miniſtri Generalis Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia tempore ejus obitus quomodolibet iſtic relicta a quibuſvis perſonis illa habentibus, & detinentibus noſtro, & Cameræ Apoſtolicæ nomine quam primum exigas, & recuperes, ſolventeſque, & conſignantes in forma valida de habitis, & receptis liberes, & quietes, cæteraque in præmiſſis neceſſaria facias, & exſequaris, tibi injungentes, ut illa ſic per te exacta in fabricam Conventus, ſe Monaſterii S. Franciſci Oppidi Matriti Toletanæ Diœceſis, & alia pia opera arbitrio tuo declaranda erogare diligenter cures. Super quibus tibi &c. concedimus facultatem. Contradictores quoslibet &c. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum die XVIII. Decembris Anno III.

Nota. *Alia diplomata Pontificia, quorum authentica exemplaria apud me remanent, in hunc tomum referre non potui ob ingentem eorum multitudinem, etſi clauſulas generaliores, ut par erat, ſuppreſſerim, ne ſine emolumento tomi moles augeretur. Ea in volumen MSS. collecta reponam in Archivo Aracalitano, quemadmodum & hæc impreſſa, ut a quovis accurata collatio inſtitui poſſit, ſi neceſſitas poſtulaverit. Duas tantum protuli literas Pontificias ad Sacram Capuccinorum Familiam ſpectantes, quas ineditas reperi. Quoad cæteras conſulat Lector Bullarium ejuſdem Familiæ elaboratum a V. Cl. F. Michaele a Tugio, & in duos tomos diſtinctum, impreſſum Romæ anno MDCCXL. typis Joannis Zempel Auſtriaci prope Montem Jordanum.*

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ paragraphum denotant.

A

ÆGidius ab Aquis Porretanis. 94. XCI.
Ægidius de Conſuegra. 210. XV.
Ægidius Epiſcopus Folienſis. 198. CXIII.
Ægidius Syracuſanus, vel Tarentinus. 94. XCI.
Ægidius Syracuſanus. 142. CXV.
Æmiliana Romana. 398. LXXVII.
Abundantia Carnimolla. 183. LXXII.
Acatia a Paſſione. 52. CXXIX.
Adamus Laicus cedit Magiſtratui Cœnobium Camitii. 41. XCIV.
Adrianus Becanus Martyr. 305. IX. & ſeq.
Adrianus Goudanus Martyr. 319. XLIX.
Adrianus Lambertus Martyr. 326. LXXV.
Agatha Flatomone. 52. CXXX.
Agnes a S. Antonio. 268. LXXXIX.
Agnes a S. Dominico. 48. LXIV.
Albertus Pomerius Epiſcopus Tripolitanus Minorita. 409. CXIV.
Aldonſa Pantoxa. 83. LXIII.
Aldonſa Rodriguez. 178. LXIV.
Alexander Bambi. 176. LX.
Alexander Bartoli. 193. CI.
Alexander Bonannus. 404. XCVII.
Alexander Catanenſis. 342. CXXIII.
Alexander Cribellius Cardinalis. 19. XL. 172. XLVIII. 257. LVI. 286. XXVII.
Alexander Guidicionus Epiſcopus conſecrat Eccleſiam Cœnobii Lucenſis. 196. CVIII.
Alexander Interamnenſis. 342. CXXIII.
Alexander Matthæi. 45. CIX.
Alexius Grignanus. 248. XXXIII.
Alexius de Petra Rubea. 410. CXVIII.
Alexius Sampſon Martyr. 189. LXXXVI.
Aloyſius Puteus Miniſter Generalis. 19. XLI.
Aloyſius Zapata Epiſcopus Carthaginæ. 255. LIII. Archiepiſcopus S. Fidei. ibid.
Alphonſus Betancos. 68. XXVIII.
Alphonſus Contreras. 99. II. 206. VIII.
Alphonſus ab Erena. 50. CXXV.
Alphonſus Gutierrez. 361. LX.
Alphonſus ab Herrea. 68. XXVII.
Alphonſus Lupus. 280. VII.
Alphonſus Maldonado. 336. CIII.
Alphonſus de Manzaneta. 208. XI.
Alphonſus Marinus. 239. VIII.
Alphonſus Remon corrigitur. 29. LIX. & ſeq.
Alphonſus de Roxas. 240. IX.
Alphonſus de la Quadra. 140. CXIII.
Alvarus de Miranda Martyr 206. VII.
Amadeorum Congregatio ſupprimitur. 151. II.
Amadeus ab Ateniato. 178. LXIII.
Amadeus de Portu. 198. CXIII.
B. Amadeus Luſitanus. 160. XXV. Vindicatur a cenſura Bzovii. ibid. Ejus acta. 162. XXV.
Amalia de Raggniz in Simulacrum B. V. Mariæ injurioſa exemplari ſupplicio plectitur. 73. XXXVIII.
Ambroſius de Corbara. 50. CXXV.
Ambroſius de Raguſio Archiepiſcopus Antibarenſis. 4. VII.
Anaſtaſius Italus. 239. VI.
Andreas de Caravajal Episcopus Portus Divitis. 201. CXXV.
Andrea de Caſtro. 139. CIX.
Andreas Guez Martyr. 69. XXXII.
B. Andreas Hibernon. 79. LII. Ejus amicitia cum S. Paſchale Baylon. ibid.
Andreas Lapinius. 110. XXVI.

An-

Andreas de Olmos. 102. VI. & ſeq. 298. LXXII. & ſeq.
Andreas de Portu. 198. CXIII.
Andreas Roberti Mart. 147. CXXIV.
Andreas de Tuderto. 367. LXXX.
Andreas de Vega. 149. CXXXI. 295. LVIII.
Andreas Waltherus Martyr. 306. IX. & ſeq.
Angelicus Boccarienſis. 27. XCVII.
Angelinus a Civitella. 338. CIX.
Angelus de Averſa Diffinitor Generalis. 19. XLI. Commiſſarius Apoſtolicus in Belgio. 110. XXVIII. 145. CXXII. 149. CXXX. 217. XXXVII. Epiſcopus Catacenſis. 255. LIII. Archiepiſcopus Tranenſis. 295. LXI.
Angelus de Caſtello. 142. CXV.
Angelæ de Dienzano inſtitutum approbat Pontifex. 331. XCIII.
Angelus a Ferno. 178. LXIII.
Angelus Juſtinianus. 106. XVII. Epiſcopus Gebennenſis. 201. CXXVI. Laudatur a S. Franciſco de Sales. 201. CXXVII.
Angelus a S. Martino. 342. CXXIII.
Angelus de Pas. 53. CXXXIV. 403. XCVI.
Angelus de Portu. 300. LXXX.
Angelus Savonenſis. 410. CXVIII.
Angelus de Typherno. 94. XCI.
Angelus de Typherno Sacerdos. 211. XVIII.
Angelus Le-Vaiſeur. 147. CXXIV.
Anna Baptiſta. 52. CXXIX.
Anna Capponia. 386. XXXIX.
Anna de Chagas. 387. XLII.
Anna a Conceptione. 144. CXX.
Anna de Comitibus. 45. CX.
Anna de S. Hieronymo. 178. LXIV.
Anna .... & Agatha Lancellotti. 398. LXXVII.
Anna Olechnowiczouna fundatrix Monaſterii Vilnenſis. 288. XXXV.
Anna Straubin. 178. LXIV.
Anna Taveira. 249. XXXVII.
Anſelmus de Oliveriis Epiſcopus Veltanus. 398. LXXIX.
Anſelmus Panormitanus. 367. LXXX.
Anſelmus de Petra Molaria. 260. LXVII. 290. XLV. 300. LXXIX.
Antonia de Bracamonte. 269. XCI.
S. Antonii Miraculum in Blaſphematorem. 38. LXXXVIII.
Antonius Abbas Martyr. 189. LXXXVI.
Antonius ab Alcantara. 46. CXVII.
Antonius Aletinus. 367. LXXX.
Antonius Angelinus. 404. XCVIII.
Antonius de S. Angelo. 301. LXXX.
Antonius de Barriales. 328. LXXX.
Antonius Beltraminus. 409. CXVI.
Antonius Cabrito. 197. CXIII.
Antonius Camillus de Nuceria Generalis Conventualium. 385. XXXVI.
Antonius Fabri Commiſſarius Generalis Familiæ Ultramontanæ. 109. XXII.
Antonius Gaiins Martyr. 70. XXXII.
Antonius a S. Gregorio. 359. LIV.
Antonius Hornarienſis Martyr. 306. IX. & ſeq.
Antonius Inſulanus Diffinitor Generalis. 19. XLI.
Antonius de Lacu. 342. CXXI.
Antonius Lochienſis. 178. LXIII.
Antonius de Luxan Epiſcopus Mindonienſis. 230. LXIII.
Antonius de S. Maria Martyr. 293. LIII.
Antonius de S. Maria. 361. LX.
Antonius Polus de Matthæis Epiſcopus Roſnenſis. 369. LXXXVII.
Antonius de Monilia Procurator Generalis. 19. XLI. Epiſcopus Brugnatenſis. 295. LXI.
Antonius a Nuete. 67. XXVII.
Antonius Nunez. 364. LXIX.
Antonius Olano. 403. XCV.
Antonius de Padrão. 198. CXIII.
Antonius Pinto. 197. CXI.
Antonius de Portu. 198. CXIII.
Antonius de Potentia. 142. CXV.
Antonius de Pozofidone. 141. CXIII.
Antonius Gaſpar Rodriguez Archiepiſcopus Lancianenſis tranſlatus ab Eccleſia Montis Marrani. 295. LIX.
Antonius Roldan. 390. LIII.
Antonius de Rupe Martyr. 189. LXXXVI.
Antonius de Santarem. 197. CXIII.
Antonius de Sapientibus Generalis Conventualium. 25. XLVIII.
Antonius a Secura. 242. XVI. 364. LXXI.
Antonius de Spinatola. 177. LXIII.
Antonius Strolen Diffinitor Generalis. 19. XLI.

Antonius Valliotus Martyr. 147. CXXVI.
Antonius de S. Vincentio. 26. XLIX. 167. XLI.
Antonius Werdanus Martyr. 306. IX. & ſeq.
Antonius de Zayas Epiſcopus Nicaraguæ. 398. LXXIX.
Apollonia Zuccarello. 289. XL.
Archangelus a Villa Magna. 338. CIX.
Arnoldus Hallis. 412. CXXII.
Arnoldus Knapper Martyr. 326. LXXV.
Arſenius a Corinaldo. 211. XVIII.
Aſſiſii fundatur Eccleſia S. Mariæ Angelorum. 215. XXIX.
Aſtolphus Servantius. 201. CXXV.
Auguſtinus Drepanenſis. 342. CXXIII.
Auguſtinus Frayer. 147. CXXIV.
Auguſtinus Gallus. 94. XCI.
Auguſtinus Millius. 182. LXXI.
Auguſtinus Molignatus Epiſcopus conſecrat Eccleſiam Cœnobii Meldulæ. 43. C.
Auguſtinus Pactenſis. 342. CXXIII.
Aurelius Griani Diffinitor Generalis. 19. XLI. Epiſcopus Litterenſis. 255. LIII.

B

Baldus de Callio. 410. CXVIII.
B. Balthaſar Laicus. 366. LXXVI.
Balthaſar de Myriaca. 362. LXII.
Balthaſar a Prato Martyr. 189. LXXXIX. & ſeq.
Baptiſta Corſicus Diffinitor Generalis. 274. III.
Baptiſta Mercader. 237. I.
Barbara a Conceptione. 250. XXXVIII.
Bartholomæus de Bracara. 197. CXII.
Bartholomæus Cimarellus. 193. CI.
Bartholomæus Fenorius. 176. LX.
Bartholomæus Gallus. 94. XCI.
Bartholomæus a S. Marina. 237. II.
Bartholomæus ab Ophida. 297. LXVII.
Bartholomæus Vetoli. 193. CI.
Beatrix de Arauxo. 387. XLIII.
Beatrix a Padilla. 345. CXXXIII.
Beatrix a Reynoſo. 388. XLIV.
Beatrix de Sanctis. 249. XXXVII.
Benedictus Cherofhi. 109. XXIV.
B. Benedictus de S. Philadelpho. 53. CXXXV. 347. IV. & ſeq.
Benedictus Sambenedetti emendatur. 132. LXXXVIII.
Benedictus Vercellenſis. 51. CXXVII.
Benigna de Romano fundatrix Monaſterii Syracuſani. 200. CXXIV.
Bernardina Giardini. 398. LXXVII.
Bernardina a Jeſu fundatrix Monaſterii Eborenſis. 248. XXXIV.
Bernardinus ab Aſculo Satriani. 342. CXXIII.
Bernardinus Colleſtatenſis Cuſtos Terræ Sanctæ. 20. XLI. Diffinitor Generalis. 274. III.
Bernardinus de Kanczeige. 365. LXXV.
Bernardinus de Lauro. 300. LXXIX.
Bernardinus de Lizano. 409. CXIII.
Bernardinus de Molazzo. 177. LX.
Bernardinus de Obregon inſtitutor Congregationis Pauperum Infirmorum. 78. L.
Bernardinus Pravoli. 83. LXI.
Bernardinus de Monte Ulmi. 50. CXXVI.
Bernardus Boil. 30. LXII.
Bernardus Catacienſis. 142. CXV.
Bernardus Dragoncinus Confeſſarius Ducis Etruriæ. 89. LXXVII. Diffinitor Generalis. 274. III.
Bernardus de Freſneda Epiſcopus Conchenſis. 56. IV. 134. CIII. 196. VIII. Transfertur ad Eccleſiam Cordubenſem. 285. XXVI. & ad Eccleſiam Toletanam. 295. LX.
Bernardus Laicus. 140. CXII.
Bernardus, ſeu Beraldus de Lazanoba Martyr. 205. IV. 293. LI.
Bernardus de Mediolano. 51. CXXVII.
Blanca de Columna reformatrix Monaſterii de Caxalla. 198. CXVI.
Bonaventura Barcinonenſis Laicus Receſſuum fundator. 162. XXVI.
Bonaventura Bellïorius Inquiſitor. 399. LXXXI.
Bonaventura de Calvaro Diffinitor Generalis. 19. XLI. Miniſter Provinciæ Tuſciæ. 273. I. Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ. 274. III.

Bonaventura Cremonenſis, 300. LXXIX.
Bonaventura Picens. 142. CXV.
Bonaventura de Rhegio Procurator Generalis Capuccinorum. 108. XX. 342. CXXIII.
Bonaventura Sciaſcia. 171. XLVI.
Bonaventura de Urceis Novis Miniſter Provinciæ Raguſinæ. 109. XXV.
Bonifacia Gratiadonna. 52. CXXX.
Bonifacius a Biturgia Commiſſarius in Provincia Bononiæ. 301. LXXXI.
Bonifacius Raguſinus Epiſcopus Stagnenſis reformat Fratres Boſnæ Argentinæ. 296. LXIII.
Bonifacius de Stephanis. 182. LXXI.
Bordonus an recte defendat Fratres Tertii Ordinis. 164. XXXII. & ſeq. XXXIX. & ſeq.
Brilenſis Catholicus ſanitatem recuperat interceſſione BB. Martyrum Gorcomienſium. 318. XLVII.
Bzovius emendatur. 231. LXIX. & ſeq.

C

CÆcilia Calt de Corantelle. 52. CXXX.
Cæcilia de Gottis. 400. LXXXIV.
CAPITULUM GENERALE. Camerinenſe Conventualium. 280. VIII. Capuccinorum. 107. XIX. 257. LVIII. Caſalis Butani Fratrum Tertii Ordinis. 24. XLVIII. Florentinum Conventualium. 25. XLVIII. Romanum Obſervantium. 273. II. Romanum Conventualium. 179. LXVIII. Senenſe Conventualium. 385. XXXVI. Vallis Nuriæ Fratrum Tertii Ordinis. 108. XXI. Valliſoletanum Obſervantium. 19. XL.
CARDINALIS. Clemens Dolera Monilianus moritur. 172. XLIX. Felix Perettus de Monte Alto creatur. 256. LIV.
Carolus Auſtriacus donat Minoritis Cœnobium Montis Sancti. 88. LXXVI. 392. LXI.
S. Carolus Borromæus Ordinis Protector. 20. XLII. 286. XXIX. 154. X.
Carolus IX. Rex Galliarum moritur. 399. LXXXII.
Catharina Alvarez. 221. XLVI.
Catharina a S. Antonio. 250. XXXIX.
Catharina de Bettona. 52. CXXX.
Catharina de Daimello. 268. LXXXVIII.
Catharina de Filio Dei. 387. XLII.
Catharina a S. Franciſco. 249. XXXVII.
Catharina de S. Jacobo. 268. LXXXVIII.
Catharina de Magdalena. 93. LXXXVII.
Catharina a Matre Dei. 249. XXXVII.
Catharina de Robles. 388. XLIII.
Catharina Solis. 18. XXXVIII.
Catharina de Vico. 51. CXXIX.
Chriſtianus Adricomius repugnat tradere Obſervantibus Cœnobium Delphenſe. 251. XLII. & ſeq.
Chriſtodolinda de Angelis. 387. XLII.
Chriſtophorus Bravo. 364. LXX.
Chriſtophorus de Capite Fontium Miniſter Generalis. 273. II.
Chriſtophorus Conart. 191. XCIV.
Chriſtophorus Grattolinus Inquiſitor Piſis. 133. XCI.
Chriſtophorus de Hilia. 176. LX.
Chriſtophorus Portuenſis. 197. CXIII.
Cyprianus Montana. 240. X.
Clara de Francofurto. 386. XL.
Clara de Monte Acuto. 269. XC.
Clara Palvia. 269. XC.
Clarenorum Congregatio ſupprimitur. 151. II.
Clariſſa Anonyma metu Hæreticorum obit. 70. XXXII.
Claudius de Avenione. 140. CXII.
Claudius Gerardus. 39. XCI.
Claudius Roletus Martyr. 294. LV.
Clemens a Cruce. 409. CXV.
Clemens Dolera Monilianus Cardinalis de Aracæli. 88. LXXIV. 172. XLIX 172. LII.
Clemens a Martina. 141. CXIII.
Clemens a S. Petro Diffinitor Generalis. 19. XLI.
Clementia a Jeſu. 250. XXXVIII.
Clementia Romana. 398. LXXVII.
Collegium in Civitate de Victoria. 285.

285. XXV.
Conatius Mac-Varta Martyr, 38. LXXXIX.
Conſtantia Suarez. 387. XLIII.
Conſtantius Bargellinus Epiſcopus Reatinus. 398. LXXIX.
CONVENTUS FRATRUM. Adenardæ 75. XLII. Agrigenti. 171. XLVI. 93. LXXXIX. Ayoræ. 390. LIV. Alaeios. 327. LXXX. Albaterræ. 343. CXXV. Alcaceredoſal. 330. LXXXVII. Alcaræ. 395. LXIX. Alcmariæ. 318. XLVIII. Alcochetæ. 328. LXXXIII. Alcoi. 87. LXXIII. Alcozerii. 214. XXVI. Aletrii. 94. XC. Alexandriæ. 158. XIX. Almanguelis. 355. XXXVI. Almanſæ. 92. LXXXIV. Amandulæ. 154. XI. Amatricis. 215. XXXII. 217. XXXIV. Amſtelodami. 74. XL. Anagniæ. 394. LXVI. de Angelis. 391. LV. Angolis. 127. LXXIV. Antuerpiæ. 74. XXXIX. 74. XLI. Apamienſis. 69. XXX. Argentiæ. 217. XXXIV. Aronæ. 248. XXXIII. Arroy del Puerco. 388. XLVI. Arſuli. 396. LXXI. Aſcrivii. 328. LXXXI. Aſculi. 155. XI. 217. XXXIV. 342. CXXI. Aſſori. 248. XXXII. Aureliani. 205. IV. Autrici. 188. LXXXV. Bayami. 28. LVIII. S. Petri in Balneo. 125. LXVI. Barbaræ. 355. XXXVII. Barcinonenſis. 118. LI. Barquesimeti. 27. LIII. Baruli. 355. XL. Baſileenſis. 241. XII. Baſſani. 41. XCVI. Bayoſæ 286. XXIX. S. Blaſii. 246. XXIX. Bergæ. 118. LI. Bergeracenſis. 257. LIX. Bernay. 69. XXXI. Berolini. 241. XIV. 388. XLVI. Bythomii. 191. XCIII. Bocayrenti. 124. LXVI. Boniliæ. 142. XV. Boſcoducenſis 38. LXXXVIII. 38. XLVI. Bovæ 124. LXIV. Burgi. 91. LXXXII. Burgi S. Domnini. 395. LXIX. Burgii Millufii. 248. XXXIII. 91. LXXXIII. Burguillos. 283. XVIII. Cacciæ. 216. XXXIII. Cæſarauguſtæ. 114. XXXIX. Calagurriæ. 244. XXIV. Callii. 94. XC. Calatahieroni. 224. XXIII. Calciatenſis. 87. LXXI. Calvatoni. 159. XXII. Cameratæ. 342. CXXI. Camerini. 354. XXXIV. 159. XXII. Canobii. 248. XXXIII. 217. XXXIV. Capitis Aquei. 342. CXXI. Capitis Montis. 394. LXV. de Caprariâ. 243. XIX. Caprarolæ. 245. XXV. de Carabaca. 388. XLV. Carreriarum. 39. XCI. Cardani. 248. XXXIII. Caritatis. 188. LXXXV. Carnotenſis. 188. LXXXV. Carore. 28. LVI. Carpentoractis. 283. XIX. Caſalis Brunduſii. 192. XCV. Caſalis Montis Ferrati. 127. LXXV. Caſalis Puſterlengorum. 395. LXIX. Caſcaes. 244. XXII. de Caſſero. 330. LXXXIX. Caſtellanetæ. 342. CXXI. Caſtelſutii. 353. XXX. Caſtri Campinii. 126. LXX. Caſtridunii. 188. LXXXV. Caſtrogeloſiani. 205. II. Caſtri Joannis. 90. LXXXI. Caſtri Leonis. 159. XXII. Caſtri Rodulphi. 39. XCI. Caſtri Talachii. 329. LXXXVII. Caſtri Veterani. 194. CIII. Cataniæ. 395. LXVII. Cavæ. 94. XC. Cazorlæ. 282. XIV. Clarellæ. 160. XXIII. Ceeghini. 87. LXXII. Cervariæ. 118. L. Ceſſoloni 155. XI. Cremonæ. 94. XC. 158. XX. 284. XXIII. Cevæ. 356. XL. Chiloæ. 192. XCVI. 389. XLVII. Cinguli. 217. XXXIV. Ciſternæ. 355. XXXVI. Civitatis Divitis. 192. XCVI. 286. XXVIII. Civitatis S. Dominici. 27. LII. Civitatis S. Jacobi. 27. LII. Civitellæ. 394. LXVI. Cocenſis. 353. XXIX. Collis. 158. XVIII. 192. XCVIII. Collis Scipionis. 396. LXXI. Colonearum. 194. CIII. Conchenſis. 330. LXXXIX. Corbacenſis. 292. LII. Corbejenſis. 358. LI. Coriæ. 125. LXVIII. Corinaldi. 193. C. 354. XXXIV. de Covillam. 197. CXII. Cluſarum. 356. XLI. Crollai. 205. IV. Cumanæ. 28. LVIII. Cuzci. 245. XXVII. Daurenſis. 39. XCII. Delphenſis. 74. XL. 327. LXXVI. Dordraci. 327. LXXVI. Drepani. 395. LXX. Drugnoli. 287. XXXI. Eborenſis. 87. LXXII. S. Elpidii. 248. XXXIII. Embricenſis. 358. LI. Encermæ. 327. LXXVIII. Enzerſtorffen-

ſtorffenſis. 218. XXXVIII. Florentiæ. 355. XXXIX. 246. XXX. 89. LXXVIII. 158. XVII. 192. XCVIII. Foreſtæ. 156. XIV. Fori Julii. 283. XIX. Foſſani. 395. LXIX. S. Fradeli. 194. CII. Fuldæ. 286. XXX. Funcalæ. 206. VII. Galatiæ. 246. XXX. Genuæ. 158. XIX. Gradoli. 289. XLIV. S. Gregorii. 329. LXXXVII. Goanus. 301. LXXXII. Gomeræ. 293. LIII. Gorcomii. 327. LXXVI. Goudæ. 327. LXXVI. Guayanæ. 28. LVII. Guardiæ. 197. CXI. Harlemii. 327. LXXVI. Havanæ. 28. LVIII. Hieracii. 246. XXX. Hippolitanus. 73. XXXVII. Hontiveros. 242. XV. Jaccæ. 113. XXXVIII. Jacii. 395. LXIX. S. Jacobi Legionenſis. 27. LIII. Jamaci. 125. LXVII. Inſulæ. 205. IV. Inſulæ Margaritæ. 28. LVII. Inſulæ Trinitatis. 28. LVII. S. Joannis Portus Divitis. 28. LVII. S. Joannis de Ramo. 111. XXXI. Jonivillæ. 126. LXXI. 329. LXXXVII. Iſnelli. 329. LXXXVII. Itri. 395. LXIX. Judenburgnſis. 73. XXXVI. S. Juſti. 155. XI. Yeclæ. vide Teclæ. Kazlſtorffenſis. 72. XXXV. Krupenſis. 32. LXIV. Lahenſis 191. XCIII. Lancovienſis. 73. XXXVIII. Laredi. 216. XXXIII. Laudæ. 41. XCVI. 160. XXII. 217. XXXIV. S. Laurentii. 91. LXXXII. Lauri. 130. LXXII. Lautricenſis. 188. LXXXV. Leocatæ. 342. CXXI. Lenſii. 343. CXXV. Leoniſſæ. 287. XXXI. Lycienſis. 89. LXXVII. Lilybæi. 248. XXXIII. Lincenſis. 72. XXXV. Lyptovienſis. 284. XXIV. Loci Novi. 329. LXXXVII. Loyſenſis. 73. XXXVII. Lucemburgi. 119. LIV. Lugani. 94. XC. Lugduni Batavorum. 327. LXXVI. S. Macarii. 126. LXX. Maracaibi. 27. LIV. Marani. 248. XXXII. Maratheæ. 389. XLVIII. Marmandæ. 105. III. Malliani. 156. XIV. Marinei. 246 XXX. S. Martini. 329. LXXXV. 353. XXXI. Martinmunnoz. 354. XXXII. Matritenſis. 242. XVI. Martos. 354. XXXII. Marſiçi Veteris. 87. LXXII. Maſſæ. 192. XCVII. Maſſanenſis. 91. LXXXIII. Maſſafræ. 192. XCV. Matelicæ. 155. XI. Mechliniæ. 74. XL. Mediolani. 160. XXIII. Melti. 356. XL. Meſetanæ. 244. XXI. Meloracæ. 395. LXIX. Methimiæ de Campo. 328. LXXXII. Methimiæ de Pomar. 116. XLIV. S. Michaelis. 389. XLVII. Miliacenſis. 188. LXXXV. Miræ 124. LXIII. Miſtrectæ. 248. XXXIII. de Monte. 390. LIII. Monticuli. 356. XL. Montoni. 194. CIII. Montis Acuti. 130. LXXXI. Montis Albi. 118. LI. Montis Alti. 154. XI. Montis Arenarum. 282. XII. Montis Aurei. 41. XCV. Montis Drepani. 287. XXXI. Montis Fortis. 94. XC. Montis Fuſci. 41. XCV. Montis Granarii. 194. CIII. Montis Guiſcardi. 188. LXXXV. Montis Marſani. 116. LXX. Montis Muri. 89. LXXIV. Montis ad Pertuſium. 194. CII. Montis Philotrani. 217. XXXIV. Montis Regalis. 69. XXXI. Montis Rubiani. 155. XII. Montis Sancti. 88. LXXV. 392. LXI. 157. XVI. 194. CIII. Montis Ughi. 41. XCVI. Ibid. Florentin. 158. XVIII. 192. XCVIII. Moræ. 283. XVII. Morellæ. 117. XLVII. Mortalliæ. 388. XLV. Mottæ. 91. LXXXII. 395. LXVIII. & ſeq. Motycæ. 246. XXX. Morlupi. 156. XIV. Mulæ. 388. XLV. Nocaomi. 389. XLVII. Namslavienſis. 44. CII. Narniæ. 283. XVIII. 157. XVI. Navarrettæ. 413. CXXIV. & ſeq. Neapolis. 342. CXXI. Nebriſſæ. 245. XXVI. Neoſtadienſis. 191. XCIII. Neracenſis. 205. II. Niſſæ. 242. XIV. Nolæ. 94. XC. Nuceriæ. 289. XLIV. 194. CIII. Obbiddi. 214. XXIV. Oenipontis. 412. CXXIII. Olleolarum. 245. XXVI. Olitæ. 112. XXXII. Olomucii. 126. LXIX. 241. XIII. Olonæ. 188. LXXXV. Ortenſii. 293. LV. Oſcæ 113. XXXVII. Oſnabrugi. 355. XXXIX. Oſornii. 42. XCVII. Paganicæ. 215. XXVII. Palazoli. 342. CXXI. Palizzi.

Digitized by Google

lizzi. 355. XXXVII. Palmæ. 117. XLVIII. Pampilonis. 115. XLII. Papiæ. 158. XIX. Paracuellos. 243. XVII. Parmenſis. 84. LXVI. & ſeq. Parriliæ. 214. XXV. Phalleroni. 155. XII. Phariæ. 392. LIX. Placentiæ. 44. CII. 119. LII. 159. XXI. 194. CIII. Planellæ. 90. LXXXI. Plateæ. 171. XLVI. Prati. 217. XXXIV. S. Pauli de Monte. 196. CX. S. Pelagii. 245. XXIX. Pennamaçor. 282. XIV. Pepuli. 155. XIII. Ad Pertuſium. 248. XXXII. Petrogoricenſis. 343. CXXV. Peruſiæ. 356. XL. 157. XVI. Pezzani. 155. XIII. Picquepus. 386. XXXVIII. Piedrolæ. 116. XLV. 116. XLVI. Portalegre. 327. LXXIX. Portus. 214. XXIV. Portus Naonis. 41. XCVI. Pozerlæ. 248. XXXIII. Præneſtarum. 248. XXXIII. Puppingenſis. 241. XIII. Queretari. 192. XCVI. Quiliani. 248. XXXIII. Raccudiæ. 354. XXV. Ramettæ. 395. LXVII. Rhegii Lepidi. 395. LXIX. Reynoſæ. 354. XXV. De los Remedios. 390. LIII. Requenæ. 216. XXXI. Rethymi 286. XXX. Rezati. 287. XXXI. Romæ. 156. XIV. 395. LXIX. Romonis. 174. CXXIV. Romberti Curiæ. 191. XCIV. Rhodigii. 194. CIII. Roſſigni. 329. LXXXVII. Rubeacenſis. 42. XCVII. Ruremundæ. 257. LIX. 327. LXXVI. Sabioncelli. 160. XXIII. Sabionetæ. 395. LXIX. De la Salceda. 18. LV. Salæ. 355. XXXIX. Salmanticæ. 193. C. Saltariæ. 246. XXXI. S. Salvatoris. 388. XLVII. Sanconatæ. 388. XLVII. Sarnani. 155. XI. Sarni. 245. XXV. Saviliani. 42. XCVII. Savocæ. 395. LXIX. Saxiferrati. 41. XCVI. Scandriliæ. 89. LXXVIIII. S. Secundi. 158. XX. Septæ. 196. CXI. Seravallis. 355. XXXVIII. De Serralvo. 389. XLIX. Serræ. Capriolæ. 76. XLV. De Serpa. 330. LXXXVIII. S. Severi. 355. XXXVII. S. Severini. 194. CIII. Sezani. 188. LXXXV. Scyllæ. 284. XXI. Siciniani. 342. CXXI.

Siclis. 130. LXXXII. Soncini. 356. XL. Sordoalii. 282. XIII. Spoleti. 157. XVI. 395. LXIX. Stronconii. 157. XVI. Sutignani. 355. XL. Szegudienſis. 77. XLVII. Tabernis. 241. XII. Taſſalæ. 112. XXXIII. Taraconis. 117. XLIX. Tarbienſis. 205. IV. Tarviſii. 330. XC. Tlalnepantlæ. 86. LXX. Tebæ. 354. XXXIII. Teclæ, ſeu Yeclæ. 42. XCVII. Terdonæ. 282. XV. Trejæ, ſeu Monticuli. 154. XI. Treſenal. 330. XC. SS. Trinitatis de Muſo. 87. LXXIII. De Toci. 194. CII. Torralvæ. 330. XC. Torres Vedras. 243. XIX. Truxilli. 27. LIV. Treviris. 246. XXXI. Tudelæ. 111. XXX. Tuderti. 287. XXXI. Turi. 389. XLVIII. Turriculi. 194. CIII. Turris Græci. 194. CIII. Turris a Mencorvo. 214. XXII. Turolii. 115. XLI. Turſiani. 127. LXXII. Valencennenſis. 75. XLII. 100. III. Valentiæ in America. 27. LIII. Valentiæ in Hiſpania. 391. LVI. De Valſortore. 329. LXXXVII. Vallettæ 75. XLIII. Validi. 94. XC. Vallis Arragi. 87. LXXII. Vallis Guadianæ. 192. XCVI. Varalli. 393. LXII. Vaſtinii. 147. CXXIV. Veladæ. 354. XXXIX. Venafri. 356. XL. Veronæ. 287. XXXI. Vetrii. 342. CXXI. Vezeliaci. 188. LXXXV. Villalvini. 119. LIII. Villanovæ 228. LXXXIV. Villarejo. 229. LXXXVI. Vimarani. 356. XLI. Vicenſis. 389. XLVIII. Villæ Franchæ Confluentis. 118. L. Villæ Franchæ Penetentium. 118. L. Villæ Regalis. 353. XXX. Villæ Robledo. 215. XXVII. Villa Verde. 330. LXXXVIII. Viriæ. 189. LXXXVIII. Victoriarum Lacunæ. 289. XLIII. Volaterræ. 356. XL. Ulyſſiponenſis. 244. XX. Uriæ. 157. XVII. Urbis Veteris. 194. CIII. Vulturi. 248. XXXIII. Xantoni. 294. LVI. Zeghenſis. 358. LI. Zierckeæ. 327. LXXVI. Zutphaniæ. 327. LXXVI.

Cornelius Buſſetus Diffinitor Generalis. 274. III.

Cornelius Muſius Martyr. 324. LXVIII. & ſeq.
Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus. 4. VII. 404. XCIX. & ſeq.
Cornelius à Platea Martyr. 319. XLIX.
Cornelius Wicanus Martyr. 306. IX. & ſeq.
Coſma Pinta. 198. CXIV.
Cuſtodia S. Antonii Portugalliæ. 26. XLIX. 367. XLI.
Cuſtodius Choriſta Martyr. 206. VII.

D

DAmiana, & Sociæ reformatrices Monaſterii S. Sylveſtri de Urbe. 198. CXVI.
Daniel Arendonkius Martyr. 318. XLVIII.
Daniel Sbaratti Inquiſitor. 399. LXXXI.
Deodatus a Ripa Tranſonum. 94. XCI.
S. Didaci Canonizatio promovetur. 134. CIII. 413. CXXIV. 414. CXXVI.
Didacus de Abuſejo. 365. LXXIII.
Didacus Guzmanus. 177. LXI.
Didacus de Herrera. 359. LIV.
Didacus de Landa Epiſcopus de Jucatan. 344. CXXXI.
Didacus Machado. 48. CXXI. & ſeq.
Didacus de S. Martino. 365. LXXI.
Didacus de Medullin Epiſcopus S. Jacobi de Chile 398. LXXIX.
Didacus Munoſius Martyr. 293. LIII.
Didacus Navarro. 254. LI.
Didacus Olarte. 209. XIV.
Didacus Saffranus. 83. LXI.
Didacus Valades. 254. LII.
Didacus Villalonius. 297. LXVII.
Didacus de Zuniga. 142. CXIV.
Dionyſius Florentinus. 207. X.
Dionyſius a Mediolano. 346. I. 386. XXXVIII.
Dionyſius a Moeſtere Martyr. 188. LXXXIV.
Dionyſius O Mulruony Martyr. 358. LX.
Dionyſius Odiera Epiſcopus Mayonenſis. 398. LXXIX.
DOMUS DOCTRINALES.
Provinciæ S. Antonii Charcarum. 225. LVII. Provinciæ Duodecim Apoſtolorum. 64. XXII. 90. LXXXI. Provinciæ S. Fidei in Novo Regno Granatenſi. 226. LVII. Provinciæ S. Franciſci de Quito. 65. XXIV.
Donatus Oghalcur Epiſcopus Aladenſis. 255. LIII.
Donatus Orvairk Martyr. 258. LX.

E

ECCLESIA CONSECRATA. S. Alvernæ Montis. 196. CVIII. & ſeq. Aquilæ. 287. XXXIV. Brugnatenſis. 45. CVI. Calciatenſis. 196. CVIII. Caprarolæ. 44. CIV. Lucenſis. 196. CVIII. Meldulæ. 43. XCIX. & ſeq. Montis Madii. 129. LXXXVIII. Plebis Centi. 217. XXXV. S. Petri in Balneo. 196. CVIII. Piſis. 356. XLI. Ponsevii. 196. CVIII. Romæ. 397. LXXVI. Truxilli. 397. LXXVI.
Edmundus Mareſcal. 147. CXXIV.
Edmundus Simon Martyr. 258. LX.
Eleonora a Regibus. 48. LXV.
Eliſabeth de Alarconio. 93. LXXXVIII.
Eliſabeth Angliæ Regina vexat Minoritas. 221. XLVIII.
Eliſabeth Auſtriaca. 258. LXI. 399. LXXXIII.
Eliſabeth a S. Hieronymo. 268. LXXXVIII.
Eliſabeth Ladron. 250. XXXIX.
Eliſabeth a S. Ludovico. 51. CXXIX.
Eliſabeth a Matre Dei. 250. XXXVIII.
Eliſabeth a Roſario. 250. XXXVIII.
Eliſabeth a Salſedo. 345. CXXXIII.
Eliſabeth a Viſitat. 250. XXXVIII.
Emmanuel de Azevedo. 197. CXII.
Emmanuel Cochilha. 356. XLIV.
Emmanuel de Cruce Martyr. 206. VII.
Emmanuel Lomadas. 297. LXVII.
Emmanuel de Mercado Epiſcopus S. Joannis Portus Divitis. 255. LIII.
Emericus Toriſius. 257. LVII.
Engel-

Engelbertus Terborgius Martyr. 319. XLIX.
EPISCOPUS. Agathenſis Felix Perettus de Monte Alto. 78. XLIX.
Antibarenſis Ambroſius de Raguſio. 4. VII.
Brugnatenſis Antonius de Monilia. 295. LXI.
Boſanenſis Jo. Mela. 344. CXXXI.
Carthaginenſis Aloyſius Zapata de Cardenas. 255. LIII.
Cathacenſis Angelus Averſanus. 255. LIII.
Chilenſis S. Jacobi Didacus de Medullin. 398. LXXIX.
Chironenſis, & Milopatamienſis Julius Florettus. 344. CXXXI.
Cordubenſis Bernardus de Freſneda. 285. XXVI.
Daventrienſis Joannes Mahuſius. 38. LXXXVIII.
Dunenſis, & Connerenſis Miletus Maritath. 54. CXXXVI.
Ennenſis Jacobus Dziaduſcki. 176. LX.
S. Fidei Joannes de los Barrios. 133. XC. Aloyſius Zapata de Cardenas. 255. LIII.
Firmanus Felix Cardinalis Perettus de Monte Alto. 295. LIX.
Gebennenſis Angelus Juſtinianus. 201. CXXVI.
S. Jacobi de Nuevo Extremo Ferdinandus de Barrio. 78. XLIX.
S. Joannis Portus Divitis Andreas de Caravajal. 201. CXXV. & Emmanuel de Mercado. 255. LIII.
Jucatanenſis Didacus de Landa. 344. CXXXI.
Lancianenſis Antonius Gaſpar Roriguez. 195. LIX.
Litterenſis Aurelius Grianus. 255. LIII.
Mayonenſis Dionyſius Odiera. 398. LXXIX.
Mindonienſis Antonius de Luxan. 230. LXIII.
Montis Marrani Antonius Gaſpar Rodriguez. 295. LIX.
Nicaraguenſis Antonius de Zayas. 398. LXXIX.
Panormitanus Octavianus Præconius. 174. LV.
Reatinus Conſtantius Bargellinus. 398. LXXIX.
Roſnenſis Antonius Polus de Mathæis. 369. LXXXVII.
Salaminenſis Franciſcus de Salazar. 196. CVIII.
Samadrienſis Nicolaus Ugrinovich. 54. CXXXVI.
Tarantaſiæ Thomas Secundus. 398. LXXIX.
Toletanus Bernardus de Freſneda. 295. LX.
Tranenſis Angelus Averſanus. 295. LXI.
Tucumanenſis Franciſcus de Belmonte. 255. LIII. Hieronymus de Albornoz. Ibidem.
Veſtanus Anſelmus de Oliveriis. 398. LXXIX.
Uxellenſis, & Tetralbenſis Joannes Canavera. 344. CXXXI.
Evangeliſta Monialis. 386. XL.
Enphranius de Deſideriis. Vide Joſephum de Leoniſſa.
Euphraſia Rovira. 387. XLIII.
Euſebius Neomagienſis. 358. LI.
Euſebius Sylvanus Inquiſitor. 399. LXXXI.

F

S. FElix de Cantalicio. 51. CXXVIII. 346. II.
Felix Minerbina, & Sociæ. 200. CXXIII.
Felix Perettus de Monte Alto abit in Hiſpaniam cum Hugone Boncompagno. 52. CXXXII. Fit Vicarius Generalis Apoſtolicus Min. Conv. 78. XLVIII. Epiſcopus S. Agathæ Gothorum. 78. XLIX. Cardinalis. 256. LIV. Epiſcopus Firmanus. 295. LIX. Varia gerit. 127. LXXIII. 133. XC. 403. XCIII. & ſeq.
Felix Peruzinus Inquiſitor Senis. 255. LIII.
Ferdinandus de Barrio Epiſcopus S. Jacobi. 78. XLIX.
Ferdinandus Baſſarius. 238. III.
Ferdinandus Columbus. 30. LXI.
Ferdinandus de Leyba. 408. CXI.
Fergallus Wardæus Martyr. 38. LXXXIX.
Flaminia Morgagni. 45. CX.
Franciſca ignoti nominis. 18. XXXIX.

Franciſca

Franciſca de S. Auguſtino fundatrix Monaſterii S. Claræ Mexici. 219. XLII.
Franciſca de Belen fundatrix Monaſterii Belviſii. 93. LXXXVII. 289. XXXIX.
Franciſca de Caſtello. 268. LXXXVII.
Franciſca a Conceptione. 220. XLV.
Franciſca a Cruce. 387. XL.
Franciſca de la Cueva fundatrix Monaſterii de Cuellar. 288. XXXVI.
Franciſca a Jeſu. 249. XXXVII.
Franciſca de Plagis. 250. XXXVIII.
Franciſca de Spiritu Sancto. 387. XLII.
Franciſcus Alpinius. 338. CIX.
Franciſca Maria Angeli corrigitur. 194. CV. & ſeq.
Franciſcus ab Aſculo Inquiſitor. 399. LXXXI.
Franciſcus de Belmonte Epiſcopus Tucumani. 255. LIII.
Franciſcus de Belviſo. 140. CXII.
Franciſcus de Canobio. 270. XCVI.
Franciſcus Cartaxo Martyr. 206. VII.
Franciſcus de Carticeto. 83. XLI.
Franciſcus Cellaria quis fuerit. 232. LXXI. & ſeq.
Franciſcus de Chagas. 198. CXIII.
Franciſcus de Cordovilla. 48. CXX.
Franciſcus a Crotone. 300. LXXIX.
Franciſcus de Cruce. 401. LXXXIX.
B. Franciſci Dyrachini cultus. 270. XCV.
Franciſcus de Figueroa Procurator Generalis Ordinis. 274. III.
Franciſcus a Fraxineto. 239. VI.
Franciſcus Guzmanus Commiſſarius Generalis Familiæ Ultramontanæ. 19. XLI. Commiſſarius Generalis Indiarum. 332. XCVIII. & ſeq.
Franciſcus Horantius. 4. VII. 361. LX.
Franciſcus de S. Jacobo. 134. CIII.
Franciſcus Kravendonus. 338. CVIII.
Franciſcus Lardegarius Martyr. 69. XXXI.
Franciſcus de Toral Epiſcopus Jucatani. 298. LXXI.
Franciſcus de Macerata. 178. LXIII.
Franciſcus a Magdalena. 139. CXI.
Franciſcus de S. Martino. 410. CXVIII.
Franciſcus de Matera. 211. XVIII.
Franciſcus Meerbecanus. 361. LVIII.
Franciſcus Melo. 366. LXXV.
S. Franciſcus de S. Michaele. 104. XI. & ſeq.
Franciſcus Mirambellus Martyr. 294. LVI.
Franciſcus de Monte Politiano. 300. LXXVIII.
Franciſcus Morales. 5. VIII. 103. VIII.
Franciſcus Noe. 409. CXVIII.
Franciſcus de Oliva. 139. CXI.
Franciſcus Ottobonus Miniſter Provinciæ Candiæ. 19. XLI.
Franciſcus Panigarola. 105. XIV. 280. VI.
Franciſcus Pellicerius Martyr. 189. LXXXVI.
Franciſcus Perraut. 147. CXXIV.
Franciſcus de S. Petro. 410. CXVIII.
Franciſcus Picardi. 297. LXVIII.
Franciſcus Piſanus Inquiſitor Florentiæ. 344. CXXX.
Franciſcus Pratelli Inquiſitor Senis. 344. CXXX.
Franciſcus Recalenſis. 177. LXIII.
Franciſcus Rodius Martyr. 306. IX. & ſeq.
Franciſcus a Rota. 239.
Franciſcus de Salazar Epiſcopus Salaminenſis conſecrat varia loca. 196. CVIII. & ſeq.
Franciſcus de Saponaria Inquiſitor Florentiæ. 133. XCI.
Franciſcus Simbronius. 408. CXI.
S. Franciſcus Solanus. 230. LXIV. & ſeq.
Franciſcus a Soriano. 142. CXVI.
Franciſcus Sormanus Epiſcopus conſecrat Eccleſias S. Antonii Abbatis Montis Madii, & SS. Coſmæ, & Damiani Romæ. 129. LXXVII. 397. LXXVI.
Franciſcus Sporenus Inquiſitor. 399. LXXXI.
Franciſcus Szegedinus. 177. LXII.
Franciſcus a Venzolaſco. 238. III.
Franciſcus Vicedominus. 363. LXV. & ſeq.

Franci-

Digitized by Google

Franciſcus Viſonus. Commiſſarius Generalis Curiæ. 374. III.
Franciſcus de Zamora Laicus. 239. VII.
Franciſcus Zamorenſis. 19. XL. 281. IX. & ſeq.

G

GAbriel ab Ave Maria. 386. LXXII.
Gabriel Barrius. 294. LVII.
Gabriel de Bydgoſtia. 298. LXX.
Gabriel de Javeno. 270. XCVI.
Gabriel Taparellus Diffinitor Generalis. 19. XLI.
Galeatius Alexius delineat Archetypum Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum. 194. CIV.
Gallienus Minorita prædicit mala in Galliæ regno. 148. CXXVIII.
B. Garcia Blandez. 143. CXVII.
Garcias de Ribera Diffinitor Generalis. 274. III.
Gaſpar Archiepiſcopus Goanus fundat Cœnobium Matris Dei Goæ. 301. LXXXII.
Gaſpar Tertiarius Martyr. 306. VII.
Georgius Benignus de Doyonis. 358. L.
Gervaſius ab Hyrminio. 410. CXVIII.
Ginebra de Fonſeca. 18. XXXVIII.
Godefridus Dunæus Martyr. 306. IX.
Godefridus Mervellanus Martyr. 306. IX.
Gorcomienſium Martyrum acta. 304. III.
Gorgonius a Maldeberto Martyr. 320. LIV.
Gregorius Bourniffet Martyr. 189. LXXXVI.
B. Gualterus. 356. XLI.
Guido Germanus Martyr. 147. CXXV.
Guilielmus Goudanus Martyr. 321. LVII.
Guilielmus Iterſtenius. 251. XLI.
Guilielmus Lumnius hoſtis Catholicorum. 304. IV. & ſeq.
Guilielmus Montanus Martyr. 189. LXXXVII.
Guilielmus Reriachus Martyr. 39. XCII.
Guiomara de Tharſis. 144. CXXI.
Gumiel Martyr. 293. LIII.
Guidiſalvus de Vallebona. 198. CXIII.

H

HElena Celleja. 345. CXXXIII.
Henricus Laicus. 312. XXIX. 315. XXXVII. 316. XLI.
Henricus Pepinus Diffinitor Generalis. 19. XLI.
Hermanus Hæreticus ſævit in Fratres Minores. 100. III.
Hermes Hawart. 141. CXIII.
Hyacinthus a S. Franciſco. 68. XXIX.
Hieremias Brixienſis Guardianus Terræ Sanctæ. 344. CXXIX.
Hieronyma de Fleras. 179. LXVIII.
Hieronyma de Valdes. 268. XC.
Hieronymus de Albornoz Epiſcopus Tucumani. 255. LIII.
Hieronymus de Chriſto reformat Clarenos. 133. XCII.
Hieronymus de Foſſato Confeſſarius Pii V. 295. LVII.
Hieronymus Girellus. 363. LXV.
Hieronymus Graiſſetus Martyr. 189. LXXXVI.
Hieronymus Grignanus. 248. XXXIII.
Hieronymus Lanza. 347. V.
Hieronymus Piſtorienſis. 260. LXVI.
Hieronymus a Typherno. 386. XXXVII.
Hieronymus Torellus. 94. XCI.
Hieronymus a Torrejonſillo. 242. XVI.
Hieronymus de Urbanis Inquiſitor Piſis. 133. XCI.
Hieronymus Werdanus Martyr. 306. IX. & ſeq.
Hieronymus de Yelues. 177. LXI.
Hilarius Coqui. 150. CXXXII.
Honorius Brixianus. 51. CXXVII.
Honorius a Monte Granario. 212. XIX.
Horatius Diola. 254. LI.
Hubertus a Curia Martyr. 147. CXXVI.
Hugo Boncompagnus creatur Sum-

mus Pontifex . 303. II.
B. Humilianæ de Cerchis Reliquiæ transferuntur . 52. CXXXI.

J

JAcobus Dziaduſchi Epiſcopus Enneniſ. 176. IX.
Jacobus de Eugubio . 665. XXXVII. ibidem XXXVIII.
Jacobus Ferrerius . 337. CVII.
Jacobus Hugonis Legatus Regis Chriſtianiſſimi ad Philippum II. 70. & ſeq. 408. CXIX.
Jacobus Lacopius Martyr. 305. IX.
Jacobus de Laderchio corrigitur . 233. LXXII. & ſeq.
Jacobus Laggerius Martyr.69.XXXI.
Jacobus Lambertus Martyr.40.XCII.
Jacobus Lanfforge . 191. XCIV.
Jacobus Melphitanus . 50. CXXVI.
Jacobus a Nurſia . 94. XCI.
Jacobus Pariſius . 244. XXIII.
Jacobus Pouffet . 147. CXXIV.
Jacobus Schuerman Martyr. 326. LXXV.
Idelphonſus a Conceptione . 243. XVIII.
Ignatius de Apiro . 132. LXXXVIII. 211. XVIII.
Ignatius de Leiria Martyr. 206. VII.
Joachimus Dordanius Martyr. 294. LV.
Joanna ab Auſtria fundatrix Discalceatarum Matritenſium . 258. LXII.
Joanna de Jeſu . 198. CXIV.
Joanna de Luca . 336. CV.
Joannæ Malateſtæ corpus transfertur . 269. XCIV.
Joanna de Matre Dei . 198. CXIV.
Joanna Parva Martyr. 206. V.
Joannes nomen aſſumptum a Puella , quæ Capuccinorum Ordini nomen dedit . 19. XXXIX.
Joannes de Acugna Epiſcopus conſecrat Eccleſiam Cœnobii S. Bernardini Aquilæ . 287. XXXIV.
Joannes Advocatus Diffinitor Generalis . 19. XLI.
Joannes de Aguilera Commiſſarius Curiæ . 19. XLI.
Joannes de Alameda . 238. IV.
Joannes de Alcantara . 243. XVIII.
Joannes Amicus Martyr. 218. XXXVII.
Joannes Andreas Venetus . 212. XIX.
Joannes Antonius Vulpius Epiſcopus conſecrat Eccleſiam S. Donati de Brugnate . 45. CVI.
Joannes Aprilis Martyr. 190. XCI.
Joannes ab Arcu . 338. III.
Joannes Baptiſta . 147. CXXIV.
Joannes Baptiſta ab Aſculo . 342. CXXIII.
Joannes Baptiſta Cantone Generalis Tertii Ordinis . 108. XXI.
Joannes Baptiſta a Cherio . 177. LXIII.
Joannes Baptiſta Laicus . 388. XLV.
Joannes Baptiſta Laritonenſis . 411. CXIX.
Joannes Baptiſta de Monte S. Petri . 300. LXXIX.
Joannes Baptiſta a Viſitatione . 328. LXXX.
Joannes Balarius . 254. LII.
Joannes de los Barrios Archiepiſcopus S. Fidei . 87. LXXIII. 133. XC. 202. CXXVIII.
Joannes Blancona . 254. LI.
Joannes Boni Parochus . 192. XCVIII.
Joannes Borſerianus . 205. II.
Joannes Borſerius . 205. II.
Joannes Budejus . 221. XLIX.
Joannes Bunius Martyr. 189. LXXXVII.
Joannes a Calzadilla . 282. XII.
Joannes a Campo . 240. VIII.
Joannes Canavera Epiſcopus Uxellenſis , & Terralbenſis . 344. CXXXI.
Joannes Cerradus Martyr. 66. XXVII.
Joannes Corbachius . 198. CXV.
Joannes a Cordovilla . 47. CXVIII. Laudatur a S. Tereſia . 38. CXIX.
Joannes a Coria . 239. V.
Joannes Creſpius . 49. CXXIV.
Joannes Cuyper Martyr.412.CXXII.
Joannes Faſſatus . 51. CXXVI.
Joannes a Florentiolo . 206. X.
Joannes Floreſius . 66. XXVII.
Joannes a Fonte . 254. LII.
Joannes Forſanus . 255. LII.
Joannes Franciſcus de Argignano Guardianus Terræ Sanctæ . 300. LXXX.
Joannes Gibboſus Martyr. 147. XXVI.

Joannes Goſſonius Martyr. 205. III.
Joannes Guilotus Martyr. 147. XXVII.
Joannes a Gundula. 49. CXXIV.
Joannes de Hierufalem. 357. XLIV.
Joannes a Jeſu. 282. XII.
Joannes Jubinus. 182. LXXI.
Joannes Lazarius Martyr. 189. LXXXVI.
Joannes Lelove. 255. LII.
Joannes de Leoniſſa. 51. CXXVI.
Joannes Linarius. 238. LIV.
Joannes Mabillè Diffinitor Generalis. 274. III.
Joannes Maſſejus. 342. CXI.
Joannes Mahuſius Epiſcopus Daventrienſis. 38. LXXXVIII. 326. LXXIV.
Joannes Maria Michaelis Angeli filius. 45. CVIII. 89. LXXVIII.
Joannes Maria Luna. 194. CIII.
Joannes Meer Martyr. 189. LXXXVII.
Joannes Mela Epiſcopus Boſanenſis. 344. CXXXI.
Joannes Mendez tumulo componit decem Martyres in Inſula Maderæ. 206. VII.
Joannes Merinero de Cruce. 73. LXII.
Joannes de Monte Calerio. 255. LII.
Joannes Moretus Martyr. 205. II.
Joannes Nardenus Martyr. 319. XLIX.
Joannes Nas. 5. VIII. 78. L. 150. CXXXII. 182. LXXI.
Joannes Navarrus Diffinitor Generalis. 19. XLI.
Joannes O Lorcan Martyr. 258. LX.
Joannes de Lucignano Inquiſitor Senis. 133. XCI.
Joannes Oſtervicanus Martyr. 306. IX.
Joannes de Outerio. 365. LXXV.
Joannes Pariſottus Martyr. 147. CXXV.
Joannes Patritius. 333. CX.
Joannes Paule Martyr. 189. LXXXVI.
Joannes Perez de Marchena primus fundator Eccleſiæ Hiſpaniolæ. 29. LIX.
Joannes Picus. 358. XLIX.
Joannes de Pineda. 403. XCVI.
Joannes Reginaldus. 191. XCIV.
Joannes Riccius Cardinalis. 389. L.
Joannes Richardus Martyr. 189. LXXXVI.
Joannes Richel. 221. XLIX.
Joannes Rivus Tortus Martyr. 343. CXXIV.
Joannes Rixtellus Martyr. 326. LXXV.
Joannes Sacerdos Martyr. 305. IX.
Joannes Salon. 255. LII.
Joannes de Serra Petronum Vicarius Generalis Conventualium. 180. LXIX. 257. LVIII. Magiſter Generalis. 280. VIII. 385. XXXVI.
Joannes Tancredus a Colle Magiſter Generalis Conventualium. 179. LXVIII. 180. LXIX.
Joannes de Tavira. 197. CXI.
Joannes de Tellio Martyr. 147. CXXV.
Joannes a Tembleque. 242. XVI.
Joannes de Terra Nova. 287. XXXII. 342. CXXII. 346. I. 367. LXXX. 368. LXXXII.
Joannes Tertius. 339. CX.
Joannes Teudricus Martyr. 343. CXXIV.
Joannes Torignæus Martyr. 189. LXXXVII.
Joannes Vachetus Martyr. 70. XXXII.
Joannes Valletta. 2. I. 75. XLIII.
Joannes Vega. 286. XXVIII.
Joannes Vicarius Martyr. 320. LIV.
Joannes de Vicis. 79. LI. 133. XCII. 295. LXII.
Joannes Vicinus Martyr. 189. LXXXVI.
Joannes Vilheſius Diffinitor Generalis. 274. III.
Joannes de Villacarillo. 298. LXX.
Joannes Virolant Martyr. 190. XCI.
Joannes de Vite. 239. VI.
Joannes de Zebreros. 328. LXXX.
Joſepha Marianna. 250. XXXIX.
Joſeph de S. Agatha. 260. LXVII.
Joſeph Albiz. 242. XVI.
Joſeph de Citerna Miniſter Provinciæ S. Franciſci. 193. C.
S. Joſeph de Leoniſſa. 366. LXXIX.
Iſabella de S. Andrea. 269. XCIII.
Iſabella de Attayde. 178. LXV.
Iſabella Belluera. 84. LXIV.
Isabella de Cruce. 387. XLII.
Iſabella Enriques. 366. LXXVII.
Iſabella de Hungaria. 268. LXXXVIII.
Iſabella Lucas. 83. LXII.
Iſabella Palomino. 144. CXX.

Iſabella de Torquemada. 144. CXX.
Iſabella de Valdivia. 179. LXVII.
Ivo Meſſanenſis. 2. II. 342. CXXIII.
Julia Subacara. 398. LXXIV.
Julianus de S. Bonifacio. 83. LXI.
Julianus de Cheſne. 149. CXXX.
Julianus David. 19. XLI. 365. LXXIV.
Julianus a Deſio. 94. XCI.
Julianus Formont. 188. LXXXV.
Julianus Maigneſius Martyr. 189. LXXXVII.
Julianus de Quercu Diffinitor Generalis. 274. III.
Julius Antonius Cardinalis S. Severinæ Vice-Protector Capuccinorum. 369. LXXXVI.
Julius Columbertus. 399. LXXX.
Julius Dantes Peruſius examinat Archetypum S. Mariæ Angelorum. 194. CIV.
Julius Feltrius Cardinalis de Ruvere. 129. LXXX. Ordinis Protector. 368. LXXXV. 368. LXXXVIII.
Juſtina Monialis. 52. CXXIX.
Juſtinus Laicus. 297. LXX.

L

B. Ladislaus de Gielniow. 335. XCIX. & ſeq.
Laurentius de Funiano. 94. XCI.
Laurentius de Gangheretto. Inquiſitor Senis. 133. XCI.
Laurentius de Tricaſio Miniſter Provinciæ S. Nicolai. 95. XCIII. Diffinitor Generalis. 274. III.
Leo Genuenſis. 300. LXXVIII.
Leobinus Gallus vexatur ab Hæreticis. 206. VII.
Leodius Miniſter Provinciæ Flandriæ. 149. CXXX.
Leonardus Vechelius Martyr. 306. IX.
Leonora de S. Antonio. 268. LXXXVIII.
Leonora Doria. 345. CXXXIV.
Leonora a Jeſu. 250. XXXVIII.
Leonora a S. Petro. 268. LXXXVIII.
Lucas de Alvaro Confeſſarius Ducis Albani. 251. XLI.
Lucas Florani. 240. VIII.
Lucas de Villanova. 177. LXI.
Lucia Patino. 269. XCI.
Lucia de Valderama. 268. LXXXVIII.
Lucida Urſina. 398. LXXVII.
Lucretia Ateſtina. 345. CXXXIV.
Ludovica de S. Hieronymo. 219. XLVII.
Ludovica Parmentier fundatrix Monaſterii Bertholii. 93. LXXXVIII.
Ludovicus a S. Auguſtino. 243. XVIII.
Ludovicus Ballæjus Martyr. 188. LXXXVIII.
Ludovicus Belga. 260. LXVII.
Ludovicus Columbus. 141. CXIII.
Ludovicus ab Elna. 297. LXVII.
Ludovicus Elvæus Martyr. 189. LXXXVI.
Ludovicus Galatinus. 192. XCV.
Ludovicus Gotofredus refellitur. 59. XI. & ſeq.
Ludovicus Granatenſis. 255. LII.
Ludovicus de Lugo. 296. LXV.
Ludovicus Martyr. 147. CXXV.
Ludovicus de Monte S. Savini. 271. XCVI.
Ludovicus Netinus. 410. CXVIII.
Ludovicus Panætius Martyr. 189. LXXXVI.
Ludovicus Parmenſis. 410. CXVIII.
Ludovicus Pianta. 193. CI.
Ludovicus a Pieroſara. 297. LXVIII.
Ludovicus de Plana Martyr. 189. LXXXVI.
Ludovicus Privey. 188. LXXXV.
Ludovicus Simonetta Cardinalis Vice-Protector Ordinis moritur. 171. XLVIII.
Ludovicus de Tipherno. 295. LVII.
Ludovicus Voets Martyr. 319. XLIX.
BB. Lupi, Antonii, & Juliani corpora inveniuntur in Eccleſia Cœnobii Burgenſis. 211. XVII.

M

Magdalena ab Annuntiatione. 387. XLII.
Magdalena de S. Clara. 268. LXXXVIII.
Magdalena de Sepulcro fundatrix Monaſterii Belviſii. 93. LXXXVII. 289. XXXIX.

Magdalena de Xodar. 221. XLVII.
Marcus Antonius Columna, victor de Barbaris. 291. XLIX. & ſeq.
Marcus Antonius de Meldula Inquiſitor. 399. LXXXI.
Marcus Cimarellus. 194. CI.
Marcus Garabaronus. 240. VIII.
Marcus Ulyſſiponenſis. 254. LI. 361. LX. 392. LVII.
Margarita a Cruce. 134. CIV.
Margarita a S. Martha. 250. XXXVIII.
Margarita Parva Martyr. 205. V.
Maria de Bellalcazario. 268. LXXXVIII.
Maria a Burgo. 179. LXVI.
Maria de Caſtello. 52. CXXXIX.
Maria de Chagas, & Sociæ. 198. CXIV.
Maria a Conceptione. 250. XXXVIII.
Maria a Cruce. 345. CXXXIV.
Maria a Cruce. 249. XXXVII.
Maria a Cruce. 345. CXXXV.
Maria a Cruce. 249. XXXVIII.
Maria de la Cueva. 269. XC.
Maria Franciſca. 84. LXIV.
Maria Gonzalez. 96. XCV.
Maria Hiſpana. 289. XL.
Maria de S. Joanne. 52. CXXX.
Maria Monacha. 366. LXIII.
Maria Morales. 179. LXVII.
Maria de Nazareth. 249. XXXVII.
Maria Nino. 268. LXXXVIII.
Maria a Paſſione. 248. XXXIV.
Maria de Plagis. 387. XLI.
Maria de Plagis. 268. LXXXVIII.
Maria a Præſentatione. 93. LXXXVI.
Maria a Præſepe. 250. XXXVIII.
Maria de Queto. 18. XXXVIII.
Maria de Sepulcro. 144. CXXI.
Maria Suarez. 93. LXXXVI.
Maria de Turre. 221. XXVII.
Maria Vaſquez. 300. LXXVII.
Marianna ab Aſſumptione. 250. XXXVIII.
Marius de Cannis. 367. LXXXI.
Marius de Foro Sarſinii. 107. XIX. 151. I.
Martinus Enriquez Pro-Rex Mexici. 385. XXXIV. 390. LIII.
Martinus de Guardia Martyr. 197. CXI.
Martinus de Guardia Botelho. 197. CXI.
Martinus Navarro diſſuadet unionem Conventualium, &, Obſervantium. 180. LXIX.
Martinus de Nuebla, vel Numbela. 46. CXVI.
Martinus Rheginus. 300. LXXIX.
Martinus de Sanctis. 297. LXVII.
Martini de Valentia corpus non invenitur. 143. CXVIII. 411. CXXI.
Maſſæus Florentinus Confeſſarius Ducis Franciſci. 89. LXXVIII.
Maſſæus Genuenſis. 300. LXXIX.
Maſſæus Tridentinus. 51. CXXVI.
Matthæus de Leczyca. 297. LXIX.
Matthæus Mattæi Martyr. 189. LXXXVI.
Matthæus Monſajonius Martyr. 205. II.
Matthæus Venetus. 212. XIX.
Matthias Eſtius videt in viſione Martyres Gorcomienſes. 318. XLVII.
Matthias Feliſius. 361. LXI.
Matthias Thoramus ſanitatem recuperat intercesſione Martyrum Gorcomienſium. 318. XLVI.
Maurus Hiſpellas. 411. CXXI.
Maximianus Benjami Inquiſitor. 399. LXXXI.
Maximilianus Imperator. 31. LXIV.
Medardus Confeſſarius Ferdinandi Regis Romanorum. 297. LXIX.
Melchior a Gratia. 242. XVI.
Michael Angelus Bonarota ſepultus Florentiæ in Æde S. Crucis. 25. XLVIII.
Michael Aquilarius. 239. VII.
Michael de Garovillas. 297. LXIX.
Michael Grelet Martyr. 190. XCI.
Michael a Medina Diffinitor Generalis. 274. III.
Michael a Serradilla. 282. XII.
Michael Servian Inquiſitor Generalis in exercitu Fœderatorum. 259. LXV. 408. CXII.
Michael a Torrejonſillo. 338. CX.
Michael Volpinus Inquiſitor. 399. LXXXI.
Miletus Maritath Epiſcopus Dunenſis. 54. CXXXVI.
Miniſtri Provinciales electi in Capitulo Romano. 274. IV.
Minoritæ in Regno Poloniæ Catholicam fidem tuentur. 3. V. In Flandria

Flandria Bayi erroribus non adhærent. 37. LXXXVII.

Modeſtus de Placentia. 271. XCVI.

Moliatſiana Clades pluribus Cœnobiis exitialis 33. LXVII. Ea numerantur. Ibid. & ſeq.

MONASTERIUM MONIALIUM. De Alcacere, ſeu Salatii. 356. XLIII. Amarantii. 131. LXXVI. 198. CXIII. Aquilarii. 331. XCIII. Aſſori. 253. XLVII. Averſæ. 377. XLVII. Barili. 200. CXXI. Bracarenſe. 219. XLI. De Beira. 253. XLVIII. Belgii Monaſteria diruuntur. 327. LXXVI. Belviſii. 93. LXXXVII. Bergomi. 199. CXVII. Bertholii. 93. LXXXVIII. Burdigalæ. 253. XLVII. Caminienſe. 219. XL. Caſtri Cæſaris. 119. LV. Caſtri Florentini. 289. XXXIX. Caſtri Villani. 289. XLII. Catanenſe. 289. XL. Caxallæ. 198. CXVI. 289. XLII. Collaris. 288. XXXVI. Collis. 193. XCIX. Compluti. 356. XLII. Conimbricæ. 198. CXIV. 219. XL. Cortonenſe. 218. XL. Cracoviæ. 198. CXV. Cremonenſia. 288. XXXIX. Cunii. 199. CXVII. Daniel. 357. XLV. Delphenſe S. Agathæ. 251. XLI. Delphenſe S. Barbaræ. Ibid. Dertuſenſe. 120. LV. Eborenſe. 248. XXXIV. 398. LXXVII. De Elvas. 249. XXXVII. Erentæ. 46. CXII. Eſcaritiæ. 130. LXXXIII. De Evians. 219. XLI. Florentinum. 219. XL. Gandavi. 46. CXIV. Gavajolæ Lucæ. 330. XCII. Granatenſe. 119. LV. Guadalſagiaræ. 92. LXXXIV. Hinojoſæ. 218. XXXIX. 356. XLIV. Illeſcis. 357. XLVI. Iudenburgi. 131. LXXXVII. Iuliæ Pacis. 199. CXVIII. Kiſelegg. 220. XLII. Lignæi. 288. XXXVII. De Logrono. 357. XLVI. Lorcenſe. 219. XL. Malacæ. 92. LXXXV. Matriti. 45. CXI. Melphis. 200. CXXII. Mexici. 250. XXXIX. Montis Falci. 288. XXXIX. Montis Marſanici. 205. IV. 396. LXXIII. Murciæ S. Birgittæ. 93. LXXXVII. S. Antonii, S. Eliſabeth, & S. Mariæ de Conſolatione. 219. XL. Mutinenſe. 288. XXXIX. 389. LI. 390. LII. Neapolis. 131. LXXXIV. 288. XXXIX. Neapolis S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Egyptiacæ, & S. Claræ. 199. CXX. De Onate. 250. XXXIX. Oſcæ. 119. LV. 357. XLVI. Oſſunæ. 92. LXXXV. Peruſiæ 331. XCII. Portugallenſe. 219. XL. Portus. 357. XLVI. Ravennæ S. Pauli. 131. LXXXIV. 199. CXVII. S. Claræ. 131. LXXXIV. Reatinum. 93. LXXXVII. Romæ S. Sylveſtri. 198. CXVI. S. Apolloniæ, S. Jacobi de Maractis, & S. Margaritæ. 199. CXIX. Ruchen. 250. XL. Ruthenenſe. 396. LXXII. Salarum. 397 LXXV. Segoviæ. 330. XCI. Syracuſanum. 200. CXXIV. Stellæ. 120. LV. S. Stephani. 199. CXVIII. Tabernæ. 330. XCII. Taraconis. 120. LV. Tiburis. 289. XLI. Toleti. 120. LV. De Torram. 249. XXXVIII. Tridenti. 252. XLVI. Trivii. 130. LXXXIV. Truxilli. 396. LXXVIII. Turolii. 119. LV. Varadinii. 131. LXVXV. Vaſtallæ. 283. XX. Venetiarum. 131. LXXXVII. Villælongæ. 92. LXXXV. Villæ Vergarenſis. 93. LXXXVI. Vilnenſe. 287. XXXV. De Vinho. 356. XLII. Xampeniaci. 46. CXIII. Xereſii. 92. LXXXIV. 119. LV. Zamorenſe. 331. XCII.

N

NArciſus Juani. 242. XVI. 255. LII.

Nicaſius Joannis Martyr. 306. IX. & ſeq.

Nicolaus Bermundus ab Hæreticis vexatur. 147. CXXV.

Nicolaus Clementellus Martyr. 189. LXXXVII.

Nicolaus Cortonenſis. 240. VIII.

Nicolaus Diſinito Inquiſitor. 399. LXXXI.

Nicolaus Factor Vide B. Petrum Nicolaum.

Nicolaus a Lotharingia Martyr. 39. XC.
Nicolaus Peruſcus Epiſcopus conſecrat Eccleſiam Caprarolæ. 44. CIV.
Nicolaus Pichius Martyr. 304. V. & ſeq.
Nicolaus Poppellius Martyr. 306. IX. & ſeq.
Nicolaus a Quinque frondibus. 271. XCVII.
Nicolaus de Ramos. 403. XCVI.
Nicolaus Thbis. 362. LXIV.
Nicolaus Ugrinovich Epiſcopus Samadrienſis. 52. CXXI.

O

Octavianus de Mantua. 410. CXVII.
Octavianus Præconius Archiepiſcopus Panormitanus moritur. 174. LV., & ſeq.
Oliverius Julianus Martyr. 189. LXXXVII.
Onuphrius Jordan 240. XI.
Ottilia Wideman. 178. LXIV.
Otto a S. Germano. 300. LXXIX.
Otto Hilverbecanus prædicit calamitates in Belgio. 327. LXXVII.

P

Pacificus de Calabria. 194. CIII.
Pacificus de Fano. 94. XCII.
Pacificus de Foro Sempronio. 177. LXIII.
Pacificus de S. Gervaſio. 386. XXXVIII.
Pacificus Luganenſis. 177. LXIII.
Pacificus Materenſis. 212. XIX.
Pacificus de Nurſia Diffinitor Generalis. 19. XLI.
Pacificus Toubaux. 147. CXXIV.
Pacificus de Viſeu. 198. CXIII.
Pandulphus Alberti. 392. LX.
Pantaleo Martyr. 206. VII.
Pantaleo de Portu. 198. CXIII.
S. Paſchalis Baylon. 5. IX. 183. LXXIII. 263. LXXIV.
Paſſithea de Chrogis. 110. XXVI.
Patritius Helius Martyr Hibernus. 409. LXXXII.
Paula Gonzaga. 388. LXIV.
Paula a S. Joanne. 249. XXXVII.
Paulina Romana. 398. LXXVII.
Paulinus a Nolsztym. 240. VIII.
Paulus Atiguccius Clarenorum Reformator. 124. XCII.
Paulus de Azevedo. 189. CXIII.
Paulus Bonus de Palatiolo reformationem promovet in Sicilia. 171. XCVI.
Paulus de Buk. 46. CXV.
Paulus de Carticeto Reformator Provinciæ Marchiæ. 257. LVIII.
Paulus Ferrarienſis. 410. CXVIII.
Paulus de Gravina. 403. XCV.
Paulus de Pedona. 367. LXXX.
Paulus de Piſtorio. 177. LXIII.
Paulus de Sovaggio. 109. XXVI.
Paulus de Terra Nova Diffinitor Generalis. 274. III.
Paulus Tonnelerius Martyr. 148. CXXVII.
Paulus a Villa Franca. 342. CXXIII.
Peruviæ Regnum deſcribitur. 56. VI., & ſeq.
Petrus de Albaceta. 282. XII.
Petrus Aſcanus Martyr. 306. IX., & seq.
B. Petrus Baptiſta Protomartyr Japponenſis. 282. XII.
Petrus de Benevento. 239. VI.
Petrus Bonneau Martyr. 190. XCI.
Petrus Borgelarius Martyr. 294. LV.
Petrus de Caceres teſtis miraculi a S. Antonio patrati. 143. CXIX.
Petrus a Cardenoſa. 243. XVIII.
Petrus de Caſtello. 139. CX.
Petrus a Civitate Ducali. 94. XCI.
Petrus Cugnete. 54. CXXXVI.
Petrus ab Eca Martyr. 206. VII.
Petrus ab Eneca. 388. XLV.
Petrus de Gandavo. 339. CXII. & ſeq.
Petrus Gobbus reſtaurat Eccleſiam Omnium SS. Florentiæ. 89. LXXVIII.
Petrus Goſſetus Martyr. 189. LXXXVII.
Petrus de Guardia. 197. CXI.
Petrus de Guardia alter a primo. 197. CXI.
Petrus Guerrerius de Maſſa. 110. XXVII. 274. III. 338. CIX.
Petrus Guerrignejus Martyr. 399. LXXXII.

Petrus Janitor Cænobii Norimbergæ. 191. XCII.
Petrus Joannes Calafat. 339. CXI.
Petrus Juſti Inquiſitor Senis, 230. LXIII.
Petrus de Koshzyn. 176. LX.
Petrus de Magdalena. 301. LXXXII.
Petrus de S. Maria. 284. XXII.
Petrus Marique. 336. CIV.
Petrus Menquius Martyr. 343. CXXIV.
Petrus de Molerio Martyr. 39. XCII.
Petrus Morſelinus. 188. LXXXV. 361. LX.
B. Petrus Nicolaus Factor. 7. XV. 10. XX. 10. XXI. 11. XXIV. 12. XXV., & ſeq. 53. CXXXIII. 184. LXXV & ſeq. 237. I. 258. LXII. 259. LXIII. 261. LXX. & ſeq. 265. LXXIX. & ſeq. 291. XLVIII. 336. CIV. & ſeq. 359. LV. & ſeq. 400. LXXXV. & ſeq.
Petrus Ponceveranus. 342. CXXXIII.
Petrus Pricus Martyr. 292. LII.
Petrus la Rocca. 194. CIII.
Petrus Regis. 362. LXIII.
Petrus de Sanctis. 392. LVIII.
Petrus a Spe. 243. XVIII.
Petrus Tauzietius Martyr. 294. LV.
Petrus Toelatus Martyr. 257. LIX.
Petrus Veronenſis Martyr. 205. II.
Petrus de Urbino. 343. CXXIV.
Petrus Xerez. 280. VII.
Philippa de Bergomo. 398. LXXVII.
Philippus II. Rex Hiſpaniarum mittit Claſſem ad Melitam defendendam. 2. III. Inviſit cœnobium de Hornacuelos. 259. LXIII.
B. Philippus Alaquerius. 357. XLVII.
Philippus Pamieri. 193. CI.
Pius IV. 2. III. 3. V. 40. XCII. 54. CXXXVII. & ſeq.
S. Pius V. renuntiatur Summus Pontifex. 55. I. Reformat Clauſtrales. 56. IV. Extinguit Congregationem Clarenorum, & Amadeorum. 151. III. Subjicit Fratres Tertii Ordinis regimini Obſervantium. 163. XXX. Promovet unionem Conventualium, & Obſervantium. 180. LXIX. Ejus beneficia in Ordinem Minoriticum. Vide in fine cujuslibet anni.
Pius Cœnobii de Atha Alumnus Martyr. 74. XL.
Pontius Clericus. 191. XCIV.
F. Predufour Martyr. 205. III.
Proſper de S. Angelo. 367. LXXX.
PROVINCIA S. Antonii Charcarum. 224. LVII. S. Antonii Portugalliæ. 167. XLII. & ſeq. Duodecim Apoſtolorum de Perù. 63. XX. & ſeq. S. Crucis Hiſpaniolæ. 26. L. & ſeq. S. Fidei. 224. LVI. 226. LVII. S. Franciſci de Quito. 65. XXIII. S. Joſeph de Jucatan. 223. LIV. 225. LVII. SS. Nominis Jeſu de Guatemala. 222. LI. 225. LVII. SS. Petri, & Pauli, 224. LVII. 227. LVII. Portugalliæ reformatur. 196. CX. S. Salvatoris in Hunria. 257. LVII. Saxoniæ S. Crucis. 41. XCIII. SS. Trinitatis de Chile. 331. XCIV. & ſeq.

Q

Quauhtincan Eccleſia fundatur. 215. XXVIII.
Quitteria de Robles. 268. LXXXVII.

R

Raymundi Lulli cultus in Civitate Palmæ. 120. LVII. & ſeq.
Raymundus Rædanus Martyr. 257. LIX.
Raymundus Roiſellius Martyr. 205. III.
Raynerius a Lintris Martyr. 320. LIV.
Remigius a Lauda. 345. I. 386. XXXVIII.
Robertus ab Ebulo. 2. II.
Rodericus de S. Iacobo Martyr. 206. VII.
Rogerius Mac-Congaill Martyr. 38. LXXXIX.
Rogerius Ruchrius. 409. CXV.
Rogerius Viguerius Martyr. 189. LXXXVI.
Rufinus Libutanenſis. 342. CXXI.

S

B. SAlvator ab Horta floret. 2. IV. 14. XXIX. & ſeq. XXXIII. & ſeq. 17. XXXVI. & ſeq. 80. LIII. & ſeq. Moritur. 134. CV. & ſeq. 136. XCVIII.
Sanctes ab Horta ſocius Pauli de Carticeto in reformatione Provinciæ Marchiæ. 257. LVIII. 274. IV.
Sanctes de Ripa Tranſonum. 156. XIV.
Savinus Firmanus. 94. XCI.
B. Sebaſtianus ab Apparitio Minoritis dat nomen. 366. LXXVIII. 375. I. & ſeq.
Sebaſtianus de Gratterio. 342. CXXIII.
Sebaſtianus Rex Portugalliæ accipit a Senatu Veneto Reliquiam S. Antonii Patavini. 253. L.
Sebaſtianus de Ripa Tranſonum Viſitator Provinciæ S. Franciſci. 230. LXII.
Seraphina Portio. 289. XL.
Seraphinus Mons Albanus Diffinitor Generalis. 274. III.
Seraphinus Savonenſis. 410. CXVIII.
Seraphinus de Schio Reformator Clarenorum. 134. XCII.
Servatius a Noetberg. 141. CXIV.
Sylveſter Bocchérienſis. 271. XCVII.
Sylveſter Kiernozye. 207. X.
Simon Martyr. 206. VII.
Sixtus Firminus. 410. CXVIII.
Sixtus de Guardia. 197. CXI.
Sixtus Senenſis. 207. IX.
Stanislaus Carnecovius elevat corpus B. Ladislai. 335. XCIX. & ſeq.
Stephania ab Arguilles. 144. CXXI.
Stephania Beneta. 387. XLIII.
Stephanus de Barguello Martyr. 199. LXXXVII.
Stephanus de Buccherio. 271. XCVIII.
Stephanus Mauguſius Martyr. 189. LXXXVI.
Stephanus Molina. 90. LXXIX. 249. XXXVI. 288. XXXIX. 412. CXXII.
Stephanus Regnacus Martyr. 40. XCII.
Stephanus de Rubis. 150. CXXXII.

T

TEreſia de Guſmanio. 268. LXXXVII.
Theodolinda de Præſepe. 387. XLII.
Theodoricus Endemus Martyr. 306. IX. & ſeq.
Theodoricus Loet Martyr. 322. LXIII.
Theodorus Gerardi ultimus Miniſter Provinciæ Saxoniæ S. Crucis. 109. XXIII.
Theophilus Borgondi Inquiſitor. 399. LXXXI.
Toribius Motolinius. 208. XII. 209. XIII.
Thomas II. Archiepiſcopus Tarautaſiæ. 398. LXXIX.
Thomas Furnus Epiſcopus conſecrat Eccleſiam Cœnobii Plebis Centi. 217. XXXV.
Thomas Sermannus. 365. LXXII.
Tuſſanus Fortinus Martyr. 148. CXXVII.

V

VAlentinus de Chriſtianis. 339. CX.
Valentinus Drepanenſis. 271. XCVII.
Vera de Cruce fundatrix Monaſterii de Elvas. 249. XXXVII.
Veronica Urſina reformat Monaſterium S. Sylveſtri de Urbe. 249. XXXVI.
Victor a Bergomo. 94. XCI.
Vincentius Caſſinenſis. 142. CXV.
Vincentius a Flaviano. 367. LXXX. 368. LXXXIII. & ſeq.
Vincentius de Monte Ulmi Generalis Capuccinorum. 385. XXXVII.
Violantes Monpalau. 336. CIV.
Violantes de Souza. 249. XXXVII.
Violantes ab Urrea. 221. XLVII.
Virginia Randoli. 300. LXXVII.
Ubertus Folieta. 106. XVII. 142. CXV. 172. LII.
Urſula Volaterrana. 179. LXVI.
Willehadus Danus Martyr. 306. IX. & ſeq.

Z

Zacharias Boverius injurioſus in Minores Obſervantes refellitur, 94. XCII. 212. XX. & ſeq. 261 LXIX. & ſeq.
Zenobius Florentinus. 176. LX.

INDEX REGESTI.

Notæ Arabicæ paginas, Romanæ initium Literarum Apoſtolicarum indicant.

Litera Pii PP. IV.

Apoſtolatus Officium. III. 419.
Apoſtolatus Officium. IV. 421.
Cum ſicut accepimus. V. 422.
Grata devotionis. I. 417.
Sedis Apoſtolicæ. II. 418.

Litera Pii PP. V.

Accepimus nuper. XXII. 443.
Accepimus nuper. LV. 479.
Ad extirpandos. LVII. 481.
Alias ſiquidem. VI. 428.
Ante thronum. XCIX. 512.
Apoſtolatus Officium. X. 432.
Apoſtolatus Officium. XI. 432.
Apoſtolatus Officium. LIV. 477.
Apoſtolatus Officium. LVI. 480.
Apoſtolatus Officium. LXXV. 496.
Apoſtolatus Officium. LXXX. 500.
Apoſtolatus Officium. LXXXI. 500.
Apoſtolatus Officium. LXXXII. 500.
Apoſtolatus Officium. LXXXIII. 501.
Apoſtolatus Officium. LXXXIV. 501.
Apoſtolatus Officium. CI. 513.
Apoſtolicæ Sedis. CX. 520.
Beatus Chriſti. XLI. 461.
Cum ad hoc. C. 512.
Cum alias. XXIX. 449.
Cum alias. LXI. 485.
Cum circa ea. XXXIII. 452.
Cum ex fide. XCIV. 508.
Cum graviſſimis. XIII. 435.
Cum nihil. XXVIII. 448.
Cum nos. XXVII. 447.
Cum nos. XXX. 450.
Cum nos. LXXI. 494.
Cum propter. XXXI. 450.
Cum Tu. XLIV. 467.
Cupientes. XXXII. 452.
Cupientes. XLVII. 472.
Cupientes. LXXXIV. 495.
Cupientes. LXXXV. 501.
Cupientes. LXXXVI. 502.
Cupientes. LXXXIX. 504.
Cum ſicut. II. 424.
Cum ſicut. XVI. 437.
Cum ſicut. XXIV. 445.
Cum ſicut. XXVI. 447.
Cum ſicut. XXXV. 455.
Cum ſicut. XXXVII. 459.
Cum ſicut. XXXVIII. 459.
Cum ſicut. XXXIX. 460.
Cum ſicut. LIV. 479.
Cum ſicut. LXVI. 490.
Cum ſicut. LXIX. 492.
Cum ſicut. LXXVII. 498.
Cum ſicut. LXXIX. 499.
Cum ſicut. XCI. 506.
Cum ſicut. XCV. 508.
Cum ſicut. XCVIII. 512.
Decet Rom. Pontificem. CIII. 514.
De ſalute gregis. CXIII. 522.
De ſtatu Eccleſiarum. CVII. 517.
Ea eſt Officii. XLVI. 469.
Ea, quæ concordia. XV. 436.
Excellens. LXVIII. 491.
Ex commiſſo. CXI. 520.
Exigit injunctum. III. 425.
Exigit incumbentis. LXV. 489.
Ex injuncto. LII. 476.
Ex injuncto. LIII. 476.
Ex injuncto. LXII. 487.
Exponi nobis. XIV. 435.
Exponi nobis. XVII. 438.
Exponi nobis. LIX. 484.
Exponi nobis. LXXVIII. 498.
Exponi nobis. XCII. 507.
Exponi nobis. CII. 513.
Exponi nobis. CVI. 516.
Exponi nobis. CIX. 519.

Ex

Ex rationabilibus. XX. 442.
Honeſtis petentium. XLIII. 466.
Illa nos cura. XLIX. 474.
In eminenti. XXXVI. 456.
In ſede. LVIII. 483.
In ſede. LXXXVII. 502.
In ſuprema. CIV. 515.
Indefeſſa. CV. 515.
Injunctum. LXIV. 488.
Intelleximus. V. 427.
Intelleximus. XLVIII. 474.
Inter cætera. CVIII. 518.
Licet alias. XLV. 467.
Licet alias. CXII. 521.
Magna ſane. XXV. 446.
Maxime cuperemus. XII. 432.
Multæ, & graves. XXI. 443.
Non ſine. XIX. 441.
Nuper credentes. LXVII. 490.
Nuper per noſtras. XXIII. 444.
Nuper per noſtras. LXXI. 493.
Nuper per noſtras. LXXXVIII. 503.
Nuper pro parte. LXX. 493.
Paſtoralis officii. VII. 429.
Paſtoralis officii. XCVII. 510.
Piis Fidelium. CXIV. 521.
Poſtquam Dominus. XIII. 464.
Provinciale Concilium. LX. 485.
Quamvis hodie. IX. 431.
Quo chariſſimum. XC. 504.
Quod a nobis. LXXIII. 495.
Rationi congruit. I. 422.
Reformationi. XL. 460.
Regimini. XXXV. 453.
Romana Eccleſia. LXXVI. 497.
Romani Pontificis. LXIII. 488.
Romani Pontificis. CXV. 523.
Romanus Pontifex. VIII. 430.
Sacræ Religionis. L. 475.
Sollicitat nos. IV. 426.
Super gregem. XCIII. 507.
Superioribus menſibus. XVIII. 439.

Literæ Gregorii PP. XIII.

Accepimus. VIII. 530.
Accepimus. XIX. 538.
Apoſtolatus Officium. IV. 526.
Apoſtolatus Officium. XXV. 543.
Apoſtolatus Officium. XXX. 543.
Chriſtifidelium votis. XXXIII. 547.
Conſuevit. XXI. 540.
Cum nos nuper. XV. 534.
Cum nos pridem. V. 526.
Cum ſicut accepimus. IX. 530.
Cum ſicut accepimus. XIII. 533.
Cum ſicut accepimus. XXVI. 543.
Cum ſicut accepimus. XXVIII. 544.
Cum ſicut accepimus. XXXI. 546.
Cum ſicut accepimus. XXXIV. 548.
Cum ſicut accepimus. XXXVI. 549.
Cupientes. XII. 532.
Dum illam. II. 524.
Ex commiſſo. VII. 527.
Exponi nobis. XIV. 533.
Exponi nobis. XVII. 535.
Exponi nobis. XXII. 541.
Exponi nobis. XXVII. 544.
Exponi nobis. XXIX. 545.
Exponi nobis. XXXV. 549.
Exponi nuper. X. 531.
Expoſcit. XXXII. 547.
Harum tenore. III. 525.
Hodie a nobis. XVIII. 536.
Motu proprio. VI. 526.
Sacræ Religionis. XVI. 534.
Salvatoris Domini. I. 524.
Sincerus. XXIII. 541.
Sincerus. XXIV. 542.
Volumus. XXXVII. 550.
Ut animarum. XX. 539.

FINIS TOMI VIGESIMI.

Mendorum, quæ in hoc volumen irrepſerunt, etiamſi laborioſa in corrigendo uſi ſimus diligentia, catalogum non exhibemus, tum quia Hiſtoriæ confuſionem non afferunt, tum quia humaniſſimus Lector facile ea deprehendet, nulloque negotio corriget.


Digitized by Google

Digitized by Google

09 5644559

Digitized by Google





Digitized by Google